A

AM

CORNELII A LAPIDE

COMMENTARII

IN

SCRIPTURAM SACRAM

17

BS1145
L3
v. 17
1891

85405
00769



EX LIBRIS
HEMETHERII VALVERDE TELLEZ
Episcopi Leonensis

1080014757

ALERE FLAMMAM VERITATIS
UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN

UANL
UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
®
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

# COMMENTARIA

IN

# SCRIPTURAM SACRAM

R. P. CORNELII A LAPIDE

UANL
UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ®
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

# COMMENTARIA

IN

# SCRIPTURAM SACRAM


R. P. CORNELII A LAPIDE

E SOCIETATE JESU,

SANCTÆ SCRIPTURÆ OLIM LOVANII, POSTEA ROMÆ PROFESSORIS,

ACCURATE RECOGNOVIT AC NOTIS ILLUSTRAVIT

AUGUSTINUS CRAMPON.

DIOECESIS AMBIAN. PRESBYTER.



EDITIO NOVA

ACCURATE EXPURGATA MENDIS QUÆ IN PRIOREM IRREPSERANT.


TOMUS DECIMUS SEPTIMUS

## IN ACTA APOSTOLORUM


L. V.

UNIVERSIDAD DE NUEVO LEON

Biblioteca Valverde y Tellez



PARISIIS

APUD LUDOVICUM VIVÈS, BIBLIOPOLAM EDITOREM

13, VIA VULGO DICTA DELAMBRE, 13

MDCCCXCI



CAPILLA ALFONSINA

UANL

85305

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN

ALERE FLAMMAM VERITATIS

UANL

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ®

DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

FONDO EMETERIO VALVERDE Y TELLEZ

AD

# BENEVOLUM LECTOREM

## PROŒMIUM.

A Duodecim Prophetis Veteris Testamenti transeo ad totidem Novi, duodecim inquam Apostolos, quorum Acta conscribit S. Lucas, Epistolas suas ipsimet scripsere, æque ac Apocalypsin, quæ ut propria, ita unica est prophetia legis Evangelicæ. Hi nimirum sunt Vates Christi, Evangelistæ Dei, Doctores veritatis, Dictatores fidei, Legislatores orbis, Principes Ecclesiæ, imo cœli animati, Angeli et Archangeli, qui enarrant gloriam Dei, quos in spiritu prævidens Regius Propheta admirabundus exclamat : *In omnem terram exivit sonus eorum, et in fines orbis terræ verba eorum.* Brevis ero more meo, ut Acta Apostolorum, septem Epistolas Canonicas, et Apocalypsin eodem Tomo Complectar : quatuor enim Evangelia tertio in Novum Testamentum Tomo reservo (1). Chronotaxin, sive brevem temporum seriem præmitto, quod illa magnam singulis lucem afferet, adeoque facem legentibus ubique præferet.

(1) Ab hoc ordine nobis paululum recedere visum est. Itaque singuli libri in nostra editione eo ordine in lucem exibunt, quem in Concilio Tridentino, sess. IV, et in omnibus Catholicorum bibliis obtinent.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS
007393

## APPROBATIO CENSORIS ORDINARII.

Hæc expositio et Commentarius in *Acta Apostolorum*, a R. P. *Cornelio Cornelii a Lapide*, Societatis Jesu Theologo, et sacrarum Litterarum in Collegio Romano Professore, concinnata, est docta et pia, multisque floribus variorum Auctorum exornata. Unde et ad Romanæ Ecclesiæ doctrinam confirmandam, et rituum in primitiva Ecclesia usurpatorum cognitionem mire facit, ut tam doctis quam indoctis inserviat : Quod testor, 18 februarii, anno 1626, qui hæc scripsi, et subscripsi.

EGBERTUS SPITHOLDIUS,
*Canonicus et Plebanus Antverpiensis, S. T. L. Librorum Censor.*

---

**MUTIUS VITELLESCUS,**
SOCIETATIS JESU PRÆPOSITUS GENERALIS.

Quum Commentarios in *Acta Apostolorum*, R. P. *Cornelii Cornelii a Lapide*, nostræ Societatis, aliquot ejusdem Societatis Theologi, quibus id commissum fuit, recognoverint, ac in lucem edi posse probaverint ; facultatem concedimus, ut typis mandentur : si ita iis, ad quos pertinet, videbitur. In quorum fidem has litteras manu nostra subscriptas, et sigillo nostro munitas dedimus, Romæ 1 maii, anno 1625.

MUTIUS VITELLESCUS.

---

Annotationes quibus *Commentaria R. P. Cornelii a Lapide in Actus Apostolorum*, illustravit et ditavit Aug. Crampon, Presbyter diœcesis Ambianensis,

Nil obstat quin imprimantur.

Datum Ambian., 15 octobris, anno 1857.

† JACOBUS ANTONIUS,
*Ambian. Episcopus.*

# CHRONICON ACTUUM APOSTOLORUM.

Conf. egregias sane disquisitiones tum Kuinoelii, *Prolegom. in Act. Apostol.* § 7; tum Hug, *Einleitung a d. Schriften D. N. T.* Th. II; tum D. Glaire, *Introduction aux Livres de l'Anc. et du Nouv. Test.*, t. V, ad calcem; tum Alzog, opere cui titulus in vernacula, *Hist. univers. de l'Eglise*, t. I; tum denique Haneberg, *Einleitung in's alte und neue Testament*, p. 599 seqq. Nos quidem in constituendis annis, quibus singulæ potioris momenti res gestæ evenerunt, ducem potissimum habuimus Sepp, opere cui titulus in vernacula, *La Vie de N.-S. J.-C.*, tom. II.

1. Christus moritur, die veneris, xv calend. aprilis, expleto 34 suo anno cum tribus mensibus, anno autem periodi Julianæ 4742, U. C. 782, ær. vulg. 29, Tiberii post Augustum imperantis 15, cum Augusto vero 18.

2. Die Pentecostes Spiritus Sanctus descendit super omnes discipulos, eodem anno, 5 junii, vel 6 τοῦ Nisan.

Duo argumenta ex *Actis* petita, quibus nititur Sepp, hæc sunt :

*a*) S. Chrysostomus, hom. *in Princip. Apostol.*, asserit Paulum 35 annos a conversione Christo serviisse. Porro, juxta S. Hieronymum, in suo *Catalogo*, ex *Chronico* Eusebii deprompto, Petrus et Paulus martyrio coronati sunt anno post Christi mortem 37, imperii Neronis 14, id est, U. C. 820, ær. vulg. 67 : Nero enim primum imperavit 13 octobris, ann. 807, vel a Christo 54. Si vero ex apostolatu Pauli 35 annos demas, habebis ejus conversionis annum, scil. U. C. 785, vel 25 januarii 786, imperii Tiberii 19, post mortem Christi 3 cum dimidio. Ergo si chronologia vulgaris, juxta quam Christus mortuus est anno 32, vera est, discipulos ante Christi mortem Paulus persecutus esset, quod repugnat.

*b*) Firma Veterum traditio est, Petrum Romæ sedisse annos 25. Cum vero anno 820 mortuus est, Romæ sedem fixerit anno 795, seu ær. vulg. 42, post Christi mortem 13, necesse est. Quod optime consonat aliæ traditioni ab Apollonio primum, deinde a Clemente Alexandrino et Eusebio memoratæ, asserenti scilicet, Christum jussisse Apostolis ne ante annos 12 a morte sua computandos Hierosolymis discederent, et ad Gentes transirent. Revera Hierosolymæ manserunt Apostoli (solumque ad tempus in regiones vicinas excurrerunt, crebro Judæam et Jerusalem revisentes) usque ad mortem Beatæ Virginis, quæ, juxta vetustissimam traditionem, Hierosolymis mortua est die 21 januarii, ann. 42, annos nata 60, paulo ante Herodis Agrippæ adventum in Judæam. Notum quoque est Agrippam, primo suo adventu, Jacobum Majorem necari jussisse movisseque persecutionem, tunque Apostolos ad Gentes transiisse. Porro, posito quod Christus mortuus sit ann. ær. vulg. 33, ut vulgo perhibent, anni 25 quibus Petrus Romæ sedit, reperire nequeunt. Nam si his annis addas 7 quibus sedit Antiochiæ, supererunt 2 anni tantum inter Christi mortem et Petri sedem in urbe Antiochia, quod admitti nullatenus potest : ergo Christum mortuum esse ante ann. 33 ær. vulg., scil. ann. 29, ut in tom. XVI probavimus.

3. Stephanus lapidatur die 26 decembris, anno ær. vulg. 32, imper. Tiberii 19, ut ait Eusebius in *Chronico*.

4. Saulus ad fidem convertitur, ann. U. C. 785, vel 25 januarii ann. 786, imper. Tiberii 19, ær. vulg. 33. Cæcus Damasci 3 diebus commoratur; dein, ex insidiis a præfecto regis Aretæ sibi structis elapsus, in Arabiam se confert.

5. Baptizatur Cornelius Centurio, Gentibusque ostium Ecclesiæ aperitur, ann. ær. vulg. 35.

6. Pauli primum Hierosolymam iter, cum Apostolis de re Christiana collaturi, ann. 36.

7. Petrus Antiochiæ sedet, ann. 35 vel 36, die 22 februarii.

8. Tiberius moritur, die 15 martii, ann. imperii ipsius cum Augusto 26, a morte Augusti 23, ær. vulg. 37. Quem Caius Caligula excipit iisdem mense et anno.

9. Caii mors, die 24 januarii, ann. 41; eum excipit Claudius.

10. Herodes Agrippa Roma Hierosolymam venit, a Claudio rex renuntiatus, ann. 42, U. C.

11. Jacobus Major supplicio afficitur, Petrus vero e vinculis liberatur ab angelo, ann. ...rtio exeunte.

Alexandrini quotannis victoriam de Antonio ab Augusto sub ipsorum mœnibus reportatam die 1 augusti ...sto celebrabant. Quam consuetudinem quum tollere statuisset Eudoxia, Theodosii Junioris imperat.

ALERE FLAMMAM VERITATIS
UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

uxor, ipso hoc die sacrum indixit festum in honorem S. Petri e vinculis ab angelo liberati : hoc festum deinde in ordinem receptum tota Ecclesia eodem die celebravit. At, cum incarcerationem Petri paucis diebus antecesserat Jacobi mors, inde factum est ut die 25 julii hujus festi sedes fixa fuerit, etsi ad aliud tempus hi duo eventus referri debeant.

12. B. Virgo, 60 annos nata, in cœlum assumitur, die 21 januarii, ann. 42.

13. Disperguntur Apostoli hoc quoque jam adulto anno, extremo vero Petrus Romæ sedet.

14. Herodes Agrippa, rex, 54 annos natus, a Domino percussus misere interit, paulo post Paschatis festum, ann. ær. vulg. 44; cui succedit Cuspius Fadus, Procurator.

15. Fame in Judæa grassante, anno Claudii Imperat. 4 exeunte, seu ær. vulg. 45, Paulus secunda vice una cum Barnaba Hierosolymam venit, et eleemosynas ab Antiochenis collectas Christianis Hierosolymitanis defert.

16. Missio Pauli prima, post jejunium, orationem ac manus impositionem, ann. 44-48.

17. Fadum Procuratorem excipit Tiberius Alexander, Alexandri Lysimaci filius, ann. 46.

18. Romæ, ob festum sæculare, ab U. C. octavum, dies festi a Claudio magno sumptu instituuntur, ann. 47.

19. Judæi (simulque Christiani) Roma expelluntur edicto Claudii, ann. 49.

20. Concilium Hierosolymitanum I, ann. ær. vulg. 49, a primo Pauli cum Apostolis congressu 14, a conversione vero 17.

21. In locum Tiberii Alexandri Procuratoris venit Ventidius Cumanus, ann. 47-52.

22. Altera Pauli missio, ann. 49-53.

23. Paulus eodem anno 49 Corinthum venit, ibique reperit Aquilam et Priscillam ex Italia expulsos; in illa urbe per integrum annum et sex menses versatur.

24. Paulus, ann. 51, mense martio, solvit e Cenchris, Hierosolymamque quartum pervenit, circa Paschatis festum, quod eo anno agebatur diebus 18-25 aprilis.

25. Cumano Procuratori succedit Felix, ann. 52-55.

26. Nicopoli Paulus hiemat ann. 51 exeunte; se confert Ephesum, ibique cum biennium et 3 menses consumpsisset, a mense aprili, ann. 54, Philippis in Macedonia commoratur ad hiemam, quam exigit in Achaia.

27. Nero primum imperat, die 13 octobris, ann. U. C. 807, ær. vulg. 54.

28. Pascha agit Paulus Philippis, ann. 55 (a 30 die martii ad diem 6 april.).

29. Petrus Romam redit ann. 55.

30. Paulus Hierosolymis Pentecostes festum celebrat, ann. 55, diebus vero 19-26 maii; ibique in vincula conjicitur.

31. Procuratori Felici succedit Porcius Festus, ann. 55.

32. Paulus eodem anno, mense octobri, Romam transportatur; naufragium facit; in insula Melite hiemat; Romæ advenit mense martio, ann. 56, ubi in vinculis biennium exigit, usque ad annum 58 vel 59.

33. Jacobus minor capite truncatur, ann. Neronis 7, U. C. 814, ær. vulg. 59.

34. Paulus ex Asia rediens occurrit Petro Corinthi, ann. 60.

35. Idem in Hispania evangelium prædicat ann. 60-65.

36. Incendium Romæ a Nerone, die 20 julii, ann. 64; ab eodem in Christianos edicitur persecutio.

37. Petrus et Paulus Romam iterum veniunt, ann. 65.

38. Uterque e carcere Mamertino eductus, martyrio coronatur, die 29 junii, ann. U. C. 826, a Christo 67, Neronis imper. 14.

39. Urbs Hierosolyma a Romanis expugnatur, ann. 70.

# CHRONOTAXIS
# ACTUUM APOSTOLORUM,
## EPISTOLARUM CANONICARUM
## ET APOCALYPSEOS,

ADEOQUE TOTIUS PRIMI A CHRISTO CHRISTIANI SÆCULI, IN OMNIBUS CONSENTIENS ANNALIBUS CARDINALIS BARONII, PAUCIS EXCEPTIS.

### Anno a nativitate Christi 34, Tiberii Imperii 18.

Anno Christi 34 per tres menses inchoato, qui fuit annus mundi 3984, a diluvio 2327, ab Abraham 2035, ab exitu Hebræorum ex Ægypto 1530, a templo Salomonis 1051, ab Isaia et Prophetis 800, Olympiadis 202 annus quartus, a Roma condita 785, a captivitate Babylonica 625, a Cyro 565, ab initio 70 hebdomadum Danielis 487, puta in medio 70 et ultimæ hebdomadæ, uti prophetavit Daniel, cap. IX, 20, ab annis Græcorum, sive Seleucidarum 344, a Machabæis 199 (vide tabulam Chronologicam quam præfixi Pentateucho), hoc inquam anno ætatis suæ 34, Christus Dominus, Princeps Pontificum, Ecclesiæ Hierarcha, Redemptor et Salvator orbis, sacerdos secundum ordinem Melchisedech, expleturus vota et promissa Patriarcharum, legis umbras et figuras, ac vaticinia Prophetarum, perfecit munus suæ legationis et œconomiæ in carne, ac redemptionis nostræ sibi a Patre demandatum : quare pro nobis passus est atrocissima tormenta, et crucifixus inter latrones quasi latro, mortuus est, ut nobis vitam daret, die 25 martii : quo pariter die ante 34 annos obumbrante Spiritu Sancto conceptus et incarnatus erat in intemerato Beatæ Virginis utero, ut habet communior Doctorum sententia : consequenter resurrexit die 27 martii; ascendit in cœlum post 40 dies, die quinta maii; misit Spiritum Sanctum in specie linguarum ignearum die quinquagesima, puta in Pentecoste, die 15 maii, uti ostendam *Act.* I, 12.

Paulo post ascensionem Christi ante Pentecosten, agente S. Petro, Matthias sorte suffectus est in locum et apostolatum Judæ proditoris.

Accepto Spiritu Sancto in Pentecoste, illico Petrus prædicans convertit tria millia hominum, *Act.* II, 41, qui omnes vendebant possessiones suas, et pretia earum ponebant ad pedes Apostolorum, perdurantes unanimiter in templo, et frangentes circa domos panem, sumebant cibum cum exultatione. Paulo post Petrus ad portam templi speciosam sanans claudum, indeque concionans ad populum, convertit quinque hominum millia : quocirca a Pontificibus incarceratus, libere respondet, oportere magis obedire Deo quam hominibus, *Act.* III et IV. Inde, cap. V, Ananiam et Sapphiram suffurantes de pretio agri sui, morte punit. Mox iterum cum cæteris Apostolis incarceratur, sed ab angelo liberatus, jubetur concionari in templo : qua de causa a magistratu reductus ad concilium, examinatus et increpitus, idem quod prius intrepide respondet : agit causam ejus Gamaliel. Ipse et cæteri Apostoli flagellati « ibant gaudentes a conspectu concilii, quoniam digni habiti sunt pro nomine Jesu contumeliam pati. »

Eodem anno paulo post Pentecosten, ob murmur Græcorum contra Hebræos, Apostoli crearunt septem Diaconos : inter quos præcipuus et quasi archidiaconus eminuit S. Stephanus, qui ardenter et assidue disputans contra Judæos eosque convincens, tandem ab eis lapidibus obrutus, glorioso martyrio coronatur die 26 decembris, *Act.* VI et VII.

Eodem anno sequenti die, puta 27 decembris, S. Jacobus, frater Domini, creatur primus Episcopus Hierosolymorum. Ita illico mirifice post Christi ascensum et missionem Spiritus Sancti crevit Ecclesia, cum Christus ascendens tantum reliquerit duodecim Apostolos, 72 Discipulos et quingentos Christianos, I *Corinth.* XV, 6.

### Anno Christi 35, Tiberii Imp. 19.

Ob Stephanum Judæi insanientes, persecuti sunt cæteros Christianos : hinc illi omnes dispersi sunt per regiones Judææ et Samariæ, præter Apostolos. Quocirca Philippus Diaconus Samariæ prædicans, eam convertit. Unde Petrus et Joannes eo profecti sunt, ut baptizatos a Philippo sacramento Confirmationis communirent. Ibi S. Petrus primum certamen habuit cum Simone Mago. Philippus ab angelo raptus, convertit Eunuchum Candacis, reginæ Æthiopum, qui deinde in Æthio-



UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

uxor, ipso hoc die sacrum indixit festum in honorem S. Petri e vinculis ab angelo liberati : hoc festum deinde in ordinem receptum tota Ecclesia eodem die celebravit. At, cum incarcerationem Petri paucis diebus antecesserat Jacobi mors, inde factum est ut die 25 julii hujus festi sedes fixa fuerit, etsi ad aliud tempus hi duo eventus referri debeant.

12. B. Virgo, 60 annos nata, in cœlum assumitur, die 21 januarii, ann. 42.

13. Disperguntur Apostoli hoc quoque jam adulto anno, extremo vero Petrus Romæ sedet.

14. Herodes Agrippa, rex, 54 annos natus, a Domino percussus misere interit, paulo post Paschatis festum, ann. ær. vulg. 44; cui succedit Cuspius Fadus, Procurator.

15. Fame in Judæa grassante, anno Claudii Imperat. 4 exeunte, seu ær. vulg. 45, Paulus secunda vice una cum Barnaba Hierosolymam venit, et eleemosynas ab Antiochenis collectas Christianis Hierosolymitanis defert.

16. Missio Pauli prima, post jejunium, orationem ac manus impositionem, ann. 44-48.

17. Fadum Procuratorem excipit Tiberius Alexander, Alexandri Lysimaci filius, ann. 46.

18. Romæ, ob festum sæculare, ab U. C. octavum, dies festi a Claudio magno sumptu instituuntur, ann. 47.

19. Judæi (simulque Christiani) Roma expelluntur edicto Claudii, ann. 49.

20. Concilium Hierosolymitanum I, ann. ær. vulg. 49, a primo Pauli cum Apostolis congressu 14, a conversione vero 17.

21. In locum Tiberii Alexandri Procuratoris venit Ventidius Cumanus, ann. 47-52.

22. Altera Pauli missio, ann. 49-53.

23. Paulus eodem anno 49 Cornthum venit, ibique reperit Aquilam et Priscillam ex Italia expulsos; in illa urbe per integrum annum et sex menses versatur.

24. Paulus, ann. 51, mense martio, solvit e Cenchris, Hierosolymamque quartum pervenit, circa Paschatis festum, quod eo anno agebatur diebus 18-25 aprilis.

25. Cumano Procuratori succedit Felix, ann. 52-55.

26. Nicopoli Paulus hiemat ann. 51 exeunte; se confert Ephesum, ibique cum biennium et 3 menses consumpsisset, a mense aprili, ann. 54, Philippis in Macedonia commoratur ad hiemam, quam exigit in Achaia.

27. Nero primum imperat, die 13 octobris, ann. U. C. 807, ær. vulg. 54.

28. Pascha agit Paulus Philippis, ann. 55 (a 30 die martii ad diem 6 april.).

29. Petrus Romam redit ann. 55.

30. Paulus Hierosolymis Pentecostes festum celebrat, ann. 55, diebus vero 19-26 maii; ibique in vincula conjicitur.

31. Procuratori Felici succedit Porcius Festus, ann. 55.

32. Paulus eodem anno, mense octobri, Romam transportatur; naufragium facit; in insula Melite hiemat; Romæ advenit mense martio, ann. 56, ubi in vinculis biennium exigit, usque ad annum 58 vel 59.

33. Jacobus minor capite truncatur, ann. Neronis 7, U. C. 814, ær. vulg. 59.

34. Paulus ex Asia rediens occurrit Petro Corinthi, ann. 60.

35. Idem in Hispania evangelium prædicat ann. 60-65.

36. Incendium Romæ a Nerone, die 20 julii, ann. 64; ab eodem in Christianos edicitur persecutio.

37. Petrus et Paulus Romam iterum veniunt, ann. 65.

38. Uterque e carcere Mamertino eductus, martyrio coronatur, die 29 junii, ann. U. C. 826, a Christo 67, Neronis imper. 14.

39. Urbs Hierosolyma a Romanis expugnatur, ann. 70.

# CHRONOTAXIS
# ACTUUM APOSTOLORUM,
## EPISTOLARUM CANONICARUM
### ET APOCALYPSEOS,

ADEOQUE TOTIUS PRIMI A CHRISTO CHRISTIANI SÆCULI, IN OMNIBUS CONSENTIENS ANNALIBUS CARDINALIS BARONII, PAUCIS EXCEPTIS.

Anno a nativitate Christi 34, Tiberii Imperii 18.

Anno Christi 34 per tres menses inchoato, qui fuit annus mundi 3984, a diluvio 2327, ab Abraham 2033, ab exitu Hebræorum ex Ægypto 1530, a templo Salomonis 1051, ab Isaia et Prophetis 800, Olympiadis 202 annus quartus, a Roma condita 785, a captivitate Babylonica 625, a Cyro 563, ab initio 70 hebdomadum Danielis 487, puta in medio 70 et ultimæ hebdomadæ, uti prophetavit Daniel, cap. IX, 26, ab annis Græcorum, sive Seleucidarum 344, a Machabæis 199 (vide tabulam Chronologicam quam præfixi Pentateucho), hoc inquam anno ætatis suæ 34, Christus Dominus, Princeps Pontificum, Ecclesiæ Hierarcha, Redemptor et Salvator orbis, sacerdos secundum ordinem Melchisedech, expleturus vota et promissa Patriarcharum, legis umbras et figuras, ac vaticinia Prophetarum, perfecit munus suæ legationis et œconomiæ in carne, ac redemptionis nostræ sibi a Patre demandatum : quare pro nobis passus est atrocissima tormenta, et crucifixus inter latrones quasi latro, mortuus est, ut nobis vitam daret, die 25 martii : quo pariter die ante 34 annos obumbrante Spiritu Sancto conceptus et incarnatus erat in intemerato Beatæ Virginis utero, ut habet communior Doctorum sententia : consequenter resurrexit die 27 martii; ascendit in cœlum post 40 dies, die quinta maii; misit Spiritum Sanctum in specie linguarum ignearum die quinquagesima, puta in Pentecoste, die 15 maii, uti ostendam *Act.* I, 12.

Paulo post ascensionem Christi ante Pentecosten, agente S. Petro, Matthias sorte suffectus est in locum et apostolatum Judæ proditoris.

Accepto Spiritu Sancto in Pentecoste, illico Petrus prædicans convertit tria millia hominum, *Act.* II, 41, qui omnes vendebant possessiones suas, et pretia earum ponebant ad pedes Apostolorum, perdurantes unanimiter in templo, et frangentes circa domos panem, sumebant cibum cum exultatione. Paulo post Petrus ad portam templi speciosam sanans claudum, indeque concionans ad populum, convertit quinque hominum millia : quocirca a Pontificibus incarceratus, libere respondet, oportere magis obedire Deo quam hominibus, *Act.* III et IV. Inde, cap. V, Ananiam et Sapphiram suffurantes de pretio agri sui, morte punit. Mox iterum cum cæteris Apostolis incarceratur, sed ab angelo liberatus, jubetur concionari in templo : qua de causa a magistratu reductus ad concilium, examinatus et increpitus, idem quod prius intrepide respondet : agit causam ejus Gamaliel. Ipse et cæteri Apostoli flagellati « ibant gaudentes a conspectu concilii, quoniam digni habiti sunt pro nomine Jesu contumeliam pati. »

Eodem anno paulo post Pentecosten, ob murmur Græcorum contra Hebræos, Apostoli crearunt septem Diaconos : inter quos præcipuus et quasi archidiaconus eminuit S. Stephanus, qui ardenter et assidue disputans contra Judæos eosque convincens, tandem ab eis lapidibus obrutus, glorioso martyrio coronatur die 26 decembris, *Act.* VI et VII.

Eodem anno sequenti die, puta 27 decembris, S. Jacobus, frater Domini, creatur primus Episcopus Hierosolymorum. Ita illico mirifice post Christi ascensum et missionem Spiritus Sancti crevit Ecclesia, cum Christus ascendens tantum reliquerit duodecim Apostolos, 72 Discipulos et quingentos Christianos, I *Corinth.* XV, 6.

Anno Christi 35, Tiberii Imp. 19.

Ob Stephanum Judæi insanientes, persecuti sunt cæteros Christianos : hinc illi omnes dispersi sunt per regiones Judææ et Samariæ, præter Apostolos. Quocirca Philippus Diaconus Samariæ prædicans, eam convertit. Unde Petrus et Joannes eo profecti sunt, ut baptizatos a Philippo sacramento Confirmationis communirent. Ibi S. Petrus primum certamen habuit cum Simone Mago. Philippus ab angelo raptus, convertit Eunuchum Candacis, reginæ Æthiopum, qui deinde in Æthio-

pia fidem Chisti propagavit. Censent multi eum Cardinale Baronio, in eadem persecutione Judæos invasisse amicissimos Chresti, nimirum S. Magdalenam, Martham, Lazarum, Maximinum, Marcellam et Josephum ab Arimathia, eosque navi sine velis et remis imposuisse, ut in alto vi ventorum et fluctuum mergerentur : sed Dei ductu navis, salvis omnibus, Massiliam appulit, ubi Christi fidem disseminarunt ; ac tandem Magdalena in præruptum montem secessit, ubi pœnitentiæ, lacrymis et contemplationi vacans, per 30 annos vitam egit angelicam atque ab angelis quotidie rapta in altum, angelicis hymnis pasta cibum omnem humanum fastidivit.

Anno Christi 36, Pauli Apostoli 1, Tiberii Imp. 21.

Die 25 januarii Saulus conversus, factus est Paulus. Spirans enim minarum et cædis in Christianos, cœlitus prostratus in terram, Christo se dedidit. Unde missus ad Ananiam, ab eo est baptizatus. Ananiæ enim dixerat Deus : « Vas electionis est mihi iste, ut portet nomen meum coram gentibus, et regibus, et filiis Israel. » Paulus mox Damasci incipit prædicare Christum. Inde abiit in Arabiam : ex qua rediit Damascum, *Gal.* I, 17.

Anno Christi 37, Pauli 2, Tiberii Imp. 21.

S. Petrus visione lintei, in quo erant omnia quadrupedia et serpentia terræ, audiensque : « Surge, Petre, occide et manduca, » cognovit Gentiles admittendos ad Ecclesiam, eisque prædicandum esse Evangelium. Quare vocatus a Cornelio Centurione, eum cum familia instruxit et baptizavit, itaque ostium fidei publice Gentibus patefecit. Unde eodem anno cathedram suam posuit Antiochiæ, in eaque sedit septem annos. Quocirca, patefacto jam Gentibus Evangelio, eodem anno S. Jacobus profectus est in Hispaniam, cæterique Apostoli in suas provincias evangelizatum juxta Christi præceptum abierunt. Ante separationem et discessum composuerunt Symbolum, quod ab iis Apostolorum vocatur, quasi communem fidei tesseram. Baronius divisionem et discessionem Apostolorum consignat anno Christi 44. Verum causas cur citius ea ponenda videatur, recensui *Act.* XII, 1.

Anno Christi 38, Pauli 3, Tiberii Imp. 22.

Pilatus, Deo ulciscente necem Christi, a Vitellio Syriæ præside exauctoratus et in ordinem redactus, Romam missus fuit, ut coram imperatore objecta sibi crimina dilueret : ubi mortuo Tiberio, a Caio Imperatore perpetuo exilio Viennæ Galliæ reclusus, tantisque ibi irrogante Caio languoribus coarctatus est, ut sua se manu transverberarit. Ita Eusebius, Ado et Cassiodorus in *Chronico*, ac Josephus, lib. XVIII, cap. V. Paulo ante Caiphas pontifex, qui Christum ad necem postularat, vitæ pertæsus pariter mortem sibi consciverat, teste Clemente, lib. VIII *Constit.*, cap. I. Sed et Annas, socer Caiphæ, male periit, teste Nicephoro, lib. II, cap. X. Tiberius voluit Christum inter deos referre, sed repugnante senatu, per edictum accusatoribus Christianorum comminatus est mortem. Ita Tertullianus in *Apolog.*, et ex eo Eusebius in *Chron.*

Anno Christi 39, Pauli 4, Caii Caligulæ Imp. 1.

Moritur Tiberius Cæsar XVII Calendas aprilis, anno ætatis 78. Successit ei Caius Caligula, qui Herodem Agrippam in vincula a Tiberio conjectum liberavit eumque pro ferrea catena a Tiberio ei injecta, ornavit aurea ejusdem ponderis ac regem Judææ constituit. Tiberio hoc epitaphium Poeta nuper posuit :

> Hic Liviæ filius, Augusti privignus,
> Matris mores tenuit, non vitrici.
> Acutus in pessimis ingeniis, obtusus in opticis,
> Dextram fortunam, sinistram vitalem habuit.
> Triumphator alienis sæpe, nunquam sui.
> Repugnante vitrico, matre propugnante
> Ad Imperium ab exilio venit, in exilium missurus Imperium.
> Tam sceptri amans cum non haberet, quam amens cum habuit.

Paulus, elapsis tribus annis ab abitu suo in Arabiam, Damasci prædicans, quæsitus ad vincula a Judæis et Areta rege, sporta per murum demissus effugit abiitque Hierosolymam, ut videret Petrum, *Galat.* I, 18; et II *Corinth.* XI, 32.

Anno Christi 40, Pauli 5, Caii Imp. 2.

Herodes Agrippa, Roma proficiscens in Judæam per Alexandriam, ibi a civibus eodem modo illusus est, quo Christus a Judæis, quorum rex erat Agrippa, illusus fuerat. Eodem anno Herodes Antipas, patruus Agrippæ, qui Christum veste alba indutum spreverat, ab Agrippa nepote accusatus apud Caium Cæsarem, tetrarchia et fortunis suis spoliatur, ac cum impia Herodiade uxore sua, perpetuo exilio damnatur apud Lugdunum Galliæ urbem : ubi uterque mœrore contabescens interiit, quia Joannem Baptistam occiderat et Christum illuserat.

Anno Christi 41, Pauli 6, Caii Imp. 3.

Hoc anno, si credimus Eusebio in *Chronico*, quem sequitur Baronius, S. Matthæus scripsit Evangelium hebraice, quod ad Indos abiturus descriptum secum detulit S. Bartholomæus Apostolus, illisque reliquit, ait Eusebius, lib. V *Hist.*, cap. X, et S. Hieronymus, lib. *De Script. Eccles.*, in *Panteno*, cap. XXXVI. Illud quoque manu sua descripsit S. Barnabas : unde illud cum corpore ejus inventum est tempore Zenonis Imperatoris. Testatur S. Hieronymus Evangelium hebraicum S. Matthæi suo ævo exstitisse in Bibliotheca S. Pamphili Martyris, seque illud descripsisse. Ita ipse, lib. *De Viris illust.*, in *Matthæo*. Idem Evangelium Hierosolymis editum, a Jacobo fratre Domini expositum fuisse, testatur Athanasius



in *Synop.* Verum quod de hoc anno asseritur, mirum videtur, unum Matthæum eousque hæsisse Hierosolymis, cum cæteri Apostoli inde in suas provincias discesserint anno Christi 37. Quare verius videtur, eodem discessisse et Matthæum composito prius Evangelio. Nam illud secum detulit Bartholomæus ad Indos. Quin et S. Matthæum præcipientibus Apostolis scripsisse Evangelium testatur Epiphanius, *hæresi* 51. Denique communis Doctorum sententia est, Matthæum scripsisse Evangelium antequam Apostoli discederent in suas provincias, quod factum esse dixi anno Christi 37. Ergo tunc pariter scripsit Matthæus Evangelium.

Anno Christi 42, Pauli 7, Caii Imp. 4.

Cœpit fames in toto orbe, prædicta ab Agabo propheta, diuque duravit, *Act.* XI, 28.

Sub idem tempus Barnabas et Paulus evangelizant Antiochiæ per annum integrum docentque turbam multam, ita ut Antiochiæ primum discipuli cognominati sint Christiani, *Act.* XI, 26.

Caius Cæsar persecutus est Judæos justo Dei judicio, eo quod illi persequerentur Christum et Apostolos. Unde statuam suam poni voluit in templo Hierosolymitano, et in ea a Judæis adorari. Quare a Judæis missus est Philo cum sociis ad Caium, qui id deprecaretur, sed Caius ad eos ringendo conversus : « Vosne, inquit, illi diis invisi, qui me omnium confessione Deum declaratum soli aspernamini ? » Vide Philonem in *Legatione ad Caium*, et Josephum, XVIII *Antiq.*, cap. XII.

Anno Christi 43, Pauli 8, Claudii Imp. 1.

Hoc anno Thaddæus missus Edessam ad Abagarum, eum cum regno convertit.

Eodem Caius Cæsar a militibus Prætorianis occisus est anno imperii quarto, ætatis 29. Successit ei Claudius, Drusi Neronis filius et Liviæ Augustæ nepos, qui Agrippam in regno confirmavit eique adjecit Samariam et cæteram Judæam.

Anno Christi 44, Pauli 9, Claudii Imp. 2.

S. Jacobus ex Hispania rediens Hierosolymam, occisus est ab Herode Agrippa circa Pascha. Ab eodem incarceratus est S. Petrus, sed ab angelo liberatus, evangelizando peragrat Cæsaream, Berytum, Sidonem, Tripolim, Byblum, Orthosiam, Antandrum, Balanæas, Laodiceam, Cappadociam aliasque urbes et provincias, ubique Ecclesias, Sacerdotes et Episcopos constituens, tandemque Romam ingreditur.

Paulus iturus evangelizatum Gentibus, rapitur in tertium cœlum auditque arcana verba, quæ non licet homini loqui, II *Corinth.* XII, 2.

Anno Christi 45, Petri Pontificis Romani 1, Pauli 10, Claudii Imp. 3.

S. Petrus Romæ cathedram constituit die 18 januarii, fundatque Romanam Ecclesiam. Antiochiæ post S. Petrum primus Episcopus creatur Evodius. Ita Eusebius in *Chronic.*

Eodem anno Paulus mittitur evangelizatum Gentibus. Quocirca, jussu Spiritus Sancti ordinatus Episcopus, quasi Apostolus ab Antiochena Ecclesia missus, cum Barnaba proficiscitur obitque evangelizando Gentes circumquaque.

Herodes Agrippa, ulciscente Deo necem S. Jacobi et incarcerationem S. Petri, audiens acclamationes populi, « Dei voces et non hominis, » eisque tacite applaudens, percussus ab angelo, consumptus a vermibus interiit, *Actor.* XII, 23.

Eodem S. Petrus Romæ scribit primam Epistolam ad fideles dispersos in Ponto, Galatia, Cappadocia, Asia et Bithynia.

Eodem S. Marcus Romæ scripsit Evangelium et mox profectus est Alexandriam, ibique Evangelium prædicavit et Alexandrinam Ecclesiam erexit rexitque quasi Episcopus mira sapientia et sanctitate.

Anno Christi 46, Petri 2, Pauli 11, Claudii Imp. 4.

Paulus et Barnabas cum peragrassent Seleuciam, indeque Cyprum navigassent, ac venissent Salaminam universamque insulam perambulassent, Paphum denique venientes, Sergium Paulum Proconsulem ad Christum convertunt, excæcando Elymam magum Evangelio resistentem, cujus occasione nomen Sauli in Pauli commutatum est. Inde perrexerunt Pergen Pamphyliæ et Antiochiam Pisidiæ; sed a Judæis expulsi convertunt se ad Gentes abeuntque Iconium, *Actor.* XIII, 4 et seq.

Anno Christi 47, Petri 3, Pauli 12, Claudii Imp. 5.

Iconii Paulus prædicando convertit multos Judæos et Gentiles, ac inter eos S. Theclam, quam miris elogiis Patres celebrant. Quocirca multo tempore, ait Lucas, ibidem commoratus est, donec concitato a Judæis tumultu, ab eis lapidatus confugit in Lycaoniam, *Actor.* XIV, 1 et seq.

Anno Christi 48, Petri 4, Pauli 13, Claudii Imp. 6.

Paulus pervenit Lystram, ubi claudum miraculo sanavit : quocirca a turbis acclamatus est Deus, puta Mercurius et Barnabas Jupiter, cumque eis sacrificare vellent, totis viribus restiterunt : mox a Judæis concitata seditione, lapidatus et pene occisus Paulus, perrexit Derben. Inde relegens iter, revisit et confirmavit fideles in Lystra, Iconio, Antiochia Pisidiæ, ac evangelizans transiit Pisidiam, Pamphiliam et Attaliam, *Actor.* XIV, 6 et seq.

Anno Christi 49, Petri 5, Pauli 14, Claudii Imp. 7.

Paulus post quinquennium in hac sua peregrinatione et apostolatu positum, cum Barnaba rediit Antiochiam ibique biennium commoratur, *Actor.* XIV, vers. ult.

ALERE FLAMMAM VERITATIS
UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

Anno Christi 50, Petri 6, Pauli 15, Claudii Imp. 8.

Paulus Antiochiæ docet, Petrus Romæ, indeque per urbes et provincias totius orbis quaquaversum mittit Episcopos et Apostolos, qui Evangelium propagent, ac Ecclesias ubique fundent et regant.

Anno Christi 51, Petri 7, Pauli 16, Claudii Imp. 9.

Act. xv Claudius Imperator Roma expellit Judæos : quocirca S. Petrus, Dei consilio urbe excedens, redit in Jerusalem. Orta enim controversia Antiochiæ de servanda a Christianis lege Mosis, Paulus et Barnabas missi sunt Hierosolymam ad Apostolos, ut ejus decisionem peterent. Eodem ergo anno celebratum est primum Concilium Hierosolymæ, cui præsedit S. Petrus, interfuerunt S. Joannes, Jacobus, Paulus et Barnabas, in quo ventilata diu questione, tandem Petrus eam decidit primusque tulit sententiam, edicendo legalia Christianis non esse servanda : cujus sententiam confirmavit illico S. Jacobus cæterique omnes. Sententiam hanc Antiochiam deferunt Paulus, Barnabas, Silas et Judas.

Paulus separatur a Barnaba : hic enim cum Joanne Marco pergit in Cyprum. Paulus vero cum Sila perambulat Syriam et Ciliciam, confirmans Ecclesias. Pervenit autem in Derben et Lystram, ubi circumcidens Timotheum, eum comitem suæ peregrinationis et prædicationis assumpsit. Transeuntes autem, ait Lucas, *Actor.* xvi, 6, Phrygiam et Galatiæ regionem, vetiti sunt a Spiritu Sancto loqui verbum in Asia. Cum venissent autem in Mysiam, descenderunt Troadem, ubi Paulo visio ostensa est. Vir Macedo quidam erat stans et deprecans eum, et dicens : « Transiens in Macedoniam, adjuva nos. » Quare a Troade navigavit in Samothraciam, inde Neapolim, inde Philippos, ubi Lydiam purpurariam convertit et dæmonem Pythonem e puella ejecit ; quare ab heris puellæ quæstum facientibus ex oraculis Pythonis accusatus Paulus flagellatur et in carcerem conjicitur, ubi media nocte eo cum Sila orante et laudante Deum, immisso a Deo terræ motu ostia carceris panduntur et vincula omnium dissiliunt. Quo viso, custos carceris in Christum credidit, Paulique et Silæ plagas lavit. Magistratus audiens a Paulo eum esse civem Romanum, veniam precatur eumque liberum dimittit.

Act. xvii. Egressi Paulus et Silas Philippis, ait Lucas, *Actor.* x, 1, cum perambulassent Amphipolim et Apolloniam, venerunt Thessalonicam, ubi multos converterunt, et mulieres nobiles non paucas. Unde concitarunt seditionem Judæi, et Paulo non invento Jasonem pertraxerunt ad tribunal, qui data satisfactione liber abiit. Paulus et Silas noctu a fratribus dimissi sunt Beræam, cujus incolæ avide susceperunt Evangelium ; sed Judæis Paulum insectantibus, ipse a fratribus deductus est Athenas.

Hoc anno tres simul soles apparuerunt, statimque simul in eumdem orbem coierunt, ait Eusebius in *Chron.*

Anno Christi 52, Petri 8, Pauli 17, Claudii Imp. 10.

Paulus Athenis in Areopago prædicans convertit Dionysium Areopagitam et insignem matronam Damarim, *Act.* xvii, 16. Opinantur multi tunc quoque fuisse conversum S. Hierotheum, quem passim in suis libris celebrat et sequitur S. Dionysius, eumque vocat « divinum suum magistrum. »

Eodem anno Paulus Athenis profectus Corinthum, multos ibi convertit, ac inter eos Crispum, principem Synagogæ. Quare oraculo Dei monitus diutius ibi evangelizavit. Ibidem, post adventum Silæ et Timothei, scripsit priorem epistolam *ad Thessalonicenses*, *Act.* xviii, 1 et seq.

Eodem anno, inquit Baronius, Agrippina, Germanici, fratris Claudii Imperatoris, filia, quam post interitum Messalinæ Claudius in uxorem acceperat, Augustæ titulo augetur, ejusque filius Domitius ab eodem Imperatore adoptatus in familiam Claudiam, Nero Claudius est appellatus. Hic est Nero, qui Claudio quasi patri adoptivo in imperium successit : quo etiam anno Agrippina, in oppidum Ubiorum, in quo illa, agente ibidem cum exercitu Germanico patre, genita erat, coloniam duci jussit, cui nomen hinc est inditum, ut ex ipsius nomine Colonia Agrippina sit dicta. Porro Agrippina fuit filia Germanici, qui fuit filius Drusi Germanici, fratris Tiberii Imperatoris ex Livia matre, uxore Augusti Imperatoris.

Anno Christi 53, Petri 9, Pauli 18, Claudii Imp. 11.

Corinthi secundum annum egit Paulus. Ibidem scripsit Epistolam secundam *ad Thessalonicenses*. Ibidem Judæi tumultuantes protraxerunt Paulum ad tribunal Gallionis, qui fuit frater Senecæ philosophi et præceptoris Neronis Imperatoris. Gallio eos repressit et abegit ; unde Judæi furentes Sosthenem archisynagogum, quasi Paulo faventem, coram Gallione verberarunt ; et nihil horum Gallioni curæ erat. Addit S. Chrysostomus ab iisdem verberatum et Paulum. Paulus post tumultum multo adhuc tempore remansit Corinthi, tandem abiturus in Syriam, ex voto totundit caput in Cenchris, qui erat portus Corinthi, *Actor.* xviii, 11 Act. xviii.
et seq.

Anno Christi 54, Petri 10, Pauli 19, Claudii Imp. 12.

Paulus navigans in Syriam per mare Icarium, quod est pars maris Ægei, appulit Ephesum : ubi parum moratus, relicto Aquila et Priscilla, solvit Cæsaream, inde Hierosolymam, ubi Ecclesiam primigeniam et cæterarum matricem salutavit : mox reversus Antiochiam, perambulavit ex ordine Galaticam regionem et Phrygiam, confirmans omnes discipulos, *Actor.* xviii, 19.



Apollo, vir eloquens et potens in Scripturis, Ephesi instructus ab Aquila et Priscilla, pergit Corinthum, ubi fideles confirmat valideque Judæos revincit, *Actor.* xviii, 24.

Eodem anno, inquit Eusebius in *Chronico*, qui fuit Olympiadis 207 annus 4, Philippus Apostolus apud Hierapolim, Asiæ civitatem, dum Evangelium populo annuntiaret, cruci affixus lapidibus opprimitur. Occubuit ergo 20 anno a passione Christi sub Claudio, secundum Eusebium ejusque asseclas : licet Hippolytus, tract. *De 72 Discipulis*, asserat eum passum sub Domitiano Imperatore.

Anno Christi 55, Petri 11, Pauli 20, Claudii Imp. 13.

Paulus, peragratis superioribus partibus Asiæ, venit Ephesum, ibique per tres annos, puta per biennium et tres menses, residet et prædicat, *Act.* xix, 1, et cap. xx, 31. Ephesi Paulus fuit objectus bestiis, I *Corinth.* xv, 32. Ibidem virtutes non quaslibet faciebat Deus per manum Pauli, ita ut etiam super languidos deferrentur a corpore ejus sudaria et semicinctia, et recedebant ab eis languores, et spiritus nequam egrediebantur, *Act.* xix, 12.

Anno Christi 56, Petri 12, Pauli 21, Claudii Imp. 14.

Paulus secundum annum agit et prædicat Ephesi. Occasione Judæorum exorcistarum in quos insiliit dæmon, magna facta est Ephesiorum ad Christum et Paulum accessio.

Multi credentes veniebant confitentes et annuntiantes actus suos.

Multi qui curiosa fuerant sectati, contulerunt libros et combusserunt, *Act.* xix, 13 et seq.

Eodem anno, die 13 octobris, moritur Claudius Imperator annum agens ætatis 64, imperii 13 cum octo mensibus. Ita Suetonius in *Vita Claudii*, cap. xlv, et Dio, lib. LX. Sic igitur defuncto, Agrippinæ uxoris dolo veneno illi propinato, successit in imperium Nero, filius Agrippinæ, annum agens ætatis 18, tenuitque annis 13, mensibus 7, excluso Britannico, puero germano Claudii Imperatoris, ex Messalina uxore filio, ideoque legitimo imperii hærede, quem proinde paulo post Nero veneno sustulit. Ita Josephus, lib. XX *Antiq.*, cap. v. Porro Nero ex Sabinis oriundus, lingua Sabina idem est quod fortis ac strenuus, inquit Suetonius in *Tiberio*, cap. i, et Gellius, lib. XIII, cap. xxi : « Nerio, inquit, sive Nerienes verbum Sabinum est, quo significatur virtus et fortitudo. Itaque ex Claudiis, quos ex Sabinis oriendos accepimus, qui erat egregia ac præstanti fortitudine, Nero appellatus est. Sabini autem id nomen a Græcis accepisse videntur, quia vincula et firmamenta membrorum νεῦρα dicunt : unde nos quoque latine nervos appellamus. Servius Claudius vero, *Nerio* interpretatur quasi *Neirio*, id est sine ira, placidus, mitis, tranquillus ; » qualis initio imperii fuit Nero.

Anno Christi 57, Petri 13, Pauli 22, Neronis 1.

Sublato jam per mortem Claudii edicto de Judæis Roma abigendis, Paulus tertium annum Ephesi agens cogitat Romam ; sed prius Ecclesias Achaiæ et Macedoniæ visitare ac Hierosolymam reverti decernit. Epheso ergo propediem abiturus, scribit priorem Epistolam *ad Corinthios*.

Opifices argentarii Dianæ, concitante Demetrio, movent seditionem contra Paulum vociferantes : « Magna Diana Ephesiorum. » Sedat eam Alexander. Mox Paulus, vocatis discipulis, exhortatus eos valedixit, ac relicto ibidem Timotheo, quem et primum constituit Ephesi Episcopum, profectus est in Macedoniam, *Actor.* xix, 23 ; per Minorem ergo Asiam iter faciens, venit Troadem urbem, quæ adjacet Hellesponto, ubi quærens Titum, cum non invenisset, transmisso freto abiit in Macedoniam, II *Corinth.* ii, 12.

Ex Macedonia ad Timotheum, quem Ephesi reliquerat, hoc anno scripsit priorem Epistolam, qua eum instruit in munere pastorali.

Paulus, obitis et confirmatis Macedoniæ Ecclesiis, per Ægæum mare Cycladas adnavigans pervenit Cretam, ibique reliquit et creavit Episcopum Titum, discipulum charissimum, epist. *ad Titum*, cap. i, 5.

Anno Christi 58, Petri 14, Pauli 23, Neronis 2.

Hoc anno gesta sunt omnia quæ narrat Lucas cap. xx *Actor.*, et deinceps usque ad cap. xxviii, vers. ult. Paulus enim peragrans Græciam, venit Nicopolim, ibique statuit hiemare : unde ex Creta eo vocat Titum scribens ad eum Epistolam *ad Titum*, cap. iii, 12. Nicopoli quoque videtur scripsisse Paulus Epistolam secundam *ad Corinthios* : mox ipse videtur adiisse Corinthum ibique in portu Cenchrensi scripsisse Epistolam *ad Romanos*. Inde perrexit Philippos in Macedoniam, mox Troadem, ubi a morte suscitavit Eutychum : inde Asson, Mitylenen, Chium, Samum, Miletum : quo convocans majores natu Ephesi, eis longa exhortatione ultimum valedicit, *Actor.* xx. Mileto navigat Coum, Rhodum, Pataram, Tyrum, Ptolemaidem, Cæsaream, ubi Agabus ei vincula Hierosolymitana prædicit : ac tandem, eodem anno sub Pentecosten, uti statuerat, pervenit Hierosolymam ; ubi suadente Jacobo, purificans se in templo, a Judæis capitur et pene occiditur ; sed eripit eum Tribunus ; a quo potestate loquendi facta, populum alloquitur, *Actor.* xxi et xxii. Populus audiens a Paulo ipsum, relictis Judæis, missum esse ad Gentes, acclamat poscitque eum ad mortem. Quare Tribunus eum flagellari imperat, sed Paulus dicens se civem Romanum, flagellis se eximit, *Act.* xxii. Mox in concilium adductus Paulus positusque inter Pharisæos et Sadducæos, dicens se Pharisæum et de resurrectione mortuorum judicari, dissidentibus inter se judicibus, judicium evadit. Tendunt illi insidias Judæi, quas

per judicium sui nepotis Paulus evadit. Quare Tribunus eum vinctum mittit Cæsaream ad Felicem Præsidem, *Act.* XXIII; ibi eum accusat Tertullus orator, defendit se Paulus; ac rursum coram Felice disputans de justitia, castitate et judicio, eum percellit. Felici succedit Portius Festus, *Act.* XXIV. Cum Festus vellet Paulum Hierosolymis coram Judæis judicare, Paulus Cæsarem appellans, Romam mittitur, cum prius causam suam egisset coram Agrippa rege, *Act.* XXV et XXVI. Paulus ergo cum Centurione navigat Sidonem, inde Cyprum, inde Lystram, ac tandem naufragium patitur. Apparet ei Christus, omnesque in navi salvos evasuros pollicetur: omnes ergo salvi perveniunt Melitam, *Actor.* XXVII.

*Act.* XXIII, XXIV, XXV, XXVI.

Eodem anno paulo post Pauli adventum Hierosolymam, B. Virgo agens annum ætatis 72 ex Jerusalem terrestri abiit ad cœlestem, cum triumpho ab angelis deducta in paradisum. Vide dicta *Actor.* XXI, 17.

Eodem anno, S. Lucam scripsisse Evangelium censet Baronius, sed anterius id a Luca scriptum esse, ostendam *Actor.* XVI, 10.

Anno Christi 59, Petri 15, Pauli 24, Neronis 3.

*Act.* XXVIII. Paulus vinctus ex Melito navigat Syracusas, inde Rhegium, inde Puteolos, inde pedestri itinere Romam ingreditur die 6 julii. Hospitatus est in domo conducta, quæ postea conversa est in ecclesiam S. Mariæ in Via lata. Postero die, convocatis Judæis, sui suæque fidei rationem reddidit: ex quibus aliqui crediderunt, alii non crediderunt. Mansit Romæ cum custodiente se milite biennium, suscipiens omnes libereque prædicans Christum; esto ob Neronis metum, omnes sui eum deseruissent. Astitit enim illi Christus eumque confortavit, ut per eum prædicatio impleretur et audirent omnes gentes; quin et eripuit eum de ore leonis, puta Neronis, II *Timoth.* IV, 16 et 17. Romæ scripsit Paulus Epistolam *ad Philippenses*, per Epaphroditum eorum Episcopum; item Epistolam *ad Ephesios*, quam misit per Tychicum.

Anno Christi 60, Petri 16, Pauli 25, Neronis 4.

Paulus agens secundum annum Romæ in vinculis, scripsit Epistolam *ad Colossenses* et Epistolam *ad Philemonem*, rogans eum ut Onesimum servum fugitivum in gratiam domumque recipiat. Fecit id Philemon, quin et Onesimum libertate donavit, qui virtutibus excrescens, post Timotheum creatus est Episcopus Ephesiorum. In hac Epistola, vers. 23, meminit Epaphræ, concaptivi sui, Marci, Aristarchi, Demæ et Lucæ, eosque quasi adjutores suos in Evangelii propagatione commendat. Eodem anno scripsit Paulus Epistolam *ad Hebræos*.

Anno Christi 61, Petri 17, Pauli 26, Neronis 5.

Paulus biennio in vinculis exacto a Nerone dimissus, varias provincias evangelizando peragravit, ac nominatim Hispanias, ubi inter alios Xantippam et Polyxenam ad Christum convertit.

Hoc anno Romæ S. Lucas finiens Acta Apostolorum (ubi et imagines B. Virginis ac Christi Domini depinxit, quas hodie ibidem veneramur), reversus in Græciam, evangelizando obiit Dalmatiam, Galliam, Italiam, Macedoniam, Lybiam, etc., ac tandem, cælebs ad annum ætatis 84, Patras urbem Achaiæ adiens, ibidem Apostolatum suum nobili martyrio conclusit. Eodem anno Nero matrem suam Agrippinam occidit, justo Dei judicio, utpote quæ Claudium Imperatorem maritum suum veneno sustulerat, ut filius suus Nero ei in imperio succederet: quæ ergo maritum occidit propter filium, a filio ipso occisa est. Justa enim et congrua numinis vindicta, filius matricida factus est matris suæ mariticidæ carnifex, et necis vitrici sui ultor: « Hanc illi gratiam non pro nativitate solum referens, verum etiam quod ejus artibus ad imperium provectus fuisset, ait Josephus, lib. XX *Antiq.*, cap. V.

Anno Christi 62, Petri 18, Pauli 27, Neronis 6.

Festus Judææ Præses, qui S. Paulum vinctum Romam miserat, obiit: cui successor a Nerone designatur Albinus. Ita Eusebius in *Chronico*.

Agrippa Rex pontificatu deposuit Josephum, eique surrogavit Ananum, Anani senioris filium: ita Josephus, lib. XX *Antiq.*, cap. VIII.

Roma variis prodigiis concussa fuit: nam ob ortum recentis cometæ et ob fulmen illapsum in mensam Neronis, quasi certior reddita esset de ejus morte, omnia studia convertit in Rubellium Plautum, quod ex Julia gente per matrem originem duceret, qui Neronis jussu solum vertere et in Asiam proficisci coactus est. Ita Cornelius Tacitus, lib. XIV.

Laodicea, urbs Asiæ illustris, cujus meminit Apostolus, Epist. *ad Colossens.*, terræmotu collapsa prosternitur; sed a civibus, utpote opulentissimis, brevi in integrum restituitur.

Hoc anno Christi 62, S. Andreas crucifixus est Patris Achaiæ, ait Onuphrius in *Chronico*.

Anno Christi 63, Petri 19, Pauli 28, Neronis 7.

Hoc anno, ait Eusebius in *Chron.*, S. Hieronymus, lib. *De Scrip. Eccles.*, in *Jacobo*, Baronius et alii, S. Jacobus, frater Domini et Hierosolymorum primus Episcopus, qui Canonicam scripsit epistolam, Christum constanter prædicans, a Judæis e pinna templi dejicitur, et fullonis vecte percussus, orans pro suis interfectoribus gloriosum obiit martyrium, cum 29 annis sanctissime illam rexisset Ecclesiam. Ejus necem mox ulciscente numine, cœpit Judæa variis casibus et prodigiis, ultimi excidii prænuntiis, exagitari. Quocirca Josephus, licet Judæus, quem citat Eusebius, lib. II, cap. XXII, et Origenes, lib. I *Contra Celsum*, excidium Hierosolymæ et Judææ per Titum, ascribit neci hujus Jacobi, qui ob insignem sanctimoniam et morum Christi similitudinem, cognominatus est justus et frater Domini. S. Jacobo in Episcopatu Hierosolymitano successit Simeon, filius Cleophæ, Christi propinquus, qui usque ad annum ætatis 120 sancte Hierosolymitanam gubernavit Ecclesiam, atque sub Trajano cruci affixus, supra vires et ætatem constanter martyrium pro Christo, sui causa crucifixo, subiit, cujus diem natalem celebrat Ecclesia die 18 februarii.



Eodem anno S. Barnabam in Cypro occisum, tradit L. Dexter et Onuphrius in *Chronico*.

Anno Christi 64, Petri 20, Pauli 29, Neronis 8.

S. Marcus Evangelista Alexandriæ martyr occubuit, cum enim a S. Petro Romæ, ubi Evangelium scripserat, Alexandriam Evangelii causa amandatus esset, ibidem Ecclesiam constituit tanta doctrinæ et vitæ continentia, ut omnes sectatores Christi ad sui exemplum cogeret. Essenos enim quasi primos Religiosos et viros Angelicos, quos mire celebrant Philo, Eusebius, S. Hieronymus et alii, instituit. Quocirca Gentiles quadam die Dominica, cum Missam celebraret, in eum irruentes, fune in collum injecto raptantes eum per saxa, carnes ejus dilacerarunt: unde pene spiritum rediturus in carcerem detrusus, apparente sibi Domino una cum angelis, ad futurum certamen instauratur. Mane autem facto, rursum e carcere eductus, et per scabra loca raptatus, agens Deo gratias dicensque: « In manus tuas commendo spiritum meum, » impollutum eum Deo reddidit, sepultusque est honorifice a discipulis suis. Ita Menologium Græcorum, Beda et Ado in *Martyrol.*, die 25 aprilis.

Eodem anno Nero Octaviam uxorem et sororem (utpote filiam Claudii Imperatoris, qui duxerat Agrippinam, matrem Neronis, ideoque eum in filium adoptarat) calumniis circumventam in insulam relegatam, mori tandem balnei vapore compulit. Ita Tacitus, lib. XV.

Eodem anno Simon et Judas Apostoli occisi sunt in Perside, ait Onuphrius in *Chronico*, sed id negat Baronius et alii: de qua re dicam proœmio in Epist. *S. Judæ*.

Anno Christi 65, Petri 21, Pauli 30, Neronis 9.

Hoc anno, qui fuit quartus ante bellum Judaicum, et octavus ante Hierosolymæ obsidionem, Jesus quidam (suo nomine et vaticinio Jesum Christum, ob cujus necem exscindenda erat Judæa, repræsentans), Anani filius, plebeius et rusticus, a Deo instinctus clades urbi imminentes prædixit. Repente enim clamare cœpit: « Vox ab Oriente, vox ab Occidente, vox a quatuor ventis, vox in Hierosolymam et templum: vox in omnem hunc populum. » Quocirca a Magistratu acriter flagellatus, non veniam precatus est, nec illacrymavit, sed quotidie velut orationem quamdam meditans: « Væ, væ Hierosolymis, » vociferabatur, idque per annos septem et quinque menses continuos, donec supra murum consistens, « Væ, væ civitati, templo, populo, ac mihi, » maxima voce clamitans, lapide, tormento Romanorum misso, ictus interiit. Ita Josephus, lib. VII *Belli*, cap. XII.

Hoc anno Persius Volaterranus, satyricus poeta, moritur. Ita Eusebius in *Chron.*

Anno Christi 66, Petri 22, Pauli 31, Neronis 10.

Roma horribili incendio conflagravit, cujus causam Nero per calumniam conjecit in Christianos, eoque nomine illos sævissimis iisdemque diversis mortis generibus enecavit, « ut ferarum tergis contecti, laniatu canum interirent, aut crucibus affixi, aut flammandi, atque ubi defecisset dies, in usum nocturni luminis urerentur, » ait Tacitus, lib. XV. Fuerunt hæ Martyrum primitiæ, eorum catalogo in *Martyrol. Romano* ascriptæ die 24 junii.

Hoc anno occisum S. Matthiam Apostolum tradit L. Dexter et Onuphrius in *Chron.* Addit Dexter: « Helena, Adabienorum regina, Christiana floret Hierosolymis, prædicatione Apostolorum conversa. »

Anno Christi 67, Petri 23, Pauli 32, Neronis 11.

Nero primam in Christianos persecutionem publico edicto instituit eamque usque ad finem Imperii et vitæ prorogavit. Quocirca in ea jam ante inchoata, permulti e Christianis illustre obiere martyrium, qui sparsim in *Martyrol. Rom.* recensentur, uti S. Barnabas, S. Andreas, S. Jacobus, frater Domini, cæterique Apostoli, licet diversis annis et locis. Item complures ex ipsius Neronis familia, quorum meminit Paulus, *Philipp.* IV, 22, inter quos eminuit Torpes et Evellius, qui *Martyrologio Rom.* ascripti sunt die 11 et 17 maii. Insuper S. Processus et Martinianus, custodes carceris; Herodion, Olympias ac religiosissimæ feminæ Basilissa et Anastasia, Apostolorum discipulæ, quæ martyribus associatæ leguntur in *Martyr.*, die 15 aprilis, quos suis opibus alebant et sepeliebant. S. Lucina et Perpetua baptizata a S. Petro, de quibus in *Martyr.*, die 30 junii. Romæ Nero plures Senatores et primarios, eo quod in necem suam conjurassent, interfecit, ac inter eos Senecam præceptorem suum, et Lucanum Poetam, Senecæ nepotem, atque Plautium Lateranum Consulem designatum, qui palatium habebat in Cœlio monte, quod postea a Constantino Imperatore in templum Salvatoris conversum, ab eo denominatum est Basilica Lateranensis, uti testatur S. Hieronymus, epist. 30 *ad Oceanum*. Secuta est mors Poppææ Sabinæ Augustæ, quam, licet amatissimam, Nero ira percitus, ictu calcis percussam occidit. Ita Tacitus, Dio et alii.

Anno Christi 68, Petri 24, Pauli 33, Neronis 12.

S. Petrus et Paulus Romam redierunt, et collabentem pene Ecclesiam ob Neronis persecutionem instaurarunt.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS
ALERE FLAMMAM VERITATIS

S. Petrus secundam scripsit Epistolam, in qua significat ex revelatione sibi constare, velocem fore depositionem tabernaculi sui.

Paulo post Judas scripsit suam Epistolam Canonicam. Nam in illa alludit in multis ad secundam Petri Epistolam.

Simon Magus suis magicis artibus Romanos, et præsertim Neronem dementans, ab iis divinos honores est consecutus. Certant contra eum S. Petrus et Paulus, eumque tandem volare conantem ex alto præcipitant. Nam cum Simon a dæmonibus in aera raperetur, precibus S. Petri prostratus, fracta coxendice et cruribus, paulo post infelicem animam exhalavit. Quocirca Nero indignans suas magiæ delicias sibi ablatas, S. Petrum et Paulum carceri mancipat Mamertino, præsertim quia Paulus quoque pellicem a Nerone abstraxerat et ad Christum traduxerat. E carcere Paulus scribit Epistolam secundam *ad Timotheum*, vocans eum ad se, ut instantis suæ mortis et martyrii sit spectator.

Eodem anno Apollonius Thyanæus, Simoni Mago succedens, Romam venit, contra quem Apostoli et Christiani pari modo certarunt.

Eodem prodigia excidium Hierosolymæ portendentia apparuerunt, nimirum die octava aprilis, hora nona nocturna, circa aram et templum tantum lumen effulsit per mediam horam, ut clarissimus dies putaretur. Bos cum ad hostiam duceretur, agnum in medio templi peperit. Orientalis templi porta ænea et gravissima clausa, sponte aperta est hora noctis sexta. Die 21 maii, in aere visi sunt currus ferrei, et armatæ acies urbi circumfusæ. In Pentecoste audita est vox in templo: «Migremus hinc.» Ita Josephus, lib. VII *Belli*, cap. XII.

Eodem anno, mense maio, Neroni et Romanis rebellare cœperunt Judæi ortumque est bellum Judaicum, ob Cestii Flori, procuratoris Judææ, avaritiam et tyrannidem. Ita Josephus, lib. II *Belli*, cap. XIII. Christiani ergo juxta Christi monitum Hierosolyma excedentes, in urbem Pellam se contulere.

### Anno Christi 69, Petri 25, Pauli 34, Neronis 13.

Hoc anno ab incarnatione Christi 69, ab ejus passione et morte 36, S. Petrus et Paulus die 29 julii e carcere Mamertino (ubi Processum et Martinianum custodes suos, cum aliis 47 ad Christum converterant et miraculosa aqua e carcere subito scaturiente baptizarant) educti gloriosum obiere martyrium. S. Petrus in Vaticano crucifixus est, capite deorsum vergente; id enim ipse petierat, ne Christo crucifixo videretur assimilari et æquari. Paulus vero ad aquas Salvias capite truncatus, e cervice recisa pro sanguine lac manavit; caput vero terno saltu tres fontes elicuit, qui etiamnum visuntur multisque sunt saluti.

S. Linus in pontificatu S. Petro succedit, seditque annos undecim.

Vespasianus cum exercitu missus a Nerone contra Judæos, gravissimis cladibus eos afficit, quas recenset Josephus, lib. III *Belli*, cap. IV.

Jerusalem civibus mutuo inter se digladiantibus, ac præsertim Zelotis in cives grassantibus, maximis stragibus afficitur, quas recenset Josephus, lib. V *Belli*, cap. I.

### Anno Christi 70, Lini 1, Neronis 14.

Nero anno necdum elapso a nece Apostolorum, in sanguinis Apostolici ultionem, a Senatu damnatus, eo quod eumdem universum interficere destinasset, fugiens ex urbe in speluncam, pavidus sibi manus intulit, quem ægre morientem unus ex libertis, Epaphroditus, confecit die 10 junii (eadem die, qua ante decem annos Octaviam uxorem interfecerat), agens suæ ætatis annum 32, Imperii 14, atque in eo omnis Augusti familia et stirps regia extincta est. Ita Suetonius, in *Nerone*, cap. XLIII et seq.

Neroni successit Servius Sulpitius Galba, a militibus, quibus præerat, acclamatus Imperator, tenuitque per menses septem.

Floret Plutarchus philosophus et M. Fabius Quintilianus orator. Ita Eusebius in *Chron.*

Josephus Judæus historicus, dux belli Judæorum, cum a Romanis interficiendus esset, Vespasiano prænuntiat mortem Neronis, eumque in imperium illi successurum, cujus rei causa vitam dono accipit. Ita Eusebius in *Chron.*

### Anno Christi 71, Lini 2, Othonis 1.

Galba Imperator occiditur a militibus ab eisque eidem surrogatur Marcus Silvius Otho, qui cum imperasset menses tres, rebellante Vitellio, mortem sibi conscivit; imperium ergo capessit Vitellius tenetque per menses octo.

Vespasianus interea multas Judææ urbes sibi ac Romanis subigit. Unde multi opinati sunt ipsum esse Messiam, utpote cui regnum Juda a Prophetis promissum erat. Quocirca opera et præstigiis Apollonii Thyanæi visus est cæcum illuminare et ægro manum restituere. Ita ex Tacito, lib. I, cap. IV, et Suetonio in *Vespasiano*, cap. VII. Baronius, qui hæc mendacia ab adulatoribus conficta esse convincit.

Eodem anno Evodio ex humanis sublato, eidem in cathedra Antiochena succedit S. Ignatius, qui post annos fere 40 sub Trajano, anno Christi 110, Romæ leonibus objectus, glorioso martyrio est coronatus, cum primus ipse Antiochiæ chorum psalmodiæ, quo alternis canerent, instituisset, eo quod angelos SS. Trinitatem eo ritu laudantes vidisset et audisset.

### Anno Christi 72, Lini 3, Vespasiani 1.

Vespasianus a militibus suis creatus Imperator, Romam navigans, ibidem Capitolium bello civili concrematum restituit, ac Titum filium ad conficiendum bellum Judaicum destinat. Titus ergo



Hierosolymam obsidet in Paschate, cum undequaque eo Judæi ad festum confluxissent, ut omnes ab eo concluderentur et mactarentur vel caperentur: sicut ipsi eodem festo ante annos 38, ibidem Christum crucifixerant. In ultionem ergo sanguinis Christi, utriusque Jacobi Apostoli, et S. Stephani, ac vinculorum SS. Petri et Pauli, atque persecutionis et expilationis Christianorum, Jerusalem Romanis capta et cum templo incensa funditus eversa est, uti ei prædixerat Christus, *Lucæ* XIX, 43. E Judæis toto bello occisa sunt undecies centena millia, capta 97, ait Josephus, lib. VII *Belli*, cap. 17.

### Anno Christi 73, Lini 4, Vespasiani 2.

Titus de Judæa subacta Romæ triumphavit. Extat etiamnum Romæ arcus ejus triumphalis, in quo candelabrum templi, quod in triumphum duxit, expictum cernitur. Judæis in Ægypto tumultuantibus, mandat Vespasianus demoliri eorum templum, Heliopoli ante 333 annos ædificatum ab Onia pontifice, indeque vocatum Onion. Per hæc tempora S. Bartholomæus, qui et Nathanael, Apostolus apud Persas Christum prædicans, excoriatus capite plectitur, ait Onuphrius in *Chron.*

### Anno Christi 74, Lini 5, Vespasiani 3.

Ebion et Cerinthus, hæresiarchæ negantes Christi divinitatem, suas hæreses spargunt. Confutat eos S. Joannes Apostolus, tam factis quam verbis; ideoque nec balneum eorum ingredi sustinuit, dicens: «Fratres, egrediamur hinc, ne cadat balneum et pereamus cum Ebione, qui intus est in balneo, propter ipsius impietatem.» Ita Epiphanius, *hæresi* 30; licet Irenæus, lib. III, cap. IV; Eusebius, lib. III, XXII, et Theodoretus, lib. II *Hæret. Fabul.*, id non Ebioni, sed Cerintho ascribant.

Eodem anno S. Martialis, Episcopus Lemovicensis et Galliarum Apostolus, eo amandatus Roma a S. Petro, cum Lemovicenses, Tolosanos, Burdigalenses, Cadurcenses, Aquitanos aliosque ad Christum convertisset, diem clausit extremum abiitque in cœlum. Innocentius Pontifex, Extravag. *de Sacra Unctione*, in fine, scribit S. Martialem baculo sibi a S. Petro Romæ dato, mortuum ad vitam revocasse.

### Anno Christi 75, Lini 6, Vespasiani 4.

S. Apollinaris a S. Petro Ravennam missus, cum 29 annos illi sedi præfuisset, et continuum pene martyrium perpessus esset, vario tortus martyr in cœlum evolavit. Successit ei in episcopatu Aderitus, et post eum Eleucadius, olim Platonicus philosophus.

Philosophi orbem circumeunt, ut instar Christi discipulos post se trahant. Tales fuere Apollonius Thyanæus, Euphrates, Demetrius, Musonius, Damis Pythagoreus, Epictetus Stoicus, Lucianus Epicureus, Diogenes junior, qui ob maledicentiam a Vespasiano capite mulctatus est. Verum hos omnes obtrivit et sepelivit S. Joannes Apostolus, Ecclesiæ columna et Patriarcha, cum suis sociis et asseclis, et Dionysio Areopagita, Ignatio, Herma, Polycarpo, Clemente, etc., quibus proinde Deus vitam longævam concessit et in multos annos prorogavit.

Eodem anno occisum esse S. Thomam apud Indos asserit Onuphrius in *Chron.*

### Annis Christi 76, 77, 78, 79, 80; Lini 7, 8, 9, 10, 11; Vespasiani 5, 6, 7, 8, 9.

Anno Christi 77, templum Pacis augustissime ædificatum, dedicatum est, in eoque ornamenta e toto orbe quæsita, sed præsertim e templo Hierosolymitano sublata, sunt reposita. Ita Josephus, lib. I *Belli*, XXIV. Titulus templi erat: «Paci æternæ.»

Anno Christi 80, Linus pontifex, cum sedisset annos 11, jussu Saturnini consularis martyrio coronatur die 23 septembris. Succedit ei Cletus.

### Anno Christi 81, Cleti 1, Vespasiani 10, Titi 1.

Vespasianus agens annum ætatis 69, Imperii decimum, moritur; succedit ei filius Titus, orbis deliciæ, qui urbis luxum et luxuriam castigavit. Unde de eo Martialis, lib. VI, *epigr.* IX:

Plusque tibi debet Roma, pudica quod est.

Adeo vero beneficus fuit, ut, cum semel super cœnam recordaretur se eo die nemini beneficium contulisse, exclamarit: «Amici, diem perdidi;» iis qui in necem suam conjurarunt, pepercerit, dicens: «Periturum se potius, quam perditurum,» et: «Principes fato dari.» Ita Suetonius in *Tito*, cap. XI; Dio, cap. VIII et IX.

### Anno Christi 82 et 83, Cleti 2 et 3, Titi 2 et 3.

Urbs Roma, immisso divinitus incendio, tribus diebus totidemque noctibus conflagravit. Ita Dio in *Tito*. Titus Amphitheatrum Romæ ædificat, et in dedicatione ejus quinque millia ferarum occidit. Ita Eusebius in *Chron.* Hoc solum cum Pantheo, ex veteris Romæ magnificentia reliquum, in urbe etiamnum spectamus.

Anno Christi 83, Titus Imperator veneno a fratre Domitiano (ut fama fuit) sublatus est annum agens ætatis 41, Imperii tertium. Succedit ei Domitianus, natura sævus, ingenio ferox et vafer. Ita Suetonius, Dio et alii in *Tito* et *Domitiano*.

### Annis Christi 84, 85, 86, 87, 88, 89, 90, 91; Cleti 4, 5, 6, 7, 8, 9, 10, 11; Domitiani 1, 2, 3, 4, 5, 6, 7, 8.

Josephus Judæus historicus, Romæ in honore est apud Domitianum, uti fuerat apud Titum et Vespasianum.

Anno Christi 84, Titus a Senatu inter deos refertur. Ita Eusebius in *Chron.*

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

Domitianus philosophos urbe excegit, ac inter alios Musonium, Dionem Chrysostomum, Epictetum Stoicum et Peregrinum; nonnullos vero occidit, ut Rusticum Arulenum et Maternum Sophistam. Ita Eusebius in *Chron.*, et Dio in *Domitiano*.

Domitianus delubrum Jovis Capitolini concrematum, ingenti sumptu restauravit. Ita Suetonius et Dio in *Domitiano*.

Anno Christi 87, Anianus, cum post S. Marcum 22 annos præfuisset Ecclesiæ Alexandrinæ, e terris in cœlum abiit. Ita Eusebius, lib. III, cap. XII.

Anno Christi 88, Domitianus sanxit ut deinceps anni numerarentur per agones Capitolinos; sicque ab hoc anno primus agonalis cœptus est numerari. Agonalis instar Olympiadis quatuor continebat annos. Ita Censorinus, *De die natali*, cap. XIV.

Anno Christi 89, Domitianus jussit octobrem mensem Domitianum vocari; se vero Deum et Dominum appellari. Unde illud: « Edictum Domini Deique nostri. » Ita Suetonius in *Domitiano*, cap. XIII. Idem quotidie secretam quietem captabat, in qua nihil aliud curabat, nisi muscas præacuto stylo configere. Ita Eusebius in *Chron.*

Apollonius Tyanæus Romæ a Domitiano incarceratus, per magiam invisibilis factus evanuit, et Puteolis improvisus apparuit, indeque Ephesum concessit, ubi cum S. Joanne certavit.

Anno Christi 91, Cleti 12, Domitiani 9.

S. Joannes Apostolus Epheso Romam, ad Domitianum imperatorem reus impietatis, a Proconsule Asiæ vinctus mittitur: ubi ante portam Latinam in ferventis olei dolium missus, integer et illæsus exivit, teste Tertulliano, lib. *De Præscript.*, cap. XXVI. Quare a Domitiano relegatur in insulam Pathmos, *Apocal.* I, 9. Exstat Romæ martyrii S. Joannis locus ecclesia illustratus, ac dies in tabulas Ecclesiasticas relatus est 6 maii.

Domitianus, ait Eusebius, lib. VI, cap. XIII, alteram post Neronem in Christianos movet persecutionem. Erat enim crudelis admodum: unde a Gentilibus vocatus est alter Nero. Audi Juvenalem, *sat.* 4:

> Cum jam semianimum laceraret Flavius orbem
> Ultimus, et calvo serviret Roma Neroni:

Sub Domitiano ergo, sequentibus ejus annis, multi passi sunt Martyres, inter quos illustriores fuere S. Eutropius, Episcopus Santonensis, in Gallias a S. Clemente missus, ascriptus *Martyrol.* die 30 aprilis; Lucianus, Episcopus Bellovacensis, die 8 januarii, ac Maximianus et Julianus presbyteri; Carnoti vero Ceraunus, 28 maii; item Nicasius, Episcopus Rothomagensis; Quirinus Presbyter, Scabiculus Diaconus, Patientia virgo, item S. Romulus; Fesulanus in Tuscia Episcopus, illuc a S. Petro missus; Ptolemæus, Episcopus Tuscaniæ; Eugenius, Toletanus Episcopus; Mancius, civis Romanus Eboræ, et alii.

Anno Christi 93, Clementis 1, Domitiani 10.

Cletus Pontifex, cum sedisset annis 12, martyrio coronatur. Succedit ei S. Clemens.

S. Joannes in Pathmos omnes insulæ accolas ad Christi fidem et pietatem instituit, ait Œcumenius, prooemio *in Apocal.*

Sub hoc tempus Antipas martyrium subiit Pergami in Asia, de quo dixi *Apocal.* II, 13.

Anno Christi 94, Clementis 2, Domitiani 11.

Acilius Glabrio superiori anno consul Romæ cum aliis martyrio afficitur. Ita Dio in *Domit.*

Anno Christi 95, Clementis 3, Domitiani 12.

S. Clemens scripsit Epistolam *ad Corinthios* de pace et concordia, quam celebrat Eusebius, lib. III, cap. XII. Plures alias scripsit atque Constitutiones Apostolicas.

Anno Christi 96, Clementis 4, Domitiani 13.

Hoc anno Josephus historicus, ut ipse testatur in fine lib. XX, Romæ finit commentarium *De Antiquitatibus Judaicis* in viginti libros distributum, in quo videns Jerusalem cum templo et judaismo eversam, videns pariter Vespasianum defecisse, cui vaticinatus tribuerat, quod Christo a Prophetis prænuntiatum erat, imperium; jamque tempus Messiæ præteriisse, ipse, licet Judæus, convictus tamen rei evidentia, luculentum Jesu nostro crucifixo perhibuit testimonium, quod ipse sit Messias, sive Christus. Sic enim de eo scribit, lib. XVIII *Antiq.*, cap. IV: « Eodem tempore fuit Jesus, vir sapiens, si tamen virum eum fas est dicere. Erat enim mirabilium operum patrator et doctor eorum qui libenter vera suscipiunt, plurimosque tam de Judæis, quam de Græcis sectatores habuit. Christus hic erat: quem accusatum a nostræ gentis principibus, Pilatus cum addixisset cruci, nihilominus non destiterunt eum diligere, qui ab initio cœperant. Apparuit enim tertia die vivus, ita ut divinitus de eo vates hoc et alia multa miranda prædixerant, et usque hodie Christianorum genus ab hoc denominatum non deficit. » Hunc locum ex Josephi translatione Hebræa, ab ipsis facta, sustulerunt Judæi, sed Josephus scripsit Græce: exemplaria autem Græca et Latina ita habent, ut retuli. Ita Romæ cuidam Rabbino id objicienti, respondi.

Anno Christi 97, Clementis 5, Domitiani 14.

Hoc anno S. Joannes a Domitiano relegatus in Pathmos, ibi per exilium pro Christo, meruit ab eo accipere Apocalypsin, sive revelationem eorum quæ futura erant in Ecclesia et orbe, præsertim in fine mundi, ut iis fideles a fide metu persecutionum, vel blandiloquentia Ebionis, Cerinthi aliorumque hæreticorum aberrantes, aut vacil-



lantes, in eadem confirmaret roboraretque eos eorumque posteros, ad instantes reliquas octo generales Ecclesiæ persecutiones, a totidem Imperatoribus conciandas, constanti animo sustinendas. Ipse enim ex omnibus Apostolis solus superstes et grandævus, quasi fidelium omnium pater et patriarcha, molem Ecclesiæ, veluti Christi familiæ sibi ab eo commissæ, sua auctoritate, sapientia et sanctitate quasi Atlas sustentabat. Ita Irenæus, lib. V, in fine, Baronius et alii.

S. Dionysius Areopagita scripsit Epistolam, quæ numero est decima, ad S. Joannem in Pathmos, significans sibi a Deo revelatum esse quod brevi ab exilio liberandus foret, tumque sese invicem essent visuri et fruituri. Ita factum mox post mortem Domitiani, quæ anno sequenti contigit.

Domitianus eos qui de genere erant David, interfici præcepit, ut nullus Judæorum regno reliquus foret, itaque Messiæ exspectationem eis eriperet. Ita Eusebius in *Chron.*, et alii.

Anno Christi 98, Clementis 6, Domitiani 15

Flavius Clemens, Consul Romanus, cognatus Domitiani (cujus sororem Flaviam Domitillam habebat uxorem) et Clementis Pontificis, a Domitiano, eo quod religionem Christianam coleret, occiditur, cum antea ejus filios successores Imperii destinasset; alterumque Vespasianum, alterum Domitianum appellasset. Ita Suetonius in *Domitiano*, cap. XV. Eadem de causa sævitt in Clementis uxorem et neptem, utramque scilicet Flaviam Domitillam, aliosque ejus domesticos Christianos. Hoc ergo anno Flaviam Domitillam juniorem, Flavii Clementis Consulis ex sorore Plautilla neptem, in insulam Pontiam relegavit: ita Eusebius, lib. III, cap. XIV. Hæc est illa Domitilla celebris virgo et martyr, cujus mater Plautilla a S. Petro instante martyrio conversa et baptizata, filiam hanc Domitillam tradidit Christianis virtutibus imbuendam S. Clementi, qui eamdem, cum virginitatem suam Deo incitantibus eam S. Nereo et Achilleo eunuchis vovisset, sacro velamine consecravit. Quare Aurelianum sponsum respuens, in Pontiam relegatur, quo eam secuti sunt Nereus et Achilleus: qui inde abstracti et Tarracinam missi, ibi post varia tormenta capite multati sunt. Flavia vero post longum exilium, tandem sub Trajano gloriosum obiit martyrium. Ita habent Acta SS. Nerei et Achillei.

Hoc anno Domitianus ob crudelitates, præsertim in Christianos excitatas, a conjuratis, ac nominatim a Stephano, S. Flaviæ Domitillæ procuratore, confossus occubuit, annum ætatis agens 45, imperii 15; quare statuæ ejus omnes arcusque illico eversi fuere, nomen etiam e saxis eradi jussum. Ita Dio in *Domitiano*, et Suetonius, cap. XVII. Vidit hanc Domitiani necem Apollonius Tyanæus Ephesi existens, per magiam, revelante dæmone. Nam concionans ad populum, torvis oculis in terram aspiciens, dixit: « Percute tyrannum; » ac postea tabellarii Roma venientes nuntiarunt eodem tempore occisum esse Domitianum. Ita Philostratus, lib. VIII *Vitæ Apollonii.*

Domitiano successit Nerva Cocceius tam senatus consensu, quam militum, imperavitque annum unum, quem miro laudant Historici, qui omnes exules in patriam reduxit vetuitque quempiam religionis causa accusari. Ita Dio in *Nerva*. Quare S. Joannes Apostolus tunc ex Pathmos, ubi exulabat, Ephesum est reversus, atque Asiæ Ecclesias gubernavit. Ita Eusebius, lib. III, cap. XV, qui et cap. XVII, recenset mirum charitatis S. Joannis exemplum in juvene, olim discipulo suo, a latrociniis revocando, cum diceret Episcopo, cui eum commendarat: « Age, Episcope, depositum nobis redde, quod ego et Christus Ecclesia teste, quam gubernas, tibi commisimus. Adolescentem repeto, animam fratris. »

Tunc quoque S. Joannes certans cum Apollonio Tyanæo thaumaturgo, mortuum suscitavit aliaque complura miracula in fidei et fidelium confirmationem patravit. Ita Eusebius, lib. V, cap. XVII; Sozomenus, lib. VII, cap. XXVI; Baronius et alii. Quin et L. Dexter in *Chronico*, anno Christi 100: « Stacteus, inquit, Zotici, vel Getulici filius; qui Zoticus Ephesi negotiorum causa morabatur: mortuus Stacteus a Joanne ad vitam revocatur. Convertitur Zoticus et Symphorosa cum filiis ad fidem, qui reversi ad Italiam passi sunt. » Hæc ille de cujus fide dicam in fine Chronotaxis. »

Dionysius Areopagita, Athenarum Episcopus, adit S. Joannem ex Pathmos reducem, ejusque, ut videtur, consilio Romam ad Clementem Pontificem se contulit, a quo cum Rustico et Eleutherio in Gallias missus est, ut Martiali, Eutropio, Luciano aliisque a S. Petro eo missis, et jam vita martyrioque perfunctis in Evangelii prædicatione succederet: qui multis conversis, tandem sub Adriano Imperatore Apostolatum illustri martyrio decoravit. Porro Dionysio in Atheniensi Episcopatu successit Publius, Publio Quadratus. Ita Eusebius, lib. IV, cap. XXII; et S. Hieronymus, lib. *De Script. Eccl.*, in *Quadrato*

Anno Christi 99, Clementis 7, Nervæ 1.

S. Joannes, post reditum ex Pathmos, coactus ab Asiæ Episcopis et multarum Ecclesiarum legationibus, post indictum publicum jejunium et supplicationes, scripsit Evangelium, et quasi filius tonitrui illud prooemium e cœlo veniens eructavit: « In principio erat Verbum, et Verbum erat apud Deum, et Deus erat Verbum, » ait S. Hieronymus, Præfat. *in Evangel. S. Matthæi*. Addit Metaphrastes, quem sequitur Baronius, S. Joannem scripturum Evangelium, quasi alterum Mosem, legem novam cœlitus accepturum, ascendisse in verticem montis, et elevatis manibus mentem a sensibus abstraxisse: « Tuncque horrenda tonitrua, inquit, terrores et fulgura, his

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

similia, quæ antea Mosi legem recipienti contigerant, facta sunt. Ad extremum tonitrua in vocem exprimuntur, atque resonant, In principio erat Verbum. » Porro Græce scripsit Evangelium contra Ebionem et Cerinthum, tunc grassantes, qui docebant Christum esse merum hominem, et ante Mariam non fuisse. Quocirca totus est in divinitate Christi astruenda, atque gesta Christi ante incarcerationem Joannis Baptistæ, a cæteris Evangelistis prætermissa, supplet et persequitur. Ita S. Hieronymus, lib. *De Script. Eccl.*, in *Joan.*, cap. IX.

Scripsit pariter S. Joannes tres Epistolas canonicas, e quibus duas priores contra Basilidem et alios Christi carnem negantes, docentesque non veram, sed phantasticam fuisse Christi incarnationem, passionem, mortem, *etc.*, exaravit. Unde hæresin hanc elidens ita orditur : « Quod fuit ab initio, quod audivimus, quod vidimus oculis nostris, quod perspeximus, et manus nostræ contrectaverunt de Verbo vitæ : et vita manifestata est, et vidimus, et testamur. » Quocirca S. Hieronymus, epist. 85 *ad Evagrium* : « Clangit, inquit, tuba filius tonitrui, quem Jesus amavit plurimum, qui de pectore Salvatoris doctrinarum fluenta potavit : Presbyter electæ Dominæ et filiis ejus, quos diligo in veritate. » Porro sicut doctrinarum, sic et ignis ac flammarum fluenta e Christi pectore potavit : unde totus spirat amoris charitatisque ignes et incendia.

Eodem anno Apollonius Tyanæus magus, occultam appetens mortem (quo immortalis crederetur in cœlum esse translatus), incerto exitu diem clausit extremum. Ita Philostratus, lib. VIII.

Nerva videns se senio fatiscentem, ut consuleret imperio, præteritis sibi sanguine junctis, M. Ulpium Trajanum Hispanum adoptavit in filium ac Cæsarem nominavit. Ita Dio et Plinius in *Panegyr. Trajani.*

### Anno Christi 100, Clementis 8, Nervæ 2, Trajani 1.

Nerva agens annum ætatis 65, ait Dio, senio et morbis consumptus, magno omnium luctu diem obiit die 27 januarii. Successit ei Trajanus agens Agrippinæ, quem anno præcedente in filium sibi Nerva adoptarat. Decreto senatus Nerva inter deos refertur. Ita Eusebius in *Chron.*

Anno hoc sæculari mire crevit et floruit Christi Ecclesia : deorum fana, delubra, oracula, aræ velut fulmine icta collabebantur.

Plinius Secundus, præfectus Bithyniæ, scripsit ad Trajanum, quid de Christianis fieri vellet ? nihil aliud se de sacris eorum comperisse, quam quod antelucanis cœtibus hymnos Christo canerent. Rescripsit Trajanus, « Eos inquirendos non esse, oblatos vero puniri oportere, cœtusque et sodalitates, quas hæterias vocant, prohiberi. » Ita Plinius, lib. X, *epist.* 97.

Trajanus Clementem Pontificem in Tauricam Chersonesum jussit deportari : ubi Christianos ad marmora secanda damnatos mire consolatus est, præsertim cum suis precibus fontem, ad levandam aquarum penuriam, indicante locum agno eliciuit : quo miraculo mire ibidem propagata est Christi fides et religio.

Flavia Domitilla una cum Euphrosyna et Theodora, cum a Christiana religione divelli nullatenus possent, incenso cubiculo martyrium consummarunt. Persecutio in Christianos efferbuit. Erat enim Trajanus magnus deorum cultor, vinolentus et masculorum concubitor ; atque inter alios Adrianus, consobrini filius, qui in imperio ei successit, ejus pæderastiæ inservivit.

### Anno Christi 101, Clementis 9, Trajani 2.

S. Joannes Apostolus et Evangelista, Apostolorum ultimus eorumque quasi Mathusalem, Ephesi moritur annum agens 97, et juxta urbem sepultus est, cum prius omnes fideles ad charitatem fraternam crebro et impense esset exhortatus, adeoque dum præ senio non posset in plura vocem verba contexere, illud tantum per singulas solebat proferre collectas : « Filioli, alterutrum diligite ; » cumque discipuli tædio affecti quod semper idem audirent, rogarent, Cur semper eadem loqueretur ? dignam respondit Joanne sententiam : « Quia præceptum Domini est, et, si solum fiat, sufficit, » uti refert S. Hieronymus in epist. *ad Galat.*, lib. III, cap. VI. Plura vide apud Baronium.

S. Joanni in Episcopatu Ephesino successit Onesimus, Pauli discipulus, vir eximiæ charitatis. S. Joannis auditores insignes fuerunt, Papias, Episcopus Hieropolitanus ; Ignatius Antiochenus et Polycarpus Smyrnæus. Paulo post S. Joannem, nimirum anno sequenti, qui fuit Christi 102, S. Clemens, S. Joanni amicissimus, jussu Trajani anchora ad collum appensa projectus in mare, martyrii lauream obtinuit. Orante vero populo, retrocessit mare ad tria fere milliaria, quo ingressi Christiani, invenerunt in figuram templi marmorei habitaculum a Deo paratum, et illic situm corpus S. Clementis cum anchora. Singulis deinde annis simili modo, in die transitus illius retrocessit mare. Contigitque semel incuria parentum puerum quemdam illic relinqui, qui anno vertente vivus repertus est, ita habent Vita et Acta S. Clementis.

Nota : Ante annos fere 1200, ævo S. Hieronymi et Augustini, Fl. Lucius Dexter, filius S. Patiani, postea Episcopi Barcinonensis, Præfectus prætorio Orientis sub Theodosio Imperatore, Hispanus et Hispanorum encomiastes, scripsit Chronicum a natali Christi usque ad annum Christi 430, quo mortuus est S. Augustinus, illudque dedicavit S. Hieronymo (et eo jam vita functo, Paulo Orosio), uti ipse testatur lib. *De Script. Eccles.*, in fine, quem librum S. Hieronymus vicissim eidem L. Dextro inscripsit. Quæsivit illud Cardin. Baronius, sed non reperit : post mortem ejus inventum est in Bibliotheca Barcinonensi, eo olim



translatum ex Bibliotheca Fuldensi, uti ferunt, typisque editum est in Hispania Cæsaraugustæ anno Domini 1619, cum appendicibus Maximi, Braulionis et Helecæ, Episcoporum Cæsaraugustanorum, qui illud alternatim et successive usque ad sua tempora continuarunt et prorogarunt. Multi viri docti, præsertim Hispani, illud avide arripiunt citantque. Nonnulli tamen eruditi, quibus acris est crisis, spurium censent, vel certe aliorum laciniis assutum et vitiatum : tum quia varia ejus circumferuntur exemplaria, quæ inter se evariant et dissonant ; tum quia stylus rudior, Dextri stylum non æquat ; tum quia paradoxis et parachronismis inspersum videtur ; tum quia ubi, quando et a quo post tot sæcula primo repertum sit, ignoratur. Sane Fuldæ illud studiose perquisivi, nec inveni. Nolim ego in hac lite sedere arbiter, nec tanti auctoris judicium mihi vindicare, ut fidem illi derogem, vel arrogem. Audio esse in Hispania qui illud recusuri et limaturi, eique fidem arrogaturi sint. Subinde ; sed parce, illud citabo, præsertim ubi verisimiliora et rariora narrans, aliorum gravium auctorum testimonio fulcitur et roboratur.

Denique totam seriem peregrinationis S. Pauli ordinarunt, et ad amussim conscripserunt multi, ut Orontius Finæus, Petrus Appianus, Marcus Jordanus, Arias Montanus et alii ; eamque in tabula Chorographica spectandam exhibet Ortelius, in *Theatro*, pag. 114. Actum ergo non agam.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS
UNIVERSIDAD DE NUEVO LEÓN
Biblioteca Valverde y Téllez

# EFFIGIES

# SANCTI PAULI,

## SIVE IDEA VITÆ APOSTOLICÆ.

Sanctus Paulus cæterique Apostoli adeo virtutibus omnibus excelluerunt, adeoque singulas continue per actus heroicos exercuerunt, ut a Deo cunctis fidelibus per omnia sæcula, positi sint in perfectione earum exemplar et speculum, quod omnes pro viribus æmulari satagant. Nam ut sæpe inculcat S. Chrysostomus in homiliis octo *De Laud. S. Pauli*, Paulus eamdem nobiscum habuit naturam, idem corpus, eamdem animam, ac proinde quod ille effecit, et nos efficere possumus per gratiam Christi, quam Deus uti Paulo elargitus est, ita et singulis fidelibus eam postulantibus, eique strenue collaborantibus liberaliter offert et impertitur, eamque majorem semper et majorem pro merito orationis et operationis. Auxit ille mirifice Dei gratiam per quotidianos pro fide labores et agones, nos quoque simili ratione eamdem miris quotidie per opera præclara, præsertim heroica, incrementis augere possumus. « Fuerunt Apostoli præcones Christi, pugiles veritatis, athletæ Dei, organa Spiritus Sancti, religionis præsides, Ecclesiæ principes, sanctitatis antistites : » nostrarum partium est eos sequi contento passu, ac licet is eis sit impar, eum tamen jugiter agglomerando, quos eminus sequimur, tandem cominus si non assequemur, certe insequemur. Huc nos invitant eorum certamina, coronæ, trophæa, huc tituli et elogia, quibus eos condecorant et celebrant Patres ad unum omnes. Accipe pauca e multis selecta. S. Chrysostomus, hom. 1 *De Laudibus S. Pauli* : « Nihil prorsus, inquit, erraverit, qui pratum insigne quoddam virtutum, et paradisum spiritualem Pauli animum nuncupaverit : tam mira enim gratia floruit, tamque huic gratiæ congruente vitæ perfectione respleuduit : quoniam enim vas electionis effectus est, et bene seipsum emendare curavit, largissime in eum Spiritus Sancti munus effusum est. Quæ autem lingua inveniatur laudibus ejus æqualis, cum omnia quæ sunt in hominibus bona una anima possidebat, et ea cuncta plene ac cumulate, quæ non solum hominum sunt, sed quod amplius est, angelorum ? » Rursum : « Paulus cœli civis, Ecclesiarum columna, angelus terrestris, cœlestis homo. Sicut enim missum in igne ferrum, totum profecto ignis efficitur, sic Paulus charitate succensus totus effectus est charitas. » Idem suavius et uberius in cap. x S. *Matth.* : « Misit, inquit, Christus Apostolos quasi sol radios suos, quasi rosa suavitates odoris sui, quasi ignis scintillas suas dispersit, ut sicut sol in radiis apparet, sicut rosa in odoribus suis sentitur, sicut ignis in scintillis suis aspicitur, sic in illorum virtutibus Christi potentia agnoscatur. Quis enim videns discipulos bene instructos, non scientiam magistri collaudet ? » Breviter, sed nervose, S. Augustinus in serm. 1 *De Apost. Petro et Paulo* : « Paulus, ait, dum urget gladiis sanctos, fidei suscipit jugum et magister factus est Gentium, forma Martyrum, formido dæmonum, indultor criminum fonsque virtutum. » Idem : « Dedit, ait, Dominus Apostolis potestatem super naturam, ut eam curarent ; super dæmones, ut eos everterent ; super elementa, ut ipsa immutarent ; super mortem, ut eam contemnerent ; super angelos, ut corpus Domini consecrarent. » Hæc etiam potestas data est eorum successoribus, secundum illud *Apoc.* xi, 6 : « Hi habent potestatem claudendi cœlum et convertendi aquam in sanguinem. »

Porro æque heroica et admirabilis fuit eorum mors, ac fuerat vita. Audi S. Augustinum, *serm.* jam citato : « Nullatenus, ait, potest explicari, quibus modis interfectio Apostolorum pretiosa pensetur. Moriuntur abjecti, et orbis terrarum capiunt principatum. Moriuntur terrenæ dignitatis extranei, et eorum opificio cœlum reseratur et clauditur. » Idem, serm. 5 *De Dedic. Ecclesiæ* : « Per illos ergo est salus confirmata credentium : quia videmus eos veritatem, quam annuntiarunt prædicando, confirmasse moriendo : rebus, non sermonibus declarantes, quantum sit bonum illud spe certum, in retributione gloriosum, in possessione jucundum, pro quo lux negligitur, gladius non timetur, anima ineffabiliter afficitur. » Idem, lib. 1 *De Civit.*, cap. xxxii, Scipionem præfert diis Romanorum : « Tolerabilius, inquit, divinos honores deferretis illi Scipioni, quam deos ejusmodi coleretis. Neque enim erant illi dii suo pontifice meliores. » Et Tertullianus, in *Apol.*, cap. xi, dicit satius fuisse deos fieri, sapientiæ Socratem, justitiæ Aristidem, militiæ Themistoclem, eloquentiæ Ciceronem, felicitatis Syllam, opum Crassum, sublimitatis Pompeium, gravitatis Catonem : hi enim diis ipsis præstabant hisce rebus. Quid jam dicemus de Apostolis ? hi enim

*Heroes diis majores.*



non unius gentis, sed omnium, non unius virtutis, sed universarum fuerunt culmina, imo fulmina. Hi ergo Christianis non humani, sed divini fuere Pontifices, Scipiones, Socrates, Aristides, Themistocles, Cicerones, Pompeii, Catones. Illis enim vere competit illud *Psal.* LXXXI, 6 : « Ego dixi, Dii estis, et filii Excelsi omnes. » Et illud *Psal.* CXXXVIII, 17 : « Mihi autem nimis honorificati sunt amici tui Deus, nimis confortatus est principatus eorum. » Et illud *Psal.* XVIII, 1 : « Cœli enarrant gloriam Dei, et opera manuum ejus annuntiat firmamentum. In omnem terram exivit sonus eorum, et in fines orbis terræ verba eorum. » « Ecclesia, inquit S. Bernardus, serm. 27 *in Cant.*, habet cœlos suos, homines spirituales vita et opinione conspicuos, fide puros, spe firmos, latos charitate, contemplatione suspensos. Et hi pluentes pluviam verbi salutaris, tonant increpationibus, coruscant miraculis. Hi enarrant gloriam Dei. »

*Apostoli cœli.*

Jam particulatim Pauli et Apostolorum mores depingamus, ut eos melius contemplari, admirari et æmulari possimus. Distinguam eos ordinis et memoriæ causa in tria capita. *Primum* erit de iis qui Deum concernunt ; *secundum*, de iis qui seipsum ; *tertium*, de iis qui proximum spectant. Paulum præ cæteris ex Luca pingo. Nam cum S. Chrysostomo, hom. 11 *in Genes.* : « Flagro amore hujus viri, et propterea continuo versatur in ore meo, et quasi in archetypum aliquod exemplar, ita in illius animam respiciens, obstupesco in hoc viro miram affectionum calcationem, fortitudinis excellentiam, amoris in Deum fervorem, et arbitror quod unus homo omnes virtutes congregarit et perfecerit. » Idem, hom. 22 *ad Populum* : « Paulus, inquit, Apostolus, Gentium doctor, etc., Christum in se habens loquentem, terrestris angelus et cœlestis homo, receptaculum Spiritus Sancti, qui in corpore corruptibili paradisum habitavit : zelo incomparabilis, charitate magnus, Ecclesiarum Dei sollicitus curator, orator pietatis, imbecillium deductor, credentium pronubus, Judæorum redargutio, nostri omnium agens, post mortificationem auctor, et post mortem præco, qui nobis demonstravit quomodo in cœlos ascendere oporteat. » Quocirca Paulus per excellentiam et antonomasiam vocatur Apostolus, ait S. Augustinus, qui et lib. XIV *De Civit.*, cap. IX : « Invenimus, ait, doctorem Gentium in fide et veritate, qui et plus omnibus suis coapostolis laboravit et pluribus epistolis populos Dei instruxit : illum, inquam, verum athletam Christi, doctum ab illo, unctum de illo, crucifixum cum illo, gloriosum in illo, in theatro hujus mundi, cui spectaculum factus est, et angelis et hominibus, legitime magno agone certamen et palmam supernæ vocationis in anteriora sectantem, etc. » Quare quod S. Gregorius Nazianzenus, orat. 20 *De Laudibus S. Athanasii* dicturus, ita orditur : « Athanasium laudans, virtutem laudabo. Idem enim est illum dicere, quod virtutem laudibus efferre : quoniam virtutes omnes in unum collectas tenebat, et etiamnum tenet : virtutem autem laudans, Deum laudabo, a quo virtus hominibus est. » Idem potius de Paulo dicam : Paulum laudans, apostolatum laudabo, imo Deum, qui Pauli et apostolatus est auctor. Nam, ut ait S. Leo, serm. 1 *De SS. Petro et Paulo* : « De illis Ecclesiæ apicibus, imo oculis, qui omnem loquendi superant facultatem, nihil diversum, nihil debemus sentire discretum, quia illos et electio pares, et labor similes, et finis fecit æquales. »

## CAPUT PRIMUM.

### DE PAULI MORIBUS ET VIRTUTIBUS DEUM CONCERNENTIBUS.

Prima dos et virtus, singularis Dei electio et vocatio, ejusque humillima agnitio, gratiarum actio et admiratio.

*Primo*, Paulus singulari Dei gratia ab æterno prædestinatus est, non tantum ad fidem et sanctitatem, sed etiam ad Apostolatum, eumque eximium, ut nimirum præ cæteris Apostolus fieret admirabilis Evangelii præco, et doctor Gentium ubilibet degentium. Ita ipse, *ad Ephes.* I, 11, agens de prædestinatione Christi omnia instaurantis : « In quo, ait, et nos sorte vocati sumus secundum propositum ejus, qui operatur omnia secundum consilium voluntatis suæ, ut simus in laudem gloriæ ejus nos, qui ante speravimus in Christo. » Et *Actor.* IX, 15, de eo Deus ait Ananiæ : « Vas electionis (ab æterno a me electum, et e tot hominum millionibus selectum) est mihi iste, ut portet nomen meum coram gentibus, et regibus, et filiis Israel. » Hic verum est illud : « Non volentis, neque currentis, sed miserentis est Dei, » *Rom.* IX, vers. 16. Porro Apostoli orbem commoverunt amore, Prophetæ vero terrore. Prophetæ enim terrent, Apostoli suadent. « Deus enim nunc virga utitur, nunc flagello. Virga, ut corrigat ; flagello, ut suadeat. Recta illic, hic inflexa præceptio, quæ peccatoris conscientia velut lento verbere flagellatur. Alii sunt enim terrores prophetici, aliæ apostolicæ suasiones : in utroque tamen unius verbi est disciplina, » ait S. Ambrosius, lib. IX *in Luc.*, cap. XIX, in fine capitis. Idem, lib. VII : « Eos, inquit, misit ad seminandum fidem, qui non cogerent, sed docerent ; nec vim potestatis exercerent, sed doctrinam humilitatis attollerent. »

*Prophetæ terrent, Apostoli suadent.*

*Secundo*, Paulus eadem Dei gratia, in tempore ab eo vocatus est ad gratiam simul et ad Apostolatum uno eodemque instanti ; quæ gratia fuit eximia, tum in se, tum ex hoc capite, quod ipse vocatus sit in ipso ardore persecutionis, cum scilicet spiraret minas et cædes in Christianos. Tunc enim subito irradiante Deo, ex lupo factus est ovis, ex Saulo Paulus, ex persecutore prædicator,

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

*Act.* IX, 6; imo mox ab occiso et lapidato a se Stephano conversus, illico illi in prædicatione successit : « Nam postquam siluit os Stephani, mox sonuit tuba Pauli, » ait S. Chrysostomus, homil. *De Convers. S. Pauli.* Hæc fuit ejus antecedens, et quasi in actu primo vocatio ad Apostolatum; consequens enim et quasi in actu secundo fuit ea, qua Antiochiæ consecratus episcopus, proxime missus est evangelizatum Gentibus, *Act.* XIII, 2, dicente Spiritu Sancto : « Segregate mihi Saulum et Barnabam in opus ad quod assumpsi eos. » Porro, Paulus abundantiorem cæteris Apostolis accepit gratiam, ut Deus magis ostenderet suum esse quod dat, non hominis : sicut medicus excellentiam artis suæ ostendit in ægro desperato, ait S. Augustinus in *Psalm.* CXXX. Unde et cæteros Apostolos Christus vocavit verbo, Paulum vero prosternendo et cæcando coegit ad fidem, ait idem Augustinus, epist. 50 *ad Bonifacium.*

*Tertio,* Paulus huic Dei vocationi illico plane plenequa obedivit, dicens : « Domine, quid me vis facere? » *Act.* IX, 6. Unde baptizatus « continuo in Synagogis prædicabat Jesum, quoniam hic est Filius Dei. » Ibidem, vers. 20, et *ad Galatas* I, 15 : « Cum autem placuit ei qui me segregavit ex utero matris meæ, et vocavit per gratiam suam, ut revelaret Filium suum in me, continuo non acquievi carni et sanguini, etc. » Quare illico se pro Christo periculo vitæ exposuit, Judæis in ipsum quasi apostatam frendentibus, ultro sese evangelizando objiciens. Paulus enim acri fuit ingenio et ardenti indole, ac natura igneus, ut patet *Act.* IX, 1. Unde, accedente et naturam informante Dei gratia, factus est organum Dei electum, efficax et eximium; quare S. Bernardus, serm. *De Convers. S. Pauli* : « Conversus Paulus, inquit, conversionis minister factus est universo mundo, etc., et ne adhuc quidem cessat ab hominum conversione : dico autem exemplo, oratione, doctrina. »

*Quarto,* Paulus ubique hanc Dei in se gratiam admiratur, et mira animi demissione, gratitudine et exultatione celebrat et deprædicat. Unde epistolas ita fere orditur : « Paulus vocatus Apostolus, non ab hominibus, neque per hominem, sed per Jesum Christum. » Et : « Mihi, inquit, omnium Sanctorum minimo data est gratia hæc, in Gentibus evangelizare investigabiles divitias Christi, et illuminare omnes, quæ sit dispensatio Sacramenti absconditi a sæculis in Deo, qui omnia creavit, » *Ephes.* III, 8.

6. Paulus ni prædicasset, graviter peccasset.

*Quinto,* Paulus hac Dei vocatione demandatam sibi Evangelii prædicationem intelligens, ad eam se obligari censuit, adeo ut si eam negligeret, grave peccatum admitteret. Hoc est enim quod ait, I *Cor.* IX, 16 : « Nam si evangelizavero, non est mihi gloria; necessitas enim mihi incumbit; væ enim mihi est si non evangelizavero. » Et : « Deus posuit in nobis verbum reconciliationis. Pro Christo ergo legatione fungimur, tanquam Deo exhortante per nos. Obsecramus pro Christo, reconciliamini Deo, » II *Cor.* V, 20. Paulum imitentur, qui se a Deo ad statum Apostolicum vocari sentiunt, ut Deo vocanti alacriter obediant strenueque cooperentur. Nam, ut ait S. Basilius in cap. I *Isaiæ* : « Nisi in fundamento Apostolorum perseveremus, ædificantes pretiosa et honore digna, quasi nullo subnixi fundamento, præcipites ibimus, fietque ruina nobis non exigua. »

### Secunda dos et virtus est Missio legitima.

*Primo,* Paulus immediate a Christo per revelationem edoctus est didicitque Evangelium, ut ipse diserte asserit *Galat.* I, 12. Hinc nonnulli Gnostici docebant, ex Apostolis solum Paulum cognovisse veritatem, eo quod per revelationem manifestatum ei esset mysterium, quos refutat Irenæus, lib. III, cap. XIII.

*Secundo,* Paulus proxime iturus evangelizatum Gentibus, raptus est in tertium cœlum anno Christi 44, a conversione sua nono, ibique audivit arcana verba quæ non licet homini loqui, II *Corinth.* XII, 2, ut quasi alter Moses a Deo mitti, et quasi e cœlo cœlestis Gentium doctor prodire videretur. Unde S. Bernardus, serm. 23 *in Cant.* : « Thomas, inquit, in latere, Joannes in pectore, Petrus in sinu Patris, Paulus in tertio cœlo secreti hujus gratiam sunt assecuti. Thomas in solido fidei, Joannes in lato charitatis, Paulus in intimo sapientiæ, Petrus in luce veritatis. » Et S. Ambrosius, in *Psalm.* XLVII : « Vide, ait, Paulum cum persequeretur Ecclesiam Dei, latus Aquilonis fuisse. Vide nunc cum legitur in Ecclesia, montem esse speculatorium (Sion) per quem Christi gloriam cognoscimus et videmus. » 7. Raptus in tertium cœlum, quando?

*Tertio,* nihilominus instinctu Dei contulit suum Evangelium et doctrinam cum S. Petro aliisque Apostolis, ut illi eam probarent eique veritatis testimonium apud fideles darent : « Contuli, inquit, cum illis Evangelium quod prædico in Gentibus, etc., ne forte in vacuum currerem aut cucurrissem, » *Galat.* II, 2. Et vers. 9 : « Cum cognovissem gratiam quæ data est mihi, Jacobus, et Cephas, et Joannes, qui videbantur columnæ esse, dederunt mihi dextras societatis, ut nos in Gentes, ipsi autem in circumcisionem. » 8. Confert doctrinam cum S. Petro.

*Quarto,* Paulus, etsi a Deo electus Apostolus, tamen auctoratus fuit ab Ecclesia. Unde jussu Spiritus Sancti ab ejus primoribus consecratus est Episcopus missusque prædicatum Gentibus, *Act.* XIII, 2. Ordo enim hierarchicus a Deo institutus id poscit, ut homines inferiores ab hominibus superioribus regantur et mittantur, ne fraus et dolus subesse possit. Sic enim pseudoprophetæ et hæretici mentiuntur se mitti a Deo, cum mittantur a diabolo, ideoque omnem Pontificum Ecclesiæ missionem et directionem respuunt, de quibus jure queritur Dominus per Jeremiam, cap. XXIII, vers. 21, dicens : « Non mittebam Prophetas, et ipsi currebant : non loquebar ad eos, et ipsi prophetabant. »

*Quinto,* Paulus in dubiis et controversiis de servandis legalibus, adiit S. Petrum et Apostolos, eorumque sententiam secutus, eamdem toti Ecclesiæ Antiochenæ capessendam servandamque proposuit, *Act.* XV. Et S. Hieronymus, licet doctor Ecclesiæ, tom. II, epist. 57 *ad Damasum Pontificem,* ab eo petit decisionem quæstionis : An in Deo dicendæ sint tres hypostases, an una? « A pastore, inquit, præsidium ovis flagito. Cum successore piscatoris et discipulo crucis loquor. Ego nullum primum nisi Christum sequens, beatitudini tuæ, id est cathedræ Petri, communione consocior. Super illam petram ædificatam Ecclesiam scio, etc. Quicumque tecum non colligit, spargit; hoc est, qui Christi non est, Antichristi est. »

### Tertia dos et virtus fuit, Præstans potensque fides, etiam ad patrandum miracula.

*Primo,* Paulus fide excelluit. Nam quasi doctor eam ubique prædicavit et propugnavit contra Judæos, philosophos, oratores, magos, reges et tyrannos. Præclare S. Chrysostomus in cap. XX *S. Matthæi*, explicans illud : *At illi magis clamabant* : « Talis, inquit, est natura fidei, quanto magis vetatur, tanto magis accenditur. Virtus fidei in periculis secura est, in securitate periclitatur. Quid enim sic laxat vigorem fidei, sicut longa tranquillitas? » Idem in cap. XXV *S. Matth.* : « Fides, inquit, lampas est; quia sicut lampas illuminat domum, ita fides animam. » Idem in illud Symboli, *Credo in Deum* : « Fides, ait, lumen est animæ, ostium vitæ, fundamentum salutis æternæ. »

*Secundo,* Paulus raptus in tertium cœlum, vidit mysteria quæ fide credimus, II *Cor.* XII, 2. Quin S. Augustinus, lib. XIII *De Trinit.*, cap. II, docet fidem nostram suo modo et videre et videri, in suis scilicet operibus et effectis. Sic rursum per opera heroica ingentem suam fidem toti orbi conspicuam exhibuit Paulus. Sapienter S. Bernardus, serm. 24 *in Cant.* : « Mors fidei, inquit, est separatio charitatis. Credis in Christum? fac Christi opera, ut vivat fides tua. Fidem tuam dilectio animet, actio probet. Non incurvet terrenum opus, quem fides cœlestium erigit. » Et S. Ambrosius, *serm.* 1 : « Fides Christiana, inquit, quasi granum sinapis, prima fronte videtur esse parva, vilis, tenuis, non ostendens potentiam suam; at ubi diversis tentationibus teri cœperit, statim vigorem suum prodit, acrimoniam indicat, calorem Dominicæ credulitatis aspirat, et tanto divini ignis ardore jactatur, ut et ipsa ferveat, et participantem sibi ardere compellat. »

*Tertio,* Paulus fidem suam, Prophetarum et Apostolorum celebrat passim, ac præsertim toto cap. XI *ad Hebr.* : « Fides, inquit, est substantia rerum sperandarum, argumentum non apparentium. » Vide cætera quæ sequuntur.

*Quarto,* Paulus pro fide immensos labores, itinera, pericula, verbera, carceres, ac tandem mortem et martyrium constanter sustinuit. Celebrat S. Augustinus, serm. 120 *De Temp.*, fidem boni latronis, quod in cruce confessus sit Christum : « Solus, inquit, testis est majestatis, qui socius probatur doloris. » Major fuit fides Pauli, qui non tantum cum Christo, sed et pro Christo tot tantaque passus est. Præclare S. Cyprianus, tract. *De Mortalit.* : « Ad omnia, inquit, te paratum facere timor Dei et fides debet. Sit licet rei familiaris amissio, sit de infestantibus morbis assidua membrorum et cruenta vexatio; sit de uxore et liberis tristis avulsio; non sint tibi scandala ista, sed prælia; nec debilitent aut frangant Christiani fidem, sed potius ostendant in colluctatione virtutem, cum contemnenda sit omnis injuria malorum præsentium, fiducia bonorum futurorum. Nisi præcesserit pugna, non potest esse victoria; cum fuerit in congressione pugnæ victoria, tunc datur vincentibus corona. Gubernator in tempestate dignoscitur, in acie miles probatur. Arbor quæ alta radice fundata est, ventis incumbentibus non movetur. Sic et Apostolus Paulus post naufragia, post flagella, post carnis et corporis multa et gravia tormenta, non vexari, sed emendari se dicit adversis; ut dum gravius affligitur, verius probaretur. » Idem, lib. IV, epist. 6 *ad Tiberitanos* : « Gaudere nos, inquit, et exultare voluit in persecutionibus Dominus; quia quando persecutiones fiunt, tunc dantur coronæ fidei, tunc probantur milites Dei, tunc Martyribus patent cœli. » Et inferius : « Hoc enim est robur virtutis et fidei credere et scire quod Deus a morte præsente liberare possit, et tamen mortem non timere, nec cedere, ut probari fortius fides possit. » Idem, lib. I, epist. 3 *ad Cornelium* : « Manere, inquit, apud nos debet, frater charissime, fidei robur immobile, et stabilis atque inconcussa virtus contra omnes incursus atque impetus oblatrantium fluctuum, velut petræ objacentis fortitudine et mole debet obsistere. »

*Quinto,* Paulus habuit fidem miraculorum, qua plurima supra naturam, omnemque vim creatam angelorum et dæmonum, miracula patravit, ac mortuos suscitavit, adeo « ut super languidos deferrentur a corpore ejus sudaria et semicinctia, et recedebant ab eis languores, et spiritus nequam egrediebantur, » ait Lucas, *Act.* cap. XIX, vers. 12. Unde S. Augustinus, lib. *Quæst. novi Testamenti*, Quæst. XLII, docet Apostolos tripliciter recepisse Spiritum Sanctum : *Primo*, ut fideles, per gratiam sanctificantem; *secundo*, ut Episcopos, ad conferendum aliis Spiritum Sanctum in Sacramento Confirmationis et Ordinis; *tertio*, ut thaumaturgos, « in signis ac miraculis faciendis ad fidei incrementum. Signa enim sunt fidei, virtutes per Apostolos factæ. »



UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

Quarta virtus fuit, Invicta in Deum spes et confidentia.

*Primo*, Paulus in spem contra spem credidit et speravit, dum supra vires humanas, supra naturam multa conatus est, Deique invocatione et ope perfecit. Nam, ut ipse ait, *Rom.* VIII, 24 : « Spes quæ videtur, non est spes. Nam quod videt quis, quid sperat? » Et vers. 26 : « Ipse Spiritus postulat pro nobis gemitibus inenarrabilibus. »

*Secundo*, Paulus hac spe superavit omnia naturæ non tantum difficilia, sed et impossibilia. Nam ut ipse ait, *Rom.* VIII, 31 : « Si Deus pro nobis, quis contra nos? » De talibus vere S. Bernardus, serm. 32 *in Cant.* : « Magna, ait, audent, quoniam magni sunt; et quæ audent, obtinent. Magna siquidem fides magna meretur, et quatenus in bonis Domini fiduciæ pedem porrexeris, eatenus possidebis. Istiusmodi magnis spiritibus magnus occurrit sponsus, et magnificabit facere cum eis. » Idem, serm. 3 *De Annuntiat.* Dom. : « Sola, ait, spes apud te (Domine) miserationis obtinet locum, nec oleum misericordiæ, nisi in vase fiduciæ ponis. »

*Tertio*, Paulus hac spe gloriabatur in persecutionibus : « Gloriamur, inquit, in tribulationibus, scientes quod tribulatio patientiam operatur, patientia autem probationem, probatio vero spem : spes autem non confundit, » *Rom.* v, 3.

*Quarto*, Paulus non tantum sibi, sed et suis fidelibus in quibusvis afflictionibus speravit, et sperando obtinuit Dei opem, robur et victoriam. Hanc enim spem afflans Corinthiis, *epist.* II, cap. I, 6 : « Quæ, inquit, operatur tolerantiam earumdem passionum, quas et nos patimur, ut spes nostra firma sit pro vobis, scientes quod sicut socii passionum estis, sic eritis et consolationis. » Præclare S. Cyprianus, *De Exhortat. Martyr.* : « In persecutionibus, ait, nemo cogitet, quod periculum diabolus importet, sed consideret quod auxilium Deus importet; nec mentem labefactet humana infestatio, sed corroboret fidem divina protectio : quando unusquisque secundum divina promissa, et fidei suæ merita, tantum accipiat de Dei ope, quantum sic credat accipere; nec sit quod omnipotens præstare non possit, nisi accipientis fides caduca defecerit. »

*Quinto*, Paulus continua experientia opis divinæ edoctus, securus erat in qualibet difficultate, de prospero rei exitu et eventu. « Ipsi, inquit, in nobismetipsis responsum mortis habuimus, ut non simus fidentes in nobis, sed in Deo, qui suscitat mortuos, qui de tantis periculis nos eripuit et eruit : in quem speramus, quoniam et adhuc eripiet, » II *Cor.* I, 9. Paulum secutus S. Cyprianus scribens ad Demetrianum judicem, et Christianorum hostem : « Viget, ait, apud nos spei robur, et firmitas fidei, et inter ipsas sæculi labentis ruinas erecta mens est, et immobilis virtus, et nunquam non læta patientia, et de Deo suo semper anima secura, sicut per Prophetam Spiritus Sanctus loquitur et hortatur, spei ac fidei nostræ firmitatem cœlesti voce corroborans : Ego autem in Domino gaudebo, et exultabo in Deo salutari meo. Exultant semper in Domino Christiani, et lætantur et gaudent in Deo suo, et mala atque adversa mundi fortiter tolerant, dum dona et prospera futura prospectant. » Ita fecerunt Sancti, ut Job, cap. XIII, 15 : « Etiamsi, inquit, occiderit me, in ipso sperabo. » Jeremias, cap. XVII, 7 : « Benedictus vir qui confidit in Domino, et erit Dominus fiducia ejus. » Et *Thren.* III, 24 : « Pars mea Dominus, dixit anima mea : propterea exspectabo eum. Bonus est Dominus sperantibus in illum, animæ quærenti illum. » Vide Paulum de hac spei, quasi anchoræ, fortitudine disserentem *Hebr.* VI 17, et cap. X, 23, 35 et sequent. Vere Psaltes, *Psalm.* XXXI, 10 : « Sperantem in Domino misericordia circumdabit. » Et S. Augustinus in *Psal.* III : « Vita vere mortalis, spes est vitæ immortalis. » Et S. Bernardus, serm. 9 in Psal. *Qui habitat* : « Si insurgant adversum me prælia, si sæviat mundus, si fremat malignus, si ipsa caro adversus spiritum concupiscat, in te ego sperabo. »

*Sexto*, Paulus hac spe audacter insiliit in quævis vitæ discrimina. Ita in tumultu Ephesino contra se concitato, insilire voluit in theatrum, cum tamen sciret se unum caputque suum peti, *Actor.* XIX, 30. Ita profectus est Hierosolymam, Prophetis ubique prædicentibus, eum ibi fore vinciendum : quibus ipse respondit : « Quid facitis flentes, et affligentes cor meum? Ego enim non solum alligari, sed et mori paratus sum propter nomen Domini Jesu, » *Actor.* XXI, 13. Quocirca hac spe omnia sua et suorum pericula superavit. Unde in naufragio apparuit ei angelus, spondens non tantum ipsi, sed et omnibus vectoribus propter ipsum liberationem et salutem : « Ne timeas, inquit, Paule, Cæsari te oportet assistere : et ecce donavit tibi Deus omnes qui navigant tecum, » *Actor.* XXVII, 23.

*Septimo*, Paulus certa spe præcipiebat gloriam et coronam cœlestem : « Scio enim, inquit, cui credidi, et certus sum, quia potens est depositum meum servare in illum diem, » II *Timoth.* I, 12. Et cap. IV, 7 : « Bonum certamen certavi, cursum consummavi, fidem servavi. In reliquo reposita est mihi corona justitiæ, quam reddet mihi Dominus in illa die justus judex. »

Quinta fuit, Eximius Dei Christique amor.

*Primo*, Paulus ardebat amore Dei et Christi : 11
unde aiebat, *Rom.* V, 5 : « Charitas Dei diffusa est in cordibus nostris, per Spiritum Sanctum, qui datus est nobis. » Præclare Origenes, hom. 2 *in Cant.*, interprete S. Hieronymo, tom. III : « Vulnerata charitate ego sum. Quam pulchrum est, quam decorum a charitate vulnus accipere! Alius jaculum carnei amoris excipit, alius terreno cupidine vulneratus est; tu nuda membra tua, et præbe te jaculo electo, jaculo formoso : siquidem Deus sagittarius est. Posuit me, inquit, ut sagittam electam. Quam beatum est hoc jaculo vulnerari! »



*Secundo*, Paulus optabat mori, ut suo Christo frueretur : « Coarctor, inquit, e duobus : desiderium habens dissolvi, et esse cum Christo, » *Philip.* I, 23. Et : « Infelix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis hujus? » *Rom.* cap. VII, vers. 24. Paulus ergo erat columba gemens et suspirans in cœlum, teste S. Augustino, in *Psal.* LIV; dicebat cum Sponsa : « Fulcite me floribus, stipate me malis; quia amore langueo, » *Cant.* II, 5.

*Tertio*, Paulus provocabat hostes, ærumnas, pericula, diabolos totumque infernum et mundum, quasi ad duellum pro amore Christi : « Quis, ait, nos separabit a charitate Christi? tribulatio? an angustia? an fames? an nuditas? an periculum? an persecutio? an gladius? sicut scriptum est : Quia propter te mortificamur tota die, æstimati sumus sicut oves occisionis. Sed in his omnibus superamus propter eum qui dilexit nos. Certus sum enim quia neque mors, neque vita, neque angeli, neque principatus, neque virtutes, neque instantia, neque futura, neque fortitudo, neque altitudo, neque profundum, neque creatura alia poterit nos separare a charitate Dei, quæ est in Christo Jesu Domino nostro, » *Rom.* cap. VIII, vers. 35.

*Quarto*, ex tam incenso Dei amore manabat ardens amor in proximos, adeo ut totum orbem ad Christum convertere satageret, de quo plura inferius. Vere S. Hieronymus, epist. 14 *ad Celantiam* : « Grandem, inquit, vim obtinet vera dilectio : et qui perfecte amatur, totam sibi amantis vindicat voluntatem. Nihil est imperiosius charitate. Nos si vere Christum diligimus, si ejus nos redemptos sanguine recordamur, nihil magis velle, nihil omnino debemus agere, quam quod illum velle cognoscimus. »

*Quinto*, Paulus adeo Christum amabat, ut in eum transformatus videretur. Amoris enim effectus, imo apex, est intima unio, excessus, raptusque in amatum : anima enim magis est ubi amat, quam ubi animat [sic]. Hoc sonant illæ Pauli voces : « Mihi vivere Christus est, et mori lucrum, » *Philip.* I, 21. « Christo confixus sum cruci. Vivo ego, jam non ego, vivit vero in me Christus. Quod autem nunc vivo in carne, in fide vivo Filii Dei, qui dilexit me et tradidit semetipsum pro me, » *Galat.* II, 20. Et cap. VI, 14 : « Mihi autem absit gloriari nisi in cruce Domini nostri Jesu Christi, per quem mihi mundus crucifixus est, et ego mundo. » Et vers. 7 : « De cætero nemo mihi molestus sit : ego enim stigmata Domini Jesu in corpore meo porto. » Christus ergo videbatur esse mens, anima, vita et spiritus S. Pauli, qui per eum loquebatur, operabatur, patiebatur. « An, inquit, experimentum quæritis ejus, qui in me loquitur Christus? » II *Corinth.* XIII, 3. Hinc S. Hieronymus Pammachio hanc vitæ et amoris normam præscribit : « Christus omnia, ut qui omnia propter Christum dimiserit, unum inveniat pro omnibus, et libera possit voce proclamare : Pars mea Dominus. » Denique Paulus Christo confixus cruci, clavis non ferri, sed amoris, in ipso vivebat vitam amatoriam, ut ait S. Dionysius, cap. IV, *De Divin. nomin.*, quia Christus in eo vivebat tanquam principium, regula et finis omnium ejus cogitationum, desideriorum, sermonum et operum. Et hoc est quod ait : « Mihi vivere Christus est; » *q. d.* Vita mea est Christus, cogitatio mea est Christus, desiderium meum est Christus, amor meus est Christus; meum velle, meum loqui, meum operari est Christus; aliud non volo, aliud non sapio, aliud non ago, aliud non cogito et loquor quam Christum.

*Sexto*, Paulus et Apostoli quasi amore Dei ebrii, 12. Paulus amore Dei ebrius.
eum ubique eructabant celebrantes magnalia Dei, *Actor.* II, 13. Vide ibi dicta : « Sive enim, inquit, mente excedimus, Deo : sive sobrii sumus, vobis. Charitas enim Christi urget nos, etc., ut et qui vivunt jam non sibi vivant, sed ei qui pro ipsis mortuus est et resurrexit, » II *Cor.* V, 13. Hinc passim eum efflat aliisque afflat : « Implemini, inquit, Spiritu Sancto, loquentes vobismetipsis in psalmis et hymnis, et canticis spiritualibus, cantantes et psallentes in cordibus vestris Domino, gratias agentes semper pro omnibus in nomine Domini Jesu Christi, Deo et Patri, » *Ephes.* V, 19.

*Septimo*, nomen Jesu erat Paulo in deliciis, ac 13. In Jesu.
mel in ore, melos in aure, jubilus in corde. Unde illud in paucis suis parvisque epistolis iterat ducenties decies novies, Christi vero quadringenties et semel. « Non est, inquit Chrysostomus, lib. III *De Sacerdotio*, qui Paulo vehementius Christum dilexerit; nemo qui apud Deum gratiosior quam Paulus fuerit. » Hinc vicissim Jesus eum ita suis consolationibus mulcebat, ut voluptates carnis et mundi sperneret, imo detestaretur ut stercora. Dicebat ergo cum Sponsa : « Anima mea liquefacta est, ut dilectus locutus est, » *Cant.* V. Et : « Dilectus meus mihi, et ego illi, qui pascitur inter lilia, donec aspiret dies et inclinentur umbræ. » Sic legimus de S. Ephrem, eum ita abundasse dulcedine divina, ut exclamaret : « Contine, Domine, undas dulcedinis tuæ, quia sustinere non valeo. » Et S. Xaverius Indorum Apostolus : « Satis est Domine, satis est. » Et B. Aloisius Gonzaga : « Recede a me Domine. »

Sexta fuit, Profunda Dei reverentia et religio.

*Primo*, Paulus ubique Deum præ oculis habens, venerabatur, cogitans se in divino ejus conspectu angelorumque omnium versari, agere et loqui. « Spectaculum, inquit, facti sumus mundo, et angelis, et hominibus, » I *Cor.* IV, 9. Ita S. Bernardus cum Deo in nube versabatur et habitabat. Sic et S. Benedictus, qui proinde erectis in cœlum

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ® DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

manibus moriens stetit, et ultimum spiritum inter verba orationis efflavit, ait S. Gregorius, lib. II *Dial.*, cap. XXXVII.

*Secundo*, Paulus profunda cordis corporisque demissione Deum colebat et adorabat : « Habemus, inquit, gratiam, per quam serviamus placentes Deo cum metu et reverentia. Etenim Deus noster ignis consumens est. » *Hebr.* XII, 28. Et : « Hujus rei gratia flecto genua mea ad Patrem Domini nostri Jesu Christi, ex quo omnis paternitas in cœlis et in terra nominatur, ut det vobis secundum divitias gloriæ suæ, virtute corroborari per Spiritum ejus in interiorem hominem, » *Ephes.* III, 14. Et : « Orabo spiritu, orabo et mente : psallam spiritu, psallam et mente, » I *Cor.* XIV, 15.

*Tertio*, Paulus Deum crebro invocabat, et Christianorum orationes poscebat, ut Deus fidelium et infidelium, quibus prædicabat, mentes illuminaret : « Gratias, inquit, ago Deo meo, in omni memoria vestri, semper in cunctis orationibus meis pro omnibus vobis, cum gaudio deprecationem faciens, » *Phil.* I, 3. Et : « De cætero, fratres, orate pro nobis, ut sermo Dei currat et clarificetur, sicut et apud vos, et ut liberemur ab importunis et malis hominibus, » II *Thessal.* III, 1. Et : « Orationi instate, etc., orantes simul et pro nobis, ut Deus aperiat nobis ostium sermonis ad loquendum mysterium Christi, » *Coloss.* IV, 3. Idem scribit *Ephes.* cap. VI, vers. 18 et 19.

*Quarto*, Paulus, ait S. Chrysostomus, *homil.* 1 de ejus laudibus : « Semetipsum Deo per singulos dies immolabat; quam hostiam dupliciter offerebat, cum quotidie moriens, tum corpori suo mortificationem sine intermissione circumferens.

Triplex hostia Pauli.

Nam et ad pericula jugiter parabatur, consummans voluntate martyrium, et naturam in se mortificando carnis, nihil minus quam immolatæ hostiæ Deo munus implebat, imo etiam multo amplius. Propter quod dicebat : Ego enim immolor, sanguinem utique suum immolationem vocans. Neque vero his tantum sacrificiis contentus fuit, sed quia seipsum consecraverat Deo, etiam orbem universum studuit offerre. »

*Quinto*, Paulus Deum, S. Trinitatem ejusque opera et consilia obstupescit et obmutescit : « O altitudo, inquit, divitiarum sapientiæ et scientiæ Dei, quam incomprehensibilia sunt judicia ejus, et investigabiles viæ ejus! Quis enim cognovit sensum Domini? aut quis consiliarius ejus fuit? aut quis prior dedit illi et retribuetur ei? Quoniam ex ipso, et per ipsum, et in ipso sunt omnia; ipsi gloria in sæcula. Amen. » *Rom.* XI, 33. Præsertim vero admiratur mysterium redemptionis, incarnationis, passionis et crucis Christi, ac vocationis Gentium et reprobationis Judæorum, illudque profunde scrutatur et magniloque circumscribit, vocans illud « mysterium temporibus æternis tacitum, quod nunc patefactum est per scripturas Prophetarum, secundum præceptum æternum Dei ad obeditionem fidei, » *Rom.* XVI, 25. « Quod oculus non vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit. » I *Cor.* II, 9. Rursum idem vocat « investigabiles divitias Christi, dispensationem Sacramenti absconditi a sæculis in Deo, multiformem sapientiam Dei; ut possitis, inquit, comprehendere cum omnibus sanctis, quæ sit latitudo, et longitudo, et sublimitas, et profundum, scire etiam supereminentem scientiæ charitatem Christi, ut impleamini in omnem plenitudinem Dei, » *Ephes.* III, 8 et 18.

Septima virtus fuit. Plena voluntatis suæ cum divina conformitas et in eam resignatio.

*Primo*, Paulus per omnia se suosque conformabat voluntati divinæ : « Ut probetis, inquit, quæ sit voluntas Dei bona, et beneplacens, et perfecta, » *Rom.* XII, 2. Hinc rectissimam in omnibus actionibus habebat intentionem, intendens per omnia soli Deo placere : unde hominum judicia, laudes et vituperia nihili faciebat; neque se ullius amore vel odio, blanditiis aut minis, a justo et recto abduci sinebat; sed ubique sincerus erat, rectus, constans, immobilis et imperturbabilis, quasi in Deo defixus, ideoque superior rebus universis, tam prosperis quam adversis : « Mihi, inquit, pro minimo est, ut a vobis judicer, aut ab humano die; sed neque meipsum judico. Nihil enim mihi conscius sum, sed non in hoc justificatus sum; qui autem judicat me, Dominus est. Itaque nolite ante tempus judicare, quoadusque veniat Dominus, qui et illuminabit abscondita tenebrarum, et manifestabit consilia cordium; et tunc laus erit unicuique a Deo, » I *Cor.* IV, 3. Hinc rursum Paulus in omnibus, sive adversis, sive prosperis, Deo agebat gratias, *Coloss.* III, 17, ejusque providentiam laudabat, dicens cum Psalte : « Benedicam Dominum in omni tempore. » Idem S. Hieronymus præscribit Pammachio : « Sanus sum, inquit, gratias refero Creatori; langueo, et in hoc laudo Domini voluntatem. Quando enim infirmor, tunc fortior sum, et virtus spiritus in carnis infirmitate perficitur. » Ita S. Servulus pauper et paralyticus, ait S. Gregorius, IV *Dialog.* XIV : « Studebat semper in dolore gratias agere, hymnis Deo et laudibus diebus ac noctibus vacare. » Unde moriens suis psallentibus ait : « Tacete, numquid non auditis quantæ resonent laudes in cœlo? » Quibus intendens animam Deo reddidit, cum mira quam spirabat odoris fragrantia.

16. Paulus angelus terrestris.

*Secundo*, Paulus Dei voluntatem ubique executus est, quasi angelus terrestris. Unde eum Angelis comparat S. Chrysostomus, hom. 1 *De laudibus S. Pauli*; de iis enim scriptum est, *Psal.* CIII, 4, et *Hebr.* I, 7 : « Qui facit angelos suos spiritus, et ministros suos flammam ignis. » Et *Psalm.* CII, 20 : « Potentes virtute, facientes verbum illius. » Paulus enim præcepta Dei non tantum implevit, sed et superavit, addens consilia evangelica, ut quod sine sumptu gratis evangelizaret : « Quæ est, inquit, merces mea? Ut Evangelium prædicans, sine sumptu ponam Evangelium, » I *Cor.* IX, 18. « Paulus, inquit Chrysostomus, hom. 1 *De laud. S. Pauli*, velut ignis ac spiritus totum terrarum percurrit orbem, percurrendoque purgavit. Et hoc omnino mirabile : quia talis versabatur in terris, et mortali adhuc carne circumdatus cum incorporalium potestatum virtute certabat. Quanta ergo sumus condemnatione digni, cum uno homine bona omnia in se congregante, ne minimam quidem eorum partem studeamus imitari? Hæc assidue mente volventes, et nos ipsos inculpabiles præbeamus, et ad illius zelum studeamus accedere, ut ad eadem bona pervenire mereamur. »

*Tertio*, Paulus in omnibus faciebat id quod perfectius est et Deo gratius. Id se facturam vovit B. Theresia, multo magis Paulus. Hinc evangelizans laborabat manibus, ne cui esset oneri. Hinc vixit in perpetua paupertate, castitate et obedientia instar Religiosi, imo quasi dux et patriarcha Religiosorum. De quo mox plura.

*Quarto*, Paulus mentem per orationem et contemplationem habebat conjunctam cum Deo, non tantum per diem, sed etiam per noctem. Unde Philippus in carcerem conjectus cum Sila, media nocte orans laudansque Deum, terræ motu carcerem concussit, ostiaque omnia reseravit, *Act.* XVI, 25. Ita S. Jacobus, frater Domini, ut habet ejus vita, callosa habebat genua, ex crebra longaque genuflexione in oratione. Ita S. Paula invitans S. Marcellam in Bethlehem, *epist.* 17, apud S. Hieronymum : « Ecce, inquit, in hoc parvo terræ foramine cœlorum conditor natus est! Cum per Silo et Bethel ad nostram speluncam redierimus, canemus jugiter, crebro flebimus, indesinenter orabimus, et vulneratæ jaculo Salvatoris in commune dicemus : Inveni quem quæsivit anima mea, tenebo eum, et non dimittam illum. Et : Quemadmodum desiderat cervus ad fontes aquarum, ita desiderat anima mea ad te Deus. »

*Quinto*, Paulus ingentem habebat zelum honoris divini propagandi : « Ita ut ab Jerusalem per circuitum usque ad Illyricum repleverim, inquit ipse, Evangelium Christi, » *Rom.* XV, 19. Hoc zelo opposuit se S. Petro, suo et cæterorum Apostolorum principi, eumque libere coram omnibus redarguit, dicens : « Si tu cum Judæus sis, gentiliter vivis, et non judaice, quomodo Gentes cogis judaizare? » *Galat.* II, 14. Quocirca vere Nazianzenus, *Orat.* 25 : « Nonne, inquit, Apostoli peregrini fuerunt? nonne multarum nationum atque urbium hospites? in quas divisi sunt, ut Evangelium quaquaversum curreret, ne quidquam triplicis luminis (S. Trinitatis) expers esset, ac veritatis luce minime perfusum, adeo ut iis etiam qui in tenebris et umbra mortis sedebant, ignorantiæ c̶ʳgo discuteretur. »



## CAPUT SECUNDUM.

### DE MORIBUS ET VIRTUTIBUS S. PAULI CIRCA SEIPSUM.

Prima virtus, Patientia.

*Primo*, Paulus admirabilis, adamantinæ et amplissimæ fuit patientiæ. Eam enim quasi fundamentum vitæ Apostolicæ in anima sua collocavit. Quocirca ipse perfectum virum Apostolicum depingens, II *Corinth.* VI, 4 : « In omnibus, ait, exhibeamus nosmetipsos sicut Dei ministros in multa patientia, in tribulationibus, in necessitatibus, in angustiis, in plagis, in carceribus, in seditionibus, in laboribus, in vigiliis, in jejuniis, in castitate, in scientia, in longanimitate, in suavitate; in Spiritu Sancto, in charitate non ficta, in verbo veritatis, in virtute Dei, per arma justitiæ a dextris et a sinistris, per gloriam et ignobilitatem, per infamiam et bonam famam : ut seductores, et veraces : sicut qui ignoti, et cogniti : quasi morientes, et ecce vivimus : ut castigati, et non mortificati : quasi tristes, semper autem gaudentes : sicut egentes, multos autem locupletantes : tanquam nihil habentes, et omnia possidentes. » Unde S. Hieronymus, *ad Nepotianum* : « Per bonam famam, inquit, et malam, a dextris et a sinistris Christi miles graditur, nec laude extollitur, nec vituperatione frangitur; non divitiis tumet, non contrahitur paupertate : et læta contemnit et tristitia : per diem sol non urit eum, neque luna per noctem. » Talis exemplo Pauli fuit S. Athanasius qui per 46 annos toto orbe fugitans, Arianorum persecutiones invicto animi robore sustinuit, cui proinde merito hoc dat elogium S. Gregorius Nazianzenus, *orat.* 20 : « Athanasius fuit percutientibus adamas, diffidentibus magnes. »

*Secundo*, Paulus hanc patientiam per totam vitam ubilibet exercuit, et exercendo quasi in immensum auxit. Quocirca S. Chrysostomus, hom. 1 *De laud. S Pauli*, eum præfert S. Job, « qui, inquit, est athleta mirabilis, et qui Paulum ipsum velut ex adverso possit aspicere, ob patientiam puritatemque vitæ, ob testimonium Dei propter illam cum diabolo fortissimam pugnam, propter victoriam quæ pugnam secuta est; at Paulus non mensibus tantum, sed annis plurimis in agone perdurans, tam clarus emicuit, non terræ gleba saniem carnis eradens, sed in ipsius intelligibilis os leonis frequenter incurrens, et pugnans adversus tentationes innumeras, omni erat lapide tolerantior, qui non a tribus aut quatuor amicis, sed a cunctis infidelibus, a falsis etiam fratribus opprobria sustinebat, consputatus ab omnibus atque maledictus. » Et post pauca : « Sed vermes et vulnera sævos ac intolerabiles S. Job dolores inferebant; et ego fateor. Verum si per tam multos annos Pauli verbera et cum jugi fame etiam nuditatem, catenas, carcerem, insidias, pericula

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
ALERE FLAMMAM VERITATIS
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS ®

que consideres, quæ a domesticis, ab extraneis, a tyrannis, a toto postremo patiebatur orbe ; addas etiam his profecto amariora, id est pro eis qui labebantur, dolores, sollicitudinem quam pro Ecclesiis, ustionem quam pro scandalizatis singulis perferebat, videbis quam erat omni saxo durior anima ista perpetiens, et ferrum atque adamantem superans. »

42. Tres gradus patientiæ.

*Tertio*, tres sunt gradus patientiæ : *Primus*, pati patienter ; *secundus*, libenter ; *tertius*, exultanter, in eoque gloriari, ac passiones et persecutiones ambire. His omnibus excelluit Paulus : gloriabatur enim in tribulationibus, *Rom.* v, 3, in iisque Deo gratias agebat. S. Franciscus Xaverius in acerrimis persecutionibus et tribulationibus, ita consolationibus divinis exuberabat, ut eas non capiens diceret : « Satis est, Domine, satis est ; » de laboribus vero et persecutionibus diceret, posceretque : « Amplius, Domine, amplius. Non me liberes hac cruce, nisi graviorem immittas. » Ita habet ejus Vita et Acta canonizationis. Hoc didicerat, hoc hauserat a S. Paulo et S. Jacobo, qui ait, cap. I, vers. 2 : « Omne gaudium existimate, fratres mei, cum in tentationes varias incideritis, scientes quod probatio fidei vestræ patientiam operatur ; patientia autem opus perfectum habet. » Ita Paulus in vinculis exultat : « Ego, inquit, vinctus in Domino, » *Ephes.* III, 1, hocque titulo magis gloriatur quam diademate coronatus, ait Chrysostomus. Vide ibi dicta. Hinc et S. Petrus, *Epist.* 1, cap. IV, vers. 13 : « Communicantes, inquit, Christi passionibus gaudete, ut et in revelatione gloriæ ejus gaudeatis exultantes. »

43. Tessera Apostoli eminens patientia.

*Quarto*, Paulus a Deo electus Apostolus, simul auctoratus fuit dux passionum et patientiæ, ut disceremus Apostoli insigne esse omnigenam patientiam : « Vas, inquit, electionis est mihi iste, ut portet nomen meum coram Gentibus. » Causam subdit : « Ego enim ostendam illi, quanto oporteat eum pro nomine meo pati, *Act.* IX, 15. Vide ibi dicta. Hinc Paulus, I *Cor.* IV, 11 : « Usque in hanc horam, inquit, et esurimus, et sitimus, et nudi sumus, et colaphis cædimur, et instabiles sumus, et laboramus operantes manibus nostris ; maledicimur, et benedicimus : persecutionem patimur, et sustinemus : blasphemamur, et obsecramus. » Et *epist.* II, cap. XII, 12 : « Signa, ait, Apostolatus mei facta sunt super vos in omni patientia, in signis, et prodigiis, et virtutibus. » Particulatim vero suos agones recensens, in iisque quasi trophæis triumphans, cap. XI, 23 : « In laboribus, inquit, plurimis, in carceribus abundantius, in plagis supra modum, in mortibus frequenter. A Judæis quinquies quadragenas una minus accepi. Ter virgis cæsus sum, semel lapidatus sum, ter naufragium feci, nocte et die in profundo maris fui, in itineribus sæpe, periculis fluminum, periculis latronum, periculis ex genere, periculis ex gentibus, periculis in civitate, periculis in solitudine, periculis in mari, periculis in falsis fratribus : in labore et ærumna, in vigiliis multis, in fame et siti, in jejuniis multis, in frigore et nuditate : præter illa quæ extrinsecus sunt, instantia mea quotidiana, sollicitudo omnium Ecclesiarum, » etc.

*Quinto*, Paulus mira patientia sustinuit suos æmulos, invidos, detractores, calumniatores. Vide II *Cor.* cap. X et XI. Et *Philip.* I, 17 : « Quidam, inquit, ex contentione Christum annuntiant, non sincere, existimantes pressuram se suscitare vinculis meis. Quid enim ? dum omni modo, sive per occasionem, sive per veritatem Christus annuntiatur, et hoc gaudeo, sed et gaudebo, etc., quia in nullo confundar, sed in omni fiducia sicut semper et nunc magnificabitur Christus in corpore meo, sive per vitam, sive per mortem. » Et : « In omnibus tribulationem patimur, sed non angustiamur : aporiamur, sed non destituimur : persecutionem patimur, sed non derelinquimur : dejicimur, sed non perimus, » II *Cor.* IV, 8. Vere S. Gregorius, hom. 35 *in Evang.* : « Patientia, ait, est martyrium occulta cogitatione. »

*Sexto*, Paulus plurimas non tantum infirmitates et angustias corporis, sed et animi, adeoque graves, et continuas carnis tentationes heroice sustinuit et superavit : « Ne magnitudo, inquit, revelationum extollat me, datus est mihi stimulus carnis meæ, angelus Satanæ, qui me colaphizet. Propter quod ter Dominum rogavi, ut discederet a me, et dixit mihi : Sufficit tibi gratia mea : nam virtus in infirmitate perficitur. Libenter igitur gloriabor in infirmitatibus meis, in contumeliis, in necessitatibus, in persecutionibus, in angustiis pro Christo. Cum enim infirmor, tunc potens sum, » II *Cor.* XII, 7.

### Secunda virtus, Pœnitentia et jugis mortificatio.

*Primo*, Paulus suum infidelitatis et persecutionis Christianorum peccatum, licet ex ignorantia commissum, jugiter deflevit et publice sæpe confessus est magno doloris sensu, quem suis scriptis ad omnes posteros omniaque sæcula transmisit. « Ego, inquit, sum minimus Apostolorum : qui non sum dignus vocari Apostolus, quoniam persecutus sum Ecclesiam Dei, » I *Cor.* XV, 9. Et : « Fidelis sermo et omni acceptione dignus, quod Christus Jesus venit in hunc mundum peccatores salvos facere, quorum primus (non tempore, sed malignitate, ait S. Augustinus in titul. *Psal.* LXX) ego sum : sed ideo misericordiam consecutus sum, ut in me primo ostenderet Christus Jesus omnem patientiam, ad informationem eorum qui credituri sunt illi in vitam æternam, » I *Timoth.* I, 15. Sic S. Petrus singulis noctibus ad galli cantum procidens in genua petensque veniam, deflebat peccatum negationis Christi uberrimis lacrymis, adeo ut oculi jugiter ruberent, quasi sanguine respersi, et in genis canalis, lacrymis quasi excavatus, appareret, ut



testatur oculatus testis ejusque discipulus S. Clemens, et ex eo Nicephorus, lib. II, cap. XXXVII. Sic S. Hieronymus, epist. 5 *ad Florentium* : « Ego, inquit, cunctis peccatorum sordibus inquinatus, diebus ac noctibus opperior cum tremore reddere novissimum quadrantem : sed tamen quia Dominus solvit compeditos, et super humilem et trementem verba sua requiescit, forsitan et mihi in sepulcro scelerum meorum jacenti dicat : Hieronyme, veni foras. »

*Secundo*, Paulus, ut pro hoc peccato satisfaceret, longe magis inhiavit propagationi fidei, quam prius ejus persecutioni studuerat, ideoque omnes homines omnesque Gentes immensis laboribus ad Christum traducere contendebat.

*Tertio*, Pauli vita non fuit aliud, quam continua patientia et pœnitentia, cui voluntarias pœnas a se sponte susceptas addidit : « Castigo, inquit, corpus meum et in servitutem redigo, ne forte cum aliis prædicaverim, ipse reprobus efficiar, » I *Cor.* IX, 27. Causam dat S. Hieronymus, *ad Eustoch. de virgin. custod.* : « Magnis, ait, inimicorum circumdamur agminibus, hostium plena sunt omnia : caro fragilis, et cinis futura post modicum, pugnat sola cum pluribus ; cum autem fuerit dissoluta et venerit princeps hujus mundi, et invenerit in ea nihil, tunc secura audiet per Prophetam : Non timebis a timore nocturno. » Et inferius : « Si Apostolus post nuditatem, jejunia, fames, carcerem, flagella, supplicia, exclamat : Infelix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis hujus ? tu te putas securam esse debere ? »

*Quarto*, Paulus jugiter studuit omnigenæ mortificationi carnis, sensuum et affectuum : « Semper, inquit, mortificationem Jesu in corpore nostro circumferentes, ut et vita Jesu manifestetur in corporibus nostris. Semper enim nos qui vivimus, in mortem tradimur propter Jesum, ut et vita Jesu manifestetur in carne nostra mortali. Ergo mors in nobis operatur, vita autem in vobis, » II *Cor.* IV, 10. Causam duplicem subdit. Priorem, vers. 16 : « Licet is qui foris est noster homo, corrumpatur : tamen is qui intus est, renovatur de die in diem. » Secundam, vers. 17 : « Id enim quod in præsenti est momentaneum et leve tribulationis nostræ, supra modum in sublimitate æternum gloriæ pondus operatur in nobis, non contemplantibus nobis quæ videntur, sed quæ non videntur. Quæ enim videntur, temporalia sunt ; quæ autem non videntur, æterna sunt. »

*Quinto*, Paulus hanc mortificationem fidelibus commendat : « Qui, inquit, sunt Christi, carnem suam crucifixerunt cum vitiis et concupiscentiis, » *Galat.* V, 24. « Si enim secundum carnem vixeritis, moriemini : si autem spiritu facta carnis mortificaveritis, vivetis, » *Rom.* VIII, 13.

### Tertia virtus, Humilitas.

*Primo*, Paulus se æstimabat et vocabat, non tantum minimum Apostolorum et Sanctorum omnium, *Ephes.* III, 8, sed et peccatorum omnium primum et maximum, I *Timoth.* I, 14. Hinc suis non mandat, sed supplicat : « Obsecro, inquit, vos ego vinctus in Domino, ut digne ambuletis vocatione qua vocati estis, cum omni humilitate et mansuetudine, » *Ephes.* IV, 1. Idem Rusticum docet S. Hieronymus, *Epist.* IV : « Servias, inquit, fratribus, hospitum pedes laves, passus injuriam taceas, præpositum monasterii timeas ut dominum, diligas ut parentem. Credis tibi salutare quidquid ille præceperit, nec de majorum sententia judicet, cujus officii est obedire et implere quæ jussa sunt, dicente Moyse : Audi Israel et tace. » Et inferius : « Ne ad scribendum cito prosilias, multo tempore disce quod doceas : ne credas laudatoribus tuis, imo irrisoribus aurem ne libenter accommodes, qui cum te adulationibus foverint, et quodam modo impotem mentis effecerint, si subito respexeris, aut ciconiarum deprehendes post te colla curvari, aut manu auriculas agitari asini, aut æstuantem canis protendi linguam. »

*Secundo*, Paulus ima humilitate subjecit se non tantum Deo et angelis, sed et omnibus hominibus, eorum quasi servum et mancipium se efficiens. « Factus sum, inquit, infirmis infirmus, ut infirmos lucrifacerem : omnibus omnia factus sum, » omnium infirmitates, animi angustias, opprobria, verbera humiliter excepi et toleravi, « ut omnes facerem salvos, » I *Cor.* IX, 22. Hinc esto esset Apostolus et Episcopus, subditos tamen non tam imperando, quam obsecrando et monstrando regit, docens magis exemplo quam verbo, juxta illud S. Petri, *Epist.* 1, cap. V, 2 : « Pascite qui in vobis est gregem Dei, providentes non coacte, sed spontanee secundum Deum : neque turpis lucri gratia, sed voluntarie : neque ut dominantes in cleris, sed forma facti gregis ex animo. » Sapienter S. Hieronymus, *ad Paulinum* : « Quantumcumque, ait, te dejeceris, Christo humilior non eris. » Et, *Epist.* 7, scribens de monasterio S. Paulæ in Bethleem : « Humilitatis inter omnes, ait, hic contentio est. Quicumque novissimus fuerit, hic primus reputatur. » Et, in *Vita S. Paulæ* : « Paula cum frequentibus Virginum choris cingeretur, et veste, et voce, et habitu, et incessu minima omnium erat. »

*Tertio*, Paulus nihil virtutis et tantorum meritorum sibi, sed totum Deo ejusque gratiæ ascripsit. « Gratia, inquit, Dei sum id quod sum, » I *Cor.* XV, 10, et cap. IV, 7 : « Quis te discernit ? Quid autem habes quod non accepisti ? Si autem accepisti, quid gloriaris quasi non acceperis. » Et cap. I, 26 : « Videte vocationem vestram fratres, quia non multi sapientes secundum carnem, non multi potentes, non multi nobiles, sedquæ stulta sunt mundi elegit Deus, ut confundat sapientes ; et infirma mundi elegit Deus, ut confundat fortia : et ignobilia elegit Deus et ea quæ non

sunt, ut ea quæ sunt destrueret, ut non glorietur omnis caro in conspectu ejus. » Præclare S. Hieronymus, ad Eustochium, *De Custodia Virg.* : « Nolo, inquit, tibi superbiam venire de proposito, sed timorem. Onusta incedis auro; latro tibi vitandus est : stadium est hæc vita mortalibus : hic contendimus, ut alibi coronemur. Nemo inter serpentes et scorpiones securus ingreditur. Et inebriatus est, inquit Dominus, gladius meus in cœlo, et tu pacem arbitraris in terra, quæ tribulos generat, et spinas quas serpens comedit? »

*Quarto*, Paulus in omnibus non suam, sed Christi gloriam quæsivit. « An quæro, inquit, hominibus placere? Si adhuc hominibus placerem, Christi servus non essem, » *ad Galat.* I, 10. Et : « Loquimur non quasi hominibus placentes, sed Deo qui probat corda nostra, etc., nec quærentes ab hominibus gloriam, neque a vobis, neque ab aliis. » Idem docet Corinthios, epist. I, X, 31 : « Sive manducatis, sive bibitis, sive aliud quid facitis, omnia in gloriam Dei facite. » Et Romanos : « Nemo, ait, nostrum sibi vivit, et nemo sibi moritur. Sive enim vivimus, Domino vivimus : sive morimur, Domino morimur, » *Rom.* XIV, 7. Vere Nazianzenus, epist. 43, vel juxta aliam editionem 30 *ad Greg. Nyssenum* : « Ingloriam vocat gloriam, et dæmonum pessimam ambitionem. » Gloriosa enim gloria; et angelorum optima, est humilitas, qua quis non suam, sed Dei gloriam quærit. Hæc est « legitima ambitio, » ut idem ait, *Orat.* 33, animi nimirum morumque modestia et moderatio. Porro qualis et quanta debeat esse Apostoli et prædicatoris humilitas, aureis sententiis et documentis depingit S. Gregorius, lib. XXIII *Moral.*, cap. I, in fine : « Sanctæ, inquit, Ecclesiæ prædicator in cunctis quæ dicit, solerti cura se inspicit, ne in eo quod recta prædicat, vitio se elationis extollat; ne vita a lingua discordet; ne pacem quam in Ecclesia annuntiat, in seipso dum bene dicit, et male vivit, amittat. Sed studet summopere contra maledicos rumores adversantium, et defendere loquendo quod vivit, et ornare vivendo quod dicit. Nec in his omnibus suam, sed auctoris gloriam quærit : atque omnem sapientiæ gratiam, quam ut loqueretur accepit, non suis se æstimat meritis, sed eorum intercessionibus, pro quibus loquitur accepisse. Sicque dum se infra dejicit, superest; quia suæ nimirum magis mercedi proficit, eo quod bona quæ exercere prævalet, alienis meritis reddit. Indignum se omnibus judicat, etiam cum dignius cunctis vivat. Scit enim quod bona quæ innotescunt hominibus, sine periculo esse vix possunt. Et quamvis sapientem se esse sentiat, vellet tamen esse sapiens non videri, atque hoc sibi omnimodo quod loquendo proditur, pertimescit; et si liceat tacere, appetit, dum esse multis tutius silentium cernit; eosque se feliciores putat, quos intra sanctam Ecclesiam locus inferior per silentium occultat : et tamen ut sanctam Ecclesiam defendat, quia ad loquendum vi charitatis impellitur, ex necessitate quidem officium locutionis suscipit, sed ex magno desiderio otium taciturnitatis quærit. Hoc servat voto, illud exercet ministerio. Hanc autem dicendi formulam arrogantes ignorant. Neque enim loquuntur quia causæ eveniunt, sed causas evenire appetunt ut loquantur. Quorum nunc Heliu speciem signat, qui in locutione sua immensa se vitio elationis exaltat. »

[illegible] prædicatoris...

*Quinto*, Paulus omnium etiam vilissimorum exactam gerebat curam : unde multis sermonibus servos et ancillas, quin et hæc ... instruit, *ad Titum*, II, 1 et seq.; *Ephes.* V, ...; *Coloss.* III, 22; imo propter Onesimum servum fugitivum scripsit totam Epistolam ad ejus herum Philemonem, ut illum ei reconciliet. Vide ibidem dicta in argumento. Ita S. Paulinus Nolæ Episcopus, se in servum pro filio viduæ redimendo Vandalis tradidit, eaque re meruit omnes cives suos e servitute eadem liberare, cujus proinde humilitatem et charitatem celebrat S. Augustinus, S. Gregorius totaque Ecclesia, quasi vivum Christi, qui pro nobis ex Domino omnium factus est omnium servus, exemplum et speculum.

*Sexto*, Paulus palam prædicat sua peccata, scilicet quod fuerit infidelis, persecutor Ecclesiæ et blasphemus : suasque infirmitates et tentationes, ut stimulum carnis, II *Cor.* XII, 7, et motus concupiscentiæ, *Rom.* VII, 8 et seq.; occultat vero suas visiones, virtutes et charismata, nec nisi coactus illa prodit, uti raptum in tertium cœlum. « Factus sum, inquit, insipiens : vos me coegistis, » II Cor. XII, 11. Eo utique major, quo minor esse cupiebat; eo celebrior, quo occultior : Deus enim ejus sapientiam, virtutes et magnitudinem toti mundo patefecit. Nimirum vera animi magnitudo est humilitas, qua quis magnitudinem suam abscondit instar Verbi incarnati, quod se in carne celavit; imo eamdem ignorat. Vera magnitudo est in magnis esse et exhibere se parvum, magna despicere, parva ambire; ut, esto sis egregius, nolis tamen esse singularis, sed sis velut unus e cæterorum grege : hic enim magnis omnibus major est et celsior. Vera magnitudo est, magna omnia Deo arrogare, non sibi; ac nihil magnum æstimare, nisi quod æternum est et immensum : Deum inquam, qui est ipsa rerum omnium immensa magnitudo et celsitudo. Hoc est quod monet *Eccli.*, cap. III, 20 : « Quanto magnus es, humilia te in omnibus, et coram Deo invenies gratiam. » Unde S. Augustinus, *De Virgin.*, cap. XXXI : « Mensura humilitatis, inquit, cuique ex mensura ipsius magnitudinis data est, cui est periculosa superbia, quæ amplius amplioribus insidiatur. »

Vera magnitudo est humilitas.

Quarta virtus, Magnanimitas et animi celsitudo.

*Primo*, Paulus uti in se rebusque suis fuit humillimus, ita in iis quæ ad Christum Deique gloriam pertinent, animo fuit erecto et celsissimo.



Unde officium et apostolatum suum exaltat : « In quo, inquit, ego positus sum prædicator, et Apostolus et doctor Gentium, » II *Tim.* I, 11. Et : « Quandiu quidem ego sum Gentium Apostolus, ministerium meum honorificabo, » *Rom.* XI, 13. Vide cap. III, epist. II *ad Corinth.*, quo toto ministerium apostolatus, præ ministerio Mosis et Aaronis exaltat.

*Secundo*, Paulus honores, opes, gloriam, omniaque terræ bona pedibus calcabat : « Quæ mihi, inquit, *Philip.* III, 7, fuerunt lucra, hæc arbitratus sum propter Christum detrimenta. Verum tamen existimo omnia detrimentum esse propter eminentem scientiam Jesu Christi, propter quem omnia detrimentum feci, et arbitror ut stercora, » quæ et vilitate, et sordibus, et fœtore odiosa sunt. Ratio est, quia in cœlo mente habitans, celsior erat terra, omniaque terrena sub se despiciens, vilipendebat. Idem se relicto sæculo fecisse in monasterio scribit S. Gregorius, lib. I, *epist.* V : « Nihil, inquit, in hoc mundo appetens, nil pertimescens, videbar mihi in quodam rerum vertice stare, ita ut in me pene impletum crederem, quod pollicente Domino ex Propheta (*Isai.* LVIII, 14) didicissem : Sustollam te super altitudines terræ. Super enim ipsam altitudinem terræ sustollitur, qui et ipsa, quæ alta et gloriosa præsentis videntur sæculi, per mentis despectum calcat. Et, ut idem ait, lib. XXXI *Moral.*, cap. XIX : « Altitudines terræ sunt lucra rerum, blandimenta subditorum, divitiarum abundantia. Honor et sublimitas dignitatum, quæ quisquis per ima adhuc desideria incedit, eo ipso alta æstimat, quo magna putat. At si semel cor in cœlestibus figitur, mox quam abjecta sint cernitur, quæ alta videbantur. » Unde tales sunt aquilæ de quibus *Job* XXXIX, 27 : « Numquid ad præceptum tuum elevabitur aquila, et in arduis ponet nidum suum? » Sancti enim nidum suum habent in cœlo, dicuntque cum Paulo : « Nostra conversatio in cœlis est. » Nam, ut ait S. Chrysostomus, hom. 15 *ad Pop.* : Sicut si quis e summo altissimi montis vertice deorsum prospiciat, omnia ei pusilla videntur, ac non solum homines et arbores, sed etiam urbes integræ et magni exercitus formicarum instar super terram ire videntur : sic qui animo erecto in superna, transcendens nubes, in cœlis consistit, ibique sedem figit, illi omnia humana, omnis potentia, gloria, opes, ita minuta et exigua apparent, ut ne digna quidem judicet, quibus hanc immortalis animi nobilitatem applicet. Hinc *primo*, omnibus est admirationi; *secundo*, si quem habet inimicum, ab ejus telis et insidiis tutus est, utpote extra, imo supra omnem teli jactum positus; *tertio*, inferiora ista, tanquam a se tanto intervallo remota, quædam vix videt, quædam ne videt quidem. Hinc

Celsitudo S. Gregorii.

*Tertio*, Paulus quasi terra major, ejusque turbinibus celsior, jugiter in adversis, æque ac prosperis, summa animi pace et tranquillitate fruebatur. Quid enim in eum humana mutabilitas possit, qui omnibus quæ mutationi obnoxia sunt, relictis, omnes ejus aditus interclusit? Quocirca quasi supra ventorum flatus in Olympo positus, immobilis semper manens omnibusque eventibus superior, jugi mentis serenitate gaudebat. Vere S. Cyprianus, tract. *De Orat. Domin.* : « Qui, inquit, renuntiavit jam sæculo, major est honoribus ejus et regno; et ideo qui se Deo et Christo dedicat, non terrena, sed cœlestia regna desiderat. » Et S. Gregorius, lib. V *Moral.*, cap. XXXIV : « Magnus est, ait, qui æterna concupiscit. » Huc accedit S. Hieronymus in *Threnos*, lib. I, cap. III : « Is vere et non ex parte magnus est, qui et in eremo squalorem solitudinis, et in cœnobio infirmitates fratrum æquali magnanimitate sustentat. »

*Quarto*, Paulus libere prædicabat philosophis, regibus, tyrannis, quasi omnibus superior omniumque magister : quare intrepide eos monebat, arguebat, castigabat. Nam, ut ait S. Gregorius, lib. VII *Moral.*, cap. XV : « Sancti velut in magni vertice montis siti, præsentis vitæ gaudia plene despiciunt, seque ipsos per spiritualem celsitudinem transcendentes, subjecta sibimet intus vident, quæcumque per carnalem gloriam foris tument. Unde et nullis contra virtutum potestatibus parcunt, sed quos attolli per elationem conspiciunt, per spiritus auctoritatem premunt. » Ita Paulus coram Felice præside animose disserens de justitia, castitate et futuro judicio, eumdem perculit et tremefecit, *Actor.* XXIV, 25. Ita in vinculis Christum, propter quem vinctus erat, audacter prædicabat Festo præsidi et judici, qui proinde exclamans, ait : « Insanis, Paule, multæ litteræ te ad insaniam redigunt. » Cui Paulus : « Non insanio, optime Feste, sed veritatis et sobrietatis verba loquor. » Et Agrippæ regi dicenti : « In modico suades me Christianum fieri, » respondit : « Opto apud Deum et in modico et in magno, non tantum te, sed etiam omnes qui audiunt hodie fieri tales, qualis et ego sum, exceptis vinculis his, » *Actor.* XXVI, 24 et 29. Sic Athenienses Sophos et Areopagitas libere vocavit superstitiosos, *Actor.* XVII, 22. Sic *Actor.* XVI, 37, magistratus Philippenses per custodem Paulum carcere eximi jubentes, magnanime injustitiæ arguit, dicens : « Cæsos nos publice indemnatos homines Romanos miserunt in carcerem, et nunc occulte nos ejiciunt? Non ita, sed veniant, et ipsi nos ejiciant. Timueruntque audito quod Romani essent, et venientes deprecati sunt eos. » Quanta Pauli celsitudo, qui judices sibi fecit supplices? Ita ad Ananiam pontificem inique jubentem se percuti : « Percutiat, inquit, te Deus, paries dealbate. Et tu sedens judicas me secundum legem, et contra leges jubes me percuti? » *Actor.* XXIII, 3. In repentinis enim et improvisis periculis maxime apparet fortitudinis habitus, ait Aristoteles, III *Ethic.* VIII.

*Quinto*, eadem magnanimitate Paulus ma... dæmonibus erat formidabilis, eosque plecte...

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

expellebat. Ita Elymam magum avertentem Sergium Paulum proconsulem a fide, perculit, dicens : « O plene omni dolo et omni fallacia, fili diaboli, inimice omnis justitiæ, non desinis subvertere vias Domini rectas? Et nunc ecce manus Domini super te, et eris cæcus, » *Actor.* XIII, 10. Ita dæmonem Pythonem, licet se laudantem e puella expulit, *Actor.* XVI, 18. Ita ejus sudaria fugabant spiritus immundos, *Actor.* XIX, 12.

*Sexto*, Paulus hac animi celsitudine contempsit omnes Neronis et tyrannorum minas, vincula, equuleos, ignes, gladios, bestias et cruces : «Paulus occidi potest, superari non potest, » ait S. Gregorius, lib. XXXI *Moral.*, cap. XV. Aureo S. Chrysostomus, hom. 2 *De Laudibus S. Pauli*, eum non tantum tyrannis et dæmonibus, sed et Angelis superiorem facit : « Hujus rei studio, inquit, non tantum urbes, gentes, exercitus, provincias, pecunias, potestates velut arenam vilia reputavit; sed et pro Christi dulcedine non angelorum, non archangelorum admiratus est dignitatem, nec quidquam simile concupivit. Quod enim majus erat omnibus, Christi amore fruebatur : cum hoc beatiorem se cunctis putabat, sine hoc autem neque dominationum, neque principatuum socius esse cupiebat; sed cum hac dilectione magis esse extremus optabat, imo etiam ex numero punitorum, quam sine hac inter summos, et honore sublimari. » Causam assignat, atque : « Perfrui enim charitate Christi, hoc illi vita erat, hoc mundus, hoc angeli, hoc præsentia, hoc futura, hoc regnum, hoc promissio, hoc bona videbantur innumera. Præter hæc vero nihil in tristium parte ponebat. Horum enim quæ hic habentur nihil asperum, nihil etiam suave reputabat, sic despiciebat universa quæ cernimus, ut solet herba jam putrefacta contemni. Tyrannos vero ipsos, ac populos spirantes furorem, velut quosdam culices æstimabat; mortem vero, et cruciatus, et mille supplicia quasi ludum putabat esse puerorum, dummodo propter Christum aliquid sustineret. Hæc enim amplectebatur libenter, et decorabatur vinctus catena magis, quam diademate coronatus. Etenim coarctatus carcere habitabat cœlum, ac libentius verbera excipiebat et vulnera, quam alii bravia diripiunt : dolores non minus quam præmia diligebat, cum ipsos utique dolores loco duceret præmiorum; propterea enim illos et gratiam nominabat. » Quocirca Paulus Romæ in primis vinculis, multos ex aula Neronis convertit, de quibus *Philip.* IV, 22 : « Salutant, inquit, vos omnes Sancti, maxime qui de Cæsaris domo sunt; » e quibus plures martyrio laureati sunt, ut dixi in *Chronotaxi*, anno Christi 67. In secundis vero vinculis pellicem Neronis convertit, et ab eo abstraxit, adeoque martyrii palmam tulit, ut dicam inferius.

*Septimo*, Paulus adeo fuit magnanimus, ut non fugeret, sed sciens et prudens ambiret et adiret certissima vitæ pericula, vincula, tormenta et martyria. Ita certus ex continuo Dei oraculo se a Judæis vinciendum, et, ni Deus impediret, occidendum, si Hierosolymam pergeret, eo tamen intrepidus alacerque invitis suis sociis cæterisque Christianis perrexit, dicens : « Quid facitis flentes, et affligentes cor meum? Ego enim non solum alligari, sed et mori in Jerusalem paratus sum propter nomen Domini Jesu, » *Act.* XXI, 13.

Rursum, Paulus magnanime excussit pulverem pedum in faciem Judæorum, repellentium Evangelium Antiochiæ Pisidiæ, ut tam impia terra non solum se dispulveraret, sed et prorsus expulveraret, *Actor.* XIII, 51.

*Octavo*, Paulus jubet Christianos omnes esse generosos et magnanimos, quasi qui duellum inituri sint cum diabolo, imo cum toto dæmonum exercitu omnibusque inferni viribus. « Non est nobis, inquit, colluctatio adversus carnem et sanguinem, sed adversus principes et potestates, adversus mundi rectores tenebrarum harum, contra spiritualia nequitiæ in cœlestibus : propterea accipite armaturam Dei. » Unde mox eis arma suggerit, et panopliam a capite ad talos, nimirum pro scuto fidem, pro galea spem, pro gladio verbum Dei, pro lorica justitiam, pro cingulo veritatem, pro ocreis præparationem ad Evangelium toto orbe circumferendum, *Ephes.* VI, 12, 13, 14. Hos Pauli animos induit noster Edmundus Campianus, nobilis fidei athleta, Angliæ Apostolus et Martyr, quando evidentia causæ et fidei certitudine confisus, omnes in Anglia Calvini doctores provocavit ad disputationem : cujus provocationis rationes decem edens, eas conclusit exhortando omnes, ut salvi esse velint, veritatem fulgentem oculis excipiant, illecebras Lutheranas despiciant. At quænam hæ? inquit : « Aurum, gloriæ, deliciæ Veneris : contemnite. Quid enim aliud ista sunt, nisi terrarum ilia, canorus aer, popina vermium, bella sterquilinia? Spernite, Christus dives est, qui vos alet. Rex est, qui ornabit. Lautus est, qui satiabit. Speciosus est, qui felicitatum omnium cumulos largietur. Huic vos adscribite militanti, ut cum eo triumphos, vere doctissimi vereque clarissimi reportetis. » Præclare enim Nazianzenus, *orat.* 25 : « Magnis, ait, et excelsis viris patria una est superna Jerusalem in quam conversionem nostram recondimus : omnibus genus unum, si inferiora hæc spectare velis, pulvis; si superiora, spiraculum illud cujus participes facti sumus, quodque conservare jubemur, et cum quo mihi ad tribunal sisti necesse est, ut divinitus inditæ nobilitatis imaginisque rationem reddam. »

### Quinta virtus, Paupertas Evangelica.

*Primo*, Paulus et Apostoli Christum pauperem pauperes secuti sunt : « Egeni in terris, in cœlis divites, spiritales divitias credentibus largiebantur, » ait S. Ambrosius in II *Corinth.* VI. Audierant enim a Christo, *Matth.* V, 3 : « Beati pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnum cœlorum. » Unde et eidem dixerunt *Matth.* XIX, 27 : « Ecce nos reliquimus omnia, et secuti sumus te, quid ergo erit nobis? » « Hoc votum potentissimi voverant, » ait S. Augustinus. Apostoli ergo fecerunt votum paupertatis, uti jam faciunt Religiosi; æque ac castitatis et obedientiæ, uti ostendam *Actor.* V, 2. Ipsi enim fuerunt vitæ religiosæ et perfectæ antistites, parentes et choragi. Quin et S. Hieronymus, vitam Clericorum ita ex Apostolis pingit Nepotiano : « Clericus qui servit Ecclesiæ, interpretetur primo vocabulum suum, et nominis definitione prolata, nitatur esse quod dicitur. Si enim κλῆρος Græce, sors Latine appellatur, propterea vocantur Clerici, vel quia de sorte Domini sunt, vel quia ipse Dominus sors, id est pars ipsorum Clericorum est. Qui autem ipse pars Domini est, vel Domini partem habet, talem se exhibere debet, ut et ipse possideat Dominum, et possideatur a Domino, » non ab auro, aliave re creata.

*Secundo*, Paulus vixit in fame, siti, nuditate, fatigatione, I *Corinth.* IV, 11, et II *Corinth.* XI, 27. Et *Philip.* IV, 12 : « Scio, inquit, et humiliari (inopiam pati), scio et abundare (ubique et in omnibus instructus sum), et satiari, et esurire, et abundare, et penuriam pati : omnia possum in eo qui me confortat. » « Paulus, inquit Chrysostomus, hom. 4 in epist. II *ad Timoth.*, homo erat, qui sæpe cum fame luctatus est, dormivitque incœnatus, homo nudus, et cui vestitus ipse sæpe necessarius deerat. In frigore, inquit, et nuditate. » Vere S. Hieronymus, *ad Heliodor.* : « Affatim, inquit, dives est, qui cum Christo pauper est. » Hinc S. Paula in Bethlehem pauper cum Christo in votis habebat, ut mendicans moreretur, ut unum nummum filiæ (Eustochio) non derelinqueret, et in funere suo aliena sindone involveretur. Trini hujus voti plene facta est compos, itaque plane ut optarat ei, accidit. Ita S. Hieronymus in ejus Vita.

67. Christus et Apostoli pedites [illegible] *Tertio*, Paulus exemplo Christi pedes obivit multas magnasque provincias, uti ostendam *Act.* IX, 13. Apostolos ergo, imo Christum sequuntur, qui cum S. Francisco non in equis et curribus, sed pedibus evangelizando obeunt pagos et urbes. Romæ in templo S. Pauli, ostensa mihi est pars baculi S. Pauli, cui innixus Romam pedes ingressus dicitur. Idipsum Christus Apostolis ut facerent, præscripsit *Matth.* X, 10 et 14. Unde in regula S. Francisci, quæ Apostolicum vivendi modum exprimit, cap. III, in *Constit.* Benedicti Papæ XII, sub gravissimis pœnis interdicitur, « ne quis obequitet, nisi gravis cogat necessitas, aut valetudo. » Idem Societatis nostræ Religiosis, qui Apostolorum more obeunt provincias, graviter ac serio commendat Congregatio 3 generalis, *can.* 12. Sic S. Vincentius Fererius vir Apostolicus, qui evangelizando peragravit Italiam, Galliam, Angliam, Hiberniam, Hispaniam, etc., non equitando, sed propriis pedibus peregit, solo baculo, cui inniteretur, contentus : idque quindecim annis continuis fecit. Verum postea ex quadam ægritudine quæ ei supervenit in tibia, necessitate compulsus, habuit asinum, quo vehebatur, ait auctor Vitæ ejus, lib. II, cap. VII.

*Quarto*, Paulus in tot tantisque Evangelii laboribus, noluit a fidelibus sumptus accipere, sed operatus est manibus suis scenofactoriam exercens, ut non tantum sibi, sed et suis omnibus victum pararet : quod sane admirabilem ejus paupertatem, charitatem et zelum liquido demonstrat : « Argentum, inquit, et aurum, aut vestem nullius concupivi, sicut ipsi scitis : quoniam ad ea quæ mihi opus erant, et his qui mecum sunt, ministraverunt manus istæ : omnia ostendi vobis, quoniam sic laborantes, oportet suscipere infirmos, et meminisse verbi Domini Jesu; quoniam ipse dixit, Beatius est magis dare quam accipere, *Act.* XX, 34. Paulum eminus imitatus est celebris ille Spiridion Trimithuntis Episcopus, qui pecuariam exercuit, de quo Ruffinus, lib. X, cap. V; Sozomenus, lib. I, cap. XI; Nicephorus, lib. VIII, cap. XLII. Et Zenon, Majumæ Episcopus, qui lanificium exercuit, non paupertatis, sed humilitatis studio et exemplo, de quo Sozomenus, lib. VII, cap. XXVII, et Nicephorus, lib. XII, cap. XLVI. Unde et S. Hieronymus præfat. *in Job*, Nepotianum et Rusticum ad opus manuale provocat. Vide Isidorum Pelusiotam, lib. I, *Epist.* 470, ubi opus manuum probat exemplo Pittaci Mitylenei regis, qui pistrinum versans, farinam et panem quo vesceretur sibi parabat. Quin et Concilium Cathaginense IV, cap. L, LI et LIII, et Concilium Nannetense, atque ex iis can 2, 3, 4, dist. 91, præcipiunt, ut Clerici sibi victum vestitumque agricultura aut honesto artificio comparent, quod intellige, cum sunt pauperes, nec Ecclesia eos alere potest. Ita olim : nunc enim decreto Concilii Tridentini, sess. XXI, cap. II, et aliorum vetustiorum sancitum est, ut nemo ordinetur, nisi qui seipsum ex bonis vel propriis, vel Ecclesiæ alere potest. — 68. Paulus vixit labore manuum.

Paulum hoc sæculo imitatus est P. Andreas Oviedo, qui e Societate nostra a Pontifice creatus Patriarcha Æthiopiæ, ibidem usque ad mortem vixit in tanta paupertate, ut propriis manibus aratrum duceret sereretque fruges quas comederet : unde revocatus a Gregororio XIII Pontifice, litteras ad eum dedit exaratas in marginibus, quas e Breviario suo præciderat, eo quod aliam ad scribendum chartam non haberet; quibus enixe obsecrabat Pontificem, ut permitteret se Ecclesiæ suæ, quam sibi desponderat, usque ad finem vitæ assistere. Visis hisce litteris illacrymatus est Gregorius, suamque illi benedictionem impertiit. Atque hujus paupertatis et constantiæ jam fructus videmus, nimirum Æthiopiæ imperatorem ejusque fratrem et proceres Ecclesiæ Romanæ reconciliatos, novum expetere Patriarcham, Episcopos et Religiosos, qui vastum illud imperium plane plene- — Idem fecit P. Oviedo Patriarcha Æthiopiæ.

que convertant. Porro S. Hieronymus *ad Rusticum* epist. 4 : « Facito, inquit aliquid operis, ut te semper diabolus inveniat occupatum. Si Apostoli habentes potestatem de Evangelio vivere, laborabant manibus, ne quem gravarent, et aliis tribuebant refrigeria, quorum pro spiritualibus debebant metere carnalia, cur tu in tuos usus cessura non præpares? Vel fiscellam texe junco, vel canistrum lentis plecte viminibus : sarriatur humus, areolæ æquo limite dividantur. Apum fabricare alvearia. Texantur et lina capiendis piscibus. Scribantur libri, ut et manus operetur cibum, et animus lectione saturetur. In desideriis est omnis otiosus. »

### Sexta, Sobrietas et Castitas angelica.

*Primo*, Paulus in tanta paupertate necessario sobrie vixit. Sic enim videmus opifices, qui ex opere manuali vivunt, ut sibi suisque alimenta comparent, sobrie victitare. Sapienter S. Hieronymus, epist. *ad Eustoch. de custod. virgin.*, ei hanc sobrietatis diætam præscribit : « Sit tibi moderatus cibus et nunquam venter expletus. Plures quippe sunt, quæ cum vino sint sobriæ, ciborum largitate sunt ebriæ. Sint tibi quotidiana jejunia, et refectio satietatem fugiens : nihil prodest biduo triduoque transmisso vacuum portare ventrem, si pariter obruatur, si compensetur saturitate jejunium. Illico mens repleta torpescit, et irrigata humus spinas libidinum germinat. » Idem *ad Paulin.* epist. 13 : « Sit vilis, ait, et vespertinus cibus; olera et legumina, interdumque pisciculos pro summis deliciis ducas. Qui Christum desiderat, et illo pane vescitur, non quærit magnopere de quam pretiosis cibis stercus conficiat : quidquid post gulam non sentitur, idem sit tibi quod panis et legumina. »

Jejunium prudens.

*Secundo*, Paulus crebro jejunabat, uti ipse asserit II *Cor.* XI, 27; deliciis, vino et carne abstinebat. Nam, ut ait S. Hieronymus *ad Nepotianum* : « Fortissimum jejunium est aqua et panis; sed quia gloriam non habet, et omnes pane et aqua vivimus, quasi publicum et commune, jejunium non putatur. » Idem, *ad Helidor.* epist. 3 : « Nepotianus, inquit, jejunia in aurigæ modum, pro lassitudine et viribus temperabat. » Idem, *ad Rusticum* epist. 4 : « Jejunia, ait, moderata sint, nenimia debilitent stomachum, et majorem refectionem poscentia erumpant in cruditatem, quæ parens libidinum est. Modicus ac temperatus cibus et carni et animæ utilis est. » Idem faciebant cæteri Apostoli, nisi ab aliis invitati, convivio interessent. Tunc enim ex præcepto Christi, omnibus quæ apponebantur, vescebantur, tum urbanitatis causa, tum vitandæ singularitatis ergo, tum ne hospiti suo molesti essent. Id liquet exemplo Timothei cui scribit Paulus *Epist.* 1, cap. V : « Noli adhuc aquam bibere, sed modico vino utere propter stomachum tuum et frequentes tuas infirmitates. » Idem patet ex voto Nazaræatus, quod fecit Paulus, *Act.* XXI, 26, statimque postero die explevit : Nazaræi enim vino, sicera et deliciis abstinebant. « Si esca, inquit, scandalizat fratrem meum, non manducabo carnem in æternum, » I *Cor.* VIII, 13. Et : « Bonum est non manducare carnem et non bibere vinum, » *Rom.* XIV, 21. Quod aliis consuluit Paulus, utique et sibi ipsi. Ita S. Petrus victitabat lupinis, teste S. Nazianzeno, orat. *De cura pauperum*. Ita S. Jacobum fratrem Domini carne, vino et sicera abstinuisse, pane et aqua vixisse, ex Eusebio lib. II *Historiæ*, cap. XXII. Nicephoro et aliis scribit Baronius, anno Christi 36, et alii in ejus Vita. S. Mathæum carnibus abstinuisse asserit Clemens Alexandrinus, lib. II *Pædag.*, cap. I. Ratio est, quia Apostoli debebant dare exemplum sobrietatis omnisque virtutis toti Ecclesiæ, omnibusque statibus et sæculis : erant enim ipsi dati mundo in exemplar sanctitatis, perfectionis ac vitæ cœlestis, ad quam omnes verbo, et magis exemplo incitare debebant. Ridicule enim satur hortabitur alios ad jejunium, deliciosus ad abstinentiam, incestus ad castitatem, vino madens ad aquæ potum. Ita S. Franciscus Xaverius Indorum Apostolus, vino et carne abstinebat nisi esset apud hospites, semelque in die tantum cibum sumebat eumque vulgarem et modicum, ne pane quidem explens famem, ait Tursellius in ejus Vita, lib. VI, cap. VII. Quin et S. Augustinus Episcopus Hipponensis « mensa usus est frugali et parca, quæ inter olera et legumina etiam carnes aliquando, propter hospites, vel quosque infirmiores continebat, » ait Possidonius in ejus Vita, cap. XXII.

Apostoli carne et vino communiter abstinebant.

*Tertio*, Paulus parvi erat somni magnamque noctis partem vigilabat, tum orando, tum laborando, tum sollicite curando salutem omnium Ecclesiarum. Unde ipse ait, se vixisse in vigiliis multis, II *Cor.* XI, 27. Pastoris enim propria virtus est vigilantia, qua gregi suo invigilet. Quare minus vera et plena videtur illa temporis et horarum distributio, quam nonnulli Paulo assignant, nimirum Glossa in *Act.* IX, 9, ex Beda (sed in Beda id non invenitur) : « Tradunt quidam, inquit, quod ab hora quinta usque ad horam nonam et decimam disputationem protraheret Paulus, ita ut horas operi (scenofactorio) quinque, alias quinque doctrinæ, alias cibo et orationi daret. » Sed addit, « nulla hoc auctoritate firmari; » et merito, ait Hugo, et Lorinus ibidem. Quid enim reliquis duodecim diei naturalis horis agebat? certum est eum non dormisse, sed post exiguum somnum orationi et operi se dedisse. Unde media nocte in carcere inventus est orans, *Act.* XVI, 25. Vere S. Hieronymus *ad Eustoch.* : « Sanctis, ait, ipse etiam somnus oratio est. Esto cicada noctium : psalle spiritu, psalle et mente; lava per noctes lectum tuum, lacrymis tuis stratum tuum riga. »

*Quarto*, Paulus castitate fuit angelica. Unde vixit cœlebs, imo virgo per omnem vitam. Hinc fidelibus proponens consilium virginitatis et castitatis Evangelicæ, ait : « Volo, (velim, optarim) omnes vos esse sicut meipsum, » 1 *Cor.* VII, 7; ita S. Ambrosius ibidem, S. Hieronymus, *Contra Jovin.*, et alii passim. In hac castitate mire crevit per continuam luctam cum stimulo carnis, eum assidue comprimens et subjugans, II *Cor.* XII, 7. Hinc inter juvenculas et matronas versabatur quasi angelus, easque non tantum ad fidem, sed et ad castitatem traducebat : uti a Nerone abstraxit pellices, persuadens eis castitatem, ideoque a Nerone occisus est, factus castitatis hostia, uti docet S. Chrysostomus.

Paulus castitatis hostia.

VI. *Quinto*, Paulus etsi haberet donum castitatis, in eaque æque ac in gratia esset a Deo confirmatus, tamen non tantum studiose vitabat tentationes et pericula, sed etiam carnem suam severe macerabat et austere castigabat, 1 *Cor.* IX, 27. Sine hoc enim difficile, et quasi impossibile est servare castitatem, uti asserebat S. Carolus Borromæus. Hinc noluit mulieres pias, quæ eum alerent, se comitari : « Numquid, inquit, non habemus potestatem mulierem sororem circumducendi, sicut et cæteri Apostoli? » 1 *Cor.* IX, 5 et 15; « ego autem nullo horum usus sum. » Quin et S. Theclam ab ore Pauli pendentem eumque sequi volentem prohibuit, eamque domum amandavit, uti habet S. Theclæ Vita. Idem fecit aliis; mox enim ut eas converterat, alio migrans, illas ibi relinquebat. Magnum enim et castitati et famæ periculum creatur ex crebra cum mulieribus, etiam piis et devotis, conversatione. Vide S. Cyprianum, tract. *De singularitate Clericorum*. Quocirca S. Franciscus Xaverius, licet vir esset cœlestis, « nunquam tamen cum femina ulla, nisi luce palam et adhibitis arbitris, de rebus utique necessariis collocutus est, ratus mulieres adiri minori emolumento quam periculo, » ait Tursellius, in ejus Vita, lib. VI, cap. VI. Quin et S. Hieronymus Nepotiano Clerico ita præscribit : « Hospitiolum tuum aut raro, aut nunquam mulierum pedes terant : omnes puellas et virgines Christi aut æqualiter ignora, aut æqualiter dilige. Ne sub eodem tecto mansites, nec in præterita castitate confidas. Nec sanctior Davide, nec Samsone fortior, nec Salomone potes esse sapientior. Memento semper, quod paradisi colonum de possessione sua mulier ejecerit. » Idem *ad Rusticum*, epist. 4 : « Matrem, ait, ita vide, ne per illam alias videre cogaris, quarum vultus cordi tuo hæreant, et tacitum vivat sub pectore vulnus. Ancillas quæ illi in obsequio sunt, tibi scias esse in insidiis : quia quanto vilior earum conditio, tanto facilior est ruina. Et Joannes Baptista sanctam matrem habuit, pontificisque filius erat, et tamen nec matris affectu, nec patris opibus vincebatur, ut in domo parentum cum periculo viveret castitatis. Vivebat in eremo, et oculis desiderantibus Christum, nihil aliud dignabatur aspicere. Vestis aspera, zona pellicea, cibus locustæ melque silvestre, omnia virtuti et continentiæ præparata. Quamdiu in patria tua es, habeto cellulam pro paradiso : varia Scripturæ poma decerpe, his utere deliciis. Si scandalizat te oculus, pes, manus, projice ea. Nulli parcas, ut soli parcas animæ, » etc. « Vas electionis, in cujus ore Christus resonabat, macerat corpus suum et subjicit servituti, et tamen cernit naturalem carnis ardorem suæ repugnare sententiæ, ut quod non vult, hoc agere compellatur, et quasi vim patiens vociferatur et dicit : Miser ego homo, quis me liberabit de corpore mortis hujus? Et tu te arbitraris absque lapsu et vulnere posse transire, nisi omni custodia servaveris cor tuum, et cum Salvatore dixeris : Mater mea et fratres mei hi sunt, qui faciunt voluntatem Patris mei? Crudelitas ista pietas est, » etc. « Mihi oppidum carcer, solitudo paradisus est. » Et inferius : « Volo ego te non habitare cum matre, ne oleum igni adjicias, et inter frequentiam puellarum per diem videas, quod nocte cogites. » Scribit de S. Augustino Possidonius in ejus Vita, cap. XXVI : « Feminarum, inquit, intra domum ejus nulla unquam conversata est, nulla mansit, nec germana quidem soror, quæ vidua Deo serviens multo tempore, usque in diem obitus sui præposita ancillarum Dei vixit; sed neque patrui sui filiæ, et fratris sui filiæ, quæ pariter Deo serviebant. » Et mox causam dans : « Ob hoc ergo, inquit, dicebat, nunquam debere feminas cum servis Dei, etiam castissimis, in una manere domo, ne aliquod scandalum vel offendiculum tali exemplo poneretur infirmioribus. Et si forte ab aliquibus feminis ut videretur, vel salutaretur, rogabatur, nunquam sine clericis testibus ad eas intrabat, vel solus cum solis unquam est locutus, nisi secretorum aliquid interesset. »

[illegible] comites.

### Septima, Modestia, Gravitas et Comitas.

*Primo*, Paulus « gravitatem morum hilaritate frontis temperabat » (quod Nepotiano ad Heliodorum scribit S. Hieronymus), eratque vultu sereno et amœno, utpote indice animi sereni et amœni, eoque omnes ad se alliciebat. Vultum hunc ejus repræsentant Romæ imagines antiquæ, ac in primis illa S. Sylvestri Constantino Imperatori per visum exhibita. Hinc Nicephorus, lib. II, cap. XXXVII, Paulum ita pingit : « Paulus, inquit, corpore erat parvo et contracto, et quasi incurvo, ac paululum inflexo, facie candida, annosque plures præ se ferente, capite modico; oculis multa inerat gratia, supercilia deorsum vergebant; nasus pulchre inflexus, idemque longior, barba densior et satis promissa, eaque non minus quam capitis coma, canis respersa. Ambo autem Christi discipuli (Petrus et Paulus) cum inspicerentur, divinum quiddam præ se ferebant. Spiritu Sancto et divina gratia ita referti, ut qui eos viderent fideles, ex aspectu solo arcanam quamdam et latentem conciperent gratiam, moresque et vitam una cum fide conformarent, et

Pauli statura et figura.

in melius converterent. » Hinc semper idem ei erat animus, idem vultus, mores per omnia similes. Secus faciunt leves et ficti, de quibus dicitur : « Intus Nero, foris Cato. » Et : « Prima leo, postrema draco, media ipsa Chimæra, » ait S. Hieronymus *ad Rusticum*.

*Secundo*, modestiam hanc fidelibus commendans : « Modestia, ait, vestra nota sit omnibus hominibus, » *Philipp.* IV, 5. Et vers. 8 : « De cætero, fratres, quæcumque sunt vera, quæcumque pudica, quæcumque justa, quæcumque sancta, quæcumque amabilia, quæcumque bonæ famæ; si qua virtus, si qua laus disciplinæ, hæc cogitate. » Et cap. III, vers. 17 : « Imitatores mei estote fratres, et observate eos qui ita ambulant sicut habetis formam nostram. » Et I *Cor.* XIV, 40: « Omnia autem honeste et secundum ordinem fiant. »

*Tertio*, Paulus in verbis mire fuit affabilis et gratiosus, in sermone jucundus, in conversatione benignus et blandus : « Facti, inquit, sumus sicut parvuli in medio vestrum, tanquam si nutrix foveat filios suos. Ita desiderantes vos, cupide volebamus tradere vobis non solum Evangelium Dei, sed etiam animas nostras, quoniam charissimi nobis facti estis, » I *Thess.* II, 7.

*Quarto*, Paulus officiosus est in salutando, tam omnes in communi initio epistolarum, quam singulos nominatim in fine earumdem; tum ut suam in eos comitatem ostendat; tum quia efficax est Sanctorum salutatio. Salutem enim quam apprecatur, suis meritis impetrat et præstat : uti B. Virgo salutans Elisabetham, eam cum fœtu sanctificavit, et Baptistam Christi prodromum effecit, *Luc.* I, 44. Unde S. Chrysostomus, in II *Timoth.* I : « Sufficit, ait, sola Pauli salutatio gratia implere eum, qui eo salutatur. » Quin et Paulus vinctus ad Neronem missus, « salutavit Neronis pocillatorem et concubinam, » ait Chrysostomus, hic *hom.* 54. Creditur illa fuisse Poppæa Sabina, quæ præ cæteris in deliciis a Nerone habebatur, inquit Baronius, ac forte per eam Neronem sibi conciliavit, ut liber dimitteretur e primis Romæ vinculis.

Sanctorum [illegible] fica.

*Quinto*, Paulus oculis, ore, opere, gestu, habitu omnique actione et motu spirabat animi morumque compositionem, pietatem, devotionem, sanctitatem vitamque cœlestem. « Paulus, ait Chrysostomus, hom. 1 *De ejus laudibus*, semetipsum mundo crucifigens, non solum humanorum corporum pulchritudines, sed etiam omnia quæ videntur rebus clara atque decorata, ita cernebat, sicut nos favillam cineremque despicimus, qui quasi mortuus prorsus ad mortuum immobilis permanebat. » S. Franciscus animo et vultu in cœlum intentus non aliud vita et voce, habitu et gestu concionabatur, quam « ad cœlum, ad cœlum. » Audi S. Bonaventuram, cap. IV Vitæ ejusdem : « Evangelicus præco civitates circuibat et castella, non in doctis humanæ sapientiæ verbis, sed in virtute spiritus annuntians regnum Dei. Videbatur intuentibus homo alterius sæculi; quippe qui mente ac facie in cœlum semper intentus, omnes sursum trahere conaretur. » Et cap. XII : « Omnis ætas omnisque sexus properabat virum novum mundo cœlitus datum cernere et audire. » Sic et illi homonymus ac suppar noster S. Franciscus Xaverius, Indorum Apostolus, mente oculisque in superna defixus, nonnisi paradisum cogitabat, spirabat, prædicabat, ac quasi homo cœlo lapsus, ad cœlum omnes traducere satagebat. Multo magis horum dux et princeps Paulus, in paradisum raptus cœlestes induerat mores, ac quasi angelus cœlo lapsus, ad homines in cœlum revocandos missus a Deo videbatur. Hinc cum Psalte admirando clamabat : « Filii hominum, ut quid diligitis vanitatem et quæritis mendacium? Quæ sursum sunt quærite, quæ sursum sunt sapite, non quæ super terram. » Deorsum corpora, sursum sint corda. Despice terrena, suspice cœlestia. « Quid enim mihi est in cœlo, et a te quid volui super terram, Deus cordis mei, et pars mea Deus in æternum? » Præclare S. Chrysostomus in epist. I *ad Timoth.*, hom. 2 : « Hujusmodi, ait, tibi unguenta eme, quorum odor implere possit orbem. Talem fragrantiam Apostoli spirasse noscuntur. Odor enim, inquit, suavitatis sumus, aliis qui… …in mortem, aliis vero in vitam. Quid autem … …e vult? Fertur nempe et sus fragrantia odoris suffocari. Non autem corpus Apostolorum tantum, sed et indumenta ipsa unguento spiritualis gratiæ plena erant. Ita enim Pauli indumenta suavissimum spirabant odorem ut etiam dæmones pellerent, *Act.* XIX, 12. Quod folium, quam casiam, quam myrrham hujusmodi odor non suavitate et utilitate transcendit? »

[illegible]

### Octava, Studium proficiendi.

*Primo*, Paulus, esto in virtutis culmine consisteret, tamen quotidie seipsum superare et ad altiora conscendere satagebat. Hinc sibi persuadebat se esse imperfectum : « Non quod jam acceperim, inquit, aut perfectus sim; sequor autem si quo modo comprehendam, in quo et comprehensus sum a Christo Jesu. Fratres, ego me non arbitror comprehendisse. Unum autem, quæ retro sunt obliviscens, ad ea vero quæ sunt priora extendens meipsum, ad destinatum persequor ad bravium supernæ vocationis in Christo Jesu, » *Philipp.* III, 12. Sapienter S. Hieronymus *ad Paulinum* : « Nihil in te mediocre esse contentus sum; totum summum, totum perfectum desidero. »

*Secundo*, Paulus quotidie augebat labores : hinc novas et novas semper regiones adibat et evangelizando obibat. Paulus, ait S. Chrysostomus, hom. 2 *De ejus laudibus*, quotidie celsior assurgebat, majores ambiens agones, majora certamina, majora pericula, majora tormenta pro Christo, perinde ac flamma in sylvam immissa



jugiter proserpit, donec totam sylvam subigat, et in immensum crescat incendium.

*Tertio*, Paulus fideles in spiritu et virtute provehere et perficere studebat, omnesque ad sanctitatis incrementa incitabat. Unde *Ephes.* IV, 15 : « Veritatem, inquit, facientes in charitate crescamus in illo per omnia, qui est caput Christus. » Et vers. 23 : « Renovamini spiritu mentis vestræ, et induite novum hominem, qui secundum Deum creatus est in justitia et sanctitate veritatis. » Modum crescendi præscribit *Rom.* XII, 11 : « Sollicitudine, ait, non pigri, spiritu ferventes, Domino servientes, in tribulatione gaudentes, orationi instantes, » etc. Et S. Petrus, *Epist.* II, I, 10: « Fratres, ait, magis satagite, ut per bona opera certam vestram vocationem et electionem faciatis. » « Paulus, ait S. Augustinus, serm. 11 in *Evangel. secundum Matth.*, homines deos vel angelos esse cupiebat. »

*Quarto*, Paulus curabat ut Episcopi et pastores Ecclesiæ essent eximii in doctrina et virtute. Unde non nisi maxime idoneos promovebat, eos scilicet, qui maxime videbantur Christianos in re Christiana promoturi. Vide quot quantaque hac de re præscribat Timotheo Episcopo Ephesino, *Epist.* I, toto cap. III, et Tito, cap. I, vers. 6 et *seq.* Ita S. Gregorius Thaumaturgus, Comanæ in Ponto, postpositis multis nobilibus et primariis, qui a variis proponebantur, Episcopum creavit Alexandrum Carbonarium, licet reluctantem, qui cum esset vir sapiens, studio latendi, ad carbones in urbem devehendos se abjecerat, eo quod nullus eo esset magis idoneus; qui proinde adeo præclare rexit istam Ecclesiam, ut pro ea sanguinem fuderit eamque martyrio suo condecorarit. Testis est Gregorius Nyssenus in vita Thaumaturgi.

*Quinto*, Paulus, etsi haberet scientiam a Deo revelatam et infusam, tamen per otium sacris litteris et lectioni dabat operam. Unde vinctus in carcere a Nerone sibi a Timotheo suos afferri jubet libros et membranas, II *Timoth.* IV, 13. Et idem præscribit, *Epist.* I, IV, 13, dicens : « Dum venio, attende lectioni. » Et *Epist.* II, II, 15 : « Sollicite, inquit, cura teipsum probabilem exhibere Deo, operarium inconfusibilem, recte tractantem verbum veritatis. » Si hæc faciebat Paulus, qui erat arca virtutum et pelagus sapientiæ, spiritus et zeli, quid nos facere convenit. Ita Nepotianus, ait S. Hieronymus, in ejus Epitaphio *ad Heliodorum*, lectione assidua et meditatione diuturna « pectus suum bibliothecam fecerat Christi. »

*Sexto*, Paulus erat quasi homo igneus (sic et cæteri Apostoli, ait Chrysostomus, hom. 4 *in Acta*, erant quasi homines ignei) et quasi flamma immissa in stipulas et silvam, quæ quotidie proserpens, in majus et majus semper crescebat incendium. Unde sicut ignis non timet multitudinem stipularum vel asperitatem, nec ab ea læditur, sed potius augetur omniaque in se convertit : ita et Paulus nulla hominum hostiumque copia, nullis minis et persecutionibus terrebatur aut lædebatur; sed hæc omnia erant fomenta ac flabra, quæ ignem hunc charitatis quotidie magis accendebant; ille enim omnia devorabat et in se convertebat, juxta illud *Cant.* VIII, 6 : « Fortis est ut mors dilectio, dura sicut infernus æmulatio; lampades ejus, lampades ignis atque flammarum. Aquæ multæ non potuerunt extinguere charitatem, nec flumina obruent illam. » Hinc et Christus constituens Petrum suum Vicarium, Episcopum, Pastorem et Apostolum totius orbis, ter rogavit : « Petre, amas me? » eoque respondente : « Domine, tu scis quia amo te; » subjunxit : « Pasce oves meas; » ut significaret pastorem animarum quotidie crescere debere in amore, ut pariter crescat in pastura, adeoque mensuram amoris esse mensuram pasturæ. Vir ergo Apostolicus dum apostolatum init, et v. g. Indiam, Æthiopiam, Angliam, Hollandiam adit, sibi persuadeat se jam prorsus alium esse debere ab eo qui fuit, ac ex Saulo fieri Paulum, ex animali spiritualem, ex terrestri cœlestem, ut sit quasi novus homo cœlo lapsus, veniens in novum orbem, qui amorem et ardorem divinum ore, vultu, gestu, oculis spiret, vibret et effulgeret, idque magis semper et magis : ac proinde cum S. Xaverio quotidie, crebro ardentibus suspiriis invocet Spiritum Sanctum ejusque hymnum ardenter recitet, ut is eum magis magisque accendat et igniat.

*Septimo*, Paulus fidelibus quibusque quos ad Christum convertebat, inspirabat suum animarum zelum, etiam plebeiis et feminis. Unde singulos quasi faciebat Apostolos, ut singuli satagerent Christi gloriam et fidem propagare, ad eamque parentes, filios, cognatos, servos, ancillas, vicinos adducere. Atque hac ratione statim per urbes et oppida mire propagata est religio Christiana, granumque sinapi crevit in magnam arborem et segetem. Idem faciant viri Apostolici; sic enim non unius apostolatus, sed plurimorum habebunt laudem, fructum, meritum et gloriam. Alioqui unus solus parum efficiet.

## CAPUT TERTIUM.

### DE VIRTUTIBUS PAULI PROXIMUM SPECTANTIBUS.

#### Prima est, Indefessa Evangelii prædicatio.

*Primo*, Paulus non aliud prædicabat quam Jesum Christum et hunc crucifixum, I *Corinth.* II, 2. Et *Ephes.* III, 8 : « Mihi, ait, omnium Sanctorum minimo data est gratia hæc, evangelizare in Gentibus investigabiles divitias Christi, et illu…minare omnes, quæ sit dispensatio sacramenti absconditi a sæculis in Deo, qui omnia creavit, ut innotescat principibus et potestatibus in cœlestib… …clesiam, multiformis sapientia Dei

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

in melius converterent. » Hinc semper idem ei erat animus, idem vultus, mores per omnia similes. Secus faciunt leves et ficti, de quibus dicitur : « Intus Nero, foris Cato. » Et : « Prima leo, postrema draco, media ipsa Chimæra, » ait S. Hieronymus *ad Rusticum*.

*Secundo*, modestiam hanc fidelibus commendans : « Modestia, ait, vestra nota sit omnibus hominibus, » *Philipp*. iv, 5. Et vers. 8 : « De cætero, fratres, quæcumque sunt vera, quæcumque pudica, quæcumque justa, quæcumque sancta, quæcumque amabilia, quæcumque bonæ famæ; si qua virtus, si qua laus disciplinæ, hæc cogitate. » Et cap. iii, vers. 17 : « Imitatores mei estote fratres, et observate eos qui ita ambulant sicut habetis formam nostram. » Et I *Cor*. xiv, 40 : « Omnia autem honeste et secundum ordinem fiant. »

*Tertio*, Paulus in verbis mire fuit affabilis et gratiosus, in sermone jucundus, in conversatione benignus et blandus : « Facti, inquit, sumus sicut parvuli in medio vestrum, tanquam si nutrix foveat filios suos. Ita desiderantes vos, cupide volebamus tradere vobis non solum Evangelium Dei, sed etiam animas nostras, quoniam charissimi nobis facti estis, » I *Thess*. ii, 7.

*Quarto*, Paulus officiosus est in salutando, tam omnes in communi initio epistolarum, quam singulos nominatim in fine earumdem; tum ut suam in eos comitatem ostendat; tum quia efficax est Sanctorum salutatio. Salutem enim quam precatur, suis meritis impetrat et præstat : uti B. Virgo salutans Elisabetham, eam cum fœtu sanctificavit, et Baptistam Christi prodromum effecit, *Luc*. i, 44. Unde S. Chrysostomus, in II *Timoth*. i : « Sufficit, ait, sola Pauli salutatio gratia implere eum, qui eo salutatur. » Quin et Paulus vinctus ad Neronem missus, « salutavit Neronis pocillatorem et concubinam, » ait Chrysostomus, hic *hom*. 54. Creditur illa fuisse Poppæa Sabina, quæ præ cæteris in deliciis a Nerone habebatur, inquit Baronius, ac forte per eam Neronem sibi conciliavit, ut liber dimitteretur e primis Romæ vinculis.

*Sanctorum salutatio efficax.*

*Quinto*, Paulus oculis, ore, opere, gestu, habitu omnique actione et motu spirabat animi mortuumque compositionem, pietatem, devotionem, sanctitatem vitamque cœlestem. « Paulus, ait Chrysostomus, hom. 1 *De ejus laudibus*, semetipsum mundo crucifigens, non solum humanorum corporum pulchritudines, sed etiam omnia quæ videntur rebus clara atque decorata, ita cernebat, sicut nos favillam cineremque despicimus, qui quasi mortuus prorsus ad mortuum immobilis permanebat. » S. Franciscus animo et vultu in cœlum intentus non aliud vita et voce, habitu et gestu concionabatur, quam « ad cœlum, ad cœlum. » Audi S. Bonaventuram, cap. iv Vitæ ejusdem : « Evangelicus præco civitates circuibat et castella, non in doctis humanæ sapientiæ verbis, sed in virtute spiritus annuntians regnum Dei. Videbatur intuentibus homo alterius sæculi; quippe qui mente ac facie in cœlum semper intentus, omnes sursum trahere conaretur. » Et cap. xii : « Omnis ætas omnisque sexus properabat virum novum mundo cœlitus datum cernere et audire. » Sic et illi homonymus ac suppar noster S. Franciscus Xaverius, Indorum Apostolus, mente oculisque in superna defixus, nonnisi paradisum cogitabat, spirabat, prædicabat, ac quasi homo cœlo lapsus, ad cœlum omnes traducere satagebat. Multo magis horum dux et princeps Paulus, in paradisum raptus cœlestes induerat mores, ac quasi angelus cœlo lapsus, ad homines in cœlum revocandos missus a Deo videbatur. Hinc cum Psalte admirando clamabat : « Filii hominum, ut quid diligitis vanitatem et quæritis mendacium? Quæ sursum sunt quærite, quæ sursum sunt sapite, non quæ super terram. » Deorsum corpora, sursum sint corda. Despice terrena, suspice cœlestia. « Quid enim mihi est in cœlo, et a te quid volui super terram, Deus cordis mei, et pars mea Deus in æternum? » Præclare S. Chrysostomus in epist. I *ad Timoth*., hom. 2 : « Hujusmodi, ait, tibi unguenta eme, quorum odor implere possit orbem. Talem fragrantiam Apostoli spirasse noscuntur. Odor enim, inquit, suavitatis sumus, aliis quidem in mortem, aliis vero in vitam. Quid autem [illegible] vult? Fertur nempe et sua fragrantia odoris suffocari. Non autem corpus Apostolorum tantum, sed et indumenta ipsa unguento spiritualis gratiæ plena erant. Ita enim Pauli indumenta suavissimum spirabant odorem ut etiam dæmones pellerent, *Act*. xix, 12. Quod folium, quam casiam, quam myrrham hujusmodi odor non suavitate et utilitate transcendit? »

*Mundo crucifixus.*

#### Octava, Studium proficiendi.

*Primo*, Paulus, esto in virtutis culmine consisteret, tamen quotidie seipsum superare et ad altiora conscendere satagebat. Hinc sibi persuadebat se esse imperfectum : « Non quod jam acceperim, inquit, aut perfectus sim; sequor autem si quo modo comprehendam, in quo et comprehensus sum a Christo Jesu. Fratres, ego me non arbitror comprehendisse. Unum autem, quæ retro sunt obliviscens, ad ea vero quæ sunt priora extendens meipsum, ad destinatum persequor ad bravium supernæ vocationis in Christo Jesu, » *Philipp*. iii, 12. Sapienter S. Hieronymus *ad Paulinum* : « Nihil in te mediocre esse contentus sum; totum summum, totum perfectum desidero. »

*Secundo*, Paulus quotidie augebat labores : hinc novas et novas semper regiones adibat et evangelizando obibat. Paulus, ait S. Chrysostomus, hom. 2 *De ejus laudibus*, quotidie celsior assurgebat, majores ambiens agones, majora certamina, majora pericula, majora tormenta pro Christo, perinde ac flamma in sylvam immissa jugiter proserpit, donec totam sylvam subigat, et in immensum crescat incendium.



*Tertio*, Paulus fideles in spiritu et virtute provehere et perficere studebat, omnesque ad sanctitatis incrementa incitabat. Unde *Ephes*. iv, 15 : « Veritatem, inquit, facientes in charitate crescamus in illo per omnia, qui est caput Christus. » Et vers. 23 : « Renovamini spiritu mentis vestræ, et induite novum hominem, qui secundum Deum creatus est in justitia et sanctitate veritatis. » Modum crescendi præscribit *Rom*. xii, 11 : « Sollicitudine, ait, non pigri, spiritu ferventes, Domino servientes, in tribulatione gaudentes, orationi instantes, » etc. Et S. Petrus, *Epist*. II, i, 10 : « Fratres, ait, magis satagite, ut per bona opera certam vestram vocationem et electionem faciatis. » « Paulus, ait S. Augustinus, serm. 11 in *Evangel. secundum Matth*., homines deos vel angelos esse cupiebat. »

*Quarto*, Paulus curabat ut Episcopi et pastores Ecclesiæ essent eximii in doctrina et virtute. Unde non nisi maxime idoneos promovebat, eos scilicet, qui maxime videbantur Christianos in re Christiana promoturi. Vide quot quantaque hac de re præscribat Timotheo Episcopo Ephesino, *Epist*. I, toto cap. iii, et Tito, cap. i, vers. 6 et seq. Ita S. Gregorius Thaumaturgus, Comanæ in Ponto, postpositis multis nobilibus et primariis, qui a variis proponebantur, Episcopum creavit Alexandrum Carbonarium, licet reluctantem, qui cum esset vir sapiens, studio latendi, ad carbones in urbem devehendos se abjecerat, eo quod nullus eo esset magis idoneus; qui proinde adeo præclare rexit istam Ecclesiam, ut pro ea sanguinem fuderit eamque martyrio suo condecorarit. Testis est Gregorius Nyssenus in vita Thaumaturgi.

*Quinto*, Paulus, etsi haberet scientiam a Deo revelatam et infusam, tamen per otium sacris litteris et lectioni dabat operam. Unde vinctus in carcere a Nerone sibi a Timotheo suos afferri jubet libros et membranas, II *Timoth*. iv, 13. Et idem præscribit, *Epist*. I, iv, 13, dicens : « Dum venio, attende lectioni. » Et *Epist*. II, ii, 15 : « Sollicite, inquit, cura teipsum probabilem exhibere Deo, operarium inconfusibilem, recte tractantem verbum veritatis. » Si hæc faciebat Paulus, qui erat arca virtutum et pelagus sapientiæ, spiritus et zeli, quid nos facere convenit. Ita Nepotianus, ait S. Hieronymus, in ejus Epitaphio *ad Heliodorum*, lectione assidua et meditatione diuturna « pectus suum bibliothecam fecerat Christi. »

*Sexto*, Paulus erat quasi homo igneus (sic et cæteri Apostoli, ait Chrysostomus, hom. 4 *in Acta*, erant quasi homines ignei) et quasi flamma immissa in stipulas et silvam, quæ quotidie proserpens, in majus et majus semper crescebat incendium. Unde sicut ignis non timet multitudinem stipularum vel asperitatem, nec ab ea læditur, sed potius augetur omniaque in se convertit : ita et Paulus nulla hominum hostiumque copia, nullis minis et persecutionibus terrebatur aut lædebatur; sed hæc omnia erant fomenta ac flabra, quæ ignem hunc charitatis quotidie magis accendebant; ille enim omnia devorabat et in se convertebat, juxta illud *Cant*. viii, 6 : « Fortis est ut mors dilectio, dura sicut infernus æmulatio; lampades ejus, lampades ignis atque flammarum. Aquæ multæ non potuerunt extinguere charitatem, nec flumina obruent illam. » Hinc et Christus constituens Petrum suum Vicarium, Episcopum, Pastorem et Apostolum totius orbis, ter rogavit : « Petre, amas me? » eoque respondente : « Domine, tu scis quia amo te; » subjunxit : « Pasce oves meas; » ut significaret pastorem animarum quotidie crescere debere in amore, ut pariter crescat in pastura, adeoque mensuram amoris esse mensuram pasturæ. Vir ergo Apostolicus dum apostolatum init, et v. g. Indiam, Æthiopiam, Angliam, Hollandiam adit, sibi persuadeat se jam prorsus alium esse debere ab eo qui fuit, ac ex Saulo fieri Paulum, ex animali spiritualem, ex terrestri cœlestem, ut sit quasi novus homo cœlo lapsus, veniens in novum orbem, qui amorem et ardorem divinum ore, vultu, gestu, oculis spiret, vibret et effulgeret, idque magis semper et magis : ac proinde cum S. Xaverio quotidie, crebro ardentibus suspiriis invocet Spiritum Sanctum ejusque hymnum ardenter recitet, ut is eum magis magisque accendat et igniat.

*Septimo*, Paulus fidelibus quibusque quos ad Christum convertebat, inspirabat suum animarum zelum, etiam plebeiis et feminis. Unde singulos quasi faciebat Apostolos, ut singuli satagerent Christi gloriam et fidem propagare, ad eamque parentes, filios, cognatos, servos, ancillas, vicinos adducere. Atque hac ratione statim per urbes et oppida mire propagata est religio Christiana, granumque sinapi crevit in magnam arborem et segetem. Idem faciant viri Apostolici; sic enim non unius apostolatus, sed plurimorum habebunt laudem, fructum, meritum et gloriam. Alioqui unus solus parum efficiet.

## CAPUT TERTIUM.

### DE VIRTUTIBUS PAULI PROXIMUM SPECTANTIBUS.

#### Prima est, Indefessa Evangelii prædicatio.

*Primo*, Paulus non aliud prædicabat quam Jesum Christum et hunc crucifixum, I *Corinth*. ii, 2. Et *Ephes*. iii, 8 : « Mihi, ait, omnium Sanctorum minimo data est gratia hæc, evangelizare in Gentibus investigabiles divitias Christi, et illuminare omnes, quæ sit dispensatio sacramenti absconditi a sæculis in Deo, qui omnia creavit, ut innotescat principibus et potestatibus in cœlestibus per Ecclesiam, multiformis sapientia Dei

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ® DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

præfinitionem sæculorum, quam fecit in Christo Jesu Domino nostro. »

*Secundo*, Paulus prædicabat non in humana sapientia et eloquentia, sed magna efficacia et zelo, « in ostensione spiritus et virtutis, » I *Cor.* cap. II, vers. 4. Nam, ut ipse ait, cap. IV, vers. 20 : « Non in sermone est regnum Dei, sed in virtute. » Unde S. Hieronymus in *Apolog. ad Pammach.*, pro libris adversus Jovinianum : « Paulum, inquit, Apostolum proferam, quem quotiescumque lego, videor mihi non verba audire, sed tonitrua, etc.; quocumque respexeris fulmina sunt. » Hinc prædicabat gratis : non enim quærebat lucrum, sed animas. Rursum intrepide, libere, sincere, fortiter, asseveranter : « Licet nos, inquit, aut angelus de cœlo evangelizet vobis præterquam quod evangelizavimus vobis, anathema sit, » *Galat.* I, 8. Et II *Timoth.* IV, 1 : « Testificor, ait, coram Deo et Jesu Christo, qui judicaturus est vivos et mortuos per adventum ipsius et regnum ejus; prædica verbum, insta opportune, importune : argue, obsecra, increpa in omni patientia et doctrina. »

33. Paulus catechizabat rudes. *Tertio*, Paulus studiose cathechizavit infideles et fideles, præsertim rudes et parvulos primi illius ævi Christiani, adeoque pleræque ejus conciones non fuerunt aliud quam catecheses. Docebat enim et confirmabat prima fidei rudimenta : « Facti, ait, sumus sicut parvuli in medio vestrum, tanquam si nutrix foveat filios suos, » I *Thessal.* II, 7. Et : « Tanquam parvulis in Christo lac vobis potum dedi, » I *Corinth.* III, 1. Id primitus sanxit et præstitit Christus : « Sinite, inquit, parvulos venire ad me, et ne prohibueritis eos; talium enim est regnum Dei, » *Marci* X, 13. Id secutus S. Petrus optat omnes repuerascere, *Epist.* I, cap. II, vers. 2 : « Deponentes, ait, omnem malitiam et omnem dolum et simulationes, sicut modo geniti infantes, rationabile, sine dolo lac concupiscite, ut in eo crescatis in salutem. » Nam, ut ait S. Hieronymus, epist. 12 *ad Gaudentium*, « ut aqua in areola digitum sequitur præcedentem, ita ætas mollis et tenera in utramque partem flexibilis est, et quocumque duxeris trahitur. » Sic olim, teste Eusebio, lib. VI *Histor.*, cap. III, VIII et XII, catechumenis instruendis in Alexandrina Ecclesia præfuerunt Pantenus, Clemens, Origenes, Heraclas; ac præcedenti sæculo Joannes Gerson, Cancellarius Parisiensis, qui pueros catechismum docebat eorumque confessiones audiebat. Et S. Vincentius Ferrerius vir Apostolicus, de quo ita scribit Petrus Ranzanus in ejus Vita : « Neque tantum provectos erudiebat, sed etiam pueros certis ad se horis evocatos instituebat, docens eos cruce se signare, orationem Dominicam, Salutationem Angelicam, fidei Symbolum, Deum colere, parentibus et proximis quibusque honorem habere, et debita officia persolvere. » Hi enim sunt Reipublicæ seminarium, qui in viros civesque probos adolescent. Quocirca S. Ignatius fundator Societatis nostræ, cum primis patribus studiose catechesin exercuit, eamdemque omnibus Sociis impense commendavit. Vide Ribadeneiram, lib. III Vitæ ejus, cap. XXIV. Unde S. Franciscus Xaverius apostolatus sui in India fundamenta jecit per catechesin rudium et puerorum, adeoque per pueros, parentes, famulos, ancillas convertit : quin et per eosdem miracula magna et multa patravit, uti narrat Tursellinus in ejus Vita, lib. II, cap. III, VI et VII. Xaverium secutus est Gaspar Barzæus, qui Armuziam per pueros quasi convertit, ac inter alia fanum Saracenorum dejecit, uti refert Nicolaus Triguatius in ejus Vita, lib. II, cap. IV et XIX. Ita Deus humilibus favet, et per parvos pueros et innocentes mira operatur.

*Quarto*, Paulus socios suæ prædicationis et peregrinationis plures allegit, ut Barnabam, Silam, Lucam, Titum, Timotheum, Clementem, etc., quos omnes quasi fratres, imo filios complectens, trajiciebat in viscera sua ac si eos unum faceret secum : et seipsum vicissim transmittebat in interiora eorum, quasi se faceret unum quid cum illis; ita ut in seipso omnes intueretur, et seipsum in omnibus, omnia illorum bona et mala tanquam propria aspiciens. Unde fiebat id quod de Religiosis scribit Chrysostomus, hom. 77 *in Joannem*, nimirum quod multi per charitatem sint unus ita ut per eamdem charitatis unionem singuli sint multi : « Unio, inquit, decem Religiosorum efficit, ut unus sit decem : nam unus est in omnibus decem, et omnes decem in uno. Quare unusquisque habet viginti manus, viginti oculos, et ita respirat et spirat per decem animas, tantam enim quisque curam gerit de altero, quantam de seipso. Ideoque oculi, manus et pedes omnium decem serviunt unicuique : nullus enim contentus est cura sui ipsius, sed etiam curam gerit reliquorum. Ac idcirco unus potest multa, quia potest sicut decem. Quod si unio est centum Religiosorum, unusquisque poterit quantum centum possunt. » Hæc Chrysostomus. Hoc symbolice significant sancta illa animalia Cherubica, *Ezech.* I, quæ erant numero quatuor, et tamen, *Ezech.* X, 15 et 20, vocantur unum animal : per unionem enim omnia quatuor erant unum, et ita quatuor erant in uno, ut unumquodque vicissim esset in quatuor. Unde et addit, cap. I, 9 : « Junctæque erant pennæ eorum alterius ad alterum. » Paulus enim se solo non poterat omnia præstare. Per Titum ergo catechizabat, per Timotheum privatim hos illosve instruebat, per Silam alibi prædicabat, per Lucam scribebat, etc. Apostolatus ergo plures et plurium conspirationem exigit. Id vidit S. Ignatius fundator Societatis nostræ, nimirum se solum parum posse in fide et pietate Christiana per totum mundum propaganda. Quocirca socios sibi adjunxit, et Societatem instituit, quæ toto orbe sparsa, per hanc unionem et gratiam Dei tanta præstat, quanta cum gaudio videmus et audimus. Sic S. Vincentius Ferrerius evangelizando obiens provincias, multos secum ducebat presbyteros, qui eum adjuvarent et pœnitentium confessiones exciperent, ut habet ejus Vita. Porro Paulus, fide et Ecclesia aliquo loco plantata, illico eidem aliquem ex sociis, aut ex aliis dabat Episcopum, qui plantata a se rigaret et proveheret. Ita Ephesiis dedit Timotheum, Cretensibus Titum, Rheginis Stephanum, etc.



*Quinto*, Paulus adibat metropoles, ut Corinthum in Achaia, Ephesum in Asia, Athenas in Græcia, Philippos in Macedonia, Romam in Italia. His enim conversis, reliquæ urbes et pagi eis subjecti facile convertuntur; quælibet enim suæ metropolis et principis fidem ac religionem sequitur. Ita S. Xaverius Meacum, Japoniæ metropolim, indeque ad regem Sinarum contendit : eo enim converso, totam Chinam et Japoniam, quæ Chinæ religionem sequitur, convertisset.

*Sexto*, Paulus prima ubique jaciebat fidei et Ecclesiæ fundamenta. « Sic, inquit, prædicavi Evangelium hoc, non ubi nominatus est Christus, ne super alienum fundamentum ædificarem, sed sicut scriptum est : Quibus non est annuntiatum de eo, videbunt; et qui non audierunt, intelligent, » *Rom.* XV, 20. Ipse ergo ubique ingenti animo et conatu, primus glaciem et aciem perfringebat; ipse primus aratrum fidei in novale gentilismi, evulsis errorum cepribus et spinis, immittebat. Unde scribens Corinthiis, *Epist.* I, cap. IV, 15, ait : « Nam si decem millia pædagogorum habeatis in Christo, sed non multos patres. Nam in Christo Jesu per Evangelium ego vos genui. » Hoc imitatus est noster Xaverius, de quo ita scribit P. Nicolaus Trigautius, lib. I *De Vita Gasparis Barzæi*, cap. XV : « Erat S. Xaverius ex iis imperatoribus, qui non modo nunquam plus militi suo imponebat, quam ipse sibi sumeret; sed qui, ut apud Lucanum Cato, dicere suis posset : Pericula vestra prætentate meo. Solebat enim ipse aliis ad difficillima quæque vitam præmunire, et initia omnia quæ fere solent esse difficiliora, prælibare. »

*Septimo*, Paulus raptus in paradisum, « illic arcana sacrorum disciplina a veritate initiabatur, atque illinc ad obediendum fidei in omnibus gentibus, vim sermonis accipiebat. Unde totius propemodum orbis terrarum pater exstitit, » ait Nyssenus in *Laud. S. Basilii*.

*Octavo*, Paulus prædicabat tum verbis, tum magis precibus et vitæ exemplo. Unde ait : « Imitatores mei estote, et observate eos, qui ita ambulant, sicut habetis formam nostram, » *Philipp.* III, 17. Notat solerter S. Bernardus, serm. 2 *De Resurrect.*, Christum dum Petro pastori commendaret suas oves, ter ingeminare : « Pasce oves meas, » *Joan.* XXI, 15, ut significet eum tripliciter pascere debere, nimirum mente, lingua, manu. « Pasce, inquit, mente, pasce ore, pasce opere. Pasce animi oratione, verbi exhortatione, exempli exhibitione. » Idem, *epist.* 201 : « Pasce, ait, verbo, pasce exemplo, pasce sanctarum fructu orationum. » Hinc rursum ait Paulus : « Imitatores mei estote, sicut et ego Christi, » I *Cor.* XI, 1. Hoc ex Paulo didicit S. Basilius, de quo præclare dixit Nazianzenus in ejus *Epitaphio* : « Basilii oratio erat tonitru, quia vita erat fulgur. » Denique Paulus semper et ubique prædicabat, etiam in vinculis et martyrio, tum verbis, tum epistolis quarum plures et ardentiores scripsit e carcere. Porro S. Chrysostomus, lib. IV *De Sacerdotio*, in epistolis Pauli agnoscit « Isocratis tersum lævorem, Demosthenis amplam sublimitatem, Thucydidis verendam majestatem, Platonis excellentem dignitatem. » Idem, hom. 6 *De Pœnit.*, Paulum vocat « Christi rhetorem, mundi piscatorem, qui per quatuordecim Epistolas, veluti spiritualia retia, ad salutem captat. »

### Secunda, Prudenti

*Primo*, Paulus rerum occasiones prudenter captabat. Unde captus a Judæis, cum videret judices suos partim esse Pharisæos, partim Sadducæos, exclamavit se esse Pharisæum, et de resurrectione mortuorum judicari, itaque Pharisæos in suam partem attraxit, qui eum contra Sadducæos tutati sunt, *Act.* cap. XXIII, vers. 6. Rursum Paulo prima sui erat cura : « Ne forte, inquit, cum aliis prædicaverim, ipse reprobus efficiar, » I *Cor.* IX, 27. « Quid enim prodest homini si universum mundum lucretur, animæ vero suæ detrimentum patiatur? » Adde, sui cura et sanctitas est optima dispositio et via ad curandum et sanctificandum alios. Sic enim mater, quo majores et meliores cibos comedit, eo plus generat lactis quod infantibus impertiatur.

*Secundo*, Paulus, ait Chrysostomus, hom. 5 *De ejus Laud.*, « in verbis et actibus erat varius et multiplex, non mutando sententiam, nec alter factus ex altero; sed ipse quod erat semper manendo, eorum quæ dicta sunt usum pro causarum opportunitate variabat. Sic enim medicum videmus nunc urentem, nunc foventem; nunc jejunium, nunc cibum indicentem; nunc aquam calidam, nunc frigidam propinantem : quia hoc ægri et ægritudinis variatio deposcit. Hinc Paulus nunc custodit legem, nunc despicit; nunc servat præsentem vitam, nunc contemnit; nunc postulat pecunias, nunc refutat; nunc circumcidit, nunc circumcisionem excludit. » Quocirca S. Gregorius Nazianzenus Paulum et Apostolos vocat ambidextros. « Bonum ducem efficiunt labor in negotiis, industria in agendo, in providendo consilium, et celeritas in conficiendo, » ait Cicero. Talis per omnia fuit Paulus.

*Tertio*, Paulus prudenter se personis accommodabat, ut cum Judæis videretur Judæus, cum Gentilibus Gentilis, cum infirmis infirmus : « Omnibus, inquit, omnia factus sum, ut omnes salvos facerem. » Idem egregie imitatus est S. Xaverius.

Hinc prudenter uterque studuit conciliare sibi principes et magistratus, laudando eorum officium et politiam quasi a Deo institutam, ac jubendo ut Christiani eis, licet Ethnicis, obedientiam, honorem et tributum præstent, *Rom.* XIII, 1 et seq. Hoc imitentur viri Apostolici, ac principes tam laicos quam ecclesiasticos sibi devinciant: illi enim eorum operas valde vel promovere, vel impedire possunt. Unde et S. Petrus, *Epist.* I, cap. II, vers. 13: « Subjecti, inquit, estote omni humanæ creaturæ propter Deum, sive regi quasi præcellenti, sive ducibus tanquam ab eo missis, ad vindictam malefactorum, laudem vero bonorum: quia hæc est voluntas Dei. » Hac de causa Paulus impense orari jubet « pro regibus et omnibus qui in sublimitate sunt, ut quietam et tranquillam vitam agamus, in omni pietate et castitate, » I *Timot.* II, 2.

*Quarto*, Paulus eleemosynas pro pauperibus Christianis qui erant Hierosolymæ, per Timotheum et socios colligebat, ne quis suspicaretur eum pro se petere, aut aliquid in proprios usus convertere, II *Corinth.* VIII, 20. Ita et S. Xaverius Gaspari Barzæo mandat, ut eleemosynas sibi oblatas ad eleemosynarios amandet, multasque hujus rei causas et utilitates assignat, quas recenset Tursellinus in ejus Vita, lib. VI, cap. XII.

*Quinto*, Paulus prudentissimus erat morborum animi medicus; cuique enim congrua et propria exhibebat pharmaca, quæ ex eo hausit et accurate dispersit S. Gregorius, tota III parte *Pastor.*, ubi fuse docet qua ratione et modo admonendi sint viri, qua feminæ; qua læti, qua tristes; qua subditi, qua Prælati; qua hebetes, qua sapientes; qua verecundi, qua impudentes; qua ægri, qua sani; qua pigri, qua præcipites; qua mansueti, qua iracundi; qua pertinaces, qua inconstantes; qua humiles, qua elati, etc. Idem, *part.* II, vivam veri Pastoris ideam ita depingit: « Sic necesse est cogitatione mundus, actione præcipuus, discretus in silentio, utilis in verbo, singulis compassione proximus, præ cunctis contemplatione suspensus, bene agentibus per humilitatem socius, contra delinquentium vitia per zelum justitiæ erectus, internorum curam in exteriorum occupatione non minuens, exteriorum providentiam internorum sollicitudine non relinquens, » quæ deinde sigillatim ordine toto libro prosequitur.

Tertia, Zelus.

*Primo*, Paulus charitate complexus est totum orbem eumque studuit « Deo offerre, ait S. Chrysostomus, hom. I *De ejus Laudibus*; qui terram videlicet ac mare, Græciam simulque Barbariam, omnemque prorsus quanta sub cœlo est regionem, quasi volitans circumivit, non simplici labore, velut in vacuum itinera percurrens, sed peccatorum spinas pariter evellens, et verbum seminans ubique pietatis, fugans errores, veritatem reducens, ex hominibus angelos faciens; quinimo ipsos homines quasi ex dæmonibus in angelos provehens. » Hinc quasi fulgur, ut ait Chrysostomus, *hom.* 2, celerrime orbem pertransiit et subegit. Pinxit Apelles Alexandrum Magnum fulgur manu tenentem, eo quod instar fulguris eum pervaserit et subjugarit. Unde et Alexander usurpare poterat illud Julii Cæsaris: « Veni, vidi, vici. » Paulus superavit Alexandrum, quia orbem subegit verbo, non ferro, Christo non Alexandro. Ita S. Chrysostomus, cujus verba recitabo, *Act.* XX, 16. Ex hoc zelo plus cæteris Apostolis laboravit, ut ipse ait, I *Cor.* XV, 10.

*Secundo*, cor Pauli ita magnum erat, latum et amplum, ut totus mundus ei videretur exiguus. Audi S. Chrysostomum, hom. 32 in epist. *ad Rom.*, in Morali: « Cordis illius, ait, pulverem videre vellem: quod si quis totius orbis cor dixerit, et elementum primarium salutis nostræ, non erraverit. Cor istud adeo latum fuit, ut in se susceperit integras urbes, populos et gentes. Cor enim, inquit, meum dilatatum est, sed ut latum fuerit, tamen sæpe numero occupavit et pressit illud quæ ipsum dilatabat dilectio. Ex multa quippe tribulatione, inquit, et anxietate cordis scripsi vobis. Et dissolutum etiam videre vellem cor istud, erga unumquemque pereuntium accensum et ignitum, secundo parturiens filiorum abortus, Deum videns hostiam factum, cœlis ipsis sublimius, orbe latius, radiis solaribus exhilaratius, igne ferventius, adamante solidius, fluvios emittens (flumina siquidem fluent ex ventre ejus, inquit, aquæ vivæ), ubi erat fons exiliens et rigans non terræ superficiem, sed animas hominum. Unde non solum fluvii, sed et fontes lacrymarum noctes atque dies emanarunt. Cor, inquam, quod novam vitam, non hanc nostram, vixit. Vivo enim, inquit, jam non ego, vivit vero in me Christus. Cor itaque Christi erat cor Pauli tabulaque Spiritus Sancti, atque charitatis volumen. »

104. Paulus amplum cor habuit.

Cor Pauli erat volumen charitatis.

*Tertio*, Paulus habebat zelum admirabilem animarum. Hic enim eum impulit ad tantos labores pro iis continue exantlandos omniaque vitæ discrimina animose subeunda. « Æmulor, inquit, vos Dei æmulatione: despondi enim vos uno viro virginem castam exhibere Christo, » II *Cor.* XI, 2. Zelo ergo videbatur esse angelus, imo Seraphinus. Nam, ut ait S. Ambrosius, *in Psal.* CXVIII, serm. 18: « Angeli sine zelo, nihil sunt, et substantiæ suæ amittunt prærogativam, nisi eam zeli ardore sustentent. » Et paulo post: « Et quid miremur, si angeli eum habent? Ipse Deus Pater ait: Zelans zelabo Jerusalem zelo magno: quia Deus magnus, ideo et zelus magnus est, et pro uniuscujusque potentiæ qualitate, ita et zelus aut mediocris aut magnus est. Zelo vindicatur Jerusalem, zelo Ecclesia congregatur, zelo fides acquiritur, zelo pudicitia possidetur. Dominus quoque Jesus ait: Zelus domus tuæ comedit me. » Et rursum: « Zelum habere debet sacerdos, qui incorruptam servare studet Ecclesiæ castitatem. »



Ita Phinees sacerdos, zelo suo occidens principem idololatrantem, idololatriam compescuit, indignationem Dei et vindictam sedavit, meruitque pontificatum perpetuum, *Num.* XXV, 11. Pergit Ambrosius: « Bonus zelus et utilis in sacerdote, præcipue ne negligens, ne remissus sit (unde vulgo dicitur: Qui non zelat, non amat); zelus Dei vita est. Zelum habuit Elias, et ideo raptus ad cœlum est. Zelans, inquit, zelavi pro Domino Deo exercituum, » III *Reg.* XIX, 10. « Zelum habuit Mathathias, qui adversus sacrilegia Antiochi excitavit plebem ad resistendum, » I *Mach.* II, 27.

*Quarto*, Paulus zelum exercuit in idola, dæmones, vitia et vitiosos, illa extirpando, hos corrigendo, secutus Christum, qui ait, *Lucæ* XXII, 49: « Ignem veni mittere in terram, et quid volo nisi ut accendatur? » et Psaltem, qui ait, *Psal.* CXVIII, 139: « Tabescere me fecit zelus meus, quia obliti sunt verba tua inimici mei. » Unde S. Ambrosius loco jam citato: « Zelum qui habent, inquit, omnes sibi inimicos suos putant, qui sunt hostes Dei, quamvis patrem, fratres, socios. Omnibus dicit: In hostes facti sunt mihi, sicut David ait. » Et S. Gregorius, II part. *Pastor.*, cap. VI: « Sit rector, inquit, per humilitatem socius, contra delinquentium vitia per zelum justitiæ erectus, ut et bonis in nullo se præferat; et cum pravorum culpa exigit, potestatem sui protinus prioratus agnoscat, ut erga perversos jura rectitudinis exercere non formidet. » Sic Paulus jubet Tito, cap. I, vers. 13, ut duros dure increpet.

*Quinto*, Pauli quasi hominis ignei, sermo pariter erat igneus, instar Eliæ, de quo dicitur: « Surrexit Elias propheta quasi ignis, et verbum ipsius quasi facula ardebat, » *Eccli.* XLVIII, 1. Unde et curru igneo raptus est in cœlum. Nam, ut ait Psaltes, *Psal.* CXVIII, 140: « Ignitum eloquium tuum vehementer, et servus tuus dilexit illud. » « Hoc igne, ait S. Ambrosius, *ibid.*, apostolicum illud aurum probatur. Hoc igne calefactus dicit Jeremias: Et erat ignis flammigerans in ossibus meis. Hoc igne pretiosi illi lapides illuminantur, fenum autem et stipula consumitur. Mundat ergo hic ignis animum, consumit errorem. Hic est ignis qui ardet ante Dominum: nisi enim quis flagrantiam devotionis sumpserit, præsentiam Domini habere non poterit. Hoc igne urebatur rubus, et non exurebatur. Urit enim sermo divinus, ut corrigat conscientiam peccatoris, non exurit ut perdat. » Præclare S. Augustinus, in *Psal.* LXVIII: « Quis, ait, comeditur zelo domus Dei? qui omnia quæ forte ibi videt perversa, satagit emendare, cupit corrigere, non quiescit: si emendare non potest, tolerat, gemit. Non excutit de area granum, sustinet paleam, ut intret in horreum, cum palea fuerit separata. » Et S. Chrysostomus, hom. 32 *in Acta*: « Qui igne, inquit, Christi captus fuerit, talis fit, qualis esset homo solus super terram habitans; adeo nihil ei curæ est gloria et ignominia. Tentationes autem sic contemnit, et flagella, et carceres, quasi in alieno corpore pateretur; vel perinde ac si adamantinum possideret corpus. Quæ autem suavia sunt in hac vita, ita ridet, et non sentit, sicut nos ipsi mortui corpora mortua: et sicut muscæ in medium flammæ non incidunt, sed fugiunt, ita et affectiones animi illos accedere non audent. » Celebrant Gentiles plenis buccis duodecim labores et heroica facinora Herculis, quos ita decantat Poeta:

Compressit Nemeæ primum virtute Leonem.
Exstincta est angues quæ pollulat, Hydra secunda.
Tertius evictus Sus est Erymanthius ingens.
Cornibus auratis Cervum necat ordine quarto.
Dejecit horrisono quinto Stymphalidas ictu.
Abstulit Hippolytæ sexto sua vincula victæ.
Septimus Augiæ stabulum labor egerit undis.
Octavo domuit magno luctamine Taurum.
Tum Diomedis equos nono cum rege peremit.
Geryonem decimo triplici cum corpore vicit.
Undecimo abstractus vidit nova Cerberus astra.
Postremo Hesperidum victor tulit aurea mala.

Longe verius et potiori jure celebrat sancta Scriptura heroica gesta Samsonis, Davidis, Judæ et fratrum Machabæorum; sed hos omnes superavit Paulus, non corpora, sed animas vinciens et vincens; non bruta, nec homines duntaxat, sed et dæmones subjugans; nec unam gentem, sed totum orbem Christo subjiciens. Paulus ergo est verus Christi Hercules, verus Samson, verus David, verus Machabæus, qui non duodecim, sed mille trophæa erexit, mille triumphos peregit.

Quarta, Compassio.

*Primo*, Paulus omnium infirmitatibus ita compatiebatur et cruciabatur, ac si omnium esset mater: proinde eas curare ac in se suscipere satagebat, secutus illud Isaiæ de Christo, cap. LIII, vers. 4: « Vere languores nostros ipse tulit, et dolores nostros ipse portavit. » Præclare S. Gregorius, prædicatores vocat cervas et ibices, quæ præ cæteris animalibus difficillime, maximoque nisu et cruciatu pariunt. Unde de eis mystice explicat illud Job, cap. XXXIX, vers. 1: « Numquid nosti tempus partus ibicum in petris, vel parturientes cervas considerasti? Incurvantur ad fœtum, et pariunt, et rugitus emittunt. Video, ait, Paulum quasi cervam quosdam in suo partu magni doloris rugitus emittentem: O insensati, ait, Galatæ, quis vos fascinavit? Et: Sic stulti estis, ut cum spiritu cœperitis, carne consummemini? Currebatis bene, quis vos impedivit veritati non obedire? Qualis in hujus cervæ partu rugitus fuit, quæ diu conceptos fœtus cum tot difficultatibus peperit, et quandoque partus ad malitiæ uterum redisse cognovit? Consideremus quid doloris habuerit, quid laboris, quæ et postquam potuit concepta edere, rursum compulsa est exstincta suscitare. » Vide eumdem, lib. XXX *Moral.*, cap. IX et X.

*Secundo*, Paulus per compassionem crebro flebat. Unde aliquo in peccatum labente, mœstitia, omni verme molestior, eum consumebat, ait S. Chrysostomus, homil. 1 *De ejus Laud.* : « Hinc et juges lacrymarum fontes, inquit, ex eo non diebus solum, sed etiam noctibus affluebant, omnique muliere parturiente vehementius affligebatur in singulis, propter quod etiam dicebat : Filioli mei, quos iterum parturio, donec Christus formetur in vobis, » *Galat.* IV, 19. « Et in causa ejus qui fuerat fornicatus, ait S. Chrysostomus, hom. 3 *De Laud. S. Pauli*, non minus ipso qui pro peccato suo lamentabatur, dolet, proque illo alios deprecatur dicens (II *Cor.* II, 8) : Confirmate in illum charitatem. Sed etiam quando illum ab Ecclesiæ corpore separabat, quam multis hoc lacrymis gemituque faciebat : Ex multa, inquit, tribulatione et angustia cordis scripsi vobis per multas lacrymas, non ut contristemini, sed ut sciatis quam charitatem habeam abundantius in vos, » *ibid.*, vers. 4. Idem, hom. 6 *in Matth.* : « Paulus, inquit, crebro flevisse legitur, risisse nunquam, atque ac Christus. » Idem, hom. 2 *De Laud. S. Pauli* : « Nullus, ait, tanto affectu mala propria, quanto Paulus deflebat aliena. »

*Tertio*, Paulus videns avariores et arctiores Christianorum a se conversorum animos ad dandam et debitam jure naturæ et divino alimoniam, non refrixit in evangelizando, sed majori charitate eos complexus, eorum oblationes et dona recusavit, gratisque eis prædicavit, nocte et die cum lacrymis docens, et monens unumquemque eorum, uti ipse ait, *Act.* XX, 31. Vide S. Chrysostomum, *hom.* 44, cujus verba ibidem recitavi. Hinc rursum ait Corinthiis tenacioribus, *Epist.* II, cap. XII, vers. 15 : « Ego libentissime impendam, et superimpendar ipse pro animabus vestris, licet plus vos diligens, minus diligar. »

*Quarto*, Paulus sicut omnes lapsos benigne in gratiam recipiebat, ita labantes omni ope sustentabat. « Quis, ait, infirmatur, et ego non infirmor? Quis scandalizatur, et ego non uror? » II *Cor.* XI, 29; et de iisdem sollicitus, cap. XII, 20 : « Timeo, ait, ne forte cum venero, non quales volo inveniam vos, et ego inveniar a vobis, qualem non vultis; ne forte contentiones, æmulationes, animositates, dissensiones, etc., sint inter vos; ne iterum cum venero, humiliet me Deus apud vos, et lugeam multos. » « Omnem enim, inquit Chrysostomus, hom 3 *De Laud. S. Pauli*, prorsus hominem Deo exhibere cupiebat, et omnes quantum ad ipsum spectat, exhibuit : quasi enim universum mundum genuisset, sic perturbabatur, sic currebat, sic omnes in regnum Dei festinabat inducere, docendo, pollicendo, meditando, orando, supplicando, terrendo, dæmones animarum corruptores fugando : aliquando epistolis, aliquando præsentia : nunc sermone, nunc rebus : nunc per discipulos, nunc per semetipsum conabatur erigere labantes, stantes vero firmare, humi jacentes erigere, sanare contritos, torpentes oleo exhortationis animare. »

S. Paulum imitatus est Nepotianus, de quo S. Hieronymus in ejus *Epitaph. ad Heliod.* : « Clericatum, inquit, non honorem intelligens, sed onus, primam curam habuit, ut invidiam humilitate superaret, subvenire pauperibus, visitare languentes, provocare hospitio, lenire blanditiis, gaudere cum gaudentibus, flere cum flentibus; cæcorum baculus, esurientium cibus, spes miserorum, solamen lugentium fuit. Ita in singulis virtutibus eminebat, quasi cæteras non haberet. Inter presbyteros et coæquales primus in opere, extremus in ordine. »

*Quinto*, Paulus non tantum animarum, sed et corporum curam gerebat. Unde studiose in Achaia et Macedonia collectam pecuniarum fecit pro pauperibus Hierosolymitanis, II *Cor.* VIII et IX. 109. Paulus corporum curator.

Ipse ergo sibi labore manuum victum parans, alios insuper alebat; ipse pauper, alios ditabat; ipse esuriens, alios pascebat; ipse pedibus incedens, socios navi imponebat, *Act.* XX, 13 et 34 : « Non enim quæro quæ vestra sunt, sed vos : nec enim debent filii parentibus thesaurizare, sed parentes filiis, » ait ipse, II *Cor.* XII, 14. Vere S. Hieronymus *ad Paulinum* : « Verum Christi templum, ait, anima credentis est : illam exorna, illam vesti, illi offer donaria, in illa Christum suscipe. » Idem, epist. 4 *ad Rusticum*, : « S. Exuperius, inquit, Tolosæ Episcopus, viduæ Sareptensis imitator, esuriens pascit alios, et ore pallente jejuniis, fame torquetur aliena, omnemque substantiam Christi visceribus erogavit. Nil illo ditius, qui corpus Domini canistro vimineo, sanguinem portat in vitro, qui avaritiam ejecit e templo, etc. »

*Sexto*, Paulus suo et Christi exemplo, impense Christianis commendat, ut mutuas et aliorum quorumlibet infirmitates tolerent, sustentent et curent. Hoc enim non tantum indicium esse magnæ et robustæ virtutis; sed et causam meritoriam, ut Deus vicissim nostras infirmitates toleret et curet. « Debemus, inquit, nos firmiores imbecillitates infirmorum sustinere, » *Rom.* XV, 1. Et cap. XIV, vers. 1 : « Infirmum autem in fide assumite. » Et *Galat.* VI, 2 : « Alter alterius onera portate, et sic adimplebitis legem Christi. » Vide ibi dicta.

*Septimo*, Paulus studiose vitabat et cavebat quodlibet scandalum : « Sine offendiculo, inquit, estote Judæis et Gentibus, sicut et ego per omnia omnibus placeo, non quærens quod mihi utile est, sed quod multis, ut salvi fiant, » I *Cor.* XI, 32. Hinc vetuit idolothyta comedi ob scandalum. Vide Rom. cap. XIV, et I *Cor.* VIII. Sapienter S. Hieronymus, in *Epitaphio Nepotiani ad Heliodorum Episcopum* : « Domus, ait, tua et conversatio quasi in specula constituta, magistra est publicæ disciplinæ : quidquid feceris, id sibi omnes faciendum putant. Cave ne committas, quod aut qui reprehendere volunt, digne lacerasse videantur; aut qui imitari, cogantur delinquere. »



Quinta, Amor inimicorum.

*Primo*, Paulus Judæos hostes et insidiatores suos infensissimos, qui ejus sitiebant cruorem eumque quotidie discerpere gestiebant, ait S. Chrysostomus, ita amavit, ut eis jugiter prædicarit, ubique prius ingrediens synagogas Judæorum, quam ad Gentes diverteret, ut patet ex *Actis*, cap. XIII et seq. Ubi admirare heroicam Pauli constantiam, qua toties repulsus a Judæis, semper ad eos rediit, sperans se eos conversurum. Nam, ut ait S. Chrysostomus, hom. 1 *ad Populum* : « Mollis et ignavus ex primo statim impetu concidit, vehemens autem et excitatus, licet millies interpelletur, tanto magis divinis rebus instabit, quantum in se est omnia implens. Amantis enim maxime est, nunquam ab his quæ amato complacent, absistere. »

*Secundo*, optabat pro eorum salute millies mori, imo gehennæ tormenta subire, *Rom.* IX, 1 : « Veritatem, inquit, dico in Christo, non mentior, testimonium mihi perhibente conscientia mea in Spiritu Sancto, quoniam tristitia mihi magna est, et continuus dolor cordi meo. Optabam enim ego ipse anathema esse a Christo pro fratribus meis, » puta pro Judæis. Vide ibi dicta.

*Tertio*, Paulus pseudoapostolos sibi invidentes humilitate sustinuit, patientia fregit, prudentia discussit, magnanimitate superavit, charitate subjugavit. Vide totum cap. X et XI, epist. II *ad Corinth.*, et ea quæ ibi dixi. « Quanto amplius, inquit Chrysostomus, hom. 3 *De Laud. S. Pauli*, efferabantur inimici, tanto eorum magis miserabatur insaniam. Ut enim aliquis indulgentissimus pater afficitur erga filium phrenesi comprehensum, cujus quanto magis conviciis ictibusque pulsatur, tanto potius eum miseratur et deflet : ita Paulus qui ipsam magnitudinem passionum eorum a quibus affligebatur, existimaret furorem, majora illis adhibebat fomenta pietatis : sæpe lacrymabatur, vehementer pro illis dolebat; volentes illis insultare prohibebat, excusabat. Mordebatur enim vehementer, ac penitus dissecabatur, cum eos pereuntes videret. »

*Quarto*, Paulus fidelibus impense commendat dilectionem inimicorum quasi notam Christi et Christianismi : « Si esurierit, inquit, inimicus tuus, ciba illum. Si sitit, potum da illi : hoc enim faciens, carbones ignis congeres super caput ejus. Noli vinci a malo, sed vince in bono malum, » *Rom.* XII, 20. Christus enim idipsum sanxit præ gentilibus Philosophis et Judæis, *Matth.* V, 43 : « Audistis, inquit, quia dictum est (Judæis) : Diliges proximum tuum, et odio habebis inimicum tuum. Ego autem dico vobis : Diligite inimicos vestros, benefacite his qui oderunt vos, et orate pro persequentibus vos, ut sitis filii Patris vestri qui in cœlis est, qui solem suum oriri facit super bonos et malos, et pluit super justos et injustos. »

*Quinto*, Paulus persecutiones, contradictiones, infortunia aliaque impedimenta sibi in prædicatione objecta, ascribebat diabolo. Unde ejus machinationes sapienter indagabat, et fortiter ac constanter superabat. Ita fornicarium Corinthium a se excommunicatum, post pœnitentiam jubet absolvi, ne in pusillanimitatem et desperationem incidat, « ut non circumveniamur, inquit, a Satana : non enim ignoramus cogitationes ejus, » II *Cor.* II, 11. Et cap. XI, 14 : « Satanas transfigurat se in angelum lucis. » Et cap. XII, 7 : « Datus est mihi stimulus carnis meæ, angelus Satanæ, qui me colaphizet. » Et I *Thessal.* II, 18 : « Voluimus venire ad vos, etc., sed impedivit nos Satanas. » Unde orat, *Roman.* XVI, 20, dicens : « Deus autem pacis conterat Satanam sub pedibus vestris velociter. » Et Ephesios, cap. IV, 27, monet : « Nolite locum dare diabolo. » Sic et S. Petrus, *Epist.* I, cap. V, 8 : « Sobrii, inquit, estote et vigilate, quia adversarius vester diabolus, tanquam leo rugiens circuit quærens quem devoret, cui resistite fortes in fide. »

Sexta, Martyrium.

*Primo*, Paulus toto apostolatus sui tempore fuit Martyr : longum enim in perpetuis periculis, ærumnis, persecutionibus, quas ipse recenset, II *Cor.* XI, obivit martyrium. Hinc ipse e primis 110. Paulus toto apostolatu Martyr.

sub Nerone vinculis, quasi martyrii candidatus, illud avide exspectans et ambiens, scribens *ad Philip.*, cap. II, 17 : « Sed et si immolor, inquit, supra sacrificium et obsequium fidei vestræ, gaudeo, et congratulor omnibus vobis, » *q. d.* Sacrificium meum est prædicatio Evangelii, vos estis mea hostia quam sacrifico, libamen sit sanguis meus : libens ergo sanguinem pro vobis fideque vestra profundam, ut eo vos quasi hostiam condiam, sanciam, libem offeramque Deo. Et, I *Cor.* XV, 31 : « Quotidie morior per vestram gloriam, fratres, quam habeo in Christo Jesu Domino nostro. » Unde S. Bernardus, serm. 1 *in die S. Petri et Pauli* : « Isti, inquit, sunt præclari Martyres, Martyrum duces, Apostolorum principes, duo magna luminaria, quos Deus in corpore Ecclesiæ suæ constituit, quasi geminum lumen oculorum. Illi mihi traditi sunt in magistros, et in mediatores, quibus secure me committere possim. »

*Secundo*, Paulus laureæ apostolatus sui imposuit coronidem martyrii. Cum enim Romanos a Simone Mago, pellicem a Nerone ad Christum traduxisset, ait Chrysostomus, lib. I *Contra Vituper. vitæ monasticæ*, a Nerone anno imperii sui 13, securi in columna, quæ etiamnum juxta Romam ad aquas Salvias visitur, percussus, cursum suum glorioso martyrio conclusit et decoravit. Quis animi ipsius in ultimo illo vitæ articulo sensa ultima, quis animæ Dei Christique desiderio ardentis vota et preces, quis colloquia cum Christo, quis suspiria, quis gaudia, quis raptus comme-

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ® DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

morat, imo cogitatione assequatur? Sane in illo vitæ et mortis confinio, in illo temporis et æternitatis horizonte jam quasi cœli civis, imo quasi Seraphinus, toto in Christum mentis rapiebatur excessu. Unde et ore et voce Jesum ingeminans, caput, licet a cervice recisum, tres ingentes dedit saltus, quibus totidem miraculo ingenti fontes e terra elicuit, quibus etiamnum Roma fruitur, perennibus utique testibus fontium doctrinæ et gratiæ, quos vivens in Romam et totum orbem scaturivit et eructavit. Hinc etiam insolito vultus vocisque ardore, lictores suos militesque ad Christum convertit. Denique e cervice recisa non sanguis, sed lac emanavit, ut non tam cruentatus emori, quam lacteus vivere solitumque doctrinæ suæ lac fidelibus, etiam moriens porrigere videretur. Vere S. Hieronymus, *ad Eustoch. de custod. virg.* : « Pretiosa, inquit, in conspectu Domini mors Sanctorum ejus. Hæc est sola digna retributio cum sanguis sanguine compensatur, et redempti cruore Christi pro Redemptore libenter occumbimus. »

Capitis Pauli saltus tres fontes eliciunt.

*Tertio*, Paulus martyrii fidelibus fuit dux et antesignanus, eoque cæteris Martyribus tanto exemplo præivit, ut Romæ et alibi multa centena fidelium millia cum animose secuta, sanguinem pro Christo fuderint, martyriumque non tantum obierint, sed et ambierint. « Ut tu sine offensione gradiaris, discipuli Domini amictu proprii se corporis exuentes, inter adversa turbarum viam tibi suo stravere martyrio, » ait S. Ambrosius, lib. IX in *Lucam*. Idem S. Ambrosius, lib. VII, *epist.* 1, quæ inter omnes est numero 53, narrat S. Paulum sibi apparuisse et revelasse locum in quo sepulta erant corpora S. Gervasii et Protasii martyrum, discipulorum et asseclarum suorum, ac jussisse ut ea eximeret et Ecclesiam eorum nomine fabricaret, in qua honorifice illa reconderet. « Apparuerunt (S. Gervasius et Protasius) mihi, inquit, cum tertia persona, quæ similis esse B. Paulo Apostolo videbatur, cujus me vultum pictura docuerat, in tantum ut ipse mecum, illis tacentibus, loqueretur dicens : Isti sunt qui monitis meis obtemperantes, prædia et divitias respuentes, secuti sunt Domini nostri Jesu Christi vestigia; nihil terrenum, nihil carnale concupiscentes, in media hac Mediolanensi urbe per decem annos in Dei servitio perdurantes, ad hoc pertingere meruere, ut Christi Martyres fierent. Quorum corpora in eo loco invenies, in quo stas et oras. » Porro Paulus moriens animam cœlo, famam æternitati, fideles Ecclesiæ, corpus et sanguinem cum fide Romæ transmisit et consecravit, factusque non tantum civis, sed et Consul ac Imperator Romanus, ibidem arcem imperii obtinuit, deturbatoque dæmonum et Gentilitatis cultu, Christi crucis vexilla constituit, ut jam Roma Ethnica facta Christiana, Christo non tantum suum, sed et totius orbis sibi subjecti, caput submittat. Vere Tertullianus, in *Scorpiaco*, cap. XV : « Orientem fidem, ait, Romæ primus Nero cruentavit. Tunc Petrus ab altero cingitur, cum cruci astringitur. Tunc Paulus civitatis Romanæ consequitur nativitatem, cum illic martyrii renascitur generositate. » Idem, *De Præscript. adversus hæret.*, cap. XXXVI, Romanam Ecclesiam celebrans : « Statu felix Ecclesia, inquit, cui totam doctrinam Apostoli cum sanguine suo profuderunt. » Vide S. Chrysostomum, hom. 32 in epist. *ad Roman.*, in Morali, ubi inter alia ait : « Quis mihi nunc dabit circumfundi corpori Pauli, affigi sepulcro, videre pulverem oris illius, per quod locutus est Christus? » Voto potitus est non in vita, sed post mortem. Nam corpus S. Chrysostomi Romam translatum, conditum est ad limina Apostolorum Petri et Pauli, ut eorum ostiarius esse videatur : ubi eum quasi Pauli discipulum et asseclam illi associatum, eo quo par est cultu et devotione veneramur. Porro Chrysostomus, hom. 6 *De Pænit.*, Neronem vocat victum, Paulum vero victorem : « Respuebat, inquit, Cilix pellium sutor, vinctus, pauper fameque confectus, Romanæ opulentiæ regem imperantem omnibus. Quis ergo clarior? qui vincebat in vinculis, an qui superbabatur in purpura? qui contemnebatur imperans, an qui jussus nihil curabat jubentis imperium? qui solus cum esset, vicit, an qui innumero vallatus exercitu victus est? Vinctus catena diadematum prostravit regem. » Denique Paulus fuit

Quidam quasi in terris obambulans Deus,
Et sanctus in carne angelus :
In regeneratione similis futurus Dei Filio,
Suaque mensura Deus.

Hæc de effigie Pauli breviter dicta sunt. Nam eamdem plenius et copiosius efformat noster P. Thomas Massotius integro opere, quod hoc titulo et argumento adornat.

### VOTUM AUCTORIS

*Ex S. Hilario, lib. I De Trinit.*

« Ego hoc vel præcipuum vitæ meæ officium debere me tibi, Pater, omnipotens Deus, conscius sum, ut te omnis sermo meus et sensus loquatur. Neque enim ullum aliud majus præmium hic ipse usus mihi a te concessus loquendi potest referre, quam ut prædicando te tibi serviat, teque quod es, Patrem scilicet Unigeniti Dei, aut ignoranti sæculo, aut neganti hæretico demonstret. Et in hoc quidem tantum voluntatis meæ professio est : cæterum auxilii et misericordiæ tuæ munus orandum est ut extenta fidei nostræ confessionisque vela flatu Spiritus tui impleas, nosque in cursum prædicationis initæ propellas. » Amen.

# COMMENTARIUS
IN
# ACTA APOSTOLORUM.

## ARGUMENTUM.

**Tria** hic præmittenda sunt : *primum*, de libri argumento ; *secundum*, de fine et scopo ; *tertium*, de auctore.

Quoad *primum* : Argumentum liquet ex titulo. Inscribitur enim hic liber a Græcis, Πράξεις, a Latinis *Actus*, a Syro *Historia Apostolorum*, quia eorum gesta, non omnia, sed præcipua magisque illustria circa Evangelii promulgationem et propagationem enarrat. Quocirca S. Chrysostomus eum cognominat *Librum dogmatum de Spiritu Sancto*, et Œcumenius *Evangelium Spiritus Sancti* (perinde ac Itali Pentecosten nuncupant *Pascha Spiritus Sancti* : prius enim Pascha est Christi resurgentis) ; nam uti, inquit, quatuor Evangelistæ scribunt Evangelium Actaque Christi, sic Lucas hic describit Evangelium Actaque Spiritus Sancti, quæ scilicet ipse gessit in Apostolis et per Apostolos. Sicut enim Filius Dei amore nostri e cœlis descendens incarnatus est, ut ore proprio nos doceret viam virtutis et salutis, atque arcana Patris abscondita a constitutione mundi ; ita post Christum ad nos visibiliter descendere voluit Spiritus Sanctus, et quasi Christi æmulus, quodammodo incarnari in linguis igneis, ut iis imbueret Apostolos primosque fideles. Quia, ut ait S. Gregorius Nazianzenus et ejus interpres Nicetas, *orat.* 44 : « Cum filius corpore sensibili et conspicuo nobiscum consuetudinem habuisset, par erat, ut Spiritus quoque corporaliter appareret ; sicut etiam apparuit primum in forma columbæ, nunc in forma linguarum ignearum. Et cum Christus ad ea quæ Deo conveniebant, reversus esset, suæque gloriæ restitutus, Spiritum ad nos post Christum descendere oportebat, » ut testimonium Christo perhiberet ejusque cœpta compleret. Qua de causa plura et præclariora gessit quam ipse Christus. Christum enim decebat in humilitate carnis et passionis redemptionem nostram peragere : qua peracta, congruebat ut Spiritus Sanctus eam per miracula, prædicationem Evangelii, conversionem et subjectionem omnium gentium toto orbe celebraret et glorificaret, juxta id quod ait Apostolus, *Philip.* II, 8 : « Humiliavit semetipsum factus obediens usque ad mortem, mortem autem crucis, etc. Propter quod et Deus exaltavit illum, et dedit illi nomen quod est super omne nomen, ut in nomine Jesu omne genu flectatur cœlestium, terrestrium et infernorum. » Spiritus Sanctus ergo a Christo Apostolis promissus, et post ejus in cœlum ascensum in Pentecoste ad eos missus, quasi alter Christus, non jam mortalis, sed immortalis et gloriosus, eos implevit sapientia, robore, zelo, virtute miraculorum omnique charismate cœlesti, quibus ipsi quasi panoplia, a capite ad talos armati debellarunt idola, dæmones, philosophos, oratores, reges et principes, ac triumphantes totum orbem subegerunt Christo. Hoc enim opus fuit non hominum paucorum et rudium, sed Spiritus Sancti. « Conspicies hic, inquit Chrysostomus, Apostolos seu volucres terram mariaque percurrentes, ac timidos illos quondam rudesque subito in alios homines esse versos, fastu divitiarum, gloria, ira, concupiscentia, breviter rebus omnibus superiores esse factos ; » utique non alia vi, quam Spiritus Sancti eos agentis et impellentis. « Apostoli, ait S. Hilarius in cap. V *Matth.*, vers. 13, sunt rerum cœlestium prædicatores et æternitatis velut satores, immortalitatem omnibus corporibus, quibus eorum sermo aspersus fuerit, conferentes. » Ex Actis ergo discimus, quanta sit virtus et sanctitas Christi et christianismi, ac quam apud paucos primæva illa remanserit.

Acta Apostolorum sunt Evangelium Spiritus Sancti.

Spiritus descendit post Christum quasi incarnatus linguis igneis.

Disputat hic Valla, et alii, an hic liber potius *Actus* vocandus sit, an *Acta*? Sed hoc leviculum de syllabis litigium grammaticis dirimendum relinquamus (1). Romani aliique docti indigitant *Actus*, quæ vox prope respondet Græco Πράξεις, uti Valla aliique fatentur. Actus hosce esse Scripturam Canonicam, de fide est, uti censuit Ecclesia sæculorum omnium et consentiunt hæretici omnes moderni. Historia ergo hæc certissima est,

(1) Quamvis receptius sit, ut *acta* dicantur documenta quæ in publicas tabulas relata sunt, idem tamen sæpe significant *actus* et *acta*, ut effectus et effecta, eventus et eventa ; et Cicero etiam, quidquid quisquam egit, id modo *acta*, modo *actus* vocat.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

morat, imo cogitatione assequatur? Sane in illo vitæ et mortis confinio, in illo temporis et æternitatis horizonte jam quasi cœli civis, imo quasi Seraphinus, toto in Christum mentis rapiebatur excessu. Unde et ore et voce Jesum ingeminans, caput, licet a cervice recisum, tres ingentes dedit saltus, quibus totidem miracula ingenti fontes e terra elicuit, quibus etiamnum Roma fruitur, perennibus utique testibus fontium doctrinæ et gratiæ, quos vivens in Romam et totum orbem scaturivit et eructavit. Hinc etiam insolito vultus vocisque ardore, lictores suos militesque ad Christum convertit. Denique e cervice recisa non sanguis, sed lac emanavit, ut non tam cruentatus emori, quam lacteus vivere solitamque doctrinæ suæ lac fidelibus, etiam moriens porrigere videretur. Vere S. Hieronymus, *ad Eustoch. de custod. virg.* : « Pretiosa, inquit, in conspectu Domini mors Sanctorum ejus. Hæc est sola digna retributio cum sanguis sanguine compensatur, et redempti cruore Christi pro Redemptore libenter occumbimus. »

*Capitis Pauli saltus tres fontes eliciunt.*

*Tertio*, Paulus martyrii fidelibus fuit dux et antesignanus, eoque cæteris Martyribus tanto exemplo præivit, ut Romæ et alibi multa centena fidelium millia cum animose secuta, sanguinem pro Christo fuderint, martyriumque non tantum obierint, sed et ambierint. « Ut tu sine offensione gradiaris, discipuli Domini amictu proprii se corporis exuentes, inter adversa turbarum viam tibi suo stravere martyrio, » ait S. Ambrosius, lib. IX in *Lucam*. Idem S. Ambrosius, lib. VII, *epist.* 1, quæ inter omnes est numero 53, narrat S. Paulum sibi apparuisse et revelasse locum in quo sepulta erant corpora S. Gervasii et Protasii martyrum, discipulorum et asseclarum suorum, ac jussisse ut ea eximeret et Ecclesiam eorum nomine fabricaret, in qua honorifice illa reconderet. « Apparuerunt (S. Gervasius et Protasius) mihi, inquit, cum tertia persona, quæ similis esse B. Paulo Apostolo videbatur, cujus me vultum pictura docuerat, in tantum ut ipse mecum, illis tacentibus, loqueretur dicens : Isti sunt qui monitis meis obtemperantes, prædia et divitias respuentes, secuti sunt Domini nostri Jesu Christi vestigia; nihil terrenum, nihil carnale concupiscentes, in media hac Mediolanensi urbe per decem annos in Dei servitio perdurantes, ad hoc pertingere meruere, ut Christi Martyres fierent. Quorum corpora in eo loco invenies, in quo stas et oras. » Porro Paulus moriens animam cœlo, famam æternitati, fideles Ecclesiæ, corpus et sanguinem cum fide Romæ transmisit et consecravit, factusque non tantum civis, sed et Consul ac Imperator Romanus, ibidem arcem imperii obtinuit, deturbatoque dæmonum et Gentilitatis cultu, Christi crucis vexilla constituit, ut jam Roma Ethnica facta Christiana, Christo non tantum suum, sed et totius orbis sibi subjecti, caput submittat. Vere Tertullianus, in *Scorpiaco*, cap. XV : « Orientem fidem, ait, Romæ primus Nero cruentavit. Tunc Petrus ab altero cingitur, cum cruci astringitur. Tunc Paulus civitatis Romanæ consequitur nativitatem, cum illic martyrii renascitur generositate. » Idem, *De Præscript. adversus hæret.*, cap. XXXVI, Romanam Ecclesiam celebrans : « Statu felix Ecclesia, inquit, cui totam doctrinam Apostoli cum sanguine suo profuderunt. » Vide S. Chrysostomum, hom. 32 in epist. *ad Roman.*, in Morali, ubi inter alia ait : « Quis mihi nunc dabit circumfundi corpori Pauli, affigi sepulcro, videre pulverem oris illius, per quod locutus est Christus? » Voto potitus est non in vita, sed post mortem. Nam corpus S. Chrysostomi Romam translatum, conditum est ad limina Apostolorum Petri et Pauli, ut eorum ostiarius esse videatur : ubi eum quasi Pauli discipulum et asseclam illi associatum, eo quo par est cultu et devotione veneramur. Porro Chrysostomus, hom. 6 *De Pœnit.*, Neronem vocat victum, Paulum vero victorem : « Respuebat, inquit, Cilix pellium sutor, vinctus, pauper famque confectus, Romanæ opulentiæ regem imperantem omnibus. Quis ergo clarior? qui vincebat in vinculis, an qui superabatur in purpura? qui contemnebatur imperans, an qui jussus nihil curabat jubentis imperium? qui solus cum esset, vicit, an qui innumero vallatus exercitu victus est? Vinctus catena diadematum prostravit regem. » Denique Paulus fuit

> Quidam quasi in terris obambulans Deus,
> Et sanctus in carne angelus :
> In regeneratione similis futurus Dei Filio,
> Suaque mensura Deus.

Hæc de effigie Pauli breviter dicta sunt. Nam eamdem plenius et copiosius efformat noster P. Thomas Massutius integro opere, quod hoc titulo et argumento adornat.

### VOTUM AUCTORIS

*Ex S. Hilario, lib. I De Trinit.*

« Ego hoc vel præcipuum vitæ meæ officium debere me tibi, Pater, omnipotens Deus, conscius sum, ut te omnis sermo meus et sensus loquatur. Neque enim ullum aliud majus præmium hic ipse usus mihi a te concessus loquendi potest referre, quam ut prædicando te tibi serviat, teque quod es, Patrem scilicet Unigeniti Dei, aut ignoranti sæculo, aut neganti hæretico demonstret. Et in hoc quidem tantum voluntatis meæ professio est : cæterum auxilii et misericordiæ tuæ munus orandum est ut extenta fidei nostræ confessionisque vela flatu Spiritus tui impleas, nosque in cursum prædicationis initæ propellas. » Amen.

# COMMENTARIUS
## IN
# ACTA APOSTOLORUM.

## ARGUMENTUM.

Tria hic præmittenda sunt : *primum*, de libri argumento ; *secundum*, de fine et scopo ; *tertium*, de auctore.

Quoad *primum* : Argumentum liquet ex titulo. Inscribitur enim hic liber a Græcis, Πράξεις, a Latinis *Actus*, a Syro *Historia Apostolorum*, quia eorum gesta, non omnia, sed præcipua magisque illustria circa Evangelii promulgationem et propagationem enarrat. Quocirca S. Chrysostomus eum cognominat *Librum dogmatum de Spiritu Sancto*, et Œcumenius *Evangelium Spiritus Sancti* (perinde ac Itali Pentecosten nuncupant *Pascha Spiritus Sancti* : prius enim Pascha est Christi resurgentis) ; nam uti, inquit, quatuor Evangelistæ scribunt Evangelium Actaque Christi, sic Lucas hic describit Evangelium Actaque Spiritus Sancti, quæ scilicet ipse gessit in Apostolis et per Apostolos. Sicut enim Filius Dei amore nostri e cœlis descendens incarnatus est, ut ore proprio nos doceret viam virtutis et salutis, atque arcana Patris abscondita a constitutione mundi ; ita post Christum ad nos visibiliter descendere voluit Spiritus Sanctus, et quasi Christi æmulus, quodammodo incarnari in linguis igneis, ut iis imbueret Apostolos primosque fideles. Quia, ut ait S. Gregorius Nazianzenus et ejus interpres Nicetas, *orat.* 44 : « Cum filius corpore sensibili et conspicuo nobiscum consuetudinem habuisset, par erat, ut Spiritus quoque corporaliter appareret ; sicut etiam apparuit primum in forma columbæ, nunc in forma linguarum ignearum. Et cum Christus ad ea quæ Deo conveniebant, reversus esset, suæque gloriæ restitutus, Spiritum ad nos post Christum descendere oportebat, » ut testimonium Christo perhiberet ejusque cœpta compleret. Qua de causa plura et præclariora gessit quam ipse Christus. Christum enim decebat in humilitate carnis et passionis redemptionem nostram peragere : qua peracta, congruebat ut Spiritus Sanctus eam per miracula, prædicationem Evangelii, conversionem et subjectionem omnium gentium toto orbe celebraret et glorificaret, juxta id quod ait Apostolus, *Philip.* II, 8 : « Humiliavit semetipsum factus obediens usque ad mortem, mortem autem crucis, etc. Propter quod et Deus exaltavit illum, et dedit illi nomen quod est super omne nomen, ut in nomine Jesu omne genu flectatur cœlestium, terrestrium et infernorum. » Spiritus Sanctus ergo a Christo Apostolis promissus, et post ejus in cœlum ascensum in Pentecoste ad eos missus, quasi alter Christus, non jam mortalis, sed immortalis et gloriosus, eos implevit sapientia, robore, zelo, virtute miraculorum omnique charismate cœlesti, quibus ipsi quasi panoplia, a capite ad talos armati debellarunt idola, dæmones, philosophos, oratores, reges et principes, ac triumphantes totum orbem subegerunt Christo. Hoc enim opus fuit non hominum paucorum et rudium, sed Spiritus Sancti. « Conspicies hic, inquit Chrysostomus, Apostolos seu volucres terram mariaque percurrentes, ac timidos illos quondam rudesque subito in alios homines esse versos, fastu divitiarum, gloria, ira, concupiscentia, breviter rebus omnibus superiores esse factos ; » utique non alia vi, quam Spiritus Sancti eos agentis et impellentis. « Apostoli, ait S. Hilarius in cap. V *Matth.*, vers. 13, sunt rerum cœlestium prædicatores et æternitatis velut satores, immortalitatem omnibus corporibus, quibus eorum sermo aspersus fuerit, conferentes. » Ex Actis ergo discimus, quanta sit virtus et sanctitas Christi et christianismi, ac quam apud paucos primæva illa remanserit.

*Acta Apostolorum sunt Evangelium Spiritus Sancti.*

*Spiritus descendit post Christum quasi incarnatus linguis igneis.*

Disputat hic Valla, et alii, an hic liber potius *Actus* vocandus sit, an *Acta*? Sed hoc leviculum de syllabis litigium grammaticis dirimendum relinquamus (1). Romani aliique docti indigitant *Actus*, quæ vox prope respondet Græco Πράξεις, uti Valla aliique fatentur. Actus hosce esse Scripturam Canonicam, de fide est, uti censuit Ecclesia sæculorum omnium et consentiunt hæretici omnes moderni. Historia ergo hæc certissima est,

(1) Quamvis receptius sit, ut *acta* dicantur documenta quæ in publicas tabulas relata sunt, idem tamen sæpe significant *actus* et *acta*, ut effectus et effecta, eventus et eventa ; et Cicero etiam, quidquid quisquam egit, id modo *acta*, modo *actus* vocat.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

jucundissima, utilissima, augustissima. Narrat enim gesta non tam Apostolorum, qui Ecclesiæ fuere principes, quam ipsiusmet Spiritus Sancti per Apostolos.

Argumentum libri est infantia Ecclesiæ. Hoc itaque libro describitur infantia Ecclesiæ Christianæ et primævi Christianorum mores, fervor et sanctitas aspirata a Spiritu Sancto per prædicationem Apostolorum, præsertim S. Pauli, cujus comes individuus et oculatus testis, imo cooperator fuit S. Lucas, quem hujus libri auctorem esse habet inscriptio Græca, Complutenses et omnes consentiunt. Audi S. Hieronymum, lib. *De Script. Eccles.*, *in Luca* : « Aliud quoque edidit volumen egregium, quod titulo Πράξεις Ἀποστόλων prænotatur, cujus historia usque ad biennium Romæ commorantis Pauli pertinet, id est, usque ad quartum Neronis annum : ex quo intelligimus in eadem urbe librum esse compositum. » Idem habet inscriptio marmorea, quam vidi Romæ in Ecclesia S. Mariæ in Via lata, quæ fuit statio S. Pauli et Lucæ in primis vinculis. Captus est enim Paulus a Judæis Hierosolymæ, et appellans Cæsarem, a Festo præside missus est Romam ad Neronem anno secundo ejusdem, ibique mansit per biennium : ubi S. Lucas hanc suam historiam finit, et concludit dicens, cap. ult., vers. ult. : « Mansit autem (Paulus) biennio toto in suo conducto (hospitio) : et suscipiebat omnes qui ingrediebantur ad eum, prædicans regnum Dei, et docens quæ sunt de Domino Jesu cum omni fiducia, sine prohibitione. » Hinc sequitur, hunc librum 27 annorum circiter acta complecti. Tot enim fluxerunt ab ascensione Christi in cœlum, quæ contigit anno ejus 34, a qua orditur Lucas, usque ad annum 4 Neronis, ubi finit, qui incidit in annum Christi 60 : ita S. Hieronymus. Quanquam Baronius biennium (puta finem biennii) hoc carceris S. Pauli consignat anno 5 Neronis, qui fuit annus Christi 61, ita ut 28 annorum hic texatur historia, quot pariter libri sunt capita. Unde sequitur, eodem anno Christi 60 vel 61, librum hunc a Luca esse conscriptum, vel perscriptum et finitum.

Duæ sunt præcipuæ libri partes. Priore, a cap. I usque ad decimum, recensetur fundatio fidei et Ecclesiæ in Judæa et Samaria, juxta præceptum Christi, *Actor.* I, 8. Posteriore, a cap. X usque ad finem enarratur propagatio Evangelii per Syriam, Lycaoniam, Pamphyliam, Græciam aliasque gentes opera Apostolorum, præsertim S. Pauli, facta (1). Ubi notat Irenæus, lib. III, cap. XIV, Lucam ea quæ Pauli sunt, quæque ipse præsens viderat, imo cum Paulo gesserat, exacte et seriatim conscribere, cætera obiter perstringere vel transilire. Stylus Lucæ historicus est, facilis et planus; quare in eo explicando more meo exactus ero, sed brevis : qui plura cupit variamque eruditionem, legat nostrum Lorinum, quo nemo fusius, nec eruditius commentatus est. Mihi propositum est lectoris quaquaversum commodis consulere iisque obsequi, ideoque quæ ab aliis fuse, vel confuse, vel involute et obscure dicta sunt, ea breviter, methodice, aperte et clare dicere complectique contendo; quæ vero ab aliis tacita, vel omissa sunt, addo. Sequor enim brevitatem, methodum, claritatem, integritatem et copiam : an assequar, judicet lector. Deum rogo, ut quod minus ego, ipse plenius assequatur; utque hæc mea vota uni ipsius gloriæ bonoque publico plene planeque serviendi secundet, præstet et compleat. Amen.

Præter Commentaria S. Chrysostomi, Œcumenii et aliorum, pulchro carmine Acta Apostolorum vertit et explicuit Arator Diaconus, tempore Justiniani Imperatoris, sub annum Domini 530.

Quoad secundum (1) : Finis et fructus hujus libri est, ut in eo aureum primitivæ Ecclesiæ sæculum intuentes, videamus quantum ab illo desciverimus, omnique studio ad idem redire conemur. Sane cum priscos et primævos Christianorum mores adeo sanctos vitamque admirabilem et actus heroicos intuemur, pudere et gemere nos oportet, ac cum Jeremia in *Threnis*, cap. IV, 1, exclamare : « Quomodo obscuratum est aurum, mutatus est color optimus, dispersi sunt lapides sanctuarii in capite omnium platearum? Egressus est a filia Sion omnis decor ejus. Filii Sion incluti et amicti auro primo quomodo reputati sunt in vasa testea, opus manuum figuli? » O domus antiqua, quam dispari domino dominaris! Primi Christiani plerique omnes sanctitate et sapientia erant argentei et aurei, nunc multi cupiditate sunt terrei, imo ænei et ferrei. Unde hæc rerum tanta vicissitudo? Primi illi hoc præmeditatum et in mente fixum gerebant, quod ab eis didicit docuitque S. Hilarion, teste S. Hieronymo in ejus Vita, « præterire figuram hujus mundi, et eam esse veram vitam, quæ vitæ præsentis emeretur incommodo. » Audierant a Paulo, *I Corinth.* VII, 29 : « Hoc itaque dico fratres : Tempus breve est : reliquum est, ut et qui habent uxores, tanquam non habentes sint; et qui flent, tanquam non flentes; et qui gaudent, tanquam non gaudentes; et qui emunt, tanquam non possidentes; et qui utuntur hoc mundo, tanquam non utantur. Præterit enim

(1) Præplacet libri distinctio in tres præcipuas partes, data a D. Glaire, *Introduction aux livres de l'anc. et du nouv. Testament*, t. V, pag. 304, quarum prima cap. I-VII, secunda cap. VIII-XII, tertia cap. XIII-XXVIII amplectitur.

(1) De speciali scopo et consilio Lucæ in scribendis *Actis Apostolorum*, multum disputant interpretes. Hinc difficultas oritur quod multa, nec levis momenti, in hoc libro omissa sunt, haud omittenda certe, si Lucas historiam plenam et accuratam hujus temporis voluisset exarare. Vide de hac re D. Glaire, ibid., pag. 311. Equidem mihi videtur Lucam eam ob causam scripsisse, ut Theophilo suo traderet quasi in summa et specimine propagationem et fundationem Ecclesiæ tum apud Judæos, tum apud Gentiles, Petro et Paulo imprimis adlaborantibus.



figura hujus mundi. » Nimirum mundus hic non habet rerum veritatem, sed umbram duntaxat et figuram; ejus opes, pompæ et gaudia umbratica sunt, ficta et picta, non vera et solida. Hoc sciebant, hoc ruminabant primi fideles, ideoque terram et terrena spernebant, cœlum et cœlestia ambiebant dicebantque cum S. Hieronymo : « Terra eram, cœlum factus sum » per baptismum et Christianismum. Secus jam faciunt multi, qui quasi talpæ terræ inhiant, ideoque in terrenis acutum vident ut lynces, in cœlestibus cæcutiunt ut noctuæ. Asserit S. Chrysostomus, in titulum *Psalm.* I : « Prophetas esse velut quosdam pictores virtutis ac militiæ qua contra peccata et diabolum decertamus. » Ita scilicet Abraham quasi pictor, in seipso suaque vita vivis coloribus pinxit nobis fidem, Isaac obedientiam, Joseph castitatem, Job patientiam, Abel innocentiam, Moses mansuetudinem, David psalmodiam, Elias zelum : pictores Christi fuerunt Evangelistæ, pictor Apostolorum vitæque Christianæ et Paulinæ est S. Lucas. Pinxit ipse penicillo imagines Virginis Deiparæ, et Verbi incarnati, imo infantis, quas etiamnum Romæ magna veneratione intuemur et colimus : at longe excellentius in hisce Actis pinxit ideam vitæ Christianæ, perfectæ et Apostolicæ, ut eam posteris omnibus quasi speculum et exemplar quod æmularentur, proponeret, et ad eam consectandam primorum Christianorum exemplo accenderet. Quis enim non accendatur ad contemptum rerum terrenarum, ad amorem cœlestium, ad charitatem, ad zelum, ad martyrium, quando legit primos fideles, quasi homines cœlestes et angelos quosdam terrestres, opes calcasse, ad cœlum suspirasse, jugiter orationi et Eucharistiæ vacasse; carceres, mortes et martyria pro Christi amore non fugisse, sed quæsiisse? Quis non inflammetur ad fortiter luctandum cum carne, mundo et dæmone, ad generosam sui suarumque passionum et cupiditatum victoriam, ad animarum lucrum, ad Christi regnum propagandum, quando classicum Lucæ audit? « Repleti sunt omnes Spiritu Sancto, et cœperunt loqui variis linguis prout Spiritus Sanctus dabat eloqui illis. Multitudinis credentium erat cor unum et anima una : nec quisquam eorum quæ possidebat, aliquid suum esse dicebat, sed erant illis omnia communia. Quotidie perdurantes in templo, et frangentes circa domos panem, sumebant cibum cum exultatione et simplicitate cordis, collaudantes Deum et habentes gratiam ad omnem plebem. Quotquot (non sacerdotes, sed laici et conjugati) possessores agrorum aut domorum erant, vendentes afferebant pretia eorum quæ vendebant, et ponebant ante pedes Apostolorum. Dividebatur autem singulis prout cuique opus erat. Ibant gaudentes a conspectu Concilii, quoniam digni habiti sunt pro nomine Jesu contumeliam pati. Obedire oportet Deo magis quam hominibus. Ecce video cœlos apertos, et Filium hominis stantem a dextris Dei; » et plurima talia per singula capita. Quocirca vere et apposite S. Hieronymus *ad Paulinum* : « Acta Apostolorum, inquit, nudam quidem videntur sonare historiam, et nascentis Ecclesiæ infantiam texere; sed si noverimus scriptorem eorum Lucam esse medicum, cujus laus est in Evangelio, animadvertemus pariter omnia verba illius, animæ languentis esse medicinam; » præsertim quia passim inculcat Christi nostramque resurrectionem et vitam æternam, quæ omnium dolorum est levamen et stimulus ad omnia ardua vel agenda, vel toleranda. Unde S. Augustinus, *in Psalm.* CIX : « Spes, ait, vitæ immortalis est vita vitæ mortalis. » Quapropter vere S. Chrysostomus : « Quod maxime, inquit, agit hic liber, est resurrectionis declaratio : quæ si credita fuerit, et cæteris aperta est via. » Hæc Acta ergo docent, in cruce et morte Christi non fuisse extinctam et sepultam ejus scholam (uti optabant et putabant Judæi) et Ecclesiam, sed potius tunc cœpisse ejus regnum et gloriam per resurrectionem Christi ejusque fidelium, eamque duraturam in æternum, uti promisit per Prophetas et per angelum, *Lucæ* I, 32. Igitur Πράξεις hæ Ἀποστόλων docent praxim Evangelii et doctrinæ Christi : hanc enim in praxim redegerunt et in actus contulerunt Apostoli. Unde merito dolet S. Chrysostomus, argumento in epist. *ad Philemonem*, acta eorum plurima, etiam minutissima intercidisse : « Utinam, inquit, non defuisset, qui Apostolorum nobis historiam diligentissime traderet, non solum quid scripserint, quidve locuti sint, sed ut sese per omnem vitam habuerint, quid et quando comederint, quando sederint, quo ierint, quid diebus singulis gesserint, et in quibus partibus vixerint, quam introierint domum, quo navigaverint, ubinam applicuerint, atque omnia diligenter exponeret, adeo illorum omnia eximia utilitate referta sunt! Si enim cum loca tantum cernimus, ubi sederunt, seu vincti sunt, loca inquam inanima, illuc sæpe dirigamus animum virtutesque illorum conspiciamus, et expergiscamur, et promptiores evadamus, multo id profecto magis fieret, si verba illorum et reliqua gesta audire contigisset. Certe de amico quis perlibenter interrogat, ubinam degit? quid facit? quo procedit? non longe dignius de communibus orbis magistris id fieri decuit (1)? »

Pictor Apostolicorum Lucas.

Docet præcipua Christi nostramque resurrectionem.

(1) « Est utique in ipsa hac historia demonstratio simplicissima et firmissima veritatis religionis christianæ; nam ex ea discimus hanc religionem non vi et armis, dolo et pius fraudibus, sed unice ope divina et salutarium veritatum, quas complectitur, præstantia et efficacia esse propagatam. Sed aliis etiam ex causis hic liber est utilissimus. Continentur enim in eo varii sermones Apostolorum, Petri potissimum et Pauli, unde discimus, quænam partes religionis ab Apostolis pro maximo necessariis habitæ sint. Vix enim dubitari potest Apostolos Judæis et Paganis, quos ad christianam religionem addu-

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

Quoad *tertium*. Auctor hujus libri est S. Lucas, medicus Antiochenus, inter omnes Evangelistas linguæ græcæ eruditissimus, ait S. Hieronymus, epist. 143 *ad Damasum*, qui patrio idiomate, puta Græco eleganter primo *Evangelium*, deinde *Acta* conscripsit, perinde ac civis ejus et asseclа S. Joannes Antiochenus græce concionatus est et scripsit; qui ab eminenti Græcanicæ linguæ eloquentia *Chrysostomus*, id est *os aureum*, est cognominatus. Antiochia enim, utpote a Græcis, puta ab Antiochis, Alexandri Magni successoribus condita et gubernata, eorum idioma Græcum suscepit, esto et proprium haberet, puta Syrum, utpote Syriæ metropolis (1).

Quæres, qualis fuit S. Lucas? Respondeo : *Primo*, fuit Evangelista, scripsit enim Evangelium, in quo præ cæteris documenta Christi ad mores et perfectionem spectantia enarrat. Fuit ergo Cherubinus, uti mox ostendam, scilicet unus e quatuor Cherubim quos vidit Ezechiel, cap. I, et S. Joannes, *Apoc.* IV, 7. Ergo Lucas ex medico corporum factus est medicus animarum.

*Secundo*, fuit virgo aut cælebs : nunquam enim uxorem duxit. Ita S. Hieronymus in *Luca*.

*Tertio*, S. Epiphanius, *hæres.* 51; S. Gregorius, *Præfat. in Job*, cap. I; Dorotheus, in *Vita S. Lucæ*; Mariana et alii censent eum fuisse unum e 72 Christi discipulis : sed contrarium insinuat ipse Lucas initio Evangelii, ubi ait se id scribere non ex visu, sed ex auditu. Fuit ergo ipse non Christi, sed Apostolorum, puta S. Pauli discipulus. Ita Irenæus, lib. I, cap. XX; Tertullianus, lib. IV *Contra Marcion.*, cap. II; Theodoretus, in *Præfat. Vit. SS. Patrum*; S. Hieronymus, in cap. XXV *Isaiæ*; Baronius et alii : licet Mariana ad id respondeat, Lucam non omnia Christi acta vidisse, sed quædam vidisse, quædam audivisse. Unde S. Gregorius, loco jam citato, censet Lucam fuisse comitem Cleophæ, et utrique Christum se revelasse in Emmaus per fractionem panis, *Lucæ* XXIV, 23 et seq.

*Quarto*, Apostolus, tum quia apostolatus Pauli, laborum et periculorum fuit comes et cooperator, idque ex suffragiis et electione Ecclesiarum, uti asserere videtur Apostolus, II *Cor.* VIII, 19; unde liquet eum Spiritu Dei præ cæteris plenum et eximium fuisse : idem « patet ex miraculis quæ nunc per illum fiunt, » ait S. Chrysostomus; tum quia, postquam Roma discessit, ait Œcumenius, proœmia *in Lucam*, in Orientem est reversus, rursumque Libyam petiit, et Thebanos Christiana religione instituit, et, ut ait Epiphanius, *hæres.* 51, prædicavit primum in Dalmatia ac Gallia, et in Italia ac Macedonia. Multos ergo labores, ærumnas, persecutiones in hoc suo apostolatu pro Christo sustinuit usque ad annum ætatis 84, teste S. Hieronymo. Quocirca hoc ei elogium dat Ecclesia : « Qui crucis mortificationem jugiter in suo corpore, pro tui nominis honore portavit. » Idcirco apposite inter quatuor animalia Cherubica, *Ezech.* I, 10, et *Apoc.* IV, 7, sicut aquila assignatur S. Joanni, homo S. Matthæo, leo S. Marco, ita bos S. Lucæ : bos enim laborum est patiens, et assidue in agro heri ad segetem et messem exercetur. Hinc aliqui viri docti censuerunt apposite Lucam prisca lingua Latina significare bovem, decepti verbis Plinii dicentis, lib. VIII, cap. VI : « Elephantes Italia primum vidit Pyrrhi regis bello, et *boves lucas* appellavit, in Lucanis visos anno Urbis CCCCLXXII. » Hæc enim verba significare videntur boves ab Italis vocatos esse *lucas* : sed longe alius est Plinii sensus, nimirum Italos, qui ante Pyrrhum elephantes non viderant, ob monstrorum magnitudinem, eos vocasse *boves lucas*, id est *Lucanos*, eo quod in Lucania in Pyrrhi exercitu primum eis visi sint : bovem enim vocabant maximum animal, quale est elephas, sed cum cognomento *luca*, quia in Lucania primum visus. Ita Varro, lib. VI *De Lingua Latina*, diserte asserit *bovem lucam* vocari elephantem, non tam a Lucania, ut vult Plinius, quam, inquit, « quod longe relucebant propter inauratos regios clypeos, quibus eorum tum ornatæ erant turres. » S. Lucas ergo est bos lucens : bos, quia victima laboris, mortificationis et martyrii; lucens, per doctrinam et Evangelium. Idem est *bos luca*, puta elephas, quia sicut elephas inter animalia est sapientissimus et proxime ad hominis rationem accedit, ita et S. Lucas sapientia excellit, ac præ cæteris evangelistis sapientiam Verbi incarnati ejusque sapientia dicta, dogmata ac consilia practica, et ad mores conformandos apposita enarrat. Lucas ergo, si Latinum etymon usumque scruteris, est elephas; si Hebræum, Lucas est doctor, qui scientiam vel historiam a majoribus acceptam posteris tradit, a radice לקח

Lucas Cherubim cur?

cere vellent, eas doctrinas ab initio tradidisse, quæ maxime necessariæ esse viderentur. Discimus etiam ex his *Actis* methodum qua usi sunt Apostoli in tradenda religione, temporibus et locis et personis plane accommodatam. Sic e. c. Judæos ex libris veteris Testamenti edocebant Jesum Nazarenum esse verum Messiam; in instituendis autem Paganis omnem institutionem a naturali religione petebant, atque id agebant, ut eos primum ad agnitionem unius veri Dei, deinde etiam ad cognitionem Jesu Christi et aliarum doctrinarum perducerent. Discimus denique ex hoc libro disciplinam Apostolorum, ex qua magna eluret indulgentia et humanitas, dum Judæis multa indulgebant, adeoque observationem quarumdam rituum Mosaicæ legis permittebant, ne eos alienos redderent a religione christiana; erga Paganos autem ea utebantur moderatione, ut Mosaicæ legis jugum non imponerent. » Hæc Rosenmullerus, *Scholia in Acta Apost.*

(1) Lucam fuisse commentariorum de Actis Apostolorum auctorem, non tantum libri initium docet, sed ipsa quoque scriptoris oratio, cum dictione quæ in Evangelio Lucæ deprehenditur, ita conspirans, ut facile intelligatur utrumque librum ab uno eodemque auctore esse profectum. Igitur de *Actorum* authentia a quibusdam, inprimis a *de Vette*, eo tantum sensu dubitatum est, quod, juxta Rationalistas, quædam facta vel dicta e spuriis fontibus Lucas hausisset : quas confutatas videas apud Olshausen, *Biblischer Commentar uber sammtliche Schriften des N. T.* Band I, S. 566; et optime apud Glaire, ibid., p. 316.



lekach, id est *doctrina accepta et tradita* : Hebr. enim *cheth* in Græcum et Latinum S liquescit, uti ex *Meschiach* fit *Messias*. Si Græcum etymon spectes, Lucas est lotor, scilicet peccatorum, a λούω, id est *lavo*, inquit Pagninus in *Nominibus Hebræis*, qui et addit, Lucas hebraice idem esse quod לו קם *lo cam*, id est *ei resurrectio*, scilicet competit ob labores et passiones : aut Lucas idem esse quod Lucius, quod Latinum est nomen a luce dictum, quasi lucidus, quod etiam sensit Origenes *in Epist. ad Rom.*, in fine, et noster Sanchez hic. Qui enim a Græcis Lucas ἀπὸ τῆς λύκης, id est a *luce*, idem Latinis Lucius a *luce* pariter dici videtur; quin et Varro, lib. VI, elephantes vocat boves lucas, id est lucentes. Lucas ergo videtur esse nomen etymon habens Græcum et Latinum, sed terminationem Syram, utpote in Syria. Præclare S. Augustinus, lib. II *De Doct. Christ.*, cap. XVI, notat nomina peregrina, ut « Hebræa, non parvam habere vim atque adjutorium ad solvenda ænigmata Scripturæ, si quis possit ea interpretari. » Nam, ut idem ait cap. VI, lib. *De Genes. ad litter.* imperfecto, « nomen appellatur quasi notamen, quod rem notet. » Unde infert Sanchez Lucam fuisse cognatum S. Pauli : fuisse enim ipsum Lucium, quem inter cognatos suos numerat Paulus, *Rom.* XVI, 21; Lucæ enim dedisse Latinum nomen *Lucius*, quia ad Romanos scribebat, ideoque forte Pauli comes fuit individuus.

*Quinto*, S. Lucam martyrio vita functum et laureatum indicat S. Nazianzenus, orat. I *in Julian.*, dum ait : « Non victimas pro Christo cæsas es reveritus? non magnos pugiles extimuisti, Joannem illum, Petrum, Paulum, Jacobum, Stephanum, Lucam, Andream, Theclam, eos qui et post illos, et ante illos capitis sui periculo veritatem protexerunt : qui cum igni et ferro, et belluis, et tyrannis, et præsentibus malis, et denuntiatis, alacri animo, veluti in alienis corporibus, imo quasi corporum expertes dimicarunt? » Paulinus Nolanus his item versibus ipsum nominat Martyrem :

> Hic pater Andreas, et magno nomine Lucas
> Martyr, et illustris sanguine Nazarius.

Rursum Gaudentius, Episcopus Brixianus, claruit eodem quo Ambrosius sæculo, hæc habet : « Horum quatuor habemus in præsenti reliquias; qui regnum Dei et justitiam prædicantes ab incredulis et impiis occisi, Deo semper vivere operationum suarum virtutibus demonstrantur. Joannes in Sebaste Palæstinæ, Thomas apud Indos, Andreas et Lucas apud Patras Achaiæ civitatem consummati referuntur. » Ita ipse, serm. *in Dedic. Eccles.*

De eodem hæc Nicephorus, lib. II, cap. XLIII, paucis vitam illius complectens : « Lucas Antiochiæ, quæ est in Cœlesyria, ortus, medicus simul et pictor egregius, Thebis ad Paulum venit; atque ibi multo patrio errori remisso, ad Christum accessit, pro corporum curatione animarum medicus factus. Evangelium suum Paulo præcipiente scripsit, atque ibidem Acta Apostolorum. Cum Paulo autem Romæ cum fuisset, in Græciam est reversus, plurimosque ibi divinæ doctrinæ et cognitionis luce illustravit; et tandem a divini verbi contemptoribus ex fructiferæ oleæ arbore suspensus, quod aridi ligni, unde crux fieret, copia non esset, Deo spiritum commendavit, cum octoginta, ut dicitur, annos natus esset. »

Pergit deinde Nicephorus narrare miracula ad ejus sepulcrum patrari solita, deque Christi, Deiparæ, Petri et Pauli imaginibus ab eo pictis. Eadem de martyrio in olea peracto habet Glycas, lib. III *Annal.*, additque liquorem medicum ex reliquiis scaturire, eoque indice illas esse repertas. Eadem habet Cedrenus in *Compend. Hist.* Denique in Luca et per Lucam completum est illud Psaltis, *Psal.* XVIII, 5 : « In omnem terram exivit sonus eorum, et in fines orbis terræ verba eorum; » ut merito ei attribuas quod de Thoma Aquinate (quem condiscipuli ob juge silentium vocabant bovem mutum) dixit Albertus Magnus : « Bos mutus talem vocem edet, quam audiat totus orbis. » Denique caput S. Lucæ S. Gregorius, cum esset apocrisiarius Constantinopoli, detulit Romam, ubi etiamnum in basilica S. Petri visitur et colitur.

ALERE FLAMMAM VERITATIS
UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

# CAPUT PRIMUM.

## SYNOPSIS CAPITIS.

*Duæ sunt capitis partes. Prior enarrat Christi ascensionem in cœlum. Posterior, Matthiam per sortem Judæ surrogatum in Apostolatu.*

1. Primum quidem sermonem feci de omnibus, o Theophile, quæ cœpit Jesus facere et docere, 2. usque in diem, qua præcipiens Apostolis per Spiritum Sanctum, quos elegit, assumptus est : 3. quibus et præbuit seipsum vivum post passionem suam in multis argumentis per dies quadraginta apparens eis, et loquens de regno Dei. 4. Et convescens, præcepit eis ab Hierosolymis ne discederent, sed exspectarent promissionem Patris, quam audistis (inquit) per os meum : 5. quia Joannes quidem baptizavit aqua, vos autem baptizabimini Spiritu Sancto non post multos hos dies. 6. Igitur qui convenerant, interrogabant, eum dicentes : Domine, si in tempore hoc restitues regnum Israel ? 7. Dixit autem eis : Non est vestrum nosse tempora vel momenta, quæ Pater posuit in sua potestate; 8. sed accipietis virtutem supervenientis Spiritus Sancti in vos, et eritis mihi testes in Jerusalem, et in omni Judæa et Samaria, et usque ad ultimum terræ. 9. Et cum hæc dixisset, videntibus illis, elevatus est, et nubes suscepit eum ab oculis eorum. 10. Cumque intuerentur in cœlum euntem illum, ecce duo viri astiterunt juxta illos in vestibus albis, qui et dixerunt : 11. Viri Galilæi, quid statis aspicientes in cœlum ? hic Jesus, qui assumptus est a vobis in cœlum, sic veniet quemadmodum vidistis eum euntem in cœlum. 12. Tunc reversi sunt Hierosolymam, a monte qui vocatur Oliveti, qui est juxta Jerusalem, sabbati habens iter. 13. Et cum introissent in cœnaculum, ascenderunt ubi manebant Petrus et Joannes, Jacobus et Andreas, Philippus et Thomas, Bartholomæus et Matthæus, Jacobus Alphæi, et Simon Zelotes, et Judas Jacobi. 14. Hi omnes erant perseverantes unanimiter in oratione cum mulieribus, et Maria matre Jesu, et fratribus ejus. 15. In diebus illis exurgens Petrus in medio fratrum, dixit (erat autem turba hominum simul, fere centum viginti) : 16. Viri fratres, oportet impleri Scripturam, quam prædixit Spiritus Sanctus per os David de Juda, qui fuit dux eorum qui comprehenderunt Jesum : 17. qui connumeratus erat in nobis, et sortitus est sortem ministerii hujus. 18. Et hic quidem possedit agrum de mercede iniquitatis, et suspensus crepuit medius; et diffusa sunt omnia viscera ejus. 19. Et notum factum est omnibus habitantibus Jerusalem, ita ut appellaretur ager ille, lingua eorum, Haceldama, hoc est ager sanguinis. 20. Scriptum est enim in libro Psalmorum : Fiat commoratio eorum deserta; et non sit qui habitet in ea; et episcopatum ejus accipiat alter. 21. Oportet ergo ex his viris, qui nobiscum sunt congregati in omni tempore, quo intravit et exivit inter nos Dominus Jesus, 22. incipiens a baptismate Joannis usque in diem qua assumptus est a nobis, testem resurrectionis ejus nobiscum fieri unum ex istis. 23. Et statuerunt duos, Joseph qui vocabatur Barsabas, qui cognominatus est Justus, et Matthiam. 24. Et orantes dixerunt : Tu, Domine, qui corda nosti omnium, ostende quem elegeris ex his duobus unum, 25. accipere locum ministerii hujus, et apostolatus, de quo prævaricatus est Judas, ut abiret in locum suum. 26. Et dederunt sortes eis, et cecidit sors super Matthiam, et annumeratus est cum undecim Apostolis.



1. PRIMUM. — Nomen est, non adverbium : Græce enim est τὸν πρῶτον, id est *priorem*, scilicet *sermonem feci*. Ita S. Chrysostomus, *q. d.* Scopus meus fuit, et est, scribere historiam Verbi incarnati, puta Christi et christianismi : Christi historiam scripsi in Evangelio, scilicet ejus incarnationem, gesta et mortem per 34 annos vitæ, nunc ejusdem prosequor gesta post mortem, scilicet christianismi et Ecclesiæ institutionem et propagationem usque ad prima vincula Pauli, quæ contigerunt viginti octo annis post mortem Christi. Ergo Lucas tam in Evangelio, quam in Actis hisce pertexit historiam Christi et Ecclesiæ, per primos ejus sexaginta duos annos.

QUIDEM. — Græcum μὲν, id est *quidem*, communiter post se requiritur δὲ, id est *autem*, at non semper; subinde enim additur duntaxat ad numerum et pondus narrationis, præsertim in exordio, ut illa alto quasi cothurno incessum ordiatur, uti notant Lexicographi ex Demetrio Phalereo. Utrumque hic facit. Nam et historiæ majestatem addit, et implicite priorem posteriori nectit, ab eaque ad hanc transitum parat et facit, *q. d.* Priorem quidem sermonem in Evangelio feci de vita Christi; nunc autem posteriorem et subalternum faciam de vita Apostolorum Christi (1).

SERMONEM FECI, — in Evangelio a me scripto. Syrus vertit, *librum scripsi*; λόγος enim et *verbum* et *sermonem*, et *librum* sive *volumen*, ut vertit Vatablus et Gagneius, significat. Sic Cicero, lib. III *Offic.*, λόγον οἰκονομικὸν vertit, vocatque *librum Œconomicum* Xenophontis (2).

Notat S. Chrysostomus, modestiam S. Lucæ, quod suum Evangelium non vocet Evangelium, sed sermonem : « Non enim, inquit, dicit : Prius Evangelium quod evangelizavi, sed : Priorem quidem sermonem feci, nimirum Evangelii prædicationem magnificentius quiddam esse ducens, quam pro ipsius dignitate aut viribus. Et tamen Apostolus eum ornat hoc titulo : Cujus laus est in Evangelio, » imo Ecclesia, quæ sermonem librumque ejus de Christo indigitat et inscribit « Sanctum Jesu Christi Evangelium secundum Lucam. » Ita humiles, qui se suaque deprimunt, Christus et Ecclesia exaltant. Eadem modestia Lucas in hisce Actis, nullam operum suorum opisque, quam insignem S. Paulo præstitit, facit mentionem, sed sua omnia alto silentio premit.

DE OMNIBUS, — præcipuis scilicet mysteriis, vel punctis, quæ sufficiunt ad Christo fidem conciliandam et ad ejus doctrinam vitamque explicandam. Nam quæ de suscitato Lazaro, de absoluta adultera, de cæco illuminato, de aqua in vinum mutata, etc., S. Joannes in Evangelio enarrat, Lucas tacet et præterit : quin et Evangelistæ omnes simul juncti pauca Christi gesta dictaque conscripserunt, plurima siluerunt : « quæ si scribantur per singula, nec ipse mundus capere posset eos qui scribendi essent libros, » ait S. Joannes in *Evang.*, cap. XXI, 25.

O THEOPHILE. — *Primo*, S. Salvianus, epist. *ad Salomon*, *Theophilum* vertit *Dei amorem*, quasi Lucas hunc librum scripserit et dedicarit amori Dei, qui eum impulit ad scribendum, ut eumdem mentibus legentium imprimeret. « Sic Timotheus, inquit, idem est quod honor Dei. Itaque cum legis Timotheum ad Ecclesiam scripsisse, hoc intelligere debes, pro honore Dei ad Ecclesiam scriptum esse, imo potius ipsum honorem Dei scripta misisse : quia recte ipse scripsisse dicitur, per quem factum est ut scriberetur. » Hoc ingeniosum est, symbolicum et pium, et non litterale, nec genuinum. Theophilus enim et Timotheus nomina concreta sunt, non abstracta, ac proinde non Dei amorem et honorem, sed Dei amantem eumque honorantem significant. Illi ergo, non Deo, Acta hæc inscribit dicatque Lucas. Unde Theophilus quis? Resp. Primo.

*Secundo*, melius alii censent Theophili nomen esse commune cujusvis fidelis, non proprium alicujus. Ita Origenes et Ambrosius, in cap. I *Evang. S. Lucæ*, et Epiphanius, *hæres.* 51. Θεόφιλος enim Græcis idem est quod *diligens Deum*, ut ait Origenes; vel *dilectus a Deo, Deoque gratus*, uti S. Ambrosius, cui recte datur epithetum κράτιστε, id est *potentissime*. Amor enim facit amantes Deum omnipotentes, tum quia amicorum omnia sunt communia; tum quia « fortis est ut mors dilectio, dura sicut infernus æmulatio, » *Cant.* VIII, 6. Sic Theodoretus historiam religiosam S. Anachoretarum inscribit *Philotheum* (quod inverse idem nomen est quod Theophilus), quia Anachoretæ fuerunt Philothei, id est amantes Deum et amati a Deo.

*Tertio*, Titus Bostrenus, in *Lucæ* I, censet hunc librum a Luca inscribi certæ personæ, sed incertum esse an ex nomine proprio, an vero communi vocata sit Theophilus, id est Dei amator et cultor.

*Quarto* et genuine, S. Chrysostomus, Theophylactus, Œcumenius, Euthymius, Toletus et alii in *Lucæ* I ac V; S. Augustinus, lib. IV *De consensu Evang.*, cap. IV, censent Theophili nomen esse

(1) Vocula μὲν eleganter a scriptoribus Græcis ponitur a in libris posterioribus ad libros priores a se scriptos provocant. Prior Lucæ liber fuit Evangelium; *Actorum* liber secunda pars totius operis est, quandoquidem Noster historiam evangelicam duobus est complexus voluminibus, quorum utrumque ad eumdem scripsit Theophilum, et posterius auspicans prioris facit mentionem. Hæc enim historia, quid aliud est quam Evangelii pars, eaque non minima. Si quidem illic describitur granum frumenti solo conditum; hic describitur exortum, sensimque paulatim aperiens ac proferens opes. Quid si per Lucam cognovissemus quibus modis Christus reliquerit terras, ubi, quo loco, quibus modis advenerit promissus ille Spiritus, quibus initiis cœperit Ecclesia, quibus rebus profecerit, quibus creverit rationibus, nonne bonam Evangelii partem ignorassemus?

(2) Apud optimos quosque scriptores Græcos λογοποιός est *historiographus*, e. c. Xenoph. *Cyrop.* VIII, 5, 15; Herodot. II, 143. Et ab Hebræis דברי de *libro* eodemque *historico* adhibetur, ut I *Paralip.* XXIX, 29.

proprium, non commune (uti hodie multi nomine proprio vocantur Theophili) eumque fuisse virum eximium et potentem : hoc enim significat epithetum κράτιστε, id est potentissime (Noster vertit, optime), quod ei dat Lucas, Evang. cap. I, vers. 3; olim enim præsides et præfecti vocabatur κράτιστοι, id est potentissimi vel optimi : ut « optime Felix, » Actor, XXIV, 3; « optime Feste, » Actor. XXVI, 25. Quocirca Theophylactus et Euthymius censent hunc Theophilum fuisse senatorem vel principem; Œcumenius, præsidem provinciæ; Nicephorus, lib. III, cap. XXI, Episcopum sextum Antiochiæ. Sed epithetum κράτιστε potius præsidem aut principem (huic enim datur) quam Episcopum fuisse significat; nisi dicas ex principe creatum Episcopum, uti S. Ludovico aliisque contigit. Porro dubitat S. Augustinus an hic Theophilus sit idem cum eo cui Evangelium inscripsit S. Lucas. Sed certum videtur esse eumdem, idque significat hic Lucas, dum se ei posteriorem hunc librum Actorum dicare scribit, quia ei priorem Evangelii dicarat : ita S. Chrysostomus, Theophylactus, Œcumenius, Toletus et alii. Forte hic Theophilus fuit is Antiochenus vir nobilis, quem S. Petrus convertens, ejus domum vertit in ecclesiam, in qua Cathedram suam Antiochenam collocavit, uti narrat S. Clemens, lib. X Recog., cap. ult.; ideoque forte hic omittit Lucas titulum κράτιστε, id est optime, quo eum compellarat initio Evangelii, quod is magistratu jam se abdicasset, et modestiæ Christianæ studio vitam privatam et silentem ageret. Ita censet Baronius cujus conjectura proba est, quod scilicet Lucas Antiochenus videatur ad Theophilum pariter Antiochenum quasi civem suum hæc scripsisse. Denique quod Theophilo scribit Lucas, hoc nobis scriptum cogitemus, præsertim cum omnes simus, vel ambiamus esse Theophili Deique cultores. Addit Theophylactus, in cap. I Evang. S. Lucæ, Theophilum Lucæ fuisse discipulum et catechumenum.

COEPIT JESUS FACERE ET DOCERE. — *Jesus* est nomen proprium, non Dei, sed hujus hominis a Filio Dei assumpti, sive Verbi incarnati, sicut meum nomen proprium est Cornelius, alterius Petrus, Paulus, etc. Christus enim vocatus est *Jesus*, id est Salvator, quia a Deo destinabatur orbis Redemptor et Salvator, *Matth.* I, 21. Vide dicta *Philip.* II, 10. Sensus est, *q. d.* In Evangelio scripsi acta Christi, orsus a primis ejus factis et documentis, imo ab ejus infantia, eaque pertexui usque ad ascensum ejus in cœlum.

Moraliter : Nota hic modum, sapientiam et efficaciam Christi in docendo, scilicet prius fecit, deinde docuit; prius docuit exemplo, deinde verbo. Unde *primo*, nihil docuit, quod prius ipse non fecerit. Idem fecisse S. Basilium docet Nazianzenus, in *orat. funebri ejusdem*, ac S. Malachiam et S. Franciscum docent S. Bernardus et S. Bonaventura in eorum Vita. Principium ergo faciendi, est via et principium docendi. *Secundo*, plura fecit quam docuit. Nam per annos primos triginta vitæ suæ fuit in continua actione, docuit vero tribus tantum ultimis annis ejusdem, nimirum voluit Christus docere tanquam potestatem habens, ac « dare voci suæ vocem virtutis, ut instrueret ita alios docere, ut etiam teipsum doceas, » ait S. Bernardus, serm. 59 *in Cantic.*, et *epist.* 101. Aureum et regale est documentum Pacati, in *Panegyr. Theodosii Imperatoris* : « Exasperat homines imperata correctio, blandissime jubetur exemplo. » Porro Christum id fecisse, per exempla demonstrat S. Chrysostomus : « Considera, inquit, quo pacto Christus dictis suis per opera fidem conciliarit. Ad mansuetudinem hortatus est dicens : Discite a me quod mitis sum et humilis corde; docuit nos paupertatem, et utrumque factis demonstravit : siquidem Filius hominis, inquit, non habet ubi caput suum reclinet. Rursum, præcepit ut diligeremus inimicos : exhibuit hoc in cruce deprecans pro crucifigentibus. Dixit : Volenti trahere in jus ut tunicam eripiat, permitte ut et pallium auferat : ipse vero non vestimenta tantum, sed sanguinem quoque suum dedit. Idem ut facerent et discipulis præcepit. Unde et Paulus dixit : Sicut habetis formam ex nobis. Nihil enim doctore frigidius qui verbis duntaxat philosophatur. Neque enim hoc doctoris est, sed histrionis et hypocritæ. Ideoque Apostoli prius vitæ exemplis docebant, deinde verbis : quin potius ne verbis quidem erat opus, cum clamarent opera. » Addit deinde : « Nec aberrarit a vero, qui passionem ejus actionem dixerit. Nam patiendo fecit ingens illud et admirandum opus, quo mortem dejecit reliquaque omnia peregit. »

2. USQUE IN DIEM, QUA PRÆCIPIENS (Græce est aoristus ἐντειλάμενος, id est *cum præcepisset* : post præceptionem enim assumptus est : ita Syrus et alii) APOSTOLIS PER SPIRITUM SANCTUM, QUOS ELEGIT, ASSUMPTUS EST, — τὸ *per Spiritum Sanctum*, habet difficultatem, quo enim refertur? quid significat? *Primo*, Syrus refert ad *quos elegit*, ut sit anastrophe, hoc modo ordinanda : « Præcipiens Apostolis, quos elegit per Spiritum Sanctum; » insufflando eis Spiritum Sanctum, dixit : « Accipite Spiritum Sanctum, quorum remiseritis peccata, remittuntur eis, » *Joannis* XX, 22. Sed hæc anastrophe hiulca et duriuscula est, præsertim quia Romani aliique codices τὸ *per Spiritum Sanctum* per comma dirimunt et sejungunt a *quos elegit*. Per Spiritum Sanctum quid? Resp. Primo.

*Secundo*, Idacius, lib. III *Contra Varimundum*, refert ad *prædicare*, quod ipse subaudit : « In die, inquit, qua Apostolos elegit per Spiritum Sanctum prædicare Evangelium. » Verum τὸ *prædicare Evangelium* non est in textu, nec apud ullum Interpretem.

*Tertio*, S. Chrysostomus refert ad verbum *præcepit*, *q. d.* Christi præcepta erant sancta et spiritualia, non carnalia et terrena : quia omnia sua præcepit ex instinctu Spiritus Sancti, quem sibi



habuit semper assistentem et inhabitantem, imo comitem et cooperatorem. Unde ait Christus : « Verba quæ locutus sum vobis, spiritus et vita sunt, » id est spiritualia et vitalia sunt ex suggestu Spiritus Sancti manantia, *Joan.* VI, 64.

*Quarto*, alii referunt ad τὸ *assumptus est*, *q. d.* Christus in cœlum assumptus est virtute Spiritus Sancti. Sed tunc perperam interjicitur τὸ *quos elegit*. Hunc sensum sequebatur Nestorius, ex eo contendens Christum non esse Deum, utpote qui alieno ope, puta Spiritus Sancti, indiguisset. Verum Spiritus Sanctus non est alienus, sed intimus et proprius Christo qua Deus est.

*Quinto*, genuine et proprie referas ad τὸ *Apostolis*, ut eorum sit titulus et auctoramentum τὸ *per Spiritum Sanctum*, *q. d.* Præcipiens Apostolis, qui a Christo vocati, electi et designati ad apostolatum per instinctum Spiritus Sancti, paulo post ab eodem Spiritu publice in Pentecoste reipsa auctorandi et consecrandi erant Apostoli : intelligitur enim Græcus articulus τοῖς, nimirum *q. d.* ἐντειλάμενος τοῖς ἀποστόλοις, τοῖς διὰ πνεύματος ἁγίου, id est, « præcipiens Apostolis, qui tales futuri erant per Spiritum Sanctum. » Est idiotismus Græcorum, apud quos passim relativum cum verbo substantivo subauditur. Addit hoc Lucas, ut auctoritatem tum Apostolis, tum hisce eorum Actis conciliet, utpote gestis per Spiritum Sanctum, cujus ipsi fuerunt organa.

Addit Vatablus : « Per Spiritum Sanctum, » id est, inquit *de Spiritu Sancto*, ut τὸ *per Spiritum Sanctum* partim referatur ad τὸ *Apostolis*, eo sensu quem jam dedi, partim ad τὸ *præcipiens* : itaque plenus erit sensus, *q. d.* Christus Apostolis a se electis, et mox creandis auctorandisque per Spiritum Sanctum, præcepit de eodem Spiritu, scilicet expectando, ut nimirum Apostoli eum ejusque adventum, et missionem per orbem patienter expectarent, et ad eum quiete et pie se compararent. Ita enim hoc præceptum et hæc verba explicat, dum mox subdit, vers. 4 : « Præcepit eis ab Ierosolymis ne discederent, sed expectarent promissionem Patris, quam audistis (inquit) per os meum : quia Joannes quidem baptizavit aqua, vos autem baptizabimini Spiritu Sancto non post multos hos dies. » Ecce hoc est τὸ « præcipiens Apostolis per Spiritum Sanctum, » et de Spiritu Sancto : nec enim aliud præceptum Apostolis a Christo in die ascensionis datum legimus. Idem confirmat Lucas *Evang.* cap. ult., vers. 49, ubi immediate ante ascensum Christi in cœlum præmittit ejus promissum et præceptum : « Ego, inquit, mitto promissum (Spiritum Sanctum) Patris mei in vos : vos autem sedete in civitate, quoadusque induamini virtute ex alto. » Nam illud præceptum : « Euntes, docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti, » datum est Apostolis non in ascensione, sed anterius in monte Galilææ, ubi Christus post resurrectionem se ex condicto toti discipulorum cœtui redivivum ostendit, ut patet *Matth.* XXVIII, 16. Huc facit Glossa, quæ τὸ « per Spiritum Sanctum » explicat, « propter Spiritum sanctum, » *q. d.* Præcepit Apostolis sedere in Jerusalem propter Spiritum Sanctum, ut scilicet eum ibidem descensurum in Pentecoste reciperent. Accedit et Cajetanus qui per τὸ « Apostolis per Spiritum Sanctum, » putat undecim Apostolos distingui et secerni a Juda. Judas enim fuit electus in apostolatum a Christo, sed non auctoratus a Spiritu Sancto : unde eo excidit et periit. Hinc patet Apostolos fuisse creaturas Spiritus Sancti, sicut Cardinales creaturæ sunt Pontificis. Spiritus Sanctus enim eis dedit, *primo*, potestatem prædicandi Evangelium ex officio, ut scilicet id facerent quasi legati ipsius, æque ac Christi; *secundo*, implevit eos spiritu suo, puta mente et lingua ignea, ut ingenti zelo et efficacia prædicarent, percellerent et converterent omnes gentes; *tertio*, dedit eis potestatem patrandi miracula, ut eis quasi sigillo Spiritus Sancti prædicationem suam confirmarent et obsignarent; *quarto*, astitit et direxit eos per omnia, ita ut non tam ipsi, quam Spiritus Sanctus per eos loqui et agere videretur, uti promiserat Christus : « Non enim vos estis qui loquimini, sed Spiritus Patris vestri qui loquitur in vobis, » *Matth.* X, 20 (1). Quatuor dotes Apostolorum.

QUOS ELEGIT. — Græce οὓς ἐξελέξατο, *quos elegerat*, scilicet jam pridem, multo ante, nimirum *Matth.* X, 1 et 2. Hinc Tertullianus, lib. *De Præscript.*, cap. XX, sic legit et intelligit, *quos lateri suo adlegit*, *q. d.* Quos Christus quasi summus Pontifex, Legatos a latere misit per totum orbem. Hoc est quod ait Paulus, II *Cor.* V, 20 : « Pro Christo legatione fungimur, tanquam Deo exhortante per nos. »

ASSUMPTUS EST, — non ab angelis, sed sua virtute et a seipso, puta a sua divinitate, per dotem agilitatis humanitati beatæ et gloriosæ a se inditam. Assumptus est ergo sursum (hoc enim significat Græcum ἀνὰ in ἀνελήφθη), hoc est ascendit in cœlum. Sic ἀναλαμβάνειν ἑαυτὸν, significat ad seipsum redire, seipsum colligere ex metu, in locum suum se restituere, idque non externa, sed interna et propria vi et virtute. Fecit hoc Christus annum ætatis agens 34, uti habet verior et communior Theologorum et Chronologorum sententia. Sed cur tam cito assumptus est? Cur non pluribus annis suam præsentiam terræ et hominibus adeo desideratam et proficuam exhibuit; juxta id quod Cur Christus tam cito ascendit?

(1) Harum interpretationum *prior* facillima est, at utpote talis, cum, quocumque modo verba explicentur, transpositio quædam admittenda sit, omnibus præferenda videtur; secunda omni fundamento caret; tertiæ obstat, quod, ea admissa, verba inserta *quos elegit* sint plane otiosa; quartæ, ut taceam verbis adjectis *quos elegit* orationem quoque languidam reddi, obstat insuper quod hæc verborum trajectio est sine durissima; quinta est intricata nimis et parum luculenta; denique, διὰ accipere pro περί, et vertere *de* vel *propter*, ut Vatablus et Glossa, refragat linguæ usus.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

queritur Jeremias, cap. XIV, vers. 8 : « Exspectatio Israel, quare quasi colonus futurus es in terra, et quasi viator declinans ad manendum? Quare futurus es velut vir vagus? » Respondeo : Variæ sunt causæ : *prima*, quia Christus venit maxime, ut sua morte nos redimeret et vitam suam pro nobis offerret. Decebat autem illam offerri cum est florentissima, puta florem ætatis, qui est anno 34. Hæc enim hostia fuit nobilissima et dignissima Deo, præsertim quia Adam in eadem ætate creatus, illa abusus est ad offensam Dei, quam eadem ætate et flore reparare venit Christus.

*Secunda*, quia 34 annis perfecit opus suæ legationis, puta evangelizavit, fecit miracula, dedit exempla virtutum omnium, obivit totam Judæam evangelizando : nil restabat amplius. Ipse enim solis Judæis prædicavit, utpote Messias eis promissus; ne si ad Gentes diverteret, Judæi haberent ansam calumniandi, quod non esset Messias eis promissus, sed alius Gentium.

*Tertia*, quia Christus paucis annis plurimos et perfectissimos omnium virtutum et officiorum suorum edidit actus, adeoque plures quam nos centum, imo mille annis : consummatus ergo in brevi, explevit tempora multa.

*Quarta*, quia corpori ejus divino debebatur cœlum, quasi proprius ejus locus, ubi ipsum angeli avide exspectabant : ergo non decebat illud diutius quam necessitas legationis requireret, in terra relinqui, ubi Judæis erat probrum, Gentibus scandalum : præsertim quia diutina conversatio minuit æstimationem et parit contemptum.

Moraliter, ut doceret nos non desiderare longam vitam, sed anhelare ad cœlum, illudque : « Annos virtutibus imple, » et illud *Sapient.* IV, 8 : « Senectus venerabilis non diuturna, neque annorum numero computata : cani autem sunt sensus hominis, et ætas senectutis vita immaculata. »

3. QUIBUS ET. — Hæc recte nectuntur præcedentibus. Hisce enim explicat Lucas τὸ *assumptus est*, modum scilicet et seriem ascensionis Christi ejusque dispositiones prævias, quibus nimirum Apostolis probavit vere se resurrexisse, eorumque animos sensim disposuit, ne ægre ferrent suum discessum abitumque in cœlum.

PRÆBUIT SEIPSUM VIVUM, — παρέστησεν, id est « stitit, exhibuit, repræsentavit ex morte redivivum, » scilicet suscitando se, et virtute divinitatis suæ resurgendo, ac resuscitatus sistens se vivum spectandumque exhibens Apostolis : utrumque enim significat παρέστησεν. Unde Franciscus Suarez, III *part.*, tom. I, disp. XLV, sect. 2, cum D. Thoma, docet Christum resurrexisse virtute divinitatis, quasi causæ primæ et principalis, quæ post mortem toto triduo mansit hypostatice unita tam corpori quam animæ Christi, ac virtute animæ quasi instrumenti, aut potius causæ secundæ. Licet enim nostra resurrectio futura sit, non ab anima nostra, sed ministerio Angelorum; tamen secus fuit in Christo. Decuit enim animam Christi per se resurgere, ne videretur egere ad hoc ope Angelorum. Anima ergo Christi sufficiens erat principium, sicut ad disponendum corpus, ita etiam ad colligendas partes quæ dispersæ erant, imo extra sepulcrum, uti erant sanguis, capilli aliique humores in passione sparsim effusi. Hæc enim omnia Christi anima duxit in sepulcrum, faciendo ut penetrarent lapidem illud obtegentem, ac rursum insererentur corpori : quod deinde ipsa ad informationem disposuit et organizavit ad sui unionem, ac disposito quasi socio suarum passionum et instrumento meritorum, rursum sese inseruit illudque animavit, vivificavit, beavit et glorificavit. Porro hæc virtus connaturalis est animæ Christi ratione unionis hypostaticæ : quia ex unione ad Verbum habet illa anima potestatem permanentem, et per modum habitus ad efficienda hujusmodi miracula. Unde anima Christi hic se habet non ut merum instrumentum, sed instar causæ secundæ, quæ in se vim agendi habet : hæc Suarez. Quocirca Christi morientis et resurgentis hieroglyphicum est sol occidens et oriens, cujus pariter symbolum est phœnix, quem avem finxerunt et pinxerunt cum alis expansis, ut iis solis radios adumbrarent. Porro Christo competit ænigma phœnicis apud Symposium :

Vita mihi mors est, morior si cœpero nasci.
Sed prius est letum, læta quam lucis origo.
Sic solus manes ipsos mihi dico parentes.

IN MULTIS ARGUMENTIS, — per multa argumenta, græce τεκμηρίοις, id est indicia signaque certa, indubitata et necessaria, ut ex Aristotele docet Quintilianus, lib. V, cap. VII, quibus Christus probavit suam resurrectionem. Talia fuerunt tot Christi apparitiones, manducationes, locutiones, stigmata plagarum, quæ ostendit tangique voluit a Thoma; miracula, ut, quod clausis januis, eas penetrando, ad discipulos introiret, et subito cum vellet, dispareret : quæ omnia simul sumpta sufficienter faciebant credibilem et credendam resurrectionem Christi, adeoque corpus ejus non tantum redivivum, sed et beatum, subtile et gloriosum demonstrabant, accedentibus præsertim testimoniis Angelorum et sanctæ Scripturæ, ita ut eis non posset subesse deceptio aut fictio. Loquor de demonstratione et evidentia morali, non mathematica; ita D. Thomas et Suarez, III *part.*, *Quæst.* LV, art. 6, ubi docet Christum se redivivum ostendisse per opera triplicis vitæ, scilicet vegetativæ, dum comedit et bibit; sensitivæ, dum ostendebat se videre et audire; intellectivæ, dum loquebatur, et de Scripturis disserebat.

PER DIES QUADRAGINTA, — non continue, sed per vices et interpolate. Quæres, cur præcise tot? Respondeo : *Prima* causa est, quia hic numerus perfectus, et sacer creberque in Scriptura : Cur dies 40. Prima causa.



sacratus enim est jejunio Mosis, Eliæ et Christi, multisque aliis.

*Secunda*, quia in die 50, puta in Pentecoste, missurus erat e cœlo Spiritum Sanctum : decebat ergo ut quadragesimo die eo ascenderet, ut cum Spiritu Sancto in cœlo de descensu ejus ageret eo tempore, quo discipuli, eo absente, per preces et suspiria ad Spiritus Sancti adventum se disponebant.

*Tertia*, ut quadraginta horarum absentiam in morte totidem dierum præsentia compensaret, ait Glossa. Mortuus enim est Christus hora nona feriæ sextæ, et resurrexit in aurora diei Dominicæ : ergo a morte ejus usque ad resurrectionem intercesserunt horæ 40, quibus anima ejus fuit in inferno; corpus vero jacuit in sepulcro duntaxat 36 horis, nam post tres horas a morte sepultus est. Ita habet sensus Ecclesiæ, et docet S. Augustinus, in Dial. *ad Orosium*, LXV *Quæstionum*, Quæst. XXVI.

*Quarta*, ut antitypus typo responderet, scilicet Christus Deo, Petrus Mosi. Deus enim præsentem se exhibuit Mosi, dum per quadraginta dies egit in Sina legemque ab eo excepit : decuit ergo ut Deus incarnatus, puta Christus, in Sion totidem diebus cum Petro et Apostolis, quasi novis et Evangelicis legislatoribus degeret, eisque legem Evangelicam traderet et explicaret.

Symbolica causa est, quod quadragenarius numerus sit symbolum peregrinationis nostræ in hoc mundo. Unde quadraginta annis peregrinati sunt filii Israel in deserto, tendentes in terram promissam : ita pariter Christus quadraginta diebus hic quasi peregrinatus est, et iis peractis ascendit in cœlum, ut pari modo doceret nos peregrinari tota hac vita, et quasi peregrinos per sæculum pertransire, nec ulli rei creatæ mentem affigere, sed in cœlo conversari, quo, peracto quadragenario exilii nostri, perventuri sumus. Hinc rursum quadragenarius symbolum est pœnitentiæ, purificationis et jejunii, quo rite consummato, cum Christo perveniemus ad Pascha cœleste et ad quinquagesimam jubilei, quasi ad mercedem laboris et continentiæ. Unde S. Thomas, III, *Quæst.* LVII, art. 1, ad 4 : « Per quadraginta dies, inquit, tempus præsentis sæculi, quo Christus in Ecclesia conversatur, potest intelligi : quia homo constat ex quatuor elementis, et eruditur contra transgressionem Decalogi. »

Moraliter : voluit Christus discipulos sensim ablactare et abducere a sua præsentia corporali, ne percellerentur, si subito in cœlum ascenderet. Rursum, voluit ostendere Deus quanto ipse liberalior sit in consolationibus, quam pœnis et desolationibus irrogandis; nam pro 40 horis absentiæ Christi in morte, dedit discipulis quadraginta dies præsentiæ ejusdem. Horam ergo afflictionis die consolationis pensavit.

Ubi Christus versatus sit hisce quadraginta diebus, curiosum est quærere et temerarium definire. Probabiliter suspicantur aliqui eum egisse cum Elia et Enoch in paradiso, sive illo primigenio, *Genes.* II, 8, sive quo simili : tum quia hic locus et societas decebant corpus Christi beatum et gloriosum; tum quia id merebatur Elias, qui ei astiterat et testimonium perhibuerat in transfiguratione; tum quia id quasi jure suo poscebat Eliæ et Henoch translatio, remoraque et dilatio beatitudinis, ut quia propter Christum per tot annorum millia vivi remanent in terris, nec ad cœlum, sicut cæteri viri sancti omnes, transferuntur, ut contemplentur Deum eoque fruantur, saltem viderent humanitatem Christi redivivam in terris agentem eaque gloriosa fruerentur, atque ab ea acciperent legationem qua fungentur, et mandata quæ exequentur in fine mundi, cum redibunt ut Christi fidem contra Antichristum propugnent et pro ea martyres occumbant : ita opinantur S. Justinus Martyr in Quæstionibus ad Orthodoxos, *Quæst.* LXXV, LXXVI et LXXXV; Irenæus, lib. V, cap. V; Nicephorus, lib. I *Histor.*, cap. XXXI; S. Bonaventura, in *Meditat.*, cap. XCI et XCVIII. Favet S. Thomas, in III, *Dist.* XXII, *Quæst.* III, art. 2, in fine, ubi opinatur animas Patrum qui cum Christo resurrexerunt, fuisse in paradiso terrestri; nam ubi hæ fuerunt, ibi fuit et Christus.

LOQUENS DE REGNO DEI. — Regnum Dei proprie est regnum cœlorum : ibi enim Deus per gloriam regnat in beatis, qui per potentiam et providentiam regnat in toto orbe. Ad hoc regnum Deus creavit et vocavit homines a mundi exordio; hic enim est hominis finis et beatitudo. Quocirca S. Joannis Baptistæ concionis hoc erat thema : « Pœnitentiam agite, appropinquavit enim regnum cœlorum, » *Matth.* III, 2. Idem deinde thema fuit Christi, *Matth.* IV, 17, et ejus jussu Apostolorum omnium, *Matth.* X, 7. Verum quia hoc regnum Dei sese diffundit, illudque Deus communicat Ecclesiæ, et fidelibus Sanctisque in ea militantibus, hinc et Ecclesia militans vocatur regnum Dei, scilicet spirituale, tum quia in ea regnat Deus per fidem, gratiam cæterasque virtutes; tum quia ipsa est via, pars et inchoatio Ecclesiæ triumphantis, quæ proprie et perfecte est regnum Dei; nam ad eam tendit suosque fideles ducit. Itaque per metonymiam Ecclesia, uti et prædicatio evangelica, fidesque subinde vocatur « regnum Dei, » ut cum ait Christus : « Pervenit in vos regnum Dei, » id est fides evangelica, per quam Deus in vobis regnat, quæque vos facit membra Ecclesiæ, quæ est regnum Dei, ut jam ad ejus ditionem et regnum pertineatis. Sensus ergo est, q. d. Christus per 40 hos dies ante suum in cœlum ascensum, locutus est Apostolis de regno Dei, tum cœlesti, puta de gloria et felicitate æterna in Ecclesia triumphante; tum terrestri, quod ad cœleste ducit, puta de Ecclesia militante : nimirum docuit Apostolos quomodo Ecclesiam instituere, formare, perficere deberent Regnum Dei in cœlo.



UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ®
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

per prædicationem Evangelii in toto orbe; per varios Episcoporum, Sacerdotum, Diaconorum, Subdiaconorum, etc., ordines; per varios populi fidelis gradus et status; per Sacramenta; per humilitatem, patientiam, charitatem cæterasque virtutes. Quocirca Christus hic docuit Apostolos materias et formas, ritusque singulorum Sacramentorum et Ordinum, quas in Scriptura nusquam expressit: jejunium quadragesimale, baptismum parvulorum; Eucharistiam non tantum esse sacramentum, sed et sacrificium pro vivis et defunctis quotidie Deo offerendum, aliasque traditiones Apostolicas, quas ab illo acceptas Apostoli Ecclesiæ et posteris, ac posteri suis successoribus per manus continuo per singula sæcula usque ad nos tradiderunt. Docuit rursum fideles debere continue luctari cum suis concupiscentiis, cum mundo et diabolo, ferre crucem, multa pati, ut ad regnum cœlorum perveniant: « Regnum enim cœlorum vim patitur, et violenti rapiunt illud, » *Matth.* XI, 12. Docuit virtutes christianas omnes, quibus quasi viis ad cœlum tenditur. Docuit instantes ipsis et Ecclesiæ persecutiones, easque continuas, quas mox a Christo passa est Ecclesia per trecentos annos usque ad tempora Constantini Imperatoris, etc.

Moraliter, docuit nos Christus crebro loqui de regno cœlorum, eoque actiones omnes nostras dirigere, et in omni tribulatione ejus spe constantiam sustentare, ac ad illud aspirare. Hujus enim fide et spe Sancti omnes tot heroica opera patrarunt, quæ recenset Apostolus, *Hebr.* XI, toto capite. Nam, ut ait Tertullianus, lib. *De Resurrect.*: « Spes Christianorum est resurrectio mortuorum. »

4. ET CONVESCENS. — Græci codices hic variant. Nonnulli legunt συναυλιζόμενος, id est *conversans cum eis in eadem aula et hospitio*: unde et aliqui codices latini pro *convescens*, legunt *conversans*. Verum S. Chrysostomus, Syrus, Theophylactus, Œcumenius et alii passim legunt συναλιζόμενος: quod Tigurina, Erasmus et Pagninus vertunt *congregans eos in idem loci*, a voce ἁλία, sive ἁλίς, quæ *concilium* sive *congregationem* significat. Voluit enim Christus abiturus, omnes adesse, ut omnibus extremum vale diceret, ultimaque daret monita, ac coram omnibus ascenderet. Sed melius (1) S. Hieronymus, *ad Hedibiam*, Q. VII; S. Chrysostomus, Theophylactus, Œcumenius vertunt *convescens*, ut συναλιζόμενος dicatur a *salis communione*. Nam qui invicem convescuntur, de eodem sale et salino participant: ἅλς enim Græcis idem est quod sal Latinis. Sæpe enim Græcam aspirationem Latini in litteram S vertunt, ut ὑπέρ, *super*; ἕξ, *sex*; ἕρπω, *serpo*; ἕρπυλλος, *serpyllum*; ὕλη, *sylva*. Eodem utraque lectio et versio redit. Nam qui in eodem hospitio degunt, eodem hospitii pane et sale vescuntur. Hinc Pythagoras, teste Laertio in ejus Vita, censuit salem potissimum in mensa apponendum, quod æquitatis ac justitiæ nos admoneat, ut quod et servet lusaturque quidquid occuparit, et liquidissimis rebus aqua marique fiat. Rursum, sal symbolum est amicitiæ, quia corpora condit et diutissime conservat: hinc sal fœderis nuncupatur, *Levit.* II, 13. Quare hospitibus ante alios cibos apponi solitum, quo amicitiæ firmitas ac perpetuitas significetur. Unde nonnulli ominosum habent, si sal in mensam profundi contigerit. Inde adagium: « Non oportet transgredi salem et mensam, » id est, jus amicitiæ. Sicut enim sal ex multis aquis et fusilibus in unum quoddam et solidum coit, ita ex diverso convenientes in unum animi coalescunt, fitque illud Platonis (imo S. Lucæ), μία ψυχή, inquit Pierius, *Hierog.* lib. XIII, cap. X; quocirca Origenes, in *Matth.* cap. XXVII, agens de Juda proditore: « Neque salis ejusdem, ait, neque mensæ, neque panis communicati memor fuit. »

Insuper τὸ συναλιζόμενος notat frugalitatem veterum, quod pani non aliud obsonium adderent, quam sal, sicuti potus eis erat aqua. Hinc illud Diogenis, qui, vocatus a Cratere ad hospitium, respondit « se malle Athenis salem lingere, quam alibi opiparis vesci epulis. » Et illud Horatii:

> Cum sale panis
> Latrantem stomachum bene leniet.

Idem alibi Tigellium cantorem ita loquentem inducit:

> Sit mihi mensa tripes, et concha salis puri.

Eodem spectat quod Cicero, lib. *De Amicitia*, multos cum eo prius salis modios sumendos præcipit, cum quo amicitiam inire cogitas. Plinius, lib. XXXI, cap. VII, ex Varrone, sale pulmentarii vice usos veteres, illosque salem cum pane esitasse testatur. Hinc Homerus salem vocat *divinum*, et Plato, *sacrosanctum*, de quo vide Plutarchum, in *Sympos.*, Decad. 5. Hinc et Apostolos sanxisse, ut Christiani feria quarta et sabbato non nisi pane, sale et aqua vescerentur, scribit Epiphanius, lib. V, tom. 1, *hæresi* 75; imo S. Nazianzenus perpetuo se non aliud quam hæc tria sumpsisse, testatur, *Carm.* 9, dum ita canit:

> Brevisque voluptas
> Ærumnas multas comites habet. At mihi cœli
> Est panis rigidus, mihi grata obsonia præbet
> Sal parum, simplex nulloque instructa labore
> Mensa, dum latices mihi sobria pocula fundunt.
> Hæ mihi divitiæ summæ, Christusque salutis
> Auctor.

Iisdem victitasse Anachoretas et Cœnobitas priscos, patet ex Vitis Patrum.

Porro, significat Lucas hic, et *Evangel.* XXIV, 43, Christum paulo ante ascensionem comedisse et prandisse cum Apostolis, idque docet S. Hieronymus, loco jam citato, et S. Augustinus, tract. penult. *in Joannem*.

Christus ascensurus prandet cum Apostolis. Cur.

Causæ fuerunt: *Prima*, « ne ipsum spectrum et phantasma putarent, » ait S. Chrysostomus. *Secunda*, ut abiturus insignis dignationis, amicitiæ, humilitatis et charitatis (perinde ac fecerat in ultima cœna iturus ad mortem) exemplum eis daret, et aculeum ad imitandum et redamandum infigeret. Quis enim non miretur Christum, non jam mortalem et passibilem, sed immortalem et gloriosum, qui cibo angelorum, imo Dei ipsius vescitur, ad rudium et pauperum Apostolorum mensam, escam et salinum vile et luteum se demittere, eis assidere, cum eis convivari, eadem esca et sale vesci, quasi socium cum sociis, amicum cum amicis? Ex adverso Lutherus non Apostolicus, sed Apostaticus et fanaticus, ut sui cacangelii auctorem ostenderet, jactabat se cum diabolo modium salis comedisse. Diaboli ergo fuit conviva, socius, Apostolus. Vide nostrum Serarium, lib. *De Lutheri magistro*. *Tertia*, ut daret typum et quasi prælibationem convivii cœlestis, juxta illud: « Ecce ego dispono vobis, etc., regnum, ut edatis et bibatis super mensam meam in regno meo, » *Lucæ* XXII, 29. Unde sal est symbolum æternitatis, æque ac sapientiæ et discretionis, quam Christo convescentes Apostoli ab eo participarunt, ut fierent sal terræ. Vide dicta *Levit.* II, 13.

Ascendit meridie.

Ex hoc loco multi colligunt Christum paulo post peractum prandium, quod fieri solet in meridie, plena luce et palam coram omnibus discipulis in cœlum ascendisse. Ita S. Prosper, *Sent.* 293, inter sententias ex Augustino collectas, quæ habentur in fine tom. III. S. Augustinus certo tradit Christum meridie ascendisse. Quocirca in multis locis pia est consuetudo, ab hora meridiei usque ad horam primam post meridiem, orationi vacare, in memoriam Dominicæ Ascensionis, ait Franciscus Suarez, III *part.*, tom. I, disp. LI, sect. 2. Nam statim finito prandio, quod factum est Hierosolymæ in cœnaculo Sionis, eduxit Apostolos in montem Oliveti: in quo itinere, et in congregandis aliis discipulis aliquid temporis insumptum est; mox in monte Oliveti valedicens et benedicens eis ascendit. Causam dat S. Prosper ex S. Augustino, loco jam citato: « Vigor, ait, fidei christianæ tribus temporibus initiatur, vespere, mane et meridie. Vespere enim Dominus in cruce, mane in resurrectione, meridie in ascensione. Unum ad patientiam occisi, aliud ad vitam resuscitati, tertium pertinet ad gloriam majestatis in Patris dextera considentis. » Sicut ergo in meridie crucifixus est, sic et merito crucis in meridie ascendit, ut quo tempore se humiliavit ad mortem crucis, eodem et ascendens exaltaretur in cœlo. Unde sub idem tempus moriens Ven. Beda secutus est Christum Dominum ascendentem in cœlum. Mortuus est enim V. Beda ipso festo Ascensionis Christi, idque sine morbo, cum interesset Vesperis, canens: « Gloria Patri et Filio et Spiritui Sancto, » anno Domini 731, ætatis 59. Ita auctor Vitæ ejus, et ex eo Baronius, anno Christi jam dicto.

Comestio Christi post resurrectionem fuit vera.

Quæres, quæ et qualis fuerit hæc Christi comestio in ore et corpore ejus jam glorioso? Dico *primo*, auctor *De Mirabil. S. Script.*, lib. III, cap. XIV, apud S. Augustinum, censet fuisse comestionem non veram, sed apparentem, qualis fuit Raphaelis, *Tobiæ* XII, 19, dicentis: « Videbar quidem vobiscum manducare et bibere, sed ego cibo invisibili et potu, qui ab hominibus videri non potest, utor. » Comestio enim est actio vitalis, qua scilicet vi animæ cibus ex ore in stomachum et membra quæ anima informat, vitaliter trajicitur et concoquitur. Raphael autem non informabat corpus assumptum, sed ei tantum assistebat: unde locutio ejus, comestio, perfectio, etc., non erant actiones vitales, id est factæ vitaliter ab anima informante corpus, sed extrinsecus per corpus et in corpore quasi organo exercitæ. Trajiciebat ergo angelus cibum ex ore in stomachum; sed sicut os ejus et stomachus non erat verum et humanum os et stomachus, sic nec vera et humana erat ejus comestio. Verum secus fuit in Christo: Christus enim post resurrectionem verum assumpsit corpus, quod anima vere ut prius informabat, ac proinde sicut vera et vitalis fuit ejus locutio, visio, auditio, sic et comestio. Vitaliter vi animæ trajiciebat cibum ex ore in stomachum. Fuit ergo hæc ejus comestio non apparens, sed realis et propria, quia eam adhibuit quasi certum argumentum vitæ, et consequenter resurrectionis suæ: ita passim Patres.

Ex iis cibus non fuit nutritus.

Dico *secundo*, hic autem cibus non fuit a Christo digestus et in corpus ejus conversus, uti volunt Waldensis et Durandus in III, dist. XXII, Quæst. 4, ad 2; corpus enim gloriosum ali et crescere aut decrescere nequit: est enim impassibile et inalterabile. Nam, ut ait S. Augustinus, *epist.* 49, Quæst. 1, et ex eo Beda: « Aliter aquam absorbet terra sitiens, aliter solis radius candens: illa indigentia, iste potentia. » Unde sequitur, quod hæc comestio non tam sit animæ vegetantis, utpote cujus actiones cessant in corpore glorioso, quam animæ sentientis et loco motivæ. Est enim quasi applicatio quædam materiæ, in quam exercere possit virtutem suam facultas nutritiva, si nutrimento egeret, aut ejus esset capax, uti est corpus mortale, non autem immortale, quale erat Christi. Christus ergo virtute sua divina subito hunc cibum consumpsit eumque in aerem aut præjacentem materiam resolvit; vel per dotem subtilitatis stomachus Christi penetravit cibum, itaque in alium a cibo locum transivit; ac consequenter cibum a se exclusit eumque in locum quem voluit transtulit: ita Suarez, III *part.*, tom. I, disp. XLVII, sect. 5.

Objicies: ergo non fuit realis et propria Christi

(1) Mendum tamen ducimus ab hodiernorum pleris-que συναλιζόμενος verti *quam congregatus*, tum quia hic hujus verbi significatus usitatior est, tum quia alter contextui sermonis minus conveniens esse videtur.

Hic fuit animæ sentientis, non vegetantis.

comestio, qualis est in nobis, qui ex ea vegetamur et nutrimur. Respondeo, nego consequentiam: nam ad rationem veræ et propriæ comestionis requiritur et sufficit, ut per vitalem actionem et organa vitæ (puta, linguam, dentes, maxillas, fauces, etc.) cibus ore sumptus transmittatur in stomachum: quod non est in angelo, si corpus assumat. Nec enim in eo est actio vitæ, sed tantum motio localis per corpus, cui quasi auriga assistit. Verum tamen est in Christo non fuisse tam perfectam comestionem, quam est in nobis. In nobis enim est opus animæ tum vegetantis, quam sentientis; in Christo, sentientis duntaxat. Media ergo fuit hæc Christi comestio inter nostram et angelorum. Nostra enim est actio animæ sentientis et vegetantis, in Christo; sentientis, non vegetantis; in angelo nec vegetantis, nec sentientis, sed loco moventis, sive motum localem circa stomachum et corpus assumptum exercentis.

Cur Hierosolymis misso Spiritus Sanctus? Prima causa.

PRÆCEPIT EIS AB HIEROSOLYMIS NE DISCEDERENT. — Quæres, cur Christus Hierosolymis, non alibi miserit Spiritum Sanctum? Respondeo: *Prima* causa fuit, quia in Jerusalem fuit passus; Jerusalem enim elegerat passioni, Bethleem nativitati, ait S. Leo, serm. *De Pass. Domini*, quia gloriam suam abscondere, et ignominiam toti orbi ostendere voluit, ut nos idem facere doceret: passionis autem merito missus est Spiritus Sanctus; decebat enim ut ubi Christus passus erat ignominiam, ibi subiret et gloriam. Nam Spiritus Sanctus fuit Christi gloria, eumque in Judæa et toto orbe celebravit, ut nos doceret pati ignominiam, spe certa, quod illam Deus versurus sit in gloriam.

*Secunda*, quia in Jerusalem, puta in monte Oliveti, qui imminet Hierosolymæ, in cœlum ascendit. Ibi ergo pariter misit Spiritum Sanctum, ut significaretur ipsum esse qui mitteret, uti prædixerat et promiserat, non alium.

*Tertia*, quia in Jerusalem Christus docuit, instituit Apostolos, fundavit Ecclesiam. Ibidem ergo venit Spiritus Sanctus, ut hæc omnia confirmaret et promoveret.

*Quarta*, ut Spiritus Sanctus significaret se, abolito Judaismo (hujus enim metropolis erat Jerusalem), instituere Christianismum. In Pentecoste enim Apostoli, pleni Spiritu Sancto, cœperunt legem novam promulgare. Hæc autem promulgatio publice fieri debebat in Jerusalem, ut omnes Judæi eam possent audire et cognoscere, indeque discere antiquatam esse legem veterem.

*Quinta*, quia Jerusalem erat caput Synagogæ et populi fidelis, uti jam est Roma. Sicut ergo anima magis est vigetque in capite quam in cæteris membris: ita Spiritus Sanctus magis erat et vigebat Hierosolymis (uti jam viget Romæ, dum dirigit Pontificem et Cardinales in regimine Ecclesiæ, dumque fidelibus ibidem tantum fervorem caritatis opera aspirat), quam in aliis Judææ urbibus. Adde, in Jerusalem erat Sion et templum, in quo colitur et præses est Spiritus Sanctus.

*Sexta*, quia in Sion regnavit David et Salomon, quorum filius fuit Christus eis promissus. Hic ergo pariter in Sion regnare debuit. In Sion itaque fundavit Ecclesiam, quasi suum regnum. Unde illa a Prophetis vocatur Sion, ut *Isaiæ* II, 3: «De Sion exibit lex, et verbum Domini de Jerusalem.» Et cap. LXI, vers. 1: «Spiritus Domini super me, etc., ut prædicarem annum placabilem Domino, etc.; ut ponerem lugentibus Sion, et darem eis coronam pro cinere;» et sæpe alibi.

Tropologice: Jerusalem, id est visio pacis, symbolum est animæ justæ, quæ pacem colit cum Deo, secum et cum proximis. Hæc enim sedes et templum est Spiritus Sancti, juxta illud: «Factus est in pace locus ejus, et habitatio ejus in Sion,» *Psalm.* LXXV, 3.

Allegorice: Jerusalem typus est Ecclesiæ, in qua sola est et ostendit se Spiritus Sanctus, juxta illud: «Ubi sunt duo vel tres congregati in nomine meo, ibi sum in medio eorum.» *Matth.* cap. XVIII, vers. 20. Nemo ergo se separet ab Ecclesia, a sua congregatione, ordine, collegio, si velit recipere et retinere Spiritum Sanctum. Rursum quisque fidelis, Clericus, Religiosus frequentet templa cœtusque publicos, ut litanias, conciones, collationes, etc.; ibi enim sentiet loquentem Spiritum Sanctum ejusque inspirationes et dona percipiet. Quocirca monet Apostolus fideles dicens: «Non deserentes collectionem nostram,» *Hebr.* X, 25.

Anagogice: Sion et Jerusalem terrestris, typus est cœlestis, in qua Spiritus Sanctus suas opes et gloriæ dotes effundit in Beatos, qui ejus gratiæ et donorum in terrestri fuere participes, juxta illud *Hebr.* XII, 22: «Accessistis ad Sion montem, et civitatem Dei viventis, Jerusalem cœlestem, et multorum millium angelorum frequentiam, et Ecclesiam primitivorum, qui conscripti sunt in cœlis, et judicem omnium Deum, et spiritus justorum perfectorum, et testamenti novi mediatorem Jesum, et sanguinis aspersionem melius loquentem quam Abel. Videte ne recusetis loquentem.»

SED EXSPECTARENT, — *primo*, ad acuendum in eis desiderium Spiritus Sancti; «oportebat enim illos desiderio promissi teneri, atque ita donum accipere,» ait S. Chrysostomus. *Secundo*, oportebat in cœlo comparere naturam nostram et perfectam reconciliationem fieri, ac tum venire Spiritum, quo merum purumque gaudium fieret.» *Tertio*, quia «noluit Christus discipulos ante Spiritus Sancti adventum tanquam inermes et sicut absque auriga equos prodire in publicum,» ait idem Chrysostomus. Succubuissent enim laboribus, tentationibus, persecutionibus, philosophis, tyrannis, nisi Spiritus Sanctus eos armasset, et invictos, imo omnium victores, effecisset. Hinc explicans hoc Christi præceptum Lucas Evangelista, XXIV, 49: «Vos autem sedete, inquit, in civitate, quoadusque induamini virtute ex alto.» Moraliter: non inconstantibus, torpentibus et dormientibus, sed exspectantibus, orantibus et vigilantibus Spiritus Sanctus ejusque dona obveniunt.

PROMISSIONEM PATRIS. — Est metonymia: ponitur actus pro objecto, puta promissio pro promisso vel re promissa. Promissio ergo est Spiritus Sanctus promissus, tum a Christo, tum a Patre; modestiæ tamen causa vocat eum promissionem, non suam, sed Patris, sicut et in Evangelio apud S. Joannem, vocat eum donum, non suum, sed Patris: quia scilicet Pater est primus fons et origo SS. Trinitatis. Ab eo enim haurit Filius suam deitatem et consequenter vim spirandi, ut scilicet cum Patre spiret et producat Spiritum Sanctum. Hujus modestiæ testes sunt hi sermones Christi: «Ego rogabo Patrem, et alium Paracletum dabit vobis,» *Joann.* XIV, 16, *q. d.* Ego fui prior Paracletus, a Patre ad vos docendos et redimendos missus: docui, redemi vos: peracta ergo mea legatione in cœlum redeo: orabo Patrem et impetrabo, ut mei loco alium Paracletum mittat vobis, puta Spiritum Sanctum qui ea quæ ego docui, illustret et perficiat, juxta illud vers. 26: «Paracletus autem Spiritus Sanctus, quem mittet Pater in nomine meo, ille vos docebit omnia, et suggeret vobis omnia quæcumque dixero vobis.»

Spiritus Sanctus proprius novi testamenti.

Nota: Spiritus Sanctus est donum et dos propria novi Testamenti, puta legis Christianæ et gratiæ Christi: illius enim est pignus et promissum; illo proinde caruit vetus Testamentum, puta lex Mosis, Synagoga et Judæi, utpote duri, terrestres et carnales: si qui vero illum habuerunt, ut Elias, Moses, David, illi filii fuere novi Testamenti potius quam veteris. Hinc illud prædixerunt et promiserunt Prophetæ, ut Ezechiel, XXXVI: «Dabo vobis cor novum, et Spiritum novum ponam in medio vestri, et auferam cor lapideum de carne vestra, et dabo vobis cor carneum. Et Spiritum meum ponam in medio vestri; et faciam ut in præceptis meis ambuletis.» Et Jeremias, capite XXXI, vers. 33: «Hoc erit pactum quod feriam cum domo Israel post dies illos, dicit Dominus: Dabo legem meam in visceribus eorum, et in corde eorum scribam eam, et ero eis in Deum, et ipsi erunt mihi in populum. Et non docebit ultra vir proximum suum, et vir fratrem suum, dicens: Cognosce Dominum: omnes enim cognoscent me a minimo eorum usque ad maximum.» *Joel*, II, 28: «Effundam Spiritum meum super omnem carnem, et prophetabunt filii vestri,» de quo cap. II (1).

5. QUIA JOANNES QUIDEM BAPTIZAVIT AQUA — Judæos quoslibet, imo et Apostolos, antequam a Christo vocarentur, ait S. Chrysostomus, Euthymius et Tertullianus, lib. *De Baptismo*, cap. XII (etsi id negare videatur Beda), præsertim Andream ejusque socios, qui erant discipuli Joannis.

VOS AUTEM BAPTIZABIMINI SPIRITU SANCTO, — scilicet in baptismo Christi. Hunc enim opponit baptismo Joannis, inquit S. Chrysostomus, Theophylactus et Euthymius, in cap. III *Joannis*, qui consequenter censet Apostolos, Christo moriente, resurgente et ascendente, necdum baptismo Christi baptizatos et per aquam lustratos fuisse. Accedunt ad hanc sententiam alii qui opinantur baptismum Christi non ante, sed post mortem et resurrectionem ab eo institutum fuisse, *Matth.* cap. XXVIII, vers. 19, cum dixit: «Euntes, docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti.» Ita opinatur Tertullianus, lib. *De Baptismo*, cap. XI; S. Hieronymus, *Dialog. contra Lucifer.*; Chrysostomus, hom. 28 *in Joan.*, et obiter S. Thomas, III *part.*, *Quæst.* LXXIII, art. 5, ad 4. Verum jam diu ante institutum fuisse baptismum a Christo patet *Joan.* III, 3, esto promulgatus fuerit post Christi ascensum in Pentecoste, tumque omnes obligare cœperit, et patet *Act.* II, 38. Ita censent passim Interpretes et Doctores cum D. Thoma, III *part.*, *Quæst.* LXVI, art. 2, ubi id tractat ex professo. Unde et Apostolos Christi, æque ac Joannem Baptistam, in aqua baptizasse, utique baptismo non Joannis, sed Christi, ideoque ortam esse contentionem inter discipulos de baptismo Joannis et Christi, legimus *Joan.* IV, 25.

Apostoli a quo baptizati.

Quocirca S. Evodius, successor S. Petri in cathedra Antiochensi, *epist.* quæ inscribitur τὸ φῶς, id est *Lumen*, asserit Christum suis manibus baptizasse ex mulieribus solam Virginem, ex viris solum Petrum: Petrum autem baptizasse Andream, Jacobum et Joannem; et hos tres baptizasse reliquos Apostolos.

Dico ergo ad litteram, baptismum Spiritus Sancti vocari hic effusionem Spiritus Sancti in Pentecoste, qua copiose instar aquæ in Apostolos effusus est, eosque in seipso quasi mersit et absorpsit. Baptismus igitur significat copiam charismatum quam receperunt Apostoli in Pentecoste, adeo ut non tingi, non imbui, sed profundi, repleri et inebriari viderentur. «Ut enim is qui aqua mergitur et baptizatur, undique ab aquis circumdatur, sic et illi a Spiritu baptizati sunt perfecti,» ait Cyrillus, *catechesi* 17. Opponit itaque Christus mysticum suum baptismum effusionis Spiritus Sancti, litterali baptismo Joannis Baptistæ, in eo quod ille duntaxat datus sit in aqua, nec contulerit remissionem peccatorum, gratiam aut justitiam, sed ad eam in baptismo Christi recipiendam disposuerit, inducendo homines et voce et gestu ad pœnitentiam et lacrymas, uti docet S. Augustinus, in cap. I *S. Joannis*, tract. 5, et alii passim; Christi vero baptismus

Baptismus Spiritus Sancti et ignis, quis?

(1) «Quam audistis (inquit) per os meum.» Subito ab oratione obliqua transit Lucas ad rectam; quare in versione vulgata, perspicuitatis causa, insertum est *inquit*: est autem hæc loquendi ratio perquam usitata Scriptoribus sacris pariter atque profanis.

mysticus dandus sit in Spiritu Sancto, ostendente se non in aqua frigida, sed in igne ardenti : quia daturus erat in Pentecoste Apostolis cor igneum et linguas igneas, *q. d.* Joannes baptizavit in aqua duntaxat, at ego non tantum in aqua, sed et in Spiritu Sancto baptizo. Nam brevi mittam in vos Spiritum Sanctum, qui suo spiritu et sanctitate ita vos opplebit, ac si in eo toti baptizaremini et mergeremini, ut deinceps vos etiam alios possitis baptizare in aqua et Spiritu Sancto. Ita factum est. Nam Apostolis baptizantibus descendebat Spiritus Sanctus in fideles, non tantum invisibiliter, sed et visibiliter in specie ignis, etc., uti primitus in ipsosmet descenderat in Pentecoste : ita S. Chrysostomus, Œcumenius, Beda, Lyranus et alii. Porro, missionem Spiritus Sancti Christus vocat *baptismum*, quia baptismus significat, *primo*, purgationem peccatorum et affectionum, quam Apostolis contulit et in dies confert Spiritus Sanctus. Sicut enim aqua in baptismo corpus tangens cor abluit, ut ait S. Augustinus, omneque peccatum ab eo extergit : ita Spiritus Sanctus in Pentecoste cor mentemque Apostolorum ab omni peccato, vitio et cupiditate terrena abluit et expurgavit.

*Secundo*, vox *baptismus* significat plenam sanctificationem. Sicut enim baptismus animæ a peccatis expurgatæ inserit fidem, spem, charitatem et sanctitatem : ita Spiritus Sanctus in Pentecoste indidit Apostolis omnem gratiam, virtutem et sanctimoniam, idque in gradu perfecto et heroico.

*Tertio*, eadem vox significat plenitudinem et abundantiam charismatum. Sicut enim corpus in baptismo aqua circumdatur et obruitur, ita Apostoli Spiritu Sancto ejusque donis quasi circumdati et obruti fuere.

*Quarto*, significat ardorem et zelum. Hic enim eorum baptismus fuit igneus, non aqueus; Spiritus Sanctus enim in specie ignis eis insidens ignivit corda eorum. Hoc est quod ipse S. Joannes Baptista Judæis eum interrogantibus de suo baptismo, respondit : « Ego quidem baptizo vos in aqua in pœnitentiam, qui autem post me venturus est, fortior me est, cujus non sum dignus calceamenta portare; ipse vos baptizabit in Spiritu Sancto et igni, » *Matth.* III, 11.

Baptismus fluminis, flaminis, sanguinis.

Hinc Theologi triplicem distinguunt baptismum, fluminis, flaminis et sanguinis. Fluminis, est communis, qui fit per aquam. Sanguinis, est martyrium : hoc enim expiat omne peccatum, æque ac baptismus. Flaminis, est hic Apostolorum, et etiam eorum qui contriti desiderant sacramentum Baptismi, sed ob defectum aquæ, aut ministri illud suscipere nequeunt. Ii enim justificantur sua contritione cum voto baptismi, quod aspirat eis flamen, id est Spiritus Sanctus. Denique hic baptismus maximum fuit innovati mundi miraculum. Quocirca vere S. Chrysostomus in Gentiles, qui negabant Apostolorum miracula : « Hoc ipsum, inquit, maximum est miraculum : est m[illegible] absque miraculis orbem terrarum accurrere [illegible] duodecim pauperibus et illiteratis hominibus attractum. »

NON POST MULTOS HOS DIES. — puta decimo abhinc die in Pentecoste, sed noluit Christus certum diem eis indicare, « ut semper essent vigilantes, ait S. Chrysostomus, ac sollicitius promissum exspectarent, non enim datur, non datur, inquam, gratia, nisi vigilanti. Annon vides quid dicat Elias discipulo? Si videris me cum abripiar, erit tibi, hoc est, continget tibi quod postulas, » puta Spiritus meus duplex, IV *Reg.* II. « Sic et Paulo non statim data est gratia, sed triduum intercessit, quo fuit cæcus, atque interim mens purgatur ac præparatur. Nam sicut qui purpuram tingunt, prius aliis quibusdam coloribus præparant id quod tincturam accipiet, ne flos dilutus et evanidus fiat : sic et hic prius animi sollicitudinem Deus præparat, ac deinde infundit gratiam. Eamdem ob causam nec Spiritum illico misit, sed in die quinquagesimo. »

6. IGITUR QUI CONVENERANT, — non soli Apostoli, sed et alii discipuli, coram quibus Christus ascendit. « Simul coeunt, ait S. Chrysostomus, ut pudore quodam ac reverentia multitudinis, quod scire desiderant, extorqueant. » Vox *igitur* innuit quod Apostoli putarint Christum quasi Messiam, jam post resurrectionem suam restituturum regnum Israel jampridem collapsum, ideoque missurum Spiritum Sanctum, ut id restituat, hancque esse promissionem Patris per Prophetas. Amos enim, cap. IX, 11, sic vaticinatur : « In die illa suscitabo tabernaculum David quod cecidit, et reædificabo aperturas murorum ejus, » etc. Et Osee, cap. XIV, 6 : « Ero quasi ros Israel, germinabit sicut lilium, et erumpet radix ejus ut Libani. » Et Joel, cap. III, 20 : « Judæa in æternum habitabitur, et Jerusalem in generationem et generationem, » etc. « Et Dominus commorabitur in Sion. » Et Abdias, vers. 17 : « In monte Sion erit salvatio, et erit sanctus; et possidebit domus Jacob eos qui se possederant. » Denique Gabriel Archangelus, nuntians Christi ortum Virgini Deiparæ : « Dabit, inquit, illi Dominus Deus sedem David patris ejus, et regnabit in domo Jacob in æternum, » *Lucæ* I, 32.

Si (id est *an, num*, ut vertit Pagninus, Tigurina et alii) IN TEMPORE HOC (tuæ resurrectionis, gloriæ et triumphi) RESTITUES (Græce ἀποκαθιστάνεις, id est *restituis* in præsenti) REGNUM ISRAEL. — Græce τῷ Ἰσραὴλ, id est *Israeli*, *q. d.* Israel jam perdidit regnum, imo illud translatum est in Herodem Idumæum et alienigenam. Scimus ex prophetiis, præsertim Jacobi, *Gen.* XLIX, 10, translato jam sceptro propediem Messiam venturum, ut illud Israeli restituat : ergone id modo præstabis? Scimus enim et credimus te esse Messiam, id est novum verumque Davidem Israelis. Errant in eo, quod putent regnum Messiæ fore temporale, quale fuit Davidis et Salomonis, non spirituale. Sed hic communis Judæorum (uti jam est omnium) ævi illius fuit error. Unde Joannes et Jacobus petierunt dextram et sinistram in regno Christi, *Matth.* XX, 20; et duo discipuli euntes in Emmaus : « Sperabamus, inquiunt, quod ipse redempturus esset Israel, » *Lucæ* XXIV, 21. Quocirca Christus ad quæstionem eorum directam non dat solutionem, quia ejus adhuc erant incapaces, sed retundens eorum curiositatem, indirecte et tacite eamdem solvit, nimirum venturum Spiritum Sanctum, ut intrepide Christi regnum spiritale per fidem, in Judæa et Samaria totoque orbe propagent. Spiritalis enim Israel est populus fidelis et Christianus, ad quem carnalis Israel aggregabitur in fine mundi, quando regnum hoc evadet gloriosum omnesque Sanctos in anima et corpore beabit in æternum.

7. NON EST VESTRUM NOSSE TEMPORA, — successiones, decreta et eventa temporum.

VEL MOMENTA. — Græce καιρούς, id est *opportunitates temporum*; ita Pagninus et alii; Tigurina, *articulos temporum*; Vatablus, *opportunitates*, scilicet rei gerendæ. Noster docte eas vocat vertitque *momenta*, quia momentum hic non significat instans, sed pondus et inclinationem temporis. Sic Cicero, lib. V *De Finibus*, ait : « Inclinationes rerum et momenta temporum, » et Horatius, lib. I, *epist.* 6 : « Certis momentis decedentia tempora. » Rursum Cicero, lib. VI, epist. 10 *ad Trebatium* : « Omnia, inquit, momenta (id est occasiones) observabimus, neque ullum prætermittemus tui juvandi et levandi locum. » *Momentum* enim Grammatici deducunt a *moveo*; momentum enim, sive occasio, est quasi pondus rem movens et inclinans ad rem gerendam : hinc vocantur judiciorum et rerum maximarum magna momenta, id est quæ magnum pondus habent et efficaciam, ut res huc illucve inclinet. Sic et Sapiens, cap. XI, 23, dixit : « momentum stateræ, » Græce ῥοπὴ, id est inclinatio, motus, propensio stateræ, sive bilancis. Sic vulgo dicimus : « Favor in aulis magnum habet momentum, parvum eruditio (1). »

Moraliter : Deus regnorum rerumque omnium vicissitudines, exordia, media et fines peragit suis momentis et opportuno tempore. Opportunitas enim rei gerendæ magnum affert, tum momentum et pondus, tum facilitatem, tum decorem. Quod si ea desit, Deus procurat ut adsit per congruos providentiæ suæ modos, quos in thesauris sapientiæ suæ reconditos habet, quibus facit ut omnes rerum temporumque successus invicem apposite nectantur, ac velut ansulæ sibi invicem inserantur, ut catenam elegantem efficiant. Quocirca Boetius, lib. IV *De Consol.*, prosa 6, providentiam docet esse seriem causarum rerumque in mente Dei, quæ omnia suis nectat ordinibus missis arctisque, sed arcanis nodis : veteres fatum appellavere. Stoici enim fatum dixere esse præcedentium causarum subsequentiumque perplexionem quamdam, et instar catenæ connexionem. Verum quia hoc, utpote indeclinabile et inevitabile, necessitatem inferre et libertatem voluntati hominis et angeli adimere censuerunt; hinc merito impii, imo fatui sunt, qui fatum vel fando usurpant. Audi S. Augustinum, tract. 37 *in Joan.* : « O si esse tuum non esset fatuum, non crederes fatum. »

Providentia Dei [illegible]

Ita Deus congrue et opportune fecit, ut regnum et monarchia Cyri et Persarum succederet monarchiæ Chaldæorum; Dario deinde et Persis succederet Alexander et Græci; his Romani, qui regnum Israel per Pompeium et Augustum, intrudendo alienigenam regem Herodem, capite minuerent, et paulo post ob cædem Christi per Titum et Vespasianum delerent : ut ita abolito regno Israel et Judaismo, succederet regnum Christi et Christianismus, cui Israel aggregabitur in fine mundi, idque opportune et congrue. Tunc enim mittet Deus Henoch, ex quo quasi patriarcha prognati sunt Israelitæ; et Eliam, qui fuit Judæus, et propheta celeberrimus Judæorum, cui proinde Christum annuntianti, quasi civi et prophetæ suo credent Judæi, æque ac Henoch, utpote patri et patriarchæ suo.

Idem exemplo suo docet nos Deus, nimirum ut opportune omnia agamus, et occasiones rei bene gerendæ studiose captemus, nec effluere sinamus. Nam, ut ait Cato,

Fronte capillata est, a tergo occasio calva,

ut, cum transierit, eam apprehendere nequeas. Et Ovidius :

Temporibus medicina valet; data tempore prosunt,
Et data non apto tempore vina nocent.

Phocylidis monitum fuit : « Occasioni obtempera, et noli spirare contra ventos; » Menandri : « Occasio legibus est potentior multo, et multarum rerum est causa : celerrime permutat res, et ipsa celerrime elabitur et avolat; » Vegetii, lib. III *De Re milit.*, cap. XXVI : « Occasio in bello amplius solet juvare quam virtus; » Demosthenis, orat. *ad Leptin.* : « Parvæ occasiones magnarum rerum causæ existunt; » alterius : « Occasio anima actionum est; » Livii, lib. II, Decade 3 : « Armatus intentusque sis neque occasioni tuæ desis, neque suam occasionem hosti des. » Sic qui versantur cum puellis, dant dæmoni occasionem tentandi se libidine; qui cum superbis, de fastu; qui cum gulosis, de gula; nam si vel filum unum capillum illi concedas, inde plectet tibi funem, quem omni robore vix dirumpes. Antigonus Pyrrho ad bellum provocanti respondit : « Suam militiam non magis armorum, quam temporum esse : Pyrrho, si

(1) Hæc Rosenmullerus : « Particula ἢ apud Græcos haud raro conjunctionis loco ponitur, ut idem sit quod καί. Quare voces χρόνους ἢ καιρούς simpliciter vertenda sunt, *tempora*. »



007693

rum vitæ suæ tædium cepisset, satis multas ad mortium vias patere : » ita Plutarchus in *Pyrrho*; Themistocles adolescenti qui occasionem neglexerat : « O adolescens, ait, sero quidem ambo, sed tamen sapere cœpimus. » Ita Plutarchus in *Apopht.* Scipionis Africani dogma fuit : « Non esse pugnandum nisi aut invitaret occasio, aut urgeret necessitas. » Ita Plutarchus in ejus Vita. Quocirca Gentilium prudentia maxime in opportunitate captanda enituit. Egregie Plinius, lib. XV, cap. XXIV : « Morus, ait, novissima omnium germinat, et tamen parit inter primas : ita qui tempus idoneum operiuntur rei conficiendæ, etiamsi serius cœperint, tamen maturius conficiunt. » Idem, lib. XI, cap. VI et X : « Apes peragunt opus suum non statis diebus, sed quoties cœli commoditas invitat : ita suo quæque tempore rapienda est occasio. » Denique S. Chrysostomus, lib. I *De Compunctione* : « Sicut, ait, in corporibus et fistulis, nisi quis prius humorem influentem sistat, mali fonte non obstructo, incassum omnia facit : itidem et nos, nisi occasionem quasi fontem mali caverimus. » Porro idipsum non tantum in factis, sed et in verbis dictisque locum habet; verbum enim opportune prolatum plus efficiet, quam mille importune. Vere Sapiens, *Proverb.* XXV, 11 : « Mala aurea in lectis argenteis, qui loquitur verbum in tempore suo. » Christianus ergo hæc sibi adaptet, et occasionibus omnibus ad bene agendum utatur, ut lucra cœlestia adaugeat, quæ quotidie mire augere potest, si occasiones captet, uti captat mercator occasionem negotiandi, miles vincendi. Post hoc enim breve tempus et occasionem, non erit tempus nec occasio lucrandi.

8. SED ACCIPIETIS VIRTUTEM, — δύναμιν, id est *potentiam, robur, vim, efficaciam*, quæ tanta fuit in Apostolis, ut reges, tyrannos, gentes feras et barbaras totumque orbem subegerint Christo, cum ipsi essent pauci, pauperes, rudes, ignobiles. Hoc est quod ait Christus, *Lucæ* XXIV, 49 : « Ego mitto promissum Patris mei in vos : vos autem sedete in civitate, quoadusque induamini virtute ex alto. » Præclare S. Bernardus, serm. 85 *in Cant.* : « Opus virtute habes, inquit, et non quacumque, sed qua induaris ex alto. Ipsa enim, si perfecta sit, facile facit animum victorem sui, et sic invictum reddit ad omnia. Est quippe vigor animi cedere nescius pro tuenda ratione. Vel sic : Vigor animi, quod in se est, omnia ad rationem cogens vel dirigens, » etc. « Felix anima quæ angelis spectantibus præbuit gaudium pariter et miraculum sui, ut audiret de se loquentes : Quæ est ista quæ ascendit de deserto deliciis affluens, innixa super dilectum suum? Alioquin frustra nititur, si non innititur. » Et mox : « Quidni omnia possibilia sint innitenti super eum qui omnia potest? Quantæ fiduciæ vox : Omnia possum in eo qui me confortat? Nihil omnipotentiam Verbi clariorem reddit, quam quod omnipotentes facit omnes qui in se sperant. » Et inferius : « Ita Verbo innixum et indutum virtute ex alto, nulla vis, nulla fraus, nulla jam illecebra poterit vel stantem dejicere, vel subjicere dominantem. »

SUPERVENIENTIS. — Græce ἐπελθόντος, in aoristo, id est *cum*, vel *postquam supervenerit*. Prius enim datus est Spiritus Sanctus personaliter Apostolis, deinde existens in eis eosque inhabitans, suam virtutem et dona in eos transfudit; perinde ac sol, postquam ortus est, suos radios in orbem diffundit; de quo plura cap. II.

SPIRITUS SANCTI. — Quis, qualis et quantus sit hic Spiritus, dicam initio cap. II.

ET ERITIS MIHI. — « Mihi, » meæ scilicet incarnationi, morti, redemptioni, resurrectioni, ascensioni cæterisque mysteriis quæ hucusque peregi; *q. d.* Docebitis et testificabimini me esse Filium Dei, qui pro salute hominum incarnatus et crucifixus sum, ac proinde me esse Salvatorem mundi, ideoque eos in me credere debere ut salventur, nec enim extra me est salus.

TESTES, — per miracula, per vitæ sanctimoniam, per prædicationem, sapientiam et efficaciam non humanam, sed divinam, *q. d.* Vidistis, o discipuli, o filii mei, vitam meam, doctrinam audistis, spectastis mea miracula, itinera, labores, contradictiones, tormenta, mortem, crucem, resurrectionem, mox spectabitis meam ascensionem et missionem Spiritus Sancti; ubique vidistis meum in homines amorem et zelum, qui me e cœlo in terram et in crucem traxit : ite, testificamini, et docete hæc in toto mundo, ut suam salutem ament et curent, sicut ego amavi et curavi, ut me ipsos amantem redament : ecce ascendo, ut parem eis locum in cœlo : suadete ergo, ut vanas terræ opes pompasque contemnant, ut timeant Dei judicium et gehennam, ambiant aspirentque ad cœlum. Ecce quales et quanti hi testes Christo fuerunt.

Vide hic dignitatem Apostolorum, de qua præclare S. Chrysostomus, hom. *De S. Andrea*, quæ extat apud Surium die 30 novemb. : « Nihil tale, inquit, unquam fuit, quale fuerunt Apostoli. Hi cum Dei verbi essent ministri, attrectarunt incarnatum illum, qui ut Deus figuram non habet. Secuti sunt ambulantem eum, qui ubique præsens est. Discubuerunt una cum illo, qui nullo loco circumscribitur. Ejus vocem audiverunt, qui verbo fecit omnia. Mundum ipsum lingua, tanquam sagena quædam concluserunt. Circumierunt suis cursibus fines orbis terrarum. Errores ut zizania eradicarunt; aras ut spinas quasdam amputarunt; idola tanquam feras interfecerunt; dæmones ut lupos profugarunt; Ecclesiam ut gregem quemdam collegerunt; orthodoxos tanquam frumentum congregarunt; hæreses ut paleas projecerunt; Judaismum tanquam fœnum arefecerunt; Græcorum sectam tanquam stipulas quasdam igne combusserunt; humanam naturam cruce ipsa tanquam aratro quodam excoluerunt, et verbum

Excellentia Apostolorum.



Dei ut sementem quamdam sparserunt; ad summam, omnia illorum facta tanquam sidera quædam effulserunt. Quamobrem clara voce illis dicebat Dominus : Vos estis lux mundi. Siquidem Orientem habet Christianus homo, illum qui e Virgine natus est : diluculum habet, eum qui baptismatis parens fuit; splendorem habet, Christi crucifixi gratiam; radios, admirabiles illas linguas; diem, futurum illud sæculum : meridiem, tempus quo in cruce ipsa mansit Dominus; occidentem, sepulcri habitationem; vesperam, brevem illam mortem; solis fulgorem, resurrectionem a mortuis. Vos estis lux mundi. Intuere astra hæc, et illorum splendorem obstupesce. »

IN JERUSALEM. — Apollonius, vetus ecclesiasticus scriptor, ait Eusebius, lib. V *Histor.*, cap. XVIII, in fine, « meminit Thraseæ cujusdam martyris, qui quasi ex traditione priorum se accepisse asseruit Salvatorem præcepisse Apostolis suis, ne ante duodecimum annum ab Hierosolymis discederent. » Sed hoc cum grano salis accipiendum : satis enim constat ex Actis, ob necem Stephani, quæ paulo post Christi ascensionem contigit, dispersos fuisse Apostolos; ac eorum divisionem per orbis provincias ante duodecimum annum contigisse, multi Historici et Doctores docent. Nam S. Jacobum, qui ante duodecimum annum martyr occubuit, in Hispanias profectum, ibique evangelizasse constanter asserunt Hispanicæ Annales et continua traditio.

9. ET CUM HÆC DIXISSET, — aliaque quæ recensent S. Lucas, Matthæus et Marcus in fine Evangelii. Verisimile est Christum, finito prandio, Apostolos aliosque discipulos prius convocatos (quos 120 recenset Lucas, vers. 15) e Jerusalem per mediam urbem, Judæis vi divina cohibitis, stupefactis et attonitis, eduxisse in montem Oliveti, ac ex itinere divertisse in adjacentem Bethaniam, ut ait Lucas, *Evang.* cap. XXIV, 50, ut valediceret Magdalenæ, Marthæ et Lazaro, eosque secum pariter eduxisse, ut eis ascensionis suæ visionem et consolationem impertiretur, utpote sibi amicissimis : ita Suarez, III *part.*, disp. LI, sect. 2. Quæ omnia facile horam a prandio exactam significant, antequam Christus perveniret in montem Oliveti ibique suis valedicens ascenderet. Quæ fuerint colloquia suavissima et ultima Deiparæ Matris et Christi, item amplexus ejus et discipulorum aliaque plura quæ studio brevitatis tacet Lucas, contemplari possumus, enarrare nequimus. S. Augustinus, serm. 6 *De Ascens.*, qui est 179 *De Temp.*, ait Apostolos hæc Christo dixisse (intellige corde potiusquam ore) : « Domine, quare nos derelinquis ascendens, qui nos elegisti in ripa præcedens? Domine, quando sumus verba tua super mel et favum eminus percepturi, et stillantis rorantisque gratiæ balsamum de tuis labiis ac faucibus libaturi? Aut instrue quo ascendis, aut ne deseras cum ascendis : quasi scuto benignitatis tuæ remansimus in aperto nudati, tanquam pupilli matris amplectentis pennato velamine destituti. Quando venies ad nos, qui redemisti nos? Mors tua fuit peccatum nostrum; sit ascensus tuus pignus nostrum, ne nimis absorpti mœrore mergamur, quos eruisti de gemitibus inferorum. » Christum vero eis respondisse per angelos a se submissos : « Viri Galilæi, quid statis aspicientes in cœlum? Hic Jesus qui assumptus est a vobis in cœlum, sic veniet, » etc. Unde *serm.* 7, hosce duos angelos vocat duos prætores et duos palatinos cœlestis imperii. « Oportebat enim, inquit, cœlestes mitti consolatores, ne remanerent trepidi piscatores. » Noster Ludovicus de Ponte, meditat. *de Ascens.*, pie et probabiliter meditatur Christum abeuntem in cœlum, ut majorem sui fidem, spem, amorem et reverentiam discipulis imprimeret, dedisse eis osculandas suas manus et pedes (ut tangerent sacra vulnerum in iis stigmata), ex quibus suavissimus odor fragrabat, quo illorum corda mire recreabantur et confortabantur : matri vero suæ obtulisse etiam osculandum latus, quæ in illud se abdere, in eoque cum Christo ascendere gestiebat. Discipulos ergo summo amore et reverentia manus et pedes Christi osculatos esse, uti osculata fuerat Magdalena ejusque comites mulieres, *Joan.* XXIX, 17, et *Matth.* XXVIII, 9.

ELEVATUS EST. — « Non subito raptus, » ut Elias et Henoch, « non furtim sublatus, sed videntibus illis elevatus est, » ait S. Bernardus, *De Grad. humil.*, cap. I; idem, serm. *De Ascens.* : « Quid, ait, putatis, fratres, quantus dolor et timor irruperit Apostolica pectora, cum eum viderunt a se tolli et attolli in aera, non scalis adjutum, non sublevatum funibus, etsi angelico comitatum obsequio, non tamen fultum auxilio, sed gradientem in multitudine fortitudinis suæ? » « Elevatus » ergo a se suaque virtute per dotem agilitatis, idque sensim et pedetentim, ut diutius pasceret oculos discipulorum intuentium. Hoc enim significat Lucas, *Evang.* cap. XXIV, 50 : « Et elevatis manibus suis, benedixit eis. Et factum est dum benediceret illis, recessit ab eis, et ferebatur in cœlum. » Ex quibus verbis liquet, *primo*, Christum elevasse manus, tum ut Deum oraret et invocaret ad benedicendum Apostolis; tum ut elevando et deprimendo, vel certe transversim collocando manus, uti fecit Jacob, *Genes.* XLVIII, 14, signum crucis efformaret, uti docet noster Gretserus, lib. III *De Cruce*, cap. XVI. Per crucis enim meritum omnem benedictionem nobis impetravit. Unde inoluit in Ecclesia consuetudo, ut tam in publicis et sacris Officiis, quam in privatis benedictionibus Prælatorum, Sacerdotum, Sanctorum vel parentum, is qui benedicit, signum crucis efformet super eum quem benedicit; quam esse traditionem Apostolicam testatur S. Basilius, lib. *De Spiritu Sancto*, cap. XXVII.

Christus ascendit, quo modo?

Primo.

Christus benedixit per signum crucis.

*Secundo*, liquet Christum discipulis benedixisse, id est Patris opem et gratiam eis apprecatum

fuisse, qua et ipsi in fide vitaque Christiana proficerent, et alios ad eamdem verbo et exemplo provocarent, utque Deus omnia eorum opera secundaret per omnem vitam, uti de facto fecit, fuit enim efficax hæc Christi oratio et benedictio. Addit noster Ludovicus de Ponte, medit. *de Ascensione*, Christum ascendentem discipulis faciem solito amabiliorem et radiantiorem exhibuisse. Formula vero benedictionis hac usum esse: « Benedicat vos Dominus et custodiat. Ostendat Dominus faciem suam vobis, et misereatur vestri. » Hanc enim Deus præscripsit Aaroni, qui fuit typus Christi, *Num.* VI, 23. Aut hac: « Pater sancte, serva eos in nomine tuo, quos dedisti mihi, ut sint unum sicut et nos. Pater quos dedisti mihi, volo ut ubi ego sum, et illi sint mecum, ut videant claritatem meam, » etc., *Joan.* XVII, 11, 22, 24; aut simili. Porro Christi benedictio fuit efficax: quare discipulos replevit bonis illis cœlestibus, quæ benedicendo illis apprecabatur.

*Tertio*, Christum sensim ascendisse: hoc enim significat « *recessit, et ferebatur*. »

*Quarto*, Manichæi censebant Christum resedisse in cœlo solis, ideoque solem quasi numen adorabant, idque ex eo quod scriptum est *Psal.* XVIII, 5: « In sole posuit tabernaculum suum. » Refert et ridet hoc S. Augustinus, tractat. 34 in *Joan.* Certum est Christum ascendisse super omnes cœlos. Hoc enim asserit Apostolus, *Ephes.* IV, 10. Vide ibi dicta.

Quinta. Christus et homo ascendit, sedetque ad dexteram Patris.

*Quinto*, de fide est Christum non tantum qua Deus est, sed etiam qua homo, ascendisse ad solium Dei Patris, ibique ad dexteram ejus quasi Dominum cœli et terræ, angelorum et hominum consedere. Id enim docet Apostolus, *Coloss.* III, 1: quia enim Christus se in cruce infra omnes creaturas humiliavit, hinc et meruit super omnes exaltari. *Philip.* II, 10.

*Sexto*, Christus sua morte cœlum ob peccatum Adæ et posterorum clausum reseravit; unde et primus eodem ascendit. Hinc et secum duxit in triumphum omnes animas SS. Patrum et Patriarcharum, quos e limbo eduxerat. Hoc enim est quod ait Psaltes, *Psal.* LXVII, 19, et ex eo Paulus, *Ephes.* IV, 8: « Ascendens in altum captivam duxit captivitatem. » Porro præcipui ex illis cum Christo resurrexerunt, ut patet *Matth.* XXVII, 53, ac consequenter in corpore glorioso cum Christo ascenderunt, quasi resurrectionis ejus primitiæ. Hoc est quod ait Michæas, II, 13: « Ascendet enim pandens iter ante eos. »

*Septimo*, Christo per dotem subtilitatis cœlos penetranti, quasi Domino regique suo, occurrit tota cœlestis aula omnesque omnino angeli, uti docuit S. Cyprianus, Epiphanius, Nyssenus, serm. *De Ascens.*, et alii, et satis colligitur ex illo, *Hebr.* I, 6: « Et cum iterum introducit primogenitum in orbem terræ dicit: Et adorent eum omnes angeli Dei; » qui admirantes ejus gloriam interrogarunt: « Quis est iste qui venit de Edom, tinctis vestibus de Bosra? » etc., *Isaiæ* LXIII; ac triumphantes cecinerunt: « Attollite portas, principes, vestras, et elevamini portæ æternales, et introibit rex gloriæ. » *Psalm.* XXIII. Unde S. Augustinus, serm. 5 *De Resurrect.*: « Viderunt, inquit, cœlites cuncti speciosum vulneribus Christum, spolia e castris tyrannicis reportantem, et admirantes fulgentia divinæ virtutis vexilla, talibus concrepant hymnis deducuntque lætantes: Quis est iste rex gloriæ? » Hoc est quod jubilat Psaltes, *Psal.* LXVII, 18: « Currus Dei decem millibus multiplex, millia lætantium: Dominus in eis in Sina in Sancto. » Et *Psal.* XLVI: « Omnes Gentes, plaudite manibus, jubilate Deo in voce exultationis. Quoniam Dominus excelsus, terribilis: Rex magnus super omnem terram, etc. Ascendit Deus in jubilo: et Dominus in voce tubæ. »

Octava.

*Octavo*, Beda, lib. *De Locis sanctis*, cap. VII, testatur solemnitatem hujus diei quotannis recurrentem, fuisse cœlestibus prodigiis, in eo loco quo Christus ascendit, illustratam. « Nam in die, inquit, ascensionis Dominicæ per annos singulos, Missa peracta, validi flaminis procella de sursum venire consuevit, et omnes qui in ecclesia fuerint, in terram prosternere. Tota ibi ea nocte lucernæ ardent, ut non illustrari tantum, sed et ardere mons et supposita loca videantur: » de loco ascensionis dicam vers. 12.

[illegible]

Quæres, quibus de causis Christus mox post resurrectionem ascendit in cœlum. Respondeo: *Prima* est, ut suam legem et doctrinam confirmaret et ostenderet esse cœlestem. Se enim e cœlis descendisse, ut eam doceret, ideoque eo redire quasi unigenitum Dei Filium, juxta illud *Joan.* III, 13: « Nemo ascendit in cœlum, nisi qui descendit de cœlo, Filius hominis qui est in cœlo. » Unde S. Maximus, hom. 2 *De Pentec.*: « Sicut, inquit, aquila humilia deserit, alta petit, cœlorum vicina conscendit; ita et Salvator humilia inferni deseruit, paradisi altiora petiit, cœlorum fastigia penetravit. »

[illegible] Prima causa.

*Secunda*, ut cœlum hominibus peccato Adæ clausum reseraret, utque ostenderet regnum suum non esse terrenum et temporaneum, uti putabant discipuli, sed cœleste et æternum: quocirca sequacibus suis terram et terrena omnia esse despicienda. Nam, ut ait S. Augustinus, *serm.* 175 *De Temp.*, « cum Christo non ascendit superbia, non avaritia, non luxuria, nullum vitium nostrum ascendit cum medico nostro. Et ideo, si post medicum desideramus ascendere, debemus vitia et peccata deponere. »

*Tertia*, ut corpori ejus ita in terris humiliato et afflicto justam daret mercedem et gloriam: corporis enim gloriosi congruus propriusque locus est cœlum, non terra; hæc enim est locus generabilium et corruptibilium. Unde S. Augustinus, serm. 107 *De Temp.*: « Noster, ait, hic Samson, ablatis portis imperioque inferni et mortis, ascendit per turbinem in cœlum. »



*Quarta*, ut angelos sua præsentia et gloria exhilararet, ac cœlum exornaret; nam « lucerna ejus est Agnus, » *Apocal.* XXI, 23. Unde et ei acclamarunt: « Dignus est Agnus qui occisus est, accipere virtutem, et divinitatem, et sapientiam, et fortitudinem, et honorem, et gloriam, » *Apocal.* V, 12. Addit, ut sederet a dextris Dei tanquam contubernalis Patri, a quo in hunc mundum missus fuerat, ait Œcumenius, in cap. III, vers. 21. Præclare S. Augustinus, serm. 37 *De Tempor.*: « Quam mirifico, ait, mysterio noster Jesus Christus vel tactu corporis sui, vel transitu gloriæ suæ omnem ad momentum creaturam sanctificat, vivificat et illustrat? Aquas enim consecrat, dum baptizatur; terram sanctificat, dum sepelitur; mortuos suscitat, dum resurgit; cœlestia glorificat, dum ascendit ad cœlum, et sedet ad dexteram Patris. »

*Quinta*, ut e cœlis mitteret Spiritum Sanctum nostramque causam jugiter apud Patrem ageret, ostendens ei sacra sua vulnera. « Talis enim decebat, ut nobis esset pontifex, sanctus, innocens, impollutus, segregatus a peccatoribus, et excelsior cœlis factus, » *Hebr.* VII, 26. « Sic cœpit esse divinitate præsentior, qui factus est humanitate longinquior, » ait S. Leo, serm. 2 *De Ascens.*

*Sexta*, ut S. Trinitati rationem suæ legationis in terra peractæ redderet, eique, redemptione hominum parata honorem, lætitiam et gloriam afferret. Unde S. Cyprianus, serm. *De Ascens.*, asserit: « Nec linguis hominum, nec angelorum, nec cujusquam acumine ingenii definiri posse, quæ Patris in reditu Filii hilaritas fuerit: perinde ac si ulla ad immutabile illud gaudium esse accessio potuerit. » Et S. Epiphanius, orat. *de Ascens.*: « Christus, ait, ingenti gaudio triumphans, ovem humanæ naturæ humeris impositam Patri obtulit, atque pro tali munere munus Spiritus Sancti quod reddat, impetrat. » Et S. Chrysostomus, serm. *De Ascens.*: « Christus ascendens in cœlum naturæ nostræ primitias obtulit Patri, et oblatum donum miratus est Pater, quod et tanta dignitas offerebat, et quod offerebatur, nulla macula fœdabatur. Nam et suis manibus suscepit oblatum, et suæ sedis fecit esse participem, etc. Illa natura est quæ audivit: Terra es, et in terram ibis. » Et inferius: « Hodie angeli atque archangeli naturam nostram in sede Dominica immortali gloria fulgentem viderunt. »

Moraliter: Christus coram Apostolis et discipulis ascendit, quasi oculos et cor eorum (utinam et nostrum!) secum vehens in cœlum, docens nos primo, ut cum Apostolis oculis animi eum in astra sequamur, et mente in cœlestibus habitemus. Ipse enim est amor noster; ubi autem amor, ibi et oculus et cor. Quocirca Apostolus, *Coloss.* III, 1: « Quæ sursum, inquit, sunt quærite, ubi Christus est in dextra Dei sedens: quæ sursum sunt sapite, non quæ super terram. » Patria enim nostra cœlum est, terra vero exilium et carcer; ita judicant sentiuntque animæ sapientes et sanctæ. Christus ergo in fidelibus beatitudinis et regni cœlestis fidem solidavit, et spem acuit eo ascendendo: « Ubicumque enim fuerit corpus, illic congregabuntur et aquilæ, » *Matth.* XXIV, 28. Et S. Augustinus, serm. 3 *De Ascens.*: « Nos, ait, Christi mors vivificavit, nos resurrectio erexit, nos ascensio consecravit. » Et S. Bernardus, serm. 4 *De Ascens.*: « Quæramus, ait, quæ sursum sunt, quia illic profecto thesaurus noster est Jesus Christus, in quo sunt omnes thesauri sapientiæ et scientiæ absconditi, in quo habitat omnis plenitudo divinitatis corporaliter. »

*Secundo*, ut doceret nos quanti apud Deum meriti sit humilitas, eamque efficaciter nobis persuaderet. Nam, ut ait Apostolus, *Ephes.* IV, 10: « Qui descendit, ipse est et qui ascendit super omnes cœlos, ut impleret omnia. » Ita S. Franciscus per humilitatem ascendit ad Seraphinos, uti ex visione cujusdam Sancti testatur S. Bonaventura. Unde S. Bernardus, serm. 2 *De Ascens.*, « Neque enim, ait, ascendere potes nisi descenderis, quia ut æterna lege fixum est, omnis qui se exaltat, humiliabitur, et qui se humiliat, exaltabitur. O perversitas, o abusio filiorum Adam! quia cum ascendere difficillimum sit, descendere autem facillimum, ipsi et leviter ascendunt, et difficilius descendunt. »

*Tertio*, ut doceret heroica virtutum opera patrare et dura pati, etiam martyria, juxta illud Apostoli, II *Timoth.* II, 10: « Ideo omnia sustineo propter electos, ut et ipsi salutem consequantur, quæ est in Christo Jesu, cum gloria cœlesti; » quod explicans subdit: « Fidelis sermo: nam si commortui sumus, et convivemus; si sustinebimus, et conregnabimus. » Deus Pater ergo exaltans Christum ad suam dexteram, nos « consedere fecit in cœlestibus in Christo Jesu, » ut ait idem, *Ephes.* II, 6. Nam, ut ait S. Leo, serm. 1 *De Ascens.*: « Quia Christi ascensio nostra est provectio, et quo præcessit gloria capitis, eo spes vocatur et corporis, dignis, dilectissimi, exultemus gaudiis et pia gratiarum actione lætemur. Hodie enim non solum cives paradisi firmati sumus, sed etiam cœlorum in Christo superna penetravimus. Idem, *serm.* 2: « Sursum vocatos animos desideria terrena non deprimant, ad æterna prælectos peritura non occupent, viam veritatis ingressos fallaces illecebræ non retardent, et ita a fidelibus hæc temporalia decurrantur ut peregrinari se in hac valle cognoscant, in qua, etiamsi quædam commoda blandiantur, non amplectenda nequiter, sed transeunda sunt fortiter. » Et superius: « Hanc fidem ascensione Domini auctam, et Spiritu Sancti munere roboratam non vincula, non carceres, non exilia, non fames, non ignis, non laniatus ferarum, nec exquisita persequentium crudelitatibus supplicia terruerunt. Pro hac fide per universum mundum non solum viri, sed etiam feminæ, nec tantum impubes pueri, sed

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS ©

etiam teneræ virgines usque ad effusionem sui sanguinis decertarunt. Et S. Gregorius, hom. 29 *in Evang.* : « Ecce, ait, iste venit saliens in montibus, transiliens colles, etc. Vultis ejus saltus agnoscere? De cœlo venit in uterum, de utero in præsepe, de præsepi in crucem, de cruce in sepulcrum, de sepulcro rediit in cœlum. Quia exultavit ut gigas ad currendam viam, ut nos ei diceremus : Trahe nos post te, curremus in odorem unguentorum tuorum. Unde, fratres charissimi, oportet ut illuc sequamur corde, ubi eum corpore ascendisse credimus. Desideria terrena fugiamus, nihil jam nos delectet in infimis, qui Patrem habemus in cœlis. » Et S. Augustinus, serm. 3 *De Ascens.* : « Ascendamus post illum, et per vitia ac passiones nostras : si utique unusquisque nostrum subdere eas sibi studeat, ac super eas stare consueverit, ex ipsis sibi gradum construit, quo possit superiora conscendere. Elevabunt nos, si fuerint infra nos : de vitiis nostris scalam nobis facimus, si vitia ipsa calcamus. » Et S. Bernardus, serm. 4 *De Ascens.* : « Quid, inquit, grave illi videri poterit, qui semper mente tractat, quod non sunt condignæ passiones hujus temporis ad futuram gloriam? Quid concupiscere poterit in sæculo nequam, cujus oculos semper videt bona Domini in terra viventium, semper videt æterna præmia? quoniam transibo in locum tabernaculi admirabilis usque ad domum Dei. » Et inferius : « Ascende, Domine, super asinum istum, conculca hos bestiales motus, quia domari debent, ne dominari prævaleant; nisi enim calcati fuerint, conculcabunt nos; nisi premantur, oppriment nos, etc. Sequere etiam ascendentem crucem, exaltatum a terra, ut non solum super eam, sed et super omnem quoque mundum mentis fastigio colloceris, etc. ; nulla te mundi oblectamenta inclinent, nullæ adversitates dejiciant. » Vide eumdem, serm. 6.

Nubes Christi qualis. Resp. Primo.

Et nubes suscepit eum. — Quæres, quæ et qualis fuit hæc nubes? *Primo*, Cajetanus hic et ex eo Medina, III *part.*, *Quæst.* LVIII, art. 4, censent nubem hanc non fuisse nubem, sed splendorem, quem Christi corpus ex se sparsit cum cœlo appropinquaret, cujus simile est in via lactea. Verum aliud est splendor, aliud nubes : ille clarus et subtilis, hæc obscura et densa. Adde, nubes hæc velavit Christum, ne eum amplius viderent discipuli : fuit ergo vera nubes.

*Secundo*, Abulensis, *Paradoxo* V, capite IX, putat hanc nubem fuisse Christo instar sedis et throni, qua partim nuditatem suam tegeret, partim gloriosus quasi in sella gestatoria e terra in altum ascenderet, non elevatus ab Angelis, sed virtute propria. Verum nubes hæc Christum in altum erectum suscepit et abscondit. Unde S. Augustinus, serm. 179 *De Temp.*, eam excelsam indigitat. Non ergo fuit ei loco sedis, nec in terra, sed in æthere eum suscepit : Christus enim erectus ascendit, non sedens : hic enim situs decet corpus gloriosum. Ergo nubes hæc magis a Christo ferebatur, quam illum ferret, ait Œcumenius.

*Tertio* ergo et genuine, nubes hæc fuit vera, sed gloriosa et eximia luce corusca, ad hoc a Deo adducta, vel producta, ut corpus Christi tegeret, et ab oculis Apostolorum eximeret, simulque suo fulgore majestatem ascendentis ostenderet. Ita Suarez, III *part.*, disp. LII, sect. 2, et S. Chrysostomus, qui et addit : « Hanc nubem fuisse cœli symbolum, declarans quod in ipso signo divinæ potentiæ ascenderet, juxta illud *Psalm.* CIII : Qui ponis nubem ascensum tuum. » Passim enim in Scriptura Dei majestas dicitur tegi et velari nubibus. Unde et Sancti rapientur in nubibus obviam Christo in aera, I *Thess.* cap. IV, vers. 17. Porro nubem hanc Christus secum non deduxit in cœlum, sed suo loco in aere reliquit.

Nota : Christus sensim ascendit eo usque quo pertingere poterat Apostolorum visus : deinde subduxit eum nubes ; ac mox illico instar fulguris per dotem agilitatis libravit se in cœlum empyreum, non quasi transeundo ab extremo in extremum sine medio, ut censet Abulensis, *Paradoxo* V, cap. XIII, sed successive singulos cœlos mira celeritate transeundo, ut tanquam supremus omnium Dominus omnium possessionem acciperet, et quodammodo sua præsentia sanctificaret, juxta illud *Ephes.* IV, 10 : « Ut impleret omnia. » Ita Suarez, disp. LI, sect. 2. Ubi adverte vim dotis agilitatis Christi : per eam enim subito in ictu oculi, instar fulguris se libravit ex aere in verticem et culmen cœli empyrei, quod spatium ingens est et quasi immensum. Alpharabius, nobilis inter Arabes astrologus, asserit tanto intervallo firmamentum, sive octavam sphæram, in qua sunt stellæ fixæ, a terra distare, ut vix quisquam octo annorum millibus eo pervenire posset.

Quanta cœli distantia.

Cæteri Astronomi docent, terram distare a concavo firmamenti octoginta millionibus milliarium ; spissitudinem vero firmamenti esse eamdem, scilicet octoginta millionum : quanta ergo debet esse distantia, spissitudo et amplitudo cœli noni, decimi, et si qui alii iis sunt superiores, ac maxime cœli empyrei? Iidem docent stellam quamlibet in æquinoctiali positam singulis horis conficere 42 milliones milliarium : lapidem molarem, si e firmamento caderet, casurum per nonaginta annos, antequam terram attingeret : per quatuor millia annorum vix te perventurum ad convexum firmamenti, etiamsi quotidie recta ascendens conficeres centum milliaria, uti ostendi *Genes.* I, in opere quartæ diei. Hæc omnia Christus pene in momento transmisit, facitque ut animæ sanctæ post mortem eadem quasi in momento transmittant. Hæc cogita, his te solare, cum quis labor te fatigat, cum tardum pigrumque corpus te in opere pio delassat.

Denique Abulensis, *Paradoxo* V, cap. XXXIV,



An Christus nudus ascenderit.

censet Christum post resurrectionem, utpote gloriosum, nullas induisse vestes, sed nudum semper, et solo splendore gloriæ suæ vestitum discipulis apparuisse, ac consequenter nudum e terra in cœlum ascendisse sola nube et luce circumdatum. Ratio ejus est, quia alioqui non potuisset vulnus lateris Thomæ ostendere, et tangendum exhibere ; vestes enim manum Thomæ exclusissent. Sed respondendum est, Christum post resurrectionem tales vestes assumpsisse, ut illæ quinque vulnera non tegerent, nec vestirent; aut si tegerent, facile retegi possent in locis vulnerum, ut ea ostenderet discipulis, ex iisque probaret se idem corpus habere quod vulnera exceperat. Christus enim Magdalenæ apparuit ut hortulanus, duobus discipulis euntibus in Emmaus ut peregrinus : habebat ergo habitum vestesque, quæ intuentibus hortulani et peregrini esse videbantur : ergo pariter vestitus ascendit in cœlum, quousque visus est ab Apostolis : cum vero nubes eum suscepit, vestimenta dimisit. Corpus enim gloriosum sua dote claritatis vestitur instar Dei, qui amictus est lumine sicut vestimento, *Psalm.* CII. Quare Beati in cœlis non veste, sed gloria vestiuntur.

An in veste rubra?

Porro Christum in veste rubra et purpurea ascendisse, censet Fredericus Nausea in *Catechis.*, cap. XXXVI, probatque ex illo *Isai.* LXIII, 2 : « Quare ergo rubrum est vestimentum tuum? » Et *Apocal.* XIX, 13 : « Vestitus erat veste aspersa sanguine, » nimirum ut illa significet cruentam victoriam Christi sanguine partam. Alii censent Christum in stola candida ascendisse, hæc enim decet corpus gloriosum. Unde Christi vestimenta in transfiguratione facta sunt candida ut nix ; et Beati a Joanne visi sunt vestiti stolis albis, *Apocal.* VII, 9, et byssino candido, *Apocal.* XIX, 14. Verum quia Christus coram Apostolis gloriam suam pene abscondit eamque tenuiter tantum ostendit, ut cum iis familiariter agere, videri et tangi posset ; hinc crediderim eum in veste communi, qua in vita uti solebat, iis apparuisse, ut idem videretur esse qui resurrexerat, non alius ; ac in eadem ascendisse, ita tamen ut ascendendo radios gloriæ suæ in eam transfunderet, eamque radiantem claritate partim candicante, partim purpurascente efficeret. Sic enim dos claritatis et lucis Beatorum in cœlis erit colorata et varia. Nam in Martyribus erit purpurea, in Virginibus candida, in Doctoribus viridis, ait D. Soto in IV, dist. XLIX, in fine.

10. Cumque intuerentur, — ἀτενίζοντες, id est intendentes, et intentis defixi oculis, ac, ut S. Ambrosius, serm. 60, exponit : τείνω enim est tendo, α vero epitasin addit augetque. Apostolorum typus fuit Elisæus, sicut Christi Elias ascendens in cœlum curru igneo. Unde in eo intendens Elisæus succlamabat : « Pater mi, pater mi, currus Israel et auriga ejus. » Et : « Obsecro ut fiat in me duplex spiritus tuus. » IV *Reg.* II, 9 et 12. Quis hic Apostolorum admirationem, lætitiam, amorem, spem, omnesque animorum motus, omneque pathos exprimat, imo mente concipiat? S. Bernardus, serm. 3 *De Ascensione*, addit eos plorasse.

Duo viri, — duo angeli in assumpto corpore apparentes, quasi duo viri eximii et gloriosi (1).

In vestibus albis. — Hic enim color eorum puritatem Christique gloriam et triumphum denotat. Unde de Beatis Christum sequentibus ait Joannes, *Apoc.* XIX, 14 : « Et exercitus qui erant in cœlo sequebantur eum in vestibus albis, vestiti byssino albo et mundo. » Notat S. Gregorius, hom. 29 *in Evang.*, « Christo nascente, non legi candidatos angelos apparuisse : quia in nativitate apparuit Deus humilis, in ascendente ostensus est homo sublimis. »

11. Viri Galilæi. — Apostoli enim e Galilæa erant oriundi, sed alludunt angeli ad etymon et significatum. *Galilæus* enim hebr. idem est quod transmigrans; *q. d.* Estote Galilæi, a terra in cœlum mente et vita transmigrate, fortiter depugnantes contra mundum, carnem et diabolum. Erant enim Galilæi bellicosi et pugnaces, teste Josepho, qui Galilæorum dux cum iis fortiter contra Vespasianum et Romanos depugnavit, uti ipse narrat, lib. *De Bello Judaico*.

Quid statis aspicientes. — Syrus, *quid statis et suspicitis*, id est fixe quasi firmo statoque pede suspicitis? *q. d.* Sat suspexistis : Christus enim jam ab oculis vestris subductus est ; eum amplius videre non potestis ; sed scitote eum rediturum ad judicium, ut vos secum assumat in cœlum. Ergo domum redite, et ad munus Apostolicum quod ipse vobis demandavit, ac ad Spiritus Sancti adventum vos comparate.

Moraliter docent nos Apostoli : crebro oculis tam mentis, quam corporis cœlum suspicere, ad illudque anhelare, cogitantes nos in hoc mundo peregrinos esse, patriam vero habere cœlum. Conscripti enim sumus cives Sanctorum, et domestici Dei. Sanctis ergo terra est exilium, et σῶμα est σῆμα, id est corpus est carcer, ut aiebat Plato : tum quia in eo anima illigatur, deprimitur, affligitur, cruciatur mille ærumnis quasi in carcere, imo quasi in equuleo; tum quia ob cupiditates et tentationes, quas animæ suggerit, illi creat periculum damnationis et gehennæ ; tum quia sancti aspirant ad suum thesaurum et amorem, puta ad Christum, B. Virginem, Angelos et Sanctos, ac ad SS. Trinitatem, ut ejus visione

(1) Kuinoelii sententia, per Angelos hic significari fulmina et tonitrua, quibus visis et auditis, discipuli dixerint et crediderint Deum per Angelos declarasse quæ ipsi cogitarent, quum Christus abiisset, nullam præ se fert veritatis speciem, ait ipse Rosenmullerus. Etenim Hebræi procellas et fulmina Deo ut ministros tribuebant, ut *Psal.* CIV, 4; at vero desideratur locus ubi fulmina aut tonitrua [illegible] appellantur.

beentur, eumque perpetim adorent, ament, glorificent.

Ita S. Martinus jugiter aspiciebat cœlum eoque nota a cæteris dignoscebatur, adeo ut vulgo cognominaretur *suspex cœli*. Unde et moriturus in ardente febre, sæpius oculis in cœlum intentis orabat, cumque discipuli peterent ut converso corpore tantisper, dum remitteret vis morbi, pronus conquiesceret: « Sinite me, inquit, cœlum potius quam terram aspicere, ut suo jam itinere, iturus ad Dominum spiritus dirigatur. » Ita Sulpitius in ejus Vita.

S. Antonius in oratione pernoctans, in iisdem vestigiis consistens, iisdem oculis sursum elatis solem orientem aspiciebat, quibus occidentem aspexerat, ait S. Athanasius.

S. Magdalena non tantum oculis, sed et corpore toto quotidie septies ab angelis elevabatur in cœlum, ibique cœlestis melodiæ musicam audiebat, ut habet ejus Vita.

S. Maria Oigniacensis versabatur cum angelis et Sanctis in cœlo, ut eos inter se distinguere posset, quin et realiter ipsos Sanctos audiret cum iisque familiariter colloqueretur; de qua mira scribit Cardinalis Jacobus de Vitriaco, cap. VIII Vitæ ejusdem.

S. Franciscus ita assidue et affectuose in cœlum spectabat, ut corpore in cœlum ascenderet: nimirum tanta erat vis amoris et desiderii, ut secum sursum attolleret molem corporis. Quocirca pingitur ipse pede globum terræ calcans, oculis cœlum suspiciens cum hoc lemmate: « Quæ sursum sunt, non quæ super terram. »

S. P. Ignatius, fundator Societatis nostræ, solebat in solarium ascendere, unde libere in cœlum posset suspicere, ibique fixis in cœlum oculis ubertim lacrymans Deum adorare. Unde illa ejus vox: « Quomodo sordet mihi terra, cum cœlum aspicio! » Ita Ribadeneira, lib. V Vitæ ejus, cap. I.

HIC JESUS, — qui vobis fuit eritque semper Jesus, id est Salvator: cujus proinde mellifluum nomen jugiter in corde et ore gerite, dicentes: « Jesu nostra redemptio, amor et desiderium, Deus creator omnium, homo in fine temporum, quæ te vicit clementia, ut ferres nostra crimina? »

SIC VENIET QUEMADMODUM VIDISTIS EUM EUNTEM, — propria virtute, non aliena ope deductum, ait S. Chrysostomus.

IN COELUM. — Tria hic Apostolis ingerunt angeli, tribusque de causis eis apparuerunt: *primo*, ut quod discipuli oculis corporis videre non poterant, scilicet Christum in cœlum pervenientem, verbis suis docerent ac confirmarent; *secundo*, ut Apostolos consolarentur, eosque instruerent, ut fide potius quam visu corporeo Christum intuerentur ac exspectarent; *tertio*, ut significarent Christum ad immutabilem quemdam statum et æternitatis consortium ascendisse. Hoc enim est quod aiunt: « Sic veniet quemadmodum vidistis eum euntem in cœlum, » id est in eadem gloria et majestate, et cum eadem anima et corpore, quæ nulla temporis duratione alterari poterunt aut mutari. Quæ verba ita ponderavit Ignatius, epist. 10 *ad Smyrnenses*, Chrysostomus et Beda, *in Acta*, et Tertullianus, lib. *De Carne Christi*, cap. XXIV, et lib. *De Resurrect. carnis*, cap. XXXI.

12. TUNC REVERSI SUNT HIEROSOLYMAM, A MONTE QUI VOCATUR OLIVETI, — ab oleis et olivis, quibus consitus et fertilis est, uti juxta Romam mons Tiburtinus. Hinc patet Christum e monte Oliveti in cœlum ascendisse. Unde alibi hic mons sanctus et inclytus vocatur. Videtur huc allusisse Zacharias, cap. XIV, vers. 4, cum ait: « Stabunt pedes ejus in die illa supra montem Olivarum, qui est contra Jerusalem ad Orientem. » Vide ibi dicta. Sed cur inde? Respondeo: *Primo*, quia ibi inchoavit passionem, dum in horto orans sudavit aquam et sanguinem, moxque a Juda proditus, captus, ligatus et protractus est ad Annam et Caipham; ibi ergo pariter decuit eum finire et coronidem imponere passioni suæ et vitæ terrenæ; ut ubi pœnam injuste sustinuit, ibi et justitia innocentiaque ejus declaretur et glorificetur. Ecce rursum, ut instrumenta et loca passionis Christi ei vertuntur in gloriam et triumphum.

*Christus ex monte Oliveti ascendit. Cur? Prima causa.*

*Secundo*, quia in hoc monte sæpe Christus oravit et pernoctavit, ut patet *Lucæ* cap. XXI, XXII et XXIII, æque ac David fugiens Absalonem, III *Reg.* cap. XV.

*Secunda.*

*Tertio*, ut in conspectu impiæ et Judaicæ Jerusalem, quæ eum depresserat et occiderat, gloriosus ascenderet, itaque abolito judaismo Christianismum sanciret et illustraret. Mons enim Oliveti tantæ altitudinis est, ut ex eo omnes pene plateæ Jerusalem (quin et mare mortuum) conspiciantur.

*Tertia.*

*Quarto*, quia olivetum et oleum symbolum est gratiæ et misericordiæ, quam Christus nobis in hoc monte patiens et ascendens impendit. Hinc pariter in hoc loco judex considebit, cum in fine mundi redibit ut judicium universale peragat. Hoc enim futurum est in valle Josaphat, quæ subjacet monti Oliveti, et exiguo spatio inter eum et urbem Jerusalem interjacet, ut Judæi infideles et impii, qui passionis et ascensionis ejus oleum et mel spreverunt, ibidem sentiant gustentque acetum et fel iræ ipsius et vindictæ.

*Quinto*, quia mons Oliveti, æque ac oliva symbolum est Ecclesiæ et Sanctorum. Oliva enim symbolum est pacis, concordiæ, modestiæ, obedientiæ, eleemosynæ, splendoris, æternitatis, quæ dotes omnes competunt Ecclesiæ et Sanctis, uti ostendi *Jerem.* XI, 16, et *Zachar.* XIV, 4, et *Apoc.* XI, 4.

Nota tria continua miracula quibus in monte Oliveti Deus illustravit Christi ascensum. *Primum*, Christus ad sui suæque ascensionis monumentum, huic monti petroso instar ceræ impressit, et impressa reliquit sacrorum pedum suorum vestigia, quæ nulla ratione tot sæculis deleri potuerunt, ibique etiamnum inte

*Tria miracula ascensionis in monte Oliveti. Primum.*



visuntur, cum tamen peregrini devotionis causa ea eradant, ut terræ a Christi pedibus quasi sacratæ particulas quasi reliquias secum auferant. Ita S. Hieronymus, in *Locis Hebr.*; S. Paulinus, epist. 11 *ad Severum*; Sulpitius, lib. II *Hist. Sacræ*; Beda, *De Locis sanct.*, cap. VII, recentiores Geographi, ac peregrini terræ sanctæ. Porro hæc Christi vestigia conversa sunt ad Occidentem, et versus Catholicam ex Gentibus Romanam spectant Ecclesiam, ad quam ipse ejus caput, tanquam geminos et illustres oculos, S. Petrum, suum in terris Vicarium, et S. Paulum, doctorem Gentium missurus erat. Ita Adrichomius et alii, in *Descript. Jerusalem*. *Secundum*, locus ille e quo Christus ascendit, nunquam se tegi, aut marmore paviri ornarique est passus, semper excussis, solo respuente, quæ manus humana adornandi studio tentabat apponere, uti testatur S. Paulinus jam citatus. *Tertium*, eodem in loco postea templum rotundum et magnificum, in honorem ascensionis est erectum a S. Helena, matre Constantini Imperatoris, quod in se includebat Christi vestigia, cujus tectum ea parte qua Christi corpus ascendit nunquam contegi et concamerari potuit, sed transitus ejus e terra ad cœlum usque manet apertus, uti Romæ videmus in Pantheo. Ita S. Hieronymus et Beda loco jam citato. Adde *quartum* flaminis et venti, quod verbis Bedæ recensui vers. 9.

Porro, S. Athanasius, vel potius Anastasius (nam *Quæst.* III et VIII citat Epiphanium et Nyssenum, qui S. Athanasio fuerunt posteriores), in *Quæst. sanctæ Scripturæ*, Quæst. XXXVII, docet ideo Christianos adorare Deum et Christum convertendo se ad Orientem, quia Christus ascendit in monte Oliveti, qui est ad Orientem Hierosolymæ. Affert ibidem duas alias rationes. Prior est, quia in Oriente oritur sol: unde ibidem non solem, uti veteres Romani et Gentiles, sed Deum solis auctorem, et cum sole nobis quasi affulgentem veneramur et invocamus, ut lucem diemque totam nobis prosperet. Posterior, ut memores paradisi, qui erat in Oriente, *Genes.* XXVIII, juxta Septuaginta, ex quo per peccatum excidimus, rogemus eo restitui.

*Ad Orientem adoratio … causa.*

Denique multi opinantur Antichristum Christi, ejusque ascensionis et gloriæ æmulum, in monte Oliveti dæmonum ope elevandum in altum, ut in cœlum videatur conscendere, sed siderabit eum Christus spirituque oris sui interficiet, II *Thessal.*, II, 8.

SABBATI HABENS ITER, — id est distans a Jerusalem tanto spatio, quantum Judæis a sabbato licebat proficiscendo conficere (Judæis enim tanta religione præceptum erat sabbatum, ut capessere non liceret iter nisi modicum, uti liquet *Exodi* cap. XVI, vers. 29), quod multi censent duorum fuisse milliarium. Milliare est spatium mille passuum; Syrus vertit, *septem stadiorum*, id est 875 passuum. Verum minus fuisse hoc iter liquet, tum ex Josepho, qui lib. VI *Belli*, cap. III, asserit Jerusalem a monte Oliveti distare stadiis quinque, ab ejus vero culmine sex: stadium autem continet 125 passus, quinque ergo stadia faciunt 625 passus; tum ex S. Hieronymo, epist. 151 *ad Algasiam*, Quæst. X, ubi ex R. Akiba, Simeon et Hillel, iter sabbati definit esse ambulationem bis mille pedum: ubi per pedes non passus, uti volunt nonnulli, sed pedes, ut vox sonat, accipit: jam quinque pedes conficiunt passum; ergo bis mille pedes faciunt 400 passus; tum ex Origene apud Œcumenium, qui ait iter sabbati esse milliare duorum millium cubitorum, cubitus est pes cum dimidio: duo ergo millia cubitorum faciunt tria millia pedum, quæ faciunt passus 600; tum ex Wilhelmo, Archiepiscopo Tyri, qui lib. VIII *Belli sacri*, cap. XI, ait montem Oliveti milliario distare ab urbe Hierosolyma.

Favet huic sententiæ, quod Josue, III, vers. 3, jusserit, ut populus in aciem progrediens, ab arca distaret spatio duorum millium cubitorum: quia scilicet hoc erat iter sabbati, quod quovis die, etiam sabbato, Levitæ conficere poterant, et ad arcam, cum opus erat, accedere, quod accedit ad sententiam Josephi, qui numerat passus 625 a Jerusalem usque ad radices montis Oliveti, sed usque ad culmen ejus, ex quo Christus ascendit, numerat sex stadia, quæ faciunt passus 750. Iter ergo sabbati est medium milliare Italicum, et insuper 200, vel 150 passus. S. Chrysostomus τὸ *sabbati habens iter* putat addi, eo quod Christus ascenderit die sabbati, *q. d.* Esto Christus ascenderit die sabbati, tamen licuit illi cum Apostolis ire eo die in montem Oliveti, quia illud iter exiguum est, et in sabbato permissum. Verum certum est Christum ascendisse feria quinta, sive die jovis. Si enim a Paschate numeres dies 40, incides in diem jovis: Christus autem quadragesimo die a resurrectione sua ascendit.

Porro quo mense, quotoque ejus die Christus ascenderit, non constat, et variant Doctores, quia variant in consignando die passionis Christi et paschate. Multi enim opinantur Christum passum esse et mortuum in aprili, alii die 16, alii 2, alii 3; plures in martio, alii die 7, alii 23, alii 30. Communior sententia est S. Augustini, lib. XVIII *De Civ.*, cap. ult.; Tertulliani, lib. *Contra Judæos*, cap. VIII; Chrysostomi, serm. *De Nativit. S. Joannis Baptistæ*; D. Thomas, in cap. II *Joannis*, Antonini, Platinæ, Usuardi et Suarez, III *p.*, disp. XL, sect. 5, Christum passum esse et mortuum die 25 martii, sicut eadem die incarnatus est; ac consequenter resurrexisse 27 martii, ascendisse in cœlum quinta maii, misisse Spiritum Sanctum 15 maii. Idem diserte affirmat Lucius Dexter, præfectus prætorio, in *Chronico*, quod ipse dedicat S. Hieronymo, uti vicissim eidem dedicavit S. Hieronymus suum tract. *De Script. Eccles.*: quod *Chronicon* a Baronio et aliis multis studiose quæsitum, tandem post Baronii mortem nuper repertum et ex

*Christus ascendit die quinta maii.*

tum est, de quo plura dixi in fine Chronotaxeos. Favet *Martyrologium Romanum*, quod 25 martii consignat diem obitus S. Latronis, puta S. Dismæ, hic enim cum Christo crucifixus est eodem die et loco.

13. Et cum introissent in cœnaculum, ascenderunt. — Ita dispungunt Romana. Sed ex Græco liquet aliter esse dispungendum, et comma ponendum post *introissent*, non post *cœnaculum*. Sic enim habet Græcus : Καὶ ὅτε εἰσῆλθον, ἀνέβησαν εἰς τὸ ὑπερῷον, οὗ ἦσαν καταμένοντες, ὅ τε Πέτρος καὶ Ἰάκωβος, etc., id est : *Et cum introissent*, scilicet urbem vel potius domum, *ascenderunt in superiorem domus partem, ubi erant manentes et Petrus et Jacobus*, etc.; quæ lectio perspicua est et clarum dat sensum. Veteres enim Hebræi, æque ac Romani degebant in superiore parte domus, ibique aulas habebant amplas ad convivia, cœtus et cœnas, quas proinde cœnacula vocabant (1). Cujus hæc domus et cœnaculum fuerit, non constat. Nicephorus, lib. I *Histor.*, cap. xxviii, et Cedrenus putant fuisse S. Joannis Evangelistæ; Theophylactus, in *Matth.* xxvi, censet fuisse Simonis leprosi; Euthymius ibidem ait fuisse Josephi ab Arimathia, Nicodemi, aut similis viri potentis et Christiani. Probabilius Baronius, anno Christi 34, censet fuisse domum Mariæ, matris Joannis, qui cognominatus est Marcus, fuitque consobrinus Barnabæ, quo Petrus e carcere liberatus se contulit, ubi et cæteros discipulos ad preces collectos reperit. Idem etiam testatur Alexander in *Vita S. Barnabæ* : « In illo cœnaculo, inquit, Dominus pascha fecit, in illo apparuit Thomæ Apostolo, cum a mortuis surrexisset; illuc, postquam in cœlis assumptus est, discipuli cum reliquis fratribus centum viginti, in quibus erat Barnabas et Marcus, ex monte Olivarum convenerunt; illuc Spiritus Sanctus in linguis igneis ad discipulos descendit in die Pentecostes. Illic collocata nunc est magna et sanctissima Sion, ecclesiarum omnium maxima. » Meminit ejusdem ecclesiæ in Sion positæ S. Hieronymus, *epist.* 27, et Beda in *Locis sanctis*, cap. iii, adduntque in eadem positam fuisse columnam, ad quam ligatus et flagellatus est Christus. Hinc liquet cœnaculum hoc fuisse in monte Sion, juxta arcem David. Addit Adrichomius, in *Descript. Jerusalem*, n. 6 : « In eodem cœnaculo prima Petri concione ter mille Judæi conversi et baptizati sunt. Ibidem Jacobus, frater Domini, cognomento Justus, primus Hierosolymorum Episcopus ab Apostolis est creatus, atque Stephanus et reliqui sex Diaconi sunt ordinati; ibidem Apostoli primum celebrasse Concilium, *Act.* xv, et in sua divisione, Apostolicum catholicæ fidei Symbolum edidisse videntur. Eodem loco S. Helena amplissimum extruxit templum, in cujus postico cœnaculum circumclusit; postea in hoc cœnaculi loco ædificatum est monasterium Franciscanorum, etc. Turcæ ex eorum monasterio palatium sibi fecerunt, locumque hunc in tanta habent veneratione, ut non nisi discalceati eum intrent. »

Petrus. — Petrus hic et alibi passim ab Evangelio primus nominatur, quia primas Ecclesiæ et caput Apostolorum. Ita S. Chrysostomus et alii passim.

Jacobus Alphæi, — scilicet filius, qui cognominatus est Justus, fuitque primus Episcopus Hierosolymorum, cujus festum celebrat Ecclesia die 1 maii. Prior enim Jacobus, frater Joannis, fuit filius Zebedæi.

Simon Zelotes, — id est Cananæus; Hebræus enim קנא *cana* significat *zelari* : inde Cananæus idem est quod zelotes. Ita Gagneius. Addit Baronius, eum ita dictum a patria, scilicet a Cana Galilææ : unde cum Nicephoro, lib. VIII, cap. xxx, opinatur hunc Simonem fuisse sponsum in nuptiis in Cana Galilææ, *Joan.* ii, 1, a quibus Christus eum avocarit ad apostolatum. Quidquid sit de sponso, videtur plane hic Simon dictus Cananæus a Cana patria; sed quia Cananæus hebraice idem est quod zelotes, idque congruebat Simoni, utpote qui zelo fervebat, ait S. Hieronymus, epist. 53 *ad Riparium*; hinc pariter Zelotes est cognominatus, æque ac Cephas dictus est Petrus, quia petra Ecclesiæ : perinde ac si S. Gregorium indigitares Vigilantium; Theodorum, Deo datum; Phrontiscum, Prudentium. Sic Roma primitus vocata fuit Valentia; Ῥώμη enim græce vocatur robur quo pollebant Romani : ita Plinius, lib. III, cap. v, et Solinus Polyhistor, cap. i.

Judas Jacobi. — Supple, *frater*. Hic Judas alibi cognominatur *Thaddæus*, quasi mammeus : *tad* enim syriace idem est quod hebr. שד *sad*, id est *mamma*; alibi *Lebbæus*, id est *corculum* (Hebræis enim לב *leb* est *cor*), sicut Scipio Nasica appellatus est *corculum*, ob eximiam sapientiam, teste Cicerone, *Tuscul.* I; aut *leunculus* (hic enim vocatur לבי *labi*). Erant ergo hi quatuor fratres, scilicet Jacobus, qui dicitur Minor, vel Alphæi, vel frater Domini; Joseph, Simon et Judas, *Matth.* xiii, 55; *Marc.* xv, 47 : omnes cognati Christi, e quibus tres in Apostolos elegit, Jacobum, Simonem et Judam. Ita censent multi; sed hoc discutiendum *Matth.* cap. xiii, vers. 55. Cætera quæ de vocatione, ordine, officio, dignitate, vita Apostolorum dici possent, spectant ad cap. x S. *Matth.*

14. Hi omnes erant perseverantes unanimiter in oratione. — Nota hic tres virtutes quibus vacarunt Apostoli, ut se disponerent ad adventum Spiritus Sancti : *prima*, est oratio, *secunda*, unanimitas, *tertia*, perseverantia. Hæ enim ad se provocant et alliciunt Spiritum Sanctum, utpote divinæ eique charissimæ. Adde quartam, familiaritatem et devotionem erga B. Virginem, de qua sequitur : « Cum mulieribus et Maria matre Jesu. » Hæc enim, cum sit Dei Patris filia, Filii Dei mater, Spiritus Sancti sponsa, quidvis obtinet. Quid enim non impetret filia a patre, mater a filio, sponsa a sponso ? Nota : Pro *perseverantes*, græco est προσκαρτεροῦντες, quod significat esse assiduum, perstare, insistere rei cuipiam arduæ et prolixæ, nec ab ea discedere, sed sustinere et fortiter superare molestias, labores, fatigationes, tædia, tentationes, etc., quæ vel rei difficultas, vel hostis sagacitas, vel naturæ imbecillitas suggerit, qualia experimur in oratione, præsertim longa et continua, qua mens humana instar arcus tenditur et continue extenditur ad cœlestia et divina.

Cum mulieribus, — quarum antesignana et princeps in amore et fervore erat S. Magdalena.

Et Maria matre Jesu. — Quasi matrefamilias hujus sacri cœtus et familiæ Christi. Christus enim paterfamilias abiens in cœlum, idcirco in terris reliquit amantissimam matrem, ut loco sui esset quasi mater Apostolorum omniumque fidelium.
Humilitas B. Virginis mira. Miratur S. Bernardus eam hic ultimo loco poni : « Hanc, ait, et mulierem sese ultimam exhibebat, ut novissima omnium poneretur ? » Causam dat : « Cum Maria quanto major erat, humiliaret se non modo de omnibus, sed et præ omnibus. Merito facta est novissima prima, quæ cum prima esset omnium, sese novissimam faciebat. Merito facta est omnium domina, quæ se omnium exhibebat ancillam. Merito denique super angelos exaltata est, quæ et infra viduas et pœnitentes, infra eam de qua ejecta fuerant septem dæmonia, ineffabili sese mansuetudine inclinabat. Obsecro vos, filioli, æmulamini hanc virtutem, si Mariam diligitis, si contenditis ei placere. » Ita ipse, serm. *De verbis Apoc.* xii, « Signum magnum. » Hisce consonat effigies B. Virginis, quam ex antiquis imaginibus et ex Epiphanio ita pingit Nicephorus, lib. II, cap. xxiii : « Mores autem, formæque et staturæ ejus modus talis (ut inquit Epiphanius) fuit : Erat in rebus omnibus honesta et gravis, pauca admodum eaque necessaria loquens, ad audiendum facilis et perquam affabilis, honorem suum et venerationem omnibus exhibens : statura mediocri, quamvis sint qui eam aliquantulum mediocrem longitudinem excessisse dicant. Decenti dicendi libertate adversus homines omnes usa est, sine risu, sine perturbatione et sine iracundia maxime; colore fuit triticum referente, capillo flavo, oculis acribus, subflavas tanquam oleæ colore pupillas in eis habens; supercilia erant et inflexa et decenter nigra, nasus longior, labia florida et verborum suavitate plena; facies non rotunda, nec acuta, sed aliquantulo longior, manus simul et digiti longiores. Erat denique fastus omnis expers, simplex minimeque vultum fingens, nihil mollitiei secum trahens, sed humilitatem præcellentem colens; vestimentis, quæ ipsa gestavit, coloris nativi contenta fuit, id quod etiamnum sanctum capitis ejus velamen ostendit. Et ut paucis dicam, in rebus ejus omnibus multa divinitus inerat gratia. » Simili ergo modo Lucas hic ponit pingitque B. Virginem, talem, qualis ipsa in se erat, qualemque se exhibebat : minimam, quia ut minimam se gerebat : novissimam, quia novissimam se exhibebat. Hoc imitatæ sunt sanctæ matres familias, ut S. Monica, quæ « erat serva servorum tuorum, o Domine, etc. Ita curam gessit, quasi omnes genuisset; ita servivit, quasi ab omnibus genita fuisset, » ait S. Augustinus, lib. IX *Confess.* cap. ix. Et S. Paula, de qua Hieronymus in ejus *Epitaph.* : « Quæ prima, ait, Christianorum virtus est, tanta se humilitate dejecit, ut qui eam non vidisset, et pro celebritate nominis videre gestisset, ipsam esse non crederet, sed ancillularum ultimam. Et cum frequentibus choris virginum cingeretur, et veste, et voce, et habitu, et incessu minima omnium erat. »

Et fratribus ejus, — puta cognatis tam Jesu, quam Mariæ; hos enim Hebræi vocant fratres. Hi ergo cognati fuerunt fideles, et crediderunt in Christum. Unde junxerunt se Apostolis, et cum eis exspectarunt Spiritum Sanctum.

15. In diebus illis exurgens Petrus. — Est hic altera pars capitis, qua Lucas enarrat surrogationem Matthiæ in locum Judæ. Incipit hic Petrus fungi suo officio et primatu, primumque ejus actum exercet; nimirum curat collegium Apostolicum Judæ lapsu imminutum, per alterius Apostoli surrogationem instaurari et compleri. Sciebat enim non tantum fidelium, sed et Apostolorum sibi, quasi præsidi et primati, curam a Christo commissam, cum ab eo audivit : « Et tu aliquando conversus confirma fratres tuos. » *Luc.* xx, 32. Hanc pastoralem vigilemque Petri sollicitudinem admirans S. Chrysostomus, *homil.* 3 : « Quam, inquit, est fervidus, quam cognoscit creditum sibi a Christo gregem ? quam in hoc choro princeps est, et ubique primus omnium incipit loqui ? » Et inferius : « Primus omnium auctoritatem usurpat in negotio, ut qui omnes habet in manu. Ad hunc enim dixit Christus : Et tu aliquando conversus confirma fratres tuos. » S. Chrysostomum sequitur Œcumenius : « Surgit, ait, Petrus, et non Jacobus, tanquam ferventior et velut is cui discipulorum præsidentia commissa est. » Id significat vox *exurgens*, nimirum *primo*, quasi præ

(1) Ὑπερῷα, subintellecto οἰκήματα, *superiores ædium* denotant *partes*, *superiora cœnacula* diceres cum Plauto, *Amphitr.* act. III, sc. i, vers. 3. Opponuntur ἰσογείοις. Attici, ut auctor est Moeris, ἀνώγεων dicunt. Erat enim consuetudo Judæorum, ut, si vacare vellent religioni, precari, meditationibus rerum divinarum incumbere, aut cum aliis de lege divina colloqui, in summum conclave se conferrent. Alii, quos inter Ludovicus de Dieu, per τὸ ὑπερῷον hic intelligunt cellam superiorem in templo Hierosolymitano, quæ κατ' ἐξοχὴν appellata sit ὑπερῷον; conf. Josephum, *Antiq.* VIII, iii, 2; XI, v, 4. Hanc sententiam confirmare quidem videntur loci *Act.* ii, 46; xxiv, 53; sed, ut alias etiam difficultates, vix credibile est, ut recte animadvertit Kuinoel, Apostolos, homines pauperes, et Galilæos, Judæisque ob Magistrum invisos, ausos esse quicquam facere, præter aliorum consuetudinem, in templo, in quo a Sacerdotibus et Levitis observari poterant.

tat quæ-quo docet Petri. cæteris eminens, et statu gradeque excelsior. *Secundo, exurgens*, ut quasi concionaturus acturusque de republica totius collegii et Ecclesiæ, attentionem auditorum excitaret, mentesque, vultus et aures omnium ad se evocaret, accommode facieque a singulis adiretur. *Tertio*, τὸ *exurgens* significat pastoralem vigilantiam Petri, utpote qui quasi pastor erectus stet, et totum gregem circumspiciat et circumlustret. *Quarto*, significat animi confidentiam et celsitudinem, quod quasi Vicarius Christi audeat ejus officio se ingerere, imo succedere, ac cœtum Apostolorum ab eo inchoatum supplere et perficere. *Quinto*, modestiæ studio exsurgendo toti cœtui Apostolorum et Ecclesiæ honorem exhibuit, eumque salutavit ac præsertim B. Virginem, quæ præsens aderat, inquit S. Chrysostomus. Sic præceptor inchoaturus lectionem, surgit et salutat discipulos.

In medio. — Symbolice vox *medium* notat auream mediocritatem, qua pastor et prælatus debet præcellere, ut inter subditos, qui disparis, imo contrarii sunt humoris, judicii, voluntatis, versetur quasi medius, ut in nullam partem affectu suoque favore inclinet, sed omnibus se indifferentem, benevolum et amicum, imo patrem exhibeat, itaque omnes, licet inter se diversos, in se nectat et uniat, sicut caput in se unit omnes sensus membraque hominis. Vide dicta *Habacuc* cap. III, vers. 1. *Secundo*, τὸ « in medio » innuit modestiam qua S. Petrus, licet cæteris superior, inter eos tamen se gerebat quasi frater potius quam pater, secutus exemplum Christi, cujus erat Vicarius, qui ait, *Luc.* XXII, 27 : « Ego in medio vestrum sum, sicut qui ministrat. » Aurea est gnome S. Bernardi : « Si sis egregius, esto quasi unus e grege. »

Poterat enim S. Petrus solus, uti docet Chrysostomus, successorem Judæ eligere et Apostolum duodecimum designare; sed noluit, tum ut ostenderet se non dominari in cleris, sed modesti regiminis dare et initiare exemplum; tum ut majus pondus adderet electo, majoremque et amorem et reverentiam conciliaret, utpote qui cæterorum calculo fuisset electus; tum denique ut Dei voluntatem in tanto negotio, per Ecclesiæ suffragia sortesque exquireret. Constituere enim Apostolum proprium videbatur esse Dei. Quocirca Summi Pontifices, S. Petri exemplo, non facile quippiam majoris momenti, præsertim circa res fidei definiunt, nisi ex consilio et decreto Episcoporum, ad id e toto orbe congregatorum in Concilio Œcumenico. Spiritus Sanctus enim plene planeque assistit capiti Ecclesiæ, quando illud suis membris totique corpori (quod Episcopi repræsentant) conjungitur. Tota enim Ecclesia est sponsa unica, unicaque dilecta Spiritus Sancti. Hinc rursum priscis temporibus ii duntaxat ordinabantur Episcopi, quos populus postulasset, ut et ipsi populo chariores, et ipse populus eis charior esset. Audi S. Leonem, *epist.* 87 vel 89 : « Exspectarentur vota civium, testimonia populorum, honoratorum arbitrium, electio clericorum; quæ in sacerdotum solent ordinationibus, ab his qui norunt Patrum regulas, custodiri. » Populis ergo competebant vota, id est desideria et testimonia, clericis autem solis jus eligendi.

Erat autem turba hominum. — Græce ὀνομάτων, id est *nominum*, hoc est capitum quæ nominatim censentur. Est metonymia. Similis est *Apoc.* III, 4 : « Habes pauca nomina, » id est capita et homines, « in Sardis. » Vide ibi dicta. Scribit Climacus ex hisce 120, in quos delapsus est Spiritus Sanctus, prodiisse quatuordecim hæresiarchas. Climacum citat noster Salmeron in illud I *Joan.* II, 19 : « Ex nobis prodierunt, sed ex nobis non erant; » sed in Climaco idipsum hucusque non reperi. Sane S. Paulus, XX, 30 : « Ex vobis ipsis, inquit, exurgent viri loquentes perversa, ut abducant discipulos post se. » Tanta est hominum, etiam sanctorum, infirmitas, inconstantia, vanitas.

16. Viri fratres : — *Primo*, S. Petrus Apostolos vocat *fratres*, quia omnes Apostoli in Apostolatu erant pares et quasi fratres, esto ipse eorum esset præses. Sic Pontifex Cardinales et Episcopos vocat fratres. *Secundo*, cæteros omnes fideles vocat fratres cognatione, non carnis, sed fidei regenerationе, baptismi, non uteri. Fratres ergo, id est Christiani. Sic omnes Christiani vocabantur et vocabant se invicem sorores. Sic Paulus in Epistolis passim fideles vocat fratres et sorores. Ratio est, quia Christus instituit Ecclesiam quasi familiam suam, in qua voluit fideles sibi invicem esse conjunctissimos et sese invicem amare ut fratres, habentes eumdem patrem Christum, et eamdem matrem Ecclesiam eumdemque uterum baptismi; eamdem domum, scilicet templum, eamdem mensam Eucharistiæ, eamdem educationem, eadem Sacramenta, eamdem patriam cœlestem, etc. Vox ergo *fratres* notat summam fidelium conjunctionem et communicationem mutuam bonorum omnium. Nam, ut ait Aristoteles, lib. VIII *Ethic.*, cap. XI : « Fratribus communes sunt parentes, uterus, sanguis, ortus, educatio, domus, generis claritas, res familiaris, patrimonium, disciplina, mores. » Quocirca merito Psaltes jubilat, *Psal.* CXXXII : « Ecce quam bonum et quam jucundum habitare fratres in unum! Sicut unguentum in capite, » etc. Audi Tertullianum, *Apolog.*, cap. XXXIX : « Quod, ait, fratres nos vocamus, non alias, opinor, infamant, quam quod apud ipsos omne sanguinis nomen de affectione simulatum est. Fratres autem etiam vestri sumus (o Gentiles) jure naturæ matris unius, etsi vos parum homines, quia mali fratres. At quanto dignius fratres et dicuntur et habentur, qui unum patrem Deum agnoverunt, qui unum Spiritum biberunt sanctitatis, qui de uno utero ignorantiæ ejusdem ad unam lucem expaverint veritatis? » etc. « Ex substantia familiari sumus fratres, quæ penes vos fere dirimit fraternitatem. Itaque Vers. 16.



quia animo animaque miscemur, nihil de rei communicatione dubitamus : omnia indiscreta sunt apud nos præter uxores. » Et Minutium, in *Octavio* : « Fratres, inquit, vocamur, ut unius Dei parentis homines, ut consortes fidei, ut spei cohæredes. »

Qui fuit dux, — non ut capitaneus, sed ut dux viæ : hunc enim proprie significat Græcum ὁδηγός. Unde Pagninus vertit, *dux itineris*; Vatablus, *commonstrans viam*.

17. Sortitus est sortem. — *q. d.* Judas quasi sortito, vel sorte obtinuit sortem, id est partem, puta duodecimum locum ministerii, hoc est, apostolatus nostri. Nota : Apostolatus hic vocatur sors, quia Apostolis singulis hæc dignitas obvenit non ex natura, non ex prosapia (uti posteris Aaronis primogenitis obvenit pontificatus ex jure primogenituræ), non ex jure, non ex merito, sed ex mera Dei dignatione et gratia, qui sine ullis eorum meritis, hosce duodecim ex tot millionibus hominum selegit, vocavit et cooptavit in suos legatos et Apostolos ex suo beneplacito, ita ut ex parte Dei fuerit destinata voluntas et decretum eligendi hos, non alios; ex parte vero Apostolorum fuerit casus et sors felicissima; perinde ac si Deus super eis jecisset aleam ejusque jactus felix incidisset in ipsos : quia ipsi ad Apostolatum nullum habebant jus, meritum, gradum et ordinem. Simili modo Saul sorte ex agasone, et David ex opilione factus est rex. Sic quivis fidelis sorte, id est gratia, non merito, vocatus est ex infidelitate et peccato ad fidem et cultum Dei, juxta illud Apostoli : « Qui dignos nos fecit in partem sortis sanctorum in lumine, » *Coloss.* I, 12. Et : « In quo etiam et nos sorte vocati sumus, prædestinati secundum propositum ejus, qui operatur omnia secundum consilium voluntatis suæ, » *Ephes.* I, 11. Fidelis ergo non superbiat de sua fide, nec justus de sua justitia, nec Episcopus de suo episcopatu, nec Apostolus de suo apostolatu, quia hæc bona sors ei obtigit non ex ipsorum dignitate, sed ex mera Dei gratia et liberalitate, qui eos ad illam, infinitis aliis iisque nobilioribus, doctioribus, melioribus, aptioribus, etc., prætermissis, eligere et vocare dignatus est.

Hinc liquet Judam non tantum apostolatus gradum, sed et ministerium participasse, ac consequenter evangelizasse, expulisse dæmones, fecisse miracula, perinde ut fecerunt cæteri Apostoli a Christo missi per Judæam et Galilæam. Ita S. Augustinus, lib. III *Contra litteras Petiliani*, cap. LV; Cyrillus Hierosolymitanus, *Catechesi* 7; S. Leo, serm. 16 *De Passione Domini*. Addit Nazianzenus, in *Christo patiente* : « Quod doctrinæ suæ verbis multos genuit filios. » Fuit ergo primitus ipse non tantum sanctus, sed et zelo prædicationis suæ sanctificans alios, donec procurator a Christo constitutus, loculos habere et amare cœpit, indeque effectus est fur et proditor Christi. Ita Tertullianus, lib. *De Anima*, cap. IV, et alii.

Pro *sortem* Græce est κλῆρος : unde Clerus et Clerici vocati sunt, qui segregati a laicis, quasi Domini sors et hæreditas, deputati sunt peculiari ejus cultui et Ecclesiæ obsequio ad procurandas res sacras. Hinc quando Clerici creantur ab Episcopo et tonsuram clericalem accipiunt, audiunt discuntque ab eo quotidie dicere illud *Psal.* XV, 5 : « Dominus pars hæreditatis meæ et calicis mei : tu es qui restitues hæreditatem meam mihi. » Sicut enim olim Levitæ nullam habebant hæreditatem inter fratres suos, sed Dominus, id est Domini oblationes et victimæ, erat eorum hæreditas, *Num.* XVIII, 6 et 23 : ita in novo Testamento Clericorum sors est Deus Deique cultus et obsequium, ut proinde discant non ambire bona in terra, sed in cœlo. Quocirca S. Hieronymus, *ad Nepotianum* : « Clericus, ait, interpretetur primo vocabulum suum, et nominis definitione prolata nitatur esse quod dicitur. Si enim κλῆρος Græce, vel sors Latine appellatur, propterea vocantur Clerici, vel quia de sorte sunt Domini, vel quia ipse Dominus sors, id est pars Clericorum est. »

Tropologice : disce hic nullam esse tam sanctam sodalitatem, quæ non habeat suam fæcem, suum nævum. Quid mirum? Christus in suo cœtu, in sua familia habuit Judam. Audi S. Augustinum, suum monasterium purgantem a scandalo quod in eo acciderat, *epist.* 137 : « Quantumlibet, ait, vigilet disciplina domus meæ, homo sum, et inter homines vivo; nec mihi arrogare audeo, ut domus mea melior sit quam arca Noe, ubi tamen inter octo homines reprobus unus inventus est; aut melior sit quam domus Abrahæ, ubi dictum est : Ejice ancillam et filium ejus; aut melior sit quam domus Isaac, cui de duobus geminis dictum est : Jacob dilexi, Esau autem odio habui; aut melior sit quam domus ipsius Jacob, ubi lectum patris filius incestavit; aut melior sit quam domus ipsius David, cujus filius cum sorore concubuit, cujus alter filius contra patris tam sanctam mansuetudinem rebellavit; aut melior quam cohabitatio Pauli Apostoli, qui tamen si inter omnes bonos habitaret, non diceret quod superius commemoravi : Foris pugnæ, intus timores; nec diceret cum de sanctitate et fide Timothei loqueretur : Neminem habeo qui germane de vobis sollicitus sit; omnes enim sua quærunt, non quæ sunt Christi; aut melior quam cohabitatio ipsius Domini Christi, in qua undecim boni perfidum et furem Judam toleraverunt; aut melior sit postremo quam cœlum unde angeli ceciderunt. » Subdit deinde experimentum notabile. « Simpliciter autem fateor charitati vestræ coram Domino Deo nostro, qui testis est super animam meam, ex quo Deo servire cœpi, quomodo difficile sum expertus meliores quam qui in monasteriis profecerunt, ita non sum expertus pejores quam qui in monasteriis ceciderunt; ita ut hinc arbitrer in Apocalypsi scriptum : Justus justior fiat, et sordidus sordescat adhuc. Quapropter etsi contrista-

Tropologia : in collegio bonorum est suus Judas.

nur de aliquibus purgamentis, consolamur tamen etiam de pluribus ornamentis. Nolite ergo propter amurcam, qua oculi vestri offenduntur, torcularia detestari, unde apothecæ Dominicæ fructu olei luminosioris implentur. »

18. Et hic quidem possedit agrum. — Judas proprie non possedit agrum figuli, quia retulit pretium, et abiens se suspendit; sed eo sacerdotes emerunt agrum in sepulturam peregrinorum: dicitur tamen eum possedisse figurate, quia scilicet possedit pretium, quo postea emptus fuit ager. Quia ergo ager hic comparatus fuit pecunia Judæ, hinc Judas dicitur eum possedisse per catachresin. Jure enim quod meo ære emptum est, hoc meum censetur. Unde S. Gregorius, lib. I *Moral.*, cap. IX: « Possedit, inquit, id est possidere fecit. » Et Græce est ἐκτήσατο, quod Tigurina vertit paravit; Œcumenius et Vatablus, *acquisivit*, per emptionem sacerdotum. Aliter Rabanus, *possedit*, quia scilicet in eo sepultus est Judas. Sed hoc incertum est, nec satisfacit: sepultus enim non possidet totum agrum, vel cœmeterium, sed ut summum fossam et loculum suum. Denique Joannes Alba Electorum, cap. XCVIII: « Possedit agrum de mercede iniquitatis, » hoc est, inquit, de mercede iniquitatis ejus possessus vel emptus est ager. Sic cap. VIII: « In humilitate judicium ejus sublatum est, » id est sublatus est humilitate judicii, sive humili judicio, vel supplicio abjecto, hoc est, morte probrosa et abjectissima. Similis hypallage est *Eccli.* XLIX, 18: « Ossa ipsius (Joseph) visitata sunt, et post mortem prophetaverunt, » hoc est, prophetavit Joseph de illis (nempe fratribus suis) post mortem suam visitandis a Deo, et de suis ossibus asportandis in Chanaan mandavit eis. Nam, *Genes.* L, ait: « Deus visitabit vos, asportate ossa mea vobiscum. » Hæc Alba.

De mercede iniquitatis. — Triginta argentei Judæ, quibus emptus fuit ager, vocantur « merces iniquitatis, » quia fuerunt merces et pretium proditionis et venditionis Christi, quod fuit summa iniquitas: puta summa simonia, summum sacrilegium, summum parricidium, imo Christicidium et Deicidium. Venditus enim illa fuit Christus ad crucem et mortem.

Judas an præcipitio, an laqueo mortuus? Et suspensus crepuit medius. — Pro *suspensus* Græco est πρηνὴς γενόμενος, quod Beza et Bullingerus vertunt *præcipitatus*; putant enim Judam non laqueo, sed præcipitio vitam finiisse. Verum errant; nam *Matth.* XXVII, 5, de eo diserte dicitur: « Et abiens laqueo se suspendit. » Græce ἀπήγξατο, id est *strangulavit*; ita Syrus; τὸ ergo πρηνὴς γενόμενος; ad verbum verte cum Œcumenio, Erasmo, Vatablo et aliis passim, *præceps*, vel *dejecto capite, et in terram prono*, ut legit S. Augustinus, lib. I *Contra Felicem Manich.*, cap. IV, qui est gestus suspensorum; aut, *sese præcipitans*. Voluit enim Judas ad celeriorem mortem fune in collum inserto affixoque arbori, ex ea se præcipitasse, ut valido corporis gravis impulsu et libratione, illico laqueum collo astringeret, itaque se suffocaret.

Addit Theophylactus, in *Matth.* XXVII, 5, Judam, laqueo rupto, supervixisse, ac tandem post Christi resurrectionem præcipitio vitam finiisse. « Scias, inquit Theophylactus, quod laqueum quidem posuit in collum, et cum penderet ab arbore, ea inclinata supervixit, Deo volente ipsum vel in pœnitentiam conservare, vel in traductionem et confusionem. Dicunt enim quod morbo hydropico laborarit, ita quod transire non potuerit orbitam, et deinde pronum cecidisse sive præcipitatum, et crepuisse medium, id est esse disruptum, ut in *Actis* dicitur. » Addunt alii alia ex Papia, Œcumenio et Euthymio, in *Matth.* XXVI, Judam, rupto laqueo, Christo supervixisse, inflato tamen corpore, atque ita cum se movere non posset, curru occurrente fuisse obtritum et discerptum. Verum hæc parum consentiunt cum S. Luca hic, et cum S. Matthæo, cap. XXVII, 5, dicente: « Abiens laqueo se suspendit; » Græce *strangulavit*, id est suffocavit et occidit se. Nam « suspensus crepuit medius, » ut sequitur. Dico ergo Judam, post relatos argenteos, ut ab angoribus conscientiæ se liberaret, illico se suspendisse et suspendio se strangulasse, ita ut mole corporis, vel potius vindictæ numinis crepuerit medius; « ut guttur per quod vox proditionis exierat, laquei nodus necaret, » ait Beda; utque anima sacrilega non per os, quo perfido Christum osculatus fuerat, sed per viscera instar bestiæ vel feræ laniatæ, egrederetur. Simili modo Arius blasphemus, quasi alter Judas cum visceribus et per viscera impiam animam in secessum effudit, inquit Nazianzenus, orat. *in S. Athanasium*.

Porro Juvencus poeta et Beda in *Locis sanctis*, cap. IV, scribunt Judam se suspendisse e ficu, quæ suo tempore etiamnum Hierosolymæ exstabat. Vulgus inter nos, ait Mariana, ex sambuco suspensum sentit: scilicet Romæ canes quotannis ex sambuco suspendebant, eo quod Gallis Senonibus in Capitolium irrepentibus non latrassent, inquit Plinius, lib. XXIX, cap. IV. Et est ea arbor suspendio apta, tum ob duritiem, uti testatur idem Plinius, lib. XVI, cap. XXXIX; tum quia infrugifera, ideoque inter infelices arbores, quas reorum suspendio destinabant, juxta illud Livii, lib. I: « I, lictor, caput obnubito, infelici arbori suspendito. »

Moral. de lapsu Judæ. Ex casu Judæ discimus *primo*, quantum malum sit avaritia; hæc enim fuit causa sceleris et proditionis. *Secundo*, quam profunde ruant qui in alto gradu consistunt indeque prolabuntur, ut de iis dici possit: « Tolluntur in altum, ut lapsu graviore ruant. » Vulgo dicitur: Ex vino dulcissimo, si corrumpatur, fit acidissimum acetum; ex Lucifero diabolus, ex Apostolo apostata, ex monacho hæresiarcha, ex Sancto nebulo. *Tertio*, quantum peccatum sit desperatio. Gravius enim



peccavit Judas desperando, quam Christum tradendo; desperatio enim eum ad laqueum et gehennam adegit: « Quia ut laqueo respiratio, ita prohibetur desperatione Spiritus Sanctus, » ait S. Augustinus, *hom.* 27, inter 50. Quocirca S. Leo, serm. 10 *De Pass.*: « Tu, inquit, impiissime homo, semen Chanaan, et non Juda, nec jam vas electionis, sed filius perditionis et mortis, utiliora tibi diaboli incitamenta credebas, ut facibus inflammatus avaritiæ, ad triginta argenteorum lucrum inardesceres, et quid divitiarum amitteres, non videres. » Et mox: « Unde facinus commercii tui non ideo detestandum est, quia Dominum viliter æstimasti, sed quia redemptorem etiam tuum, ut tibi parceres, vendidisti. Et merito tibi tua pœna est commissa, quia in supplicium tuum nemo te sævior potuit inveniri. »

19. Haceldama. — Syris חקל דמא *chakal dema*, et ita videtur vocatus hic ager; Judæi enim post reditum e captivitate non pure hebraice, sed corrupte et semichaldaice, id est, syraice vel syrochaldaice loquebantur. Ita Pagninus, in *Nomin. Hebr.*

Hoc est ager sanguinis. — Hæc interpretatio nominis Syri non est addita a S. Petro, ut vult Hugo, utpote Syris syriace loquente, sed a S. Luca, qui Græcis græce scribens, Syram vocem *Haceldama* per Græcam est interpretatus (1). Ager hic vocabatur *primo*, *figuli*; quia ex ejus argilla figuli vasa figulina formabant. *Secundo*, *ager Judæ*, quia pecunia Judæ comparatus, ut dixi vers. 18. *Tertio*, *sanguinis*; quia pretio sanguinis Christi emptus, idque Dei consilio, ut, cum ipsi suum scelus ac emptione in speciem pia obruere et sepelire vellent, ipse ager juge esset homicidii, imo Christicidii eorum monumentum; ut, quoties agrum sanguinis nominarent, toties sanguinis Christi a se occisi recordarentur, ait S. Chrysostomus, scirentque hunc sanguinem non alio, quam suo sanguine expiandum, uti factum a Tito et Romanis.

20. Scriptum est enim (*Psalm.* LXVIII, 26): Fiat commoratio eorum deserta. — *q. d.* impia parricidarum imo Christicidarum civitas, puta Jerusalem, in qua ipsi secure quasi inexpugnabiles commorantur, capiatur, succendatur et desoletur a Tito et Romanis. Idem prædixit eis Christus ingemiscens et lacrymans: « Ecce relinquetur vobis domus vestra deserta, » *Matth.* XXIII, 3.

Et episcopatum ejus accipiat alter. — Combinat hic S. Petrus duos versus diversorum psalmorum. Prior enim habetur *Psalm.* LXVIII, 26; hic vero legitur *Psalm.* CVIII, 8. Pro *episcopatum* hebr. est פקדתו *pekuddato*, id est præfecturam, regimen et principatum ejus, puta apostolatum Judæ, « accipiat alter, » scilicet Matthias. Nota: toto *Psalm.* CVIII, David dura imprecatur Judæ proditori, et Judæis in typo et persona Doeg proditoris sui apud Saulem, ut docent ibidem S. Augustinus et Theodoretus. Quocirca plenus est minis et maledictis, adeoque nonnulli numerant tot maledictiones, quot argenteos acceperat Judas, nimirum triginta. *Prima* est, vers. 6: « Constitue super eum peccatorem, » quasi impium judicem et tyrannum ei perfice, qui acriter eum judicet et puniat. *Secunda*: « Et diabolus stet a dextris ejus, » *q. d.* Diabolus, id est calumniator ei astet, ut eum apud judicem criminetur, et mortis reum peragat. Rursum, in judicio divino proprie diabolus in eum potestatem accipiat, eum accuset, teneat, præcipitet, exagitet, et ad restim adigat. Sic in Judam ingressus est Satan, *Joan.* XIII. « Diabolus, ait S. Augustinus in *Psal.* CVIII, stetit a dextris Judæ, cum avaritiam præposuit sapientiæ, pecuniam saluti suæ, ut Christum proderet; et sic noluit possideri a Christo, sed a diabolo. » *Tertia*: « Cum judicatur exeat condemnatus » ad mortem præsentem et æternam. *Quarta*: « Et oratio ejus fiat in peccatum, » id est in offensam, *q. d.* Oratio hominis tam impii, jam quasi condemnati et desperabundi, orantis pro remissione, non tam culpæ quam pœnæ, magis offendat et exasperet judicem, tum hominem, tum Deum. Ita Theodoretus Chaldaicum vertit, *oratio ejus sit in condemnationem*. » Quid boni exspectandum illi cui nihil superest nisi oratio, quæ ei vertitur in tormentum, imo in peccatum? *Quinta*: « Fiant dies ejus pauci. » Ita paucis horis proditioni suæ supervixit Judas, illicoque se suspendit. *Sexta*: « Et episcopatum ejus accipiat alter. » Vide, et computa reliquas. Ἐπίσκοπος græce idem est quod ἔφορος, id est inspector, *superintendens*, *custos*, *speculator*, *qui alicui rei intendit et invigilat quasi Præfectus*: Episcopi enim munus est, ἐπισκοπεῖν, id est, *intendere rei sibi commissæ*. Unde, II *Esdræ* XI, 22, Azzi vocatur « Episcopus, » id est inspector et præfectus « Levitarum. » Et Cicero fuit Episcopus oræ Campaniæ; sic enim ait, lib. VII, epist. *ad Atticum*: « Vult enim me Pompeius esse, quum tota hæc Campania et maritima ora habeat Episcopum, ad quem delectus et negotii summa referatur. » Et Arcadius Imperator, Digest. *De Muner. et Honor.*: « Ii, inquit, proprie dicuntur Episcopi, qui præsunt pani et cæteris venalibus rebus. »

21. Qui nobiscum sunt congregati. — Pagninus et Tigurina, *conversati*.

(1) Non tantum verba, *hoc est ager sanguinis*, sed totum hunc vers. 19 pro Lucæ additamento habendum esse ait Kuinoelius: quorsum enim Petrus Apostolis dixisset, Judæ triste fatum omnibus Hierosolymitanis innotuisse? Ideo vers. 18 quoque parenthesin non Petri, sed Lucæ quidem esse volunt. « Lucas, ait Heinrichsius ad h. l., in Evangelio de morte Judæ nil memoraverat, adeoque monendus de ea erat Theophilus, qui aliter non perspexisset, quum in finem hæc locutus sit, aliumque Apostolum sufficerit Petrus. Jam autem perspicuum fit, quomodo V. T. locus, jam vers. 16 a Petro annuntiatus, vers. 20 demum proferatur, quod alias contra morem suum fecerit. »

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

In omni tempore quo intravit et exivit inter nos Dominus Jesus, — id est quo inter nos versatus est; est hebraismus: *ingredi* enim et *egredi* Hebræis significat totam vitæ seriem et conversationem, puta omnes actiones, sermones, gestus et gesta. *Secundo*, ingredi et egredi coram cœtu vel populo, est ei præesse, eum ducere et regere. Ducis enim est egredi ante populum, instar pastoris ducentis oves; sic Moses ait, *Deuter.* xxxi, 2: « Non possum ultra egredi et ingredi, » id est ducere et gubernare populum. Et Salomon, II *Paral.* i, 10: « Da, inquit, mihi sapientiam et intelligentiam, ut ingrediar et egrediar coram populo tuo; » quod explicans subdit: « Quis enim potest hunc populum tuum digne, qui tam grandis est, judicare? » Ingredi ergo et egredi idem est quod judicare et regere populum.

22. Incipiens a baptismate Joannis. — Inde enim cœpit Evangelium et gesta Christi. Joannes enim in suo baptismate omnibus annuntiabat et demonstrabat Christum dicens: « Ecce agnus Dei, ecce qui tollit peccatum mundi, » *Joan.* i, 29; ideoque Christus ab eo baptizari voluit, indeque ordiri suam prædicationem.

Testem resurrectionis ejus. — Apostolus ergo idem est quod testis resurrectionis Christi, ac consequenter cæterorum mysteriorum et gestorum ejus, quæ in resurrectione, quasi in suo fine et scopo terminantur et concluduntur. Ideo enim natus, passus, mortuus est Christus, ut resurgeret, suaque resurrectione peccatum et mortem aboleret, nosque ab iis resuscitaret, juxta illud *Rom.* iv, 25: « Qui traditus est propter delicta nostra, et resurrexit propter justificationem nostram. » Vide ibi dicta. Primitus enim hic articulus resurrectionis creditu erat difficillimus: unde eum maxime inculcabant Apostoli, eoque persuaso facile cæteros persuadebant. Unde S. Petrus vult eligi talem, qui omnium actorum Christi a baptismo Joannis usque ad ascensionem in cœlum, sit conscius, eorumque æque ac resurrectionis possit esse testis, ut testetur et dicat: « Ecce qui edebat, qui bibebat, qui crucifixus est, idem ille resurrexit, » ait S. Chrysostomus.

23. Et statuerunt. — Apostoli cæterique fideles communi consensu nominarunt e toto numero duos excellentiores in fide, virtute rerumque Christi cognitione; eos deinde seorsim statuerunt quasi Apostolatus candidatos, ut super utrumque jacerent sortem, quæ Apostolum designaret. Hæc omnia facta sunt dirigente S. Petro, qui totius hujus operis fuit choragus. Unde S. Augustinus, lib. I *De Actis cum Felice Manich.*, cap. iv, pro *statuerunt* legit *statuit*, scilicet Petrus cum Apostolis et per Apostolos. Porro uterque fuit e numero 72 discipulorum, inquit ex Clemente Alexandrino Beda.

Joseph. — Hic Joseph videtur fuisse frater Jacobi Minoris et Judæ Apostolorum, ac filius Alphæi et Mariæ, ideoque consanguineus Christi. Unde inter matronas astantes Christo crucifixo, nominatur hæc « Maria Jacobi et Joseph mater, » *Matth.* xxvii, 56. Hic Joseph postea creatus est Episcopus Eleutheropolis in Palestina, ait Dorotheus in *Synopsi*: inter Sanctos relatus legitur in *Martyrologio Romano*, die 20 julii, hisce verbis: « Eodem die natalis B. Joseph, qui cognominatus est Justus, quem Apostoli cum B. Matthia statuerunt ut locum Apostolatus Judæ proditoris impleret; sed cum sors cecidisset super Matthiam, ipse nihilominus prædicationis et sanctitatis officio inserviens, multamque pro fide Christi a Judæis persecutionem sustinens, in Judæa victorioso fine quievit; de quo etiam refertur quod venenum biberit, et nihil ex hoc triste propter Domini fidem pertulerit. » Ejusdem meminit S. Dionysius, cap. xi, dicens: « Ipsa divina pax et tranquillitas quam S. Justus (Joseph enim cognominatus est Justus) silentium appellat. »

Qui vocabatur Barsabas. — *Barsabas* idem est quod filius Sabæ, sicut *Barabbas* idem est quod filius Abbæ; *Bartimæus* idem est quod filius Timæi, *Barjona* idem est quod filius Jonæ, vel Joannis: pater enim S. Petri vocabatur Joannes, et per crasin Jonas. An idem dicendum sit de hoc Barsaba, quod scilicet pater ejus vocatus vel cognominatus sit Sabas, incertum est. Potest enim *sabas* accipi ut appellativum, non ut proprium, significans vel juramentum, vel saturitatem, vel reversionem, ut *Barsabas* idem sit quod filius juramenti (perinde ac Barsabee idem est quod puteus juramenti, *Genes.* xxi, 31), vel saturitatis, vel reversionis, vel conversionis: ita S. Hieronymus et Pagninus, in *Nomin. Hebr.* Alius est hic Barsabas a Barnaba consobrino S. Pauli, qui pariter vocatus est Joseph, *Actor.* iv, 36.

Qui cognominatus est Justus, — ab insigni ejus justitia et sanctitate, æque ac ejus frater Jacobus ab eadem cognominatus est *justus* et *frater Domini*. *Justus* enim non Hebræum, ut Beda aliique putant, sed Latinum est nomen, estque proprium vel nomen, vel cognomen, sicut hodie multi nomen habent Justus: quocirca græce vocatur pariter Ἰοῦστος. Sic multas voces Latinas Evangelistæ græce scribentes, usurpant quasi Græcas. Tales sunt *prætorium, flagellum, colonia, legio, sudarium, census*.

Vide hic, ut ad prælaturas non semper aptiores sint justi et sancti. Aptior enim est qui habet talentum regendi et gubernandi, quod magis in prudentia et gratia, quam in sanctitate consistit, uti dicebat S. Theresia, quæ proinde Superiores eligi volebat prudentes potius et discretos, quam sanctos, si alterutrum deesset.

Multi censent hunc Joseph fuisse fratrem S. Jacobi Minoris, Simonis et Judæ: hos enim quatuor fuisse fratres insinuat S. Matthæus, cap. xiii, vers. 35; ac proinde noluisse Christum ut in eum sors caderet, tum ne tot cognatos suos videretur externis præferre; tum, ne quatuor fratres simul essent in collegio duodecim Apostolorum: perinde ac Canones cavent ne in eadem Ecclesia pater et filius simul beneficium obtineant: et plura Capitula in suum Canonicorum cœtum nolunt admittere plures fratres, ne ii inter se conspirent cæterisque dominari velint, itaque factiones et schismata concitent.



Matthias, id est donum Dei. Matthiam. — *Matthias* hebraice idem est quod מתן יה *mattan ja*, id est *donum Dei*, vel *donatus a Deo*. Unde Beda censet nomen ejus fuisse omen quod donandus esset apostolatu. Hinc idem pene est nomen Matthias, quod Matthanias et Nathinæus: imo Pagninus Matthiam non aliter quam Matthanach nuncupat. Idem est nomen geminata littera *thau* Matthathias, qui fuit pater Judæ, Jonathæ et Simonis Machabæorum, idemque sonat quod *donum Domini*, vel *interfectio Domini*; interfecit enim ipse ducem Antiochi ex zelo. Sane Matthathiæ in zelo similis, imo superior fuit Matthias. Addit Beda et alii, *Matthias* hebr. idem esse quod *parvus Dei*, quod Apostolorum fuerit ultimus, quodque merito humilitatis evectus sit ad apostolatum, juxta illud Christi, *Matth.* cap. xi, vers. 25: « Confiteor tibi Pater, Domine cœli et terræ, quia abscondisti hæc a sapientibus et prudentibus, et revelasti ea parvulis: » Verum non video unde *Matthias* idem sit quod *parvus Dei*, nisi dicas per commutationem litteræ *m* cum *p* (eo quod utraque sit labialis) *Matthias* idem esse quod *Pethias*: *pethi* enim hebr. significat *parvulum*; vel certe *Matthias* conflatum esse ex מה אתה יה *ma atta ja*, id est *quid tu, Deus?* Quid tu, Domine, quid ego? tu abyssus entis omnisque boni, ego abyssus nihili omnisque mali. Sic *Michael* idem est quod *quis ut Deus?* Clemens Alexandrinus, lib. IV *Strom.*, censet Matthiam fuisse

An fuerit Zachæus? Zachæum, qui ex arbore sycomoro a Christo vocatus sit factusque e 72 discipulis, ac postea ab Apostolis Judæ suffectus creatusque Apostolus, dictus sit Matthias. Verum cum Zachæus fuerit princeps publicanorum, ut patet *Luc.* xix, 2, multi censent eum fuisse Gentilem: Judæis enim infame erat hoc nomen et officium; Christi autem Apostoli omnes Judæi fuere, nulli Gentiles. Ita censet Tertullianus, lib. IV *Contra Marc.*, xxxvii, cui assentiri videtur S. Cyprianus, epist. 63 *ad Cæcilium*, S. Ambrosius et Beda in cap. xix *Lucæ*. Sed hanc rationem confutat S. Hieronymus, epist. 146, ex eo quod S. Matthæus fuerit publicanus, et tamen Judæus, ideoque Apostolus: rursum Judæus fuit publicanus, qui cum pharisæo oraturus ascendit in templum, *Luc.* xviii, 10. Quocirca Zachæum fuisse Judæum censent Euthymius, Lyranus, Cajetanus, Montanus, Jansenius, Salmeron et Barradius, in *Lucæ* cap. xix, tum quia ibidem, vers. 9, vocatur « filius Abrahæ; » tum quia dicit Christo: « Si quid aliquem defraudavi, reddo quadruplum, » quod Judæis præceptum erat *Exod.* xxii, 1, non Gentilibus. Magis obstat, quod S. Clemens, lib. I et III *Recogn.*, in fine, asserat Zachæum a S. Petro ordinatum Episcopum Cæsareæ Palestinæ: quod si verum est, liquet eum non fuisse Apostolum: sed de libri *Recognit.* auctore et fide multi dubitant. Solebat gloriari Carolus V, quod, natus festo S. Matthiæ, sortem imperii, felicitatis et victoriarum obtinuisset.

24. Et orantes dixerunt. — Docent Apostoli orationem communem et publicam præmittendam electioni Pastoris et Episcopi, ut dignissimum Deus concedat; ab eo enim pendet salus vel perditio gregis. Sic Christus designaturus Apostolos pernoctavit in oratione, *Lucæ*, vi, 12. Sic Concilium Tridentinum, *sess.* xxiv, cap. i, jubet ut, Episcopatu vacante, indicantur per totam diœcesim publicæ preces pro electione boni Pastoris.

Qui corda nosti omnium. — Græci unica voce significantius Deum vocant invocantque, Κύριε καρδιογνῶστα, *Domine cordis inspex*, qui scilicet solus cordis, id est mentis, sinus fundumque inspicis et perspicis, qui ejus latebras omnes scrutaris, qui pervides liberas et arcanas cujusque mentis cogitationes, consilia, desideria, intentiones etiamsi ipsi menti sæpe velatas, furatas et incognitas; ac proinde optime nosti, quis ad hoc apostolatus officium aptissimus sit. Homines enim in eligendo sæpe falluntur, quia exteriora tantum respiciunt, corda vero videre nequeunt, in quibus sæpe multa latent, quæ hominem pastoratu et officio maxime dignum vel indignum efficiunt: Deus ergo solus est καρδιογνώστης, non homo, non angelus.

Ostende quem elegeris. — Videntur hi duo, Joseph et Matthias, dotibus fuisse quasi pares, inquit Glossa; aut se habuisse ut excedens et excessum, ut, licet unus in uno superaret alium, tamen in altero ab eodem superaretur, ut proinde Apostoli nescierint uter alteri præferendus esset; ideoque Deum invocarunt, ut is aptiorem designaret. Sciebant enim se, utpote Ecclesiam novellam Christi, ipsi cordi et curæ esse, ipsumque in re tanti momenti adfore: ac sicut olim undecim Apostolos elegerat, ita et nunc duodecimum demonstraturum. Hanc fiduciam sibi ab eo aspirari sentiebant, ideoque fidenter orant, non dubii quin voti sint futuri compotes, et id quod orant impetraturi.

25. Accipere locum. — Græce κλῆρον, id est *sortem*, de qua vers. 17.

De quo prævaricatus est Judas. — Pagninus et Tigurina vertunt, *unde prævaricatus excidit Judas*, hoc est, ex quo per prævaricationem (puta proditionem, desperationem et sui strangulationem) excidit Judas. Est metalepsis. Græce ἐξ ἧς παρέβη, quod aliqui vertunt, *ex qua aberravit*, ut παρέβη pro παρεξέβη, et παράβασις pro παρέκβασις, id est *digressio*, *alteratio*, ponatur. Est enim vocatio nostra et status quasi via et stadium, in quo recta decurrimus ad metam, ut bravium

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS ®

cœlestis gloriæ nanciscamur : a quo aberrant, qui in avia tendunt, alioque flectunt curvantque cursum.

Ut abiret in locum suum, — se dignum, puta in laqueum quem sibi nexuit, ait Œcumenius ; aut, in infernum (1) ; quia hactenus occupaverat locum alienum, et ex propriis demeritis damnationis locum suum efficit, inquit Cajetanus. Subtiliter S. Bernardus in *Psalm.* xc, serm. 8 : « In locum suum, id est, inquit, ut suspensus in aere creparet aeriarum collega potestatum ; utpote quem veri Dei et veri pariter hominis, qui de cœlo venisset operaturus salutem in medio terræ, hujus inquam proditorem, nec cœlum reciperet, nec terra sustineret, juxta illud : Si non in cœlis, stes ubicumque velis. »

Eratne ergo Judas in loco suo, cum erat in apostolatu ? Nequaquam : nam, ut ait Cajetanus, « abiit in locum suum, quia hactenus occupaverat alienum apostolatus et ministerii locum. » Quamvis enim apostolatu insignis videretur, revera apostolatum non habebat, quia illo, ut par erat, non utebatur. Ita plane et pastores, qui suis ovibus regendis non attendunt, nihil minus habent, quam dignitatem pastoralem, de qua ipsi sua se incuria ac socordia deturbant. Quare D. Bernardus, serm. ad pastores in synodo congregatos, in illud Davidicum : *Confusi sunt, quoniam Deus sprevit eos, Psalm.* LII, vers. 6, sic pastores alloquitur : « Et vos, ait, confusi estis in actibus vestris : non honorati, sed onerati dignitatibus vestris, quoniam Deus sprevit vos. » Quæ moraliter dicta accipe : nam certum est ad litteram Judam verum habuisse apostolatum, et impios pastores verum habuisse pastoratum.

26. Et dederunt sortes eis. — Syrus, *et conjecerunt sortes* ; Pagninus, *et dederunt sortes eorum* ; Tigurina, *et miserunt sortes eorum* ; Græce enim est αὐτῶν, id est *eorum* in genitivo, non *eis* in dativo.

Sors quænam et qualis ? Prima sententia. Quæres *primo*, quæ et quales fuerunt hæ sortes ? Respondeo : Aliqui, ut Gagneius, censent fuisse scrutinium suffragiorum. Accedunt nostri Salmeron et Sanchez, qui censent Apostolos orasse ut Deus illuminaret mentes eorum, ac declararet cui eos vellet suum dare suffragium, et hoc vocare sortem. Probant ex eo quod pro « annumeratus est, » Græce sit συγκατεψηφίσθη, id est *communibus calculis cooptatus est*. Verum sic non fuisset sors et sortitio, sed electio : nec sors cecidisset super Matthiam, sed jure suffragiorum crea Apostolus.

*Secundo*, S. Dionysius, *Ecclesiast. Hierarch.*, cap. 5, part. III, quem S. Antoninus, Turianus, Baronius, Sanchez et alii sequuntur, censet fuisse signum quoddam divinum ; at quale fuerit, non explicat. « Videtur mihi, inquit Dionysius, Scriptura sortem appellasse divini quiddam et præcipui muneris, per quod ille choro sacratissimo insinuaretur, qui esset divina electione declaratus. » S. Antoninus, I *part.*, tit. 6, cap. II, censet fuisse radium e cœlo demissum in Matthiam, sicut radio lucis demonstratus fuit Gregorius Magnus Pontifex et alii nonnulli. Dionysius Carthusianus censet fuisse columbam cœlitus delapsam in Matthiam, sicut S. Fabianus illapsu columbæ creatus est Pontifex. Alii censent fuisse donum prophetiæ, vel sapientiæ aspiratum Matthiæ.

Si objicias : Quomodo ergo Apostoli dicuntur dedisse eis sortes ? Respondeo, hoc sensu, quod Apostoli signum hoc ex instinctu divino præfinierint, dicendo : Super quem descendet radius, aut columba e cœlo, ille Dei judicio erit Apostolus ; tumque Deum orarunt, ut ipse has sortes ostenderet et ederet, perinde ac fecit Eliezer, servus Abrahæ, quærens uxorem Isaaco, ac per signum oblationis hydriæ cognovit et elegit Rebeccam, *Gen.* XXIV, 14. Simili modo Gentiles sua oracula et responsa deorum vocabant sortes, quia a diis eorumque sacrificulis, consultore quasi sorte, ac sæpe per sortilegia reddebantur. Hinc apud Valerium, lib. I, *præcipi sortibus* idem est quod *præcipi oraculis*.

Verum dare aut mittere sortes, non hoc, sed longe aliud significat, ut cuivis patet ex communi terminorum significatione et usu. In sorte enim eventus est fortuitus et a casu exspectatur, ut is vincat, in quem sors quasi felix alea ceciderit. Dico ergo Apostolos misisse sortes proprie dictas, ut verba sonant, et sortem cecidisse super Matthiam. Porro qua re et modo missæ sint hæ sortes, incertum est. Nostri Lorinus et Mariana censent nomen Matthiæ uni chartæ, nomen Joseph alteri fuisse inscriptum, itaque utrumque injectum in urnam, ibique commistum, ut cujus primo educeretur, is esset Apostolus ; ac primo eductum esse nomen Matthiæ. Scimus varias apud veteres sortiendi fuisse rationes et modos. Nam, *Proverb.* XVI, 33, in sinum conjiciebantur chartulæ, tesseræ, globuli, aut lapilli ; apud Homerum, *Iliad.* η, in galeam ; apud Plautum in *Casina*, in situlam ; apud Ciceronem, lib. IV *In Verrem*, in hydriam ; apud Virgilium, *Æneid.* VI, in urnam. Quo modo et ratione usi sint Apostoli, incertum est ; certum est Deum per eam declarasse Matthiam, tum dirigendo sortem, ut caderet in Matthiam, juxta illud *Proverb.* XVI, 33 : « Sortes mittuntur in sinum, sed a Domino temperantur ; » tum addendo signum aliquod cœleste, v. g. radium aut quid simile, quo sortem comprobaret, uti censet S. Dionysius et alii jam citati. Item S. Augustinus, conc. 2 in *Psal.* XXX, et Origenes, hom. 23 in *Josue* ; idque ne Matthias cæteris Apostolis, qui a Christo ipso electi erant, esset inferior. Id patet ex oratione Apostolorum sorti prævia, qua Deum rogarunt ut magis idoneum designaret : non dubium autem quin Deus hanc orationem communem Apostolorum et Ecclesiæ exaudierit eosque voti compotes fecerit. Quocirca sors hæc humana fuit, si sortientes Apostolos spectes ; eadem tamen divina fuit, si calculum quem Deus ei adjecit, consideres. Hoc enim ait S. Dionysius, qui utique sortem illam optime norat. Et sic hæc tertia sententia jungenda est secundæ.

Quare Apostoli miserint sortes ? Resp. Primo. Quæres *secundo*, qua conscientia Apostoli rem tantam commiserunt sorti, id est casui et fortunæ ? Respondent *primo*, aliqui ex Glossa, id eos recte fecisse, eo quod eligendi in dotibus externis essent pares : tum enim sorte res decidi et dirimi potest. Unde S. Augustinus, *epist.* 119, cap. XX, et *epist.* 180, docet sorte decidendum esse, qui sacerdotes persecutionis tempore fidelibus assistere debeant, qui vero fugere. Idem censendum tempore pestis similisve necessitatis. Eodem modo sancit Plato, *De Republica*, dialog. 5, sortis æqualitate in republica utendum esse ad multorum offensas vitandas, ita ut Deum et bonam fortunam in precationibus invocemus, ut ipsi sortem ad id quod justissimum est, dirigant ; Deus enim est moderator fortunæ, adeoque ipse est fortuna activa et fortunans. Et Plutarchus, in *Moral.* : « Ut in democratia, inquit, cui sorte contigit imperium, eum oportet imperare ; sic in vita hominum quod sors dederit, boni consulendum est. »

*Secundo*, Apostoli secuti sunt exempla S. Scripturæ. Sic enim Saul sorte creatus est rex, I *Reg.* X, 20. Sic sorte deprehensus est Achan, *Josue* VII, 16. Sic sorte divisa est terra promissa inter 12 tribus, *Josue* XV, etc. Unde S. Hieronymus in *Jonæ* cap. I, S. Augustinus, serm. *De S. Matthia* ; S. Chrysostomus et Beda hic, ac S. Thomas I II, *Quæst.* XCV, art. 8, censent Apostolos adhuc rudes et inexpertos, id fecisse ex consuetudine Patrum veteris Testamenti, antequam recepissent Spiritum Sanctum, ideoque post eum receptum id non fecisse in electione Diaconorum, cap. VI, perinde ac jam omnis sors in electionibus Pastorum et Ecclesiasticorum est prohibita jure Canonico, ut patet cap. *Ecclesia*, de sortilegiis, sub finem. Nam jure naturæ, divino et humano ad beneficia, præsertim habentia curam animarum annexam, eligendus est dignior, uti sancit Concilium Tridentinum, sess. 24, cap. XVIII *De Reform.* ; idemque docent passim Theologi cum D. Thoma, quos citat et sequitur noster Lessius, lib. II *De Justitia*, cap. XXXIV, dub. 14. Simili modo Romani, Gentiles licet, legem tulerunt, ne quis sacerdos sorte aut pretio crearetur, uti Dio, lib. II *Hist. Rom.*

*Tertio* et genuine, Apostoli jecerunt hanc sortem licite, quia id fecerunt ex instinctu divino, quo tacite Deus promittebat se suam voluntatem per eam demonstraturum, et magis idoneum designaturum. Ita noster Lessius, lib. II *De Justitia*, cap. XLIII, dub. 9, apud quem vide plura de divisione et varietate sortium, quæque ex eis licita sit, quæ illicita. Simili enim modo jussit Deus Samueli dare sortes pro creatione Saulis regis, et Josue pro deprehensione Achan et pro divisione terræ sanctæ, de quibus paulo ante dixi, et S. Francisco sortito capere sententias S. Scripturæ primo in Evangeliis occurrentes, easque capessere pro regula vitæ, uti refert S. Bonaventura.

Præclare S. Augustinus, conc. 2 in *Psal.* XXX, explicans illud : *In manibus tuis sortes meæ* : « Sors, ait, res est in dubitatione humana divinam indicans voluntatem. » Et mox sortem interpretatur gratiam Dei : « Quia in sorte, inquit, non est electio, sed voluntas Dei. Nam ubi dicitur, Iste facit, iste non facit, merita considerantur, et ubi merita considerantur, electio est, non sors. Quando autem Deus nulla merita nostra invenit, sorte voluntatis suæ salvos nos fecit, quia voluit, non quia digni fuimus. Hæc est sors. »

Et cecidit sors super Matthiam. — Ex hac sorte Matthiam fuisse primum Clericum, indeque Clericos originem et nomen accepisse, censet S. Augustinus in *Psal.* LXVII : « Nam et Cleros, inquit, et Clericos hinc appellatos puto, qui sunt in Ecclesiasticis gradibus ordinati, quia Matthias sorte electus est, quem primum per Apostolos legimus ordinatum. Clericus enim dicitur a κλῆρος, id est sorte, quia sorte in sortem Domini asciscitur. » Idem cum S. Augustino sentit Isidorus, lib. II *Etymol.*, cap. II, et S. Antoninus loco paulo ante citato, etsi aliis aliud videatur. Sane antiquiorem Clericum Matthia non legimus ; atque ex hac sententia Cleri nomen cœpit cum Apostolis, imo ab Apostolis, primusque clericus fuit Apostolus. Ab hac sorte Matthias dictus est Clericus.

Moraliter : *Primo*, sorte hac docuit Christus, in electione ad officia ecclesiastica, se nolle haberi rationem consanguinitatis. Nam Joseph consanguineo suo in Apostolatu prætulit Matthiam extraneum. *Secundo*, quemque vocationem suam a Deo exspectare debere eaque esse contentum : sicut Joseph non doluit sibi prælatum Matthiam, nec inde in prædicatione Evangelii segnior evasit, sed æque strenue Christo in aliis muniis deservivit, uti superius dixi. Multi enim repulsam passi ab episcopatu vel officio, schisma vel hæresim invexerunt. Ut Tertullianus, Novatus et nostro sæculo Lutherus. *Tertio*, apostolatum similesque præeminentias et gradus non cadere sub meritum de condigno : Deus enim Matthiam cæterosque Apostolos sorte elegit, non merito.

(1) Valde torserunt hunc locum multi hodierni interpretes, quorum opiniones videre est in *Kuinoelii* Commentar. ad h. l. Communior tamen retinenda est interpretatio : *in locum suum*, id est, *proprium*, qui ipsi conveniebat, scil. per euphemismum, *Gehennam*, damnatorum locum. Hac loquendi ratione passim utuntur scriptores ecclesiastici : Ignatius in epist. *ad Magnes.* cap. V : « Quia igitur res finem habent, incumbunt duo simul, mors et vita, et unusquisque in suum locum iturus est ; » Clemens Rom., epist. I *ad Corinth.*, de Petro : « Plures labores, ait, perpessus est, atque ita martyrium in debitum gloriæ locum ingressus est. »

Simili modo alii heroes a Deo missi ad Ecclesiæ vel defensionem, vel reformationem, vel illuminationem, ut S. Augustinus, Hieronymus, Basilius, Chrysostomus, Benedictus, Bernardus, Dominicus, Franciscus et similes, sorte, id est gratia Dei, ad hoc electi sunt. Ad hanc tamen gratiam se disposuerunt eamque meriti sunt de congruo sua humilitate profunda, agnoscentes se ad tantum opus plane indignos et ineptos esse, seque ad id destinari sorte et dono Dei (quod sonat nomen Matthias, ut dixi). Quocirca S. Franciscus a multis rogatus, quid haberet gratiæ aut boni, ob quod a Deo ad tantum sanctitatis et auctoritatis fastigium esset exaltatus, ut totum mundum ad se suique amorem et venerationem traheret : Tu enim, inquiebant, non es nobilis, non dives, non doctus, non eloquens, non speciosus ; qui ergo totus mundus post te currit? Respondit : Idcirco Deus me ad hoc elegit, quia nil habeo in quo gloriari possim, ut ostendat hoc opus non esse hominis, sed Dei.

Hanc ejus humilitatem imitemur eique ingentem zelum gloriæ Dei propagandæ jungamus, et Deus per nos magna efficiet. Ita David tantus factus est Propheta et Psaltes, quia sensit et dixit : « In manibus tuis sortes meæ, » *Psal.* xxx, 16. Ita de Sanctis in hac vita spretis et humiliatis, sed in die judicii exaltatis et glorificatis admirabundi dicent impii : « Hi sunt quos aliquando habuimus in derisum et in similitudinem improperii. Nos insensati vitam illorum æstimabamus insaniam, et finem illorum sine honore. Ecce quomodo computati sunt inter Filios Dei et inter Sanctos sors illorum est, » *Sapient.* v, 3. Unde sero pœnitentes gementesque subjungunt : « Ergo erravimus a via veritatis, » etc. Merito errastis, quia dixistis : « Coronemus nos rosis antequam marcescant, nullum pratum sit quod non pertranseat luxuria nostra, » etc. « Hæc est pars nostra, et hæc est sors. Opprimamus pauperem justum, » etc., *Sapient.* ii, 9. Ex adverso, « Felix est sterilis, et in coinquinata, etc., et spado, qui non operatus est per manus suas iniquitatem, nec cogitavit adversus Deum nequissima. Dabitur enim illi fidei donum electum, et sors in templo Dei acceptissima, » *Sapient.* iii, 13. Quocirca monet Ecclesiasticus, xvii, 24 : « Cognosce, inquit, justitias et judicia Dei, et sta in sorte propositionis et orationis altissimi Dei. In partes vade sæculi sancti cum vivis et dantibus confessionem Deo. » *q. d.* Sta et constanter persevera in sorte tibi proposita, hoc est, in vocatione tua, tum novæ vitæ, tum certi status sancti. Similiter persiste in sorte orationis, ut scilicet crebro Deum ores gratiamque impetres, qua digne vocatione tua vivas. Hæc enim est utilissima oratio, si jugiter in rebus omnibus ores : Domine, dirige me ea sorte, eo statu, illis viis quibus me prævides sancte victurum, et inoffenso pede recta ad cœlum sortemque Beatorum perventurum. « In partes vade, » *q. d.* Per bona opera profice, ut pars sæculi sancti, id est futura gloria cœlestis tibi obtingat, adeoque illum hic inchoa Deum laudando ore et opere, cum justis qui adhuc vivunt et dant laudem Deo. In cœlis enim perpetua erit laus Dei.

ET ANNUMERATUS EST. — Græce, συγκατεψηφίσθη, id est *communibus calculis cooptatus est*, *q. d.* Omnes sortem divinam, ac per eam electionem Matthiæ consona voce laudarunt et comprobarunt. Vatablus vertit, *suffragiis additus est ad numerum undecim Apostolorum*; Pagninus, *suffragiis additus est undecim Apostolis*. Unde non recte colligas Matthiæ sortem fuisse suffragia, sed sorte addita fuisse suffragia. Triplici ergo calculo elec- Tripliciter electus Matthias.
tus est Matthias, *primo* sortis, *secundo* Dei signique divini, *tertio* Apostolorum sortem Deique calculum collaudantium.

Adde, συγκατεψηφίσθη per catachresin transferri ad quamlibet electionem, idemque significare quod eligi, accenseri, annumerari, ut vertit Noster, sive id fiat suffragiis, sive sorte, sive alia ratione.

Vidi et veneratus sum Treviris reliquias S. Matthiæ in ecclesia cathedrali, cui hi tituli assignantur, quos recenset S. Antoninus loco jam citato : « Fuit in lege Domini doctissimus, corpore mundus, animo prudens, in solvendis quæstionibus S. Scripturæ acutus, in consilio providus, in sermocinatione expeditus, multorum signorum patrator, extensis in cœlum manibus martyr spiritum Dei reddidit. » Tria axiomata S. Matthiæ Tria axiomata S. Matthiæ.
recenset Clemens Alexandrinus. *Primum*, lib. II *Strom.* : « Oportet admirari præsentia, » nimirum ut admiremur opera Dei visibilia, et ex illis ad invisibilia ascendamus admirantes et contemplantes in eis Dei majestatem, potentiam, sapientiam, bonitatem. *Secundum*, lib. III : « Si electo vicinus peccavit, peccavit electus. Nam si se ita gessisset ut jubet verbum vel ratio, ejus vitam ita vicinus esset reveritus, ut non peccasset. » Ita S. Bernardini adhuc juvenis sanctitatem ejus coævi reverebantur, ut eo præsente omnes ad modestiam se componerent dicerentque : Tacete, Bernardinus adest. *Tertium*, lib. VII, quod et citat Eusebius, lib. III *Hist.*, cap. xxix : « Adversus carnem pugnandum, et in nullo prorsus voluptati ejus ac libidini concedendum ; animam vero alendam sapientiæ pastibus, et scientiæ cibis in majus semper augendam. »

# CAPUT SECUND

## SYNOPSIS CAPITIS.

*Tria hic agit Lucas. Primo, a vers. 1 ad 14 describit Spiritus Sancti adventum in Pentecoste, sub specie venti validi et linguarum ignearum. Secundo, a vers. 14 ad 42, enarrat primam concionem S. Petri, qua convertit tria hominum millia. Tertio, a vers. 42 usque ad finem, describit continuas orationes, synaxes, charitatem et mores sanctos primorum Christianorum.*

1. Et cum complerentur dies Pentecostes, erant omnes pariter in eodem loco; 2. et factus
est repente de cœlo sonus, tanquam advenientis spiritus vehementis, et replevit totam
domum ubi erant sedentes. 3. Et apparuerunt illis dispertitæ linguæ tanquam ignis, sedit-
que supra singulos eorum; 4. et repleti sunt omnes Spiritu Sancto, et cœperunt loqui
variis linguis, prout Spiritus Sanctus dabat eloqui illis. 5. Erant autem in Jerusalem habi-
tantes Judæi, viri religiosi ex omni natione quæ sub cœlo est. 6. Facta autem hac voce
convenit multitudo, et mente confusa est, quoniam audiebat unusquisque lingua sua illos
loquentes. 7. Stupebant autem omnes et mirabantur, dicentes : Nonne ecce omnes isti qui
loquuntur, Galilæi sunt? 8. Et quomodo nos audivimus unusquisque linguam nostram in
qua nati sumus? 9. Parthi, et Medi, et Ælamitæ, et qui habitant Mesopotamiam, Ju-
dæam et Cappadociam, Pontum et Asiam, Phrygiam et Pamphyliam, Ægyptum et par-
tes Libyæ, quæ est circa Cyrenem, et advenæ Romani. 11. Judæi quoque et Proselyti,
Cretes, et Arabes : audivimus eos loquentes nostris linguis magnalia Dei. 12. Stupebant
autem omnes, et mirabantur ad invicem dicentes : Quidnam vult hoc esse? 13. Alii autem
irridentes dicebant : Quia musto pleni sunt isti. 14. Stans autem Petrus cum undecim,
levavit vocem suam et locutus est eis : Viri Judæi, et qui habitatis Jerusalem universi,
hoc vobis notum sit, et auribus percipite verba mea. 15. Non enim sicut vos æstimatis,
hi ebrii sunt, cum sit hora diei tertia; 16. sed hoc est, quod dictum est per prophetam
Joel : 17. Et erit in novissimis diebus (dicit Dominus), effundam de Spiritu meo super om-
nem carnem, et prophetabunt filii vestri et filiæ vestræ; et juvenes vestri visiones vide-
bunt, et seniores vestri somnia somniabunt. 18. Et quidem super servos meos, et super
ancillas meas, in diebus illis effundam de Spiritu meo, et prophetabunt; 19. et dabo pro-
digia in cœlo sursum, et signa in terra deorsum, sanguinem, et ignem, et vaporem fumi.
20. Sol convertetur in tenebras, et luna in sanguinem, antequam veniat dies Domini
magnus et manifestus. 21. Et erit : omnis quicumque invocaverit nomen Domini, salvus
erit. 22. Viri Israelitæ, audite verba hæc : Jesum Nazarenum, virum approbatum a Deo
in vobis, virtutibus, et prodigiis, et signis quæ fecit Deus per illum in medio vestri, sicut
et vos scitis : 23. hunc definito consilio et præscientia Dei traditum, per manus iniquorum
affligentes interemistis : 24. Quem Deus suscitavit, solutis doloribus inferni, juxta quod
impossibile erat teneri illum ab eo. 25. David enim dicit in eum : Providebam Dominum
in conspectu meo semper; quoniam a dextris est mihi ne commovear : 26. Propter hoc
lætatum est cor meum, et exultavit lingua mea, insuper et caro mea requiescet in spe :
27. Quoniam non derelinques animam meam in inferno, nec dabis Sanctum tuum videre
corruptionem. 28. Notas mihi fecisti vias vitæ; et replebis me jucunditate cum facie tua
29. Viri fratres, liceat audenter dicere ad vos de patriarcha David, quoniam defunctus est,
et sepultus : et sepulcrum ejus est apud nos usque in hodiernum diem. 30. Propheta igi-
tur cum esset, et sciret quia jurejurando jurasset illi Deus de fructu lumbi ejus sedere

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

Simili modo alii heroes a Deo missi ad Ecclesiæ vel defensionem, vel reformationem, vel illuminationem, ut S. Augustinus, Hieronymus, Basilius, Chrysostomus, Benedictus, Bernardus, Dominicus, Franciscus et similes, sorte, id est gratia Dei, ad hoc electi sunt. Ad hanc tamen gratiam se disposuerunt eamque meriti sunt de congruo sua humilitate profunda, agnoscentes se ad tantum opus plane indignos et ineptos esse, seque ad id destinari sorte et dono Dei (quod sonat nomen Matthias, ut dixi). Quocirca S. Franciscus a multis rogatus, quid haberet gratiæ aut boni, ob quod a Deo ad tantum sanctitatis et auctoritatis fastigium esset exaltatus, ut totum mundum ad se suique amorem et venerationem traheret : Tu enim, inquiebant, non es nobilis, non dives, non doctus, non eloquens, non speciosus ; qui ergo totus mundus post te currit? Respondit : Idcirco Deus me ad hoc elegit, quia nil habeo in quo gloriari possim, ut ostendat hoc opus non esse hominis, sed Dei.

Hanc ejus humilitatem imitemur eique ingentem zelum gloriæ Dei propagandæ jungamus, et Deus per nos magna efficiet. Ita David tantus factus est Propheta et Psaltes, quia sensit et dixit : « In manibus tuis sortes meæ, » *Psal.* xxx, 16. Ita de Sanctis in hac vita spretis et humiliatis, sed in die judicii exaltatis et glorificatis admirabundi dicent impii : « Hi sunt quos aliquando habuimus in derisum et in similitudinem improperii. Nos insensati vitam illorum æstimabamus insaniam, et finem illorum sine honore. Ecce quomodo computati sunt inter Filios Dei et inter Sanctos sors illorum est, » *Sapient.* v, 3. Unde sero pœnitentes gementesque subjungunt : « Ergo erravimus a via veritatis, » etc. Merito errastis, quia dixistis : « Coronemus nos rosis antequam marcescant, nullum pratum sit quod non pertranseat luxuria nostra, » etc. « Hæc est pars nostra, et hæc est sors. Opprimamus pauperem justum, » etc., *Sapient.* II, 9. Ex adverso, « Felix est sterilis, et in coinquinata, etc., et spado, qui non operatus est per manus suas iniquitatem, nec cogitavit adversus Deum nequissima. Dabitur enim illi fidei donum electum, et sors in templo Dei acceptissima, » *Sapient.* III, 13. Quocirca monet Ecclesiasticus, XVII, 24 : « Cognosce, inquit, justitias et judicia Dei, et sta in sorte propositionis et orationis altissimi Dei. In partes vade sæculi sancti cum vivis et dantibus confessionem Deo. » *q. d.* Sta et constanter persevera in sorte tibi proposita, hoc est, in vocatione tua, tum novæ vitæ, tum certi status sancti. Similiter persiste in sorte orationis, ut scilicet crebro Deum ores gratiamque impetres, qua digne vocatione tua vivas. Hæc enim est utilissima oratio, si jugiter in rebus omnibus ores : Domine dirige me ea sorte, eo statu, illis viis quibus me prævides sancte victurum, et inoffenso pede recta ad cœlum sortemque Beatorum perventurum. « In partes vade, » *q. d.* Per bona opera profice, ut pars sæculi sancti, id est futura gloria cœlestis tibi obtingat, adeoque illam hic inchoa Deum laudando ore et opere, cum justis qui adhuc vivunt et dant laudem Deo. In cœlis enim perpetua erit laus Dei.

ET ANNUMERATUS EST. — Græce, συγκατεψηφίσθη, id est *communibus calculis cooptatus est, q. d.* Omnes sortem divinam, ac per eam electionem Matthiæ consona voce laudarunt et comprobarunt. Vatablus vertit, *suffragiis additus est ad numerum undecim Apostolorum* ; Pagninus, *suffragiis additus est undecim Apostolis.* Unde non recte colligas Matthiæ sortem fuisse suffragia, sed sorte addita fuisse suffragia. Triplici ergo calculo electus est Matthias, *primo* sortis, *secundo* Dei signique divini, *tertio* Apostolorum sortem Deique calculum collaudantium. Tripliciter electus Matthias.

Adde, συγκατεψηφίσθη per catachresin transferri ad quamlibet electionem, idemque significare quod eligi, accenseri, annumerari, ut vertit Noster, sive id fiat suffragiis, sive sorte, sive alia ratione.

Vidi et veneratus sum Treviris reliquias S. Matthiæ in ecclesia cathedrali, cui hi tituli assignantur, quos recenset S. Antoninus loco jam citato : « Fuit in lege Domini doctissimus, corpore mundus, animo prudens, in solvendis quæstionibus S. Scripturæ acutus, in consilio providus, in sermocinatione expeditus, multorum signorum patrator, extensis in cœlum manibus martyr spiritum Dei reddidit. » Tria axiomata S. Matthiæ recenset Clemens Alexandrinus. *Primum*, lib. II *Strom.* : « Oportet admirari præsentia, » nimirum ut admiremur opera Dei visibilia, et ex illis ad invisibilia ascendamus admirantes et contemplantes in eis Dei majestatem, potentiam, sapientiam, bonitatem. *Secundum*, lib. III : « Si electo vicinus peccavit, peccavit electus. Nam si se ita gessisset ut jubet verbum vel ratio, ejus vitam ita vicinus esset reveritus, ut non peccasset. » Ita S. Bernardini adhuc juvenis sanctitatem ejus coævi reverebantur, ut eo præsente omnes ad modestiam se componerent dicerentque : Tacete, Bernardinus adest. *Tertium*, lib. VII, quod et citat Eusebius, lib. III *Hist.*, cap. XXIX : « Adversus carnem pugnandum, et in nullo prorsus voluptati ejus ac libidini concedendum ; animam vero alendam sapientiæ pastibus, et scientiæ cibis in majus semper augendam. » Tria axiomata S. Matthiæ.

# CAPUT SECUND

## SYNOPSIS CAPITIS.

*Tria hic agit Lucas. Primo, a vers. 1 ad 14 describit Spiritus Sancti adventum in Pentecoste, sub specie venti validi et linguarum ignearum. Secundo, a vers. 14 ad 42, enarrat primam concionem S. Petri, qua convertit tria hominum millia. Tertio, a vers. 42 usque ad finem, describit continuas orationes, synaxes, charitatem et mores sanctos primorum Christianorum.*

1. Et cum complerentur dies Pentecostes, erant omnes pariter in eodem loco; 2. et factus
est repente de cœlo sonus, tanquam advenientis spiritus vehementis, et replevit totam
domum ubi erant sedentes. 3. Et apparuerunt illis dispertitæ linguæ tanquam ignis, sedit-
que supra singulos eorum; 4. et repleti sunt omnes Spiritu Sancto, et cœperunt loqui
variis linguis, prout Spiritus Sanctus dabat eloqui illis. 5. Erant autem in Jerusalem habi-
tantes Judæi, viri religiosi ex omni natione quæ sub cœlo est. 6. Facta autem hac voce
convenit multitudo, et mente confusa est, quoniam audiebat unusquisque lingua sua illos
loquentes. 7. Stupebant autem omnes et mirabantur, dicentes : Nonne ecce omnes isti qui
loquuntur, Galilæi sunt? 8. Et quomodo nos audivimus unusquisque linguam nostram in
qua nati sumus? 9. Parthi, et Medi, et Ælamitæ, et qui habitant Mesopotamiam, Ju-
dæam et Cappadociam, Pontum et Asiam, Phrygiam et Pamphyliam, Ægyptum et par-
tes Libyæ, quæ est circa Cyrenem, et advenæ Romani. 11. Judæi quoque et Proselyti,
Cretes, et Arabes : audivimus eos loquentes nostris linguis magnalia Dei. 12. Stupebant
autem omnes, et mirabantur ad invicem dicentes : Quidnam vult hoc esse? 13. Alii autem
irridentes dicebant : Quia musto pleni sunt isti. 14. Stans autem Petrus cum undecim,
levavit vocem suam et locutus est eis : Viri Judæi, et qui habitatis Jerusalem universi,
hoc vobis notum sit, et auribus percipite verba mea. 15. Non enim sicut vos æstimatis,
hi ebrii sunt, cum sit hora diei tertia; 16. sed hoc est, quod dictum est per prophetam
Joel : 17. Et erit in novissimis diebus (dicit Dominus), effundam de Spiritu meo super om-
nem carnem, et prophetabunt filii vestri et filiæ vestræ; et juvenes vestri visiones vide-
bunt, et seniores vestri somnia somniabunt. 18. Et quidem super servos meos, et super
ancillas meas, in diebus illis effundam de Spiritu meo, et prophetabunt; 19. et dabo pro-
digia in cœlo sursum, et signa in terra deorsum, sanguinem, et ignem, et vaporem fumi.
20. Sol convertetur in tenebras, et luna in sanguinem, antequam veniat dies Domini
magnus et manifestus. 21. Et erit : omnis quicumque invocaverit nomen Domini, salvus
erit. 22. Viri Israelitæ, audite verba hæc : Jesum Nazarenum, virum approbatum a Deo
in vobis, virtutibus, et prodigiis, et signis quæ fecit Deus per illum in medio vestri, sicut
et vos scitis : 23. hunc definito consilio et præscientia Dei traditum, per manus iniquorum
affligentes interemistis : 24. Quem Deus suscitavit, solutis doloribus inferni, juxta quod
impossibile erat teneri illum ab eo. 25. David enim dicit in eum : Providebam Dominum
in conspectu meo semper; quoniam a dextris est mihi ne commovear : 26. Propter hoc
lætatum est cor meum, et exultavit lingua mea, insuper et caro mea requiescet in spe :
27. Quoniam non derelinques animam meam in inferno, nec dabis Sanctum tuum videre
corruptionem. 28. Notas mihi fecisti vias vitæ; et replebis me jucunditate cum facie tua
29. Viri fratres, liceat audenter dicere ad vos de patriarcha David, quoniam defunctus est,
et sepultus : et sepulcrum ejus est apud nos usque in hodiernum diem. 30. Propheta igi-
tur cum esset, et sciret quia jurejurando jurasset illi Deus de fructu lumbi ejus sedere

super sedem ejus. 31. Providens locutus est de resurrectione Christi, quia neque derelictus
est in inferno, neque caro ejus vidit corruptionem. 32. Hunc Jesum resuscitavit Deus,
cujus omnes nos testes sumus. 33. Dextera igitur Dei exaltatus, et promissione Spiritus
Sancti accepta a Patre, effudit hunc, quem vos videtis et auditis. 34. Non enim David
ascendit in cœlum, dixit autem ipse : Dixit Dominus Domino meo : Sede a dextris meis,
35. donec ponam inimicos tuos scabellum pedum tuorum. 36. Certissime sciat ergo omnis
domus Israel, quia et Dominum eum, et Christum fecit Deus, hunc Jesum quem vos cru-
cifixistis. 37. His autem auditis, compuncti sunt corde, et dixerunt ad Petrum et ad reli-
quos Apostolos : Quid faciemus, viri fratres? 38. Petrus vero ad illos : Pœnitentiam
(inquit) agite, et baptizetur unusquisque vestrum in nomine Jesu Christi, in remissionem
peccatorum vestrorum; et accipietis donum Spiritus Sancti. 39. Vobis enim est repromissio
et filiis vestris, et omnibus qui longe sunt, quoscumque advocaverit Dominus Deus noster.
40. Aliis etiam verbis plurimis testificatus est, et exhortabatur eos, dicens : Salvamini a
generatione ista prava. 41. Qui ergo receperunt sermonem ejus, baptizati sunt; et appo-
sitæ sunt in die illa animæ circiter tria millia. 42. Erant autem perseverantes in doctrina
Apostolorum, et communicatione fractionis panis et orationibus. 43. Fiebat autem omni
animæ timor, multa quoque prodigia et signa per Apostolos in Jerusalem fiebant, et metus
erat magnus in universis. 44. Omnes etiam qui credebant erant pariter, et habebant omnia
communia. 45. Possessiones et substantias vendebant, et dividebant illa omnibus prout
cuique opus erat. 46. Quotidie quoque perdurantes unanimiter in templo, et frangentes
circa domos panem, sumebant cibum cum exultatione et simplicitate cordis, 47. collau-
dantes Deum, et habentes gratiam ad omnem plebem. Dominus autem augebat qui salvi
fierent quotidie in idipsum.

Vers. 1. Pentecoste sumitur dupliciter.

1. ET CUM COMPLERENTUR DIES PENTECOSTES, — puta dies quinquaginta a Paschate, ita ut jam adesset dies quinquagesima; Pentecoste enim Græce significat tam dies 50 prævios, quam ipsam diem quinquagesimam, quæ erat festum Pentecostes. Latinus ergo Interpres Pentecosten sumit priori modo, Græcus vero textus posteriori. Sic enim habet, ἐν τῷ συμπληροῦσθαι τὴν ἡμέραν τῆς Πεντηκοστῆς, *in impleri*, hoc est, *dum impleretur dies Pentecostes*, id est dum advenisset dies quinquagesima a Paschate et resurrectione Christi. Pentecoste enim unica duntaxat die, puta quinquagesima, celebrabatur; cum ex adverso Pascha, uti et Scenopegia, per septem dies continuos celebraretur, ut docet Philo, lib. *De Decalogo*, et liquet ex *Levit.* XXIII, 15. Hinc sequitur, vocem *compleri* ex phrasi Hebræa sumi hic in actu inchoato, non perfecto. Die enim quinquagesima inchoata, puta mane, venit Spiritus Sanctus, non vero in vespera et fine diei. Simile est *Luc.* II, 22 : « Postquam impleti sunt dies purgationis ejus, » hoc est postquam impleri cœperunt, cum scilicet advenisset et illuxisset dies quadragesimus a partu Deiparæ. Et *Jerem.* XXV, 12 : « Cum impleti fuerint septuaginta anni. » Nam, ut ex Josepho et Chronologis liquet, laxata est captivitas Babylonica anno septuagesimo ineunte, non finiente.

Nota *primo* : Judæis indictum erat a Deo festum Pentecostes duplici de causa. Prior fuit in memoriam datæ illo die legis per Mosen in Sina. *Exod.* XIX, 1. Posterior, in gratiarum actionem pro novis illius anni frugibus, quas tum metere incipiebant : unde earum primitias, puta duos panes ex frugibus illius anni pistos, Deo offerebant in Pentecoste. Hæc fuerunt typus et umbra Christianæ Pentecostes, in qua promulgata est lex nova a S. Petro et Apostolis per Spiritum Sanctum apparentem in linguis igneis : unde in ea pariter primitiæ fidei, puta tria millia animarum oblata et dicata sunt Christo. Præclare S. Chrysostomus, homil. 2 *De Pentecoste*, in fine tom. III : « Quæ igitur lex, inquit, quam hodie e cœlo datam discis? Spiritus gratia. Quæ rationales tuæ tabulæ, in quibus hæc lex insculpitur? anima et corpus. Quæ tua spiritualis circumcisio? omnis malæ concupiscentiæ excisio, et ab ea aversio. Quod tuum altare? mens tua spiritualis. Quod spirituale tuum sacrificium? omnis bona operatio. Quis alteris tui ignis? compunctionis calor. Quod templum tuum a Deo conditum? mundum cor, in quo Deus habitare amat. »

Nota *secundo* : Prima Christianorum Pentecoste incidit in diem Dominicum : in Dominica enim descendit Spiritus Sanctus, æque ac Christus resurrexit. Numera enim a Dominica resurrectionis dies quinquaginta, et reperies quod Dominica septima sit dies quinquagesima, id est Pentecoste. Unde sequitur, primam Pentecosten Christianorum, quam hic describit Lucas, fuisse diversam et distinctam a Pentecoste Judæorum. Illi enim



eam celebrarant in sabbato immediate præcedente, Apostoli vero eam celebrarunt in Dominica subsequente : ut significaretur legem novam veteri succedere, veteremque in novam desinere, illique, quasi peracto cursu suo, lampada tradere. Cum ergo ait Lucas : « Dum complerentur dies Pentecostes, » Pentecosten Christianam, non Judaicam intellige. Sicut enim Christiani differunt a Judæis in celebrando Paschate, ita et consequenter in Pentecoste. Judæi enim Pascha celebrabant 15 die primi mensis, quæcumque ea sit, indeque dies quinquagesima est eorum Pentecoste, sive ea incidat in feriam primam, sive secundam, sive quam aliam. Christiani vero Pascha celebrant in Dominica, quæ proxime sequitur decimam quintam lunam, sive diem primi mensis, sive æquinoctii verni, idque in honorem resurrectionis Christi, qui in Dominica resurrexit : atque exinde numerando 50 dies, consequenter Pentecosten celebrant in Dominica; quia in illa pariter descendit Spiritus Sanctus, qui per Apostolos legem novam promulgavit in Sion. Et hoc enarrat hic Lucas : est enim ipse Historicus primitivæ Ecclesiæ, qui ejus infantiam, progressum, festa, religionem, etc., ordine prosequitur. Unde Evangelio suo hæc Acta subnectere se scribit cap. I, 1, quasi continuationem Historiæ Christi et Ecclesiæ. Sicut ergo finit Evangelium in primo Paschate Christiano, puta in resurrectione Christi, ita ab illa mox hic in Actis numerat primam Pentecosten Christianam, non Judaicam, in qua per Spiritum Sanctum facta est promulgatio legis novæ : præsertim, quia ipse hæc scripsit 28 annis post Christi ascensionem in cœlum, uti dixi in Proœmio, quo tempore abolita erat Pentecoste Judaica, et ubique apud Christianos celebris erat Pentecoste Christiana, cujus originem ipse hic describit. Christiani enim audientes nomen Pentecostes, non Judaicam, sed suam, puta Christianam, concipiebant et intelligebant. Quare sicut cap. I, 3, numeravit quadraginta dies a Christi resurrectione usque ad ejus ascensionem, ita hic ab eadem numerat 50 dies usque ad Pentecosten Christianam, in qua descendit Spiritus Sanctus. Ita Franciscus Suarez, III *part.*, *Quæst.* LIII, disp. XLVI, sect. 1; Vatablus et alii. Pluribus idipsum confirmavi *Levit.* XXIII, 15.

Moraliter : Notat R. Moses, filius Maymon, in *Resolutione dubiorum legis*, lib. III, cap. XLIV, Deum statuisse 50 hosce dies ante suum in Sina ad Mosen et populum adventum, ut per tot dierum moram sui adventus desiderium in eis accenderet : « Sicut, ait, qui exspectat visionem amici quem diligit ex animo, numerat dies donec videat ipsum. » Unde tradunt aliqui Judæos a Paschate quotidie convenire solitos in Synagoga, ibique post preces et benedictionem numerare et proclamare solitos : Hic est primus dies, hic secundus, hic tertius, etc., usque ad Pentecosten. Ita numerabant Apostoli et primi fideles singulos dies ab ascensu Christi, avide exspectantes Pentecosten et Spiritum Sanctum. Idem faciant Christiani. Quid enim optabilius adventu Spiritus Sancti, qui sicut primitus in Apostolos cum donorum suorum plenitudine descendit in Pentecoste, ita in eadem quotannis descendit in fideles, qui ad ejus adventum se digne præparant et aspirant. Est enim Pentecoste festum proprium Spiritus Sancti ejusque jubileum. Sicut enim annus quinquagesimus erat jubileum, in quo servi fiebant liberi, omnesque redibant ad avitas hæreditates, etiamsi millies fuissent divenditæ, ita per Spiritum Sanctum redimus ad gratiam et amicitiam angelorum, ad libertatem gloriæ filiorum Dei, ad hæreditatem et regnum cœleste.

Quocirca Græci negantes Spiritum Sanctum procedere a Patre et Filio, sed a solo Patre, cum de hoc errore sæpius, ac ultimo in Concilio Florentino a Latinis reprehensi fuissent, persiterunt tamen in illo. Unde in Concilio Florentino prædixit eis Nicolaus V Pontifex per litteras, fore ut triennio exacto in Turcarum potestatem venirent : quod ita plane evenisse testatur Gennadius, ipsorum Patriarcha, in eo libro quem contra Græcorum errorem scripsit. Idem multo prius prædixerat illis S. Brigida, ut notavit Thomas Bozius in *Signis Ecclesiæ*, signo 99. Et ne quis dubitaret eos ob blasphemiam in Spiritum Sanctum hac pœna mulctatos, capta est Constantinopolis a Turcis, occisus Constantinus, ultimus Græcorum Imperator, et deletum penitus Orientale Imperium die tertia Pentecostes, anno Christi 1453. Juste Turcis Deum unum confitentibus et trinum negantibus, ideoque Spiritum Sanctum respuentibus, traditi sunt Græci, qui Latinis SS. Trinitatem et Spiritus Sancti divinam ex Patre et Filio processionem confitentibus consentire et subdere se noluerunt. Juste durum Turcarum jugum subeunt, qui suave Ecclesiæ Romanæ jugum excusserunt. Juste Turcis quasi mancipia serviunt, qui ad Turcarum errorem accesserunt, quique fraternam unionem et germanitatem cum Ecclesia Latina per immane odium et schisma sciderunt. Implicite enim tollunt e medio Spiritum Sanctum. Si enim Spiritus Sanctus non procedit a Filio, ergo ab eo non distinguitur, sed est ipse Filius. In divinis enim non est personarum distinctio, nisi per processionem : ex hac enim oritur relationum oppositio, et ex ea personarum distinctio.

Constantinopolis capta a Turcis in Pentecoste. Cur?

ERANT OMNES. — Christiani numero 120, de quibus cap. præced. a vers. 15 hucusque egit agitque Lucas. Ita S. Chrysostomus et S. Cyprianus, serm. *De Spiritu Sancto*; imo Joel, quem S. Petrus citat vers. 17. Quare inepte et imperite Beza restringit ad solos Apostolos hunc Spiritus Sancti adventum, ac ab eo excludit B. Virginem, rideique pictores, qui eam pingunt in medio Apostolorum recipientem Spiritum Sanctum. Notat S. Augustinus, serm. 116 *De Temp.*, Spiritum Sanc-

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ® DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

tum a Christo promissum duodecim Apostolis, datum vere numero decuplato : decies enim duodecim faciunt centum viginti. Ea est fidelitas, imo liberalitas Christi, docens nos pauca promittere, sed decuplo plura præstare.

PARITER. — Græce ὁμοθυμαδόν, id est *unanimiter*. Unanimis enim concordia, consensio et oratio elicuit ad se Spiritum Sanctum, qui est amor increatus, ideoque amator concordiæ.

IN EODEM LOCO. — cœnaculi, de quo dixi cap. I, vers. 13.

2. ET FACTUS EST REPENTE DE COELO SONUS. — Hic sonus symbolum erat sonitus Evangelii toto orbe ab Apostolis recepto Spiritu Sancto prædicandi, juxta illud *Psal.* XVIII : « In omnem terram exivit sonus eorum, » cœlorum scilicet, non tam materialium, quam spiritualium, puta Apostolorum, « et in fines orbis terræ verba eorum. »

Ad litteram, hic sonus excitabat tum animos fidelium ad devote excipiendum Spiritum Sanctum adventantem, tum Judæos per orbem sparsos, ut ejus fragore exciti accurrerent ad cœnaculum Apostolorum : in illud enim sonus hic ferebatur illique incumbebat, perinde ac tonitru et fulmen certum locum domumque ferit.

REPENTE. — Duplici de causa. Prior est, ut ostenderet Spiritus Sanctus hanc sui plenitudinem suaque dona, præsertim linguarum, aliaque gratis, sine fidelium merito aut dispositione sufficienti, ex mera ejus liberalitate ipsis infundi. Posterior, ut declararet suam celeritatem, vim et efficaciam, qua repente homines terrenos in cœlestes transmutat : perinde ac S. Paulum repente ex persecutore fecit Apostolum, Magdalenam ex peccatrice pœnitentem et sanctam. « Nescit enim tarda molimina Spiritus Sancti gratia, » ait S. Ambrosius, in cap. I *Evang. S. Lucæ*. Sic in Samsonem, quoties patraturus erat opus heroicæ et supernaturalis fortitudinis, dicitur irruisse Spiritus Domini, quasi eum ad id præparans, excitans, elevans et corroborans.

Præclare S. Gregorius, hom. 30 in *Evang.* : « O qualis, inquit, est artifex iste Spiritus ! nulla ad discendum mora agitur in omne quod voluerit. Mox enim ut tetigerit mentem, docet, solumque tetigisse, docuisse est. Nam humanum subito ut illustrat, immutat affectum : abnegat hoc repente quod erat, exhibet repente quod non erat. Pensemus sanctos Prædicatores nostros, quales hodierna die reperit, quales fecit ! » Et paulo ante : « Ecce gaudet Petrus in verberibus, qui ante in verbis timebat, et qui prius ancillæ vocem requisitus timuit, post adventum Spiritus Sancti vires principum cæsus premit. »

DE COELO. — *Primo*, quia in cœlo est thronus gloriæ Dei et Spiritus Sancti. *Secundo*, ut significaret se Apostolos et fideles ad cœlum vocare et evehere eosque facere cœlestes, ut ipsi cæteros homines pariter ad cœlum vocent et deducant. Audi S. Chrysostomum, serm. 1 *De Pentecoste*, in fine tomi III : « Hodie, ait, nobis terra facta est cœlum, non stellis de cœlo in terram descendentibus, sed Apostolis ad cœlos ascendentibus ; quia effusa est copiosa gratia Spiritus Sancti, et universum orbem operata est cœlum, non immutans naturam, sed voluntatem emendans. Invenit namque publicanum, et Evangelistam effecit ; invenit persecutorem, et Apostolum reddidit ; invenit latronem, et in paradisum induxit ; invenit meretricem, et virginibus coæquavit ; invenit magos, et Evangelistas ostendit ; fugavit malitiam, et induxit benignitatem ; exterminavit servitutem, et induxit libertatem ; concessit debitum, et intulit gratiam Dei. Ideo cœlum factum est terra, et hoc sæpius dicens non cessabo. Quæ enim tales stellæ sicut Apostoli ? Stellæ in cœlo, Apostoli super cœlos. Quæ sursum sunt (inquit Apostolus), sapite, ubi Christus est in dextera Patris sedens. Stellæ de igne insensibili, Apostoli de igne intelligibili. Stellæ in nocte lucent, in die obscurantur : Apostoli in die et in nocte suis radiis, hoc est virtutibus, effulgent. Stellæ orto sole obscurantur, Apostoli sole justitiæ resplendente sua claritate lucescunt. Stellæ in resurrectione cadent sicut folia. Apostoli in resurrectione rapientur in aera in nubibus. Et in illis quidem sideribus alius Antifer, alius Lucifer appellatur : in Apostolis autem nullus Antifer est, omnes Luciferi, et ideo stellis majores Apostoli. » Et paulo post : « Vinitores erant, et illis absentibus corpore, vinea floresoit et botros affert. Etenim vinitores erant et piscatores, et turres, et columnæ, et medici, et duces, et doctores, et portus, et gubernatores, et pastores, et athletæ, et pugnatores, et coronas gestantes. Columnæ quidem, quoniam virtute sua Ecclesiæ robur sunt ; fundamentum autem, quia in confessione ipsorum fundata est Ecclesia, dicente Domino : Tu es Petrus, et super hanc petram fundabo Ecclesiam meam. Portus autem, quia tempestates impias represserunt. Gubernatores, quoniam orbem terrarum viam rectam docuerunt. Pastores, quoniam lupos abegerunt, et oves conservaverunt. Aratores, quoniam spinas eradicaverunt. Vinitores, quoniam labruscas eradicaverunt, et semina pietatis plantaverunt. Medici, quoniam vulnera nostra curaverunt. Et ut discas me non incassum hæc dixisse, adducam Paulum in medium hæc omnia facientem. Vis eum plantatorem videre ? audi : Ego plantavi, Apollo rigavit, sed Deus incrementum dedit. Vis eum structorem videre ? Sicut sapiens, inquit, architectus fundamentum posui. Vis eum dimicantem videre ? Sic pugno, non ut aerem cædens. Vis eum videre cursorem ? Ab Hierosolyma et in circuitu usque ad Illyricum, et inde ad Hispanias et in ultimas partes repletum est Evangelium Christi. Vis eum videre athletam ? Non est nobis colluctatio adversus carnem et sanguinem. Vis eum videre ducem ? Assumite arma Dei, et induite loricam

*Apostoli sunt stellæ.*

*Elogia Apostolorum.*



fidei, et galeam salutis et gladium Spiritus Sancti. Vis eum videre certantem ? Certamen bonum certavi, fidem servavi. Vis videre coronatum ? De cætero reposita est mihi corona justitiæ. Et cum esset unus, omnia faciebat, Dominum suum imitans. Etenim cum sit divinitas unius substantiæ, et immutabilis, pro nostra salute omnibus omnia fit. » Idem, *hom.* 2 : « Spiritus Sanctus, inquit, nostræ imaginis est reformatio, mentis perfectio spiritalis, mentalium oculorum nostrorum sol, interni nostri hominis lumen, Lucifer in pectoris cœlo, » etc. « Spiritus Sanctus est copula unionis nostræ in Christo, animarum exultatio, cordis tripudium, ignis, fons torrulentus. Spiritus Sanctus lugentium consolatio, mœstudinis depositio, mentis requies, sapientiæ communicatio, prudentiæ inventio, præscientiæ illustratio. Hoc Prophetæ illustrantur, Reges inunguntur, Sacerdotes ordinantur, Doctores declarantur, Ecclesiæ sanctificantur, altaria fundantur, unguentum consecratur, aquæ purgantur, dæmones abiguntur, morbi curantur. » Et mox : « Ostendit animæ intrinsecus quasi in speculo, cum ineffabili gaudio futurum æternum gaudium, adhortaturque eam, et dicit : Veni ad Patrem, veni ad supernam patriam, veni ad supernum regnum, veni ad incorruptibilem sponsi thalamum, » etc.

Ex dictis liquet quam insana fuerit arrogantia et hæresis Manichæi, qui docebat Spiritum Sanctum non per Apostolos, sed per Manichæum ad nos venisse, ideoque hanc Lucæ historiam Actaque Apostolorum velut conficta respuebat, quem recte confutat S. Augustinus, lib. *De Utilitate credendi*, cap. III, et lib. XIX *Contra Faustum*, cap. XXXI. Ita juxta nomen suum Manes, id est insanus (hoc enim Græce est μανείς : unde mania est insania), insane ; qui proinde impietatis et insaniæ suæ meritas dedit pœnas, cum a rege Persarum vivus excoriatus est, eo quod ejus filium ægrum, quem se sanitati restituturum promiserat, pro vivo mortuum (uti nuper fecit Calvinus) stiterit, teste Socrate, lib. I *Hist.*, cap. XVII, ubi et addit, quod Curbicos, qui se Manem appellavit, se non tantum Apostolum, sed et Paracletum nuncuparit.

TANQUAM ADVENIENTIS SPIRITUS. — Græce πνοῆς, id est *flatus venti*.

VEHEMENTIS. — Græce βιαίας, id est *violenti*. Unde S. Cyprianus, lib. III *Testimon. contra Judæos*, legit, « quasi ferretur flatus vehemens ; » Vatablus, « similis flatui violento qui fertur ; » Pagninus, « tanquam impetu venientis » (hoc enim est τῆς βιαίας), *flatus vehementis*. Hic ergo spiritus non fuit Spiritus Sanctus, sed flatus, sive ventus vehemens, ac proinde cum impetu veniens et quasi irruens in cœnaculum, ut repræsentaret efficaciam, vehementiam et impetum Spiritus Sancti adventantis in Apostolos, quo eos facturus erat efficaces, validos et impetuosos ad invadendum, debellandum et subjugandum totum orbem Christo. « Flatus ille a carnali palea corda purgabat, ignis ille fœnum veteris concupiscentiæ consumebat ; » ait S. Augustinus, serm. 188 *De Temp.*

Nota : Spiritus Sanctus varie in variis figuris, pro varietate operationum et significationum apparuit. Nam *primo*, apparuit in Christi baptismo in specie columbæ, ad significandam innocentiam et fœcunditatem bonorum operum, quæ Christo et baptizatis facienda suggerit. *Secundo*, in transfiguratione apparuit tanquam nubes resplendens ad significandam pluviam doctrinæ, quam tradit, et protectionem quam accipit, suorum fidelium. *Tertio*, in cœnaculo a Christo fuit datus tanquam aspiratio ad significandam spiritualem vitam, quam per Sacramenta nobis confert. Unde et discipulis insufflans Christus dixit : « Accipite Spiritum Sanctum, quorum remiseritis peccata, remittuntur eis, » *Joan.* XX. *Quarto*, in Pentecoste datus est in specie tum ignis, quia instar ignis mentes purificat, illuminat, accendit et ad res cœlestes elevat ; tum spiritus vehementis, ad significandam efficaciam prædicationis Apostolorum, eis inditam a Spiritu Sancto, ita S. Thomas, I *part.*, *Quæst.* XLIII, art. 7 ad 6. Sicut enim validus ventus, turbo et procella, præsertim ecnephias, non tantum sternit segetes, frutices, arbores, sed et domos integras a fundamentis evellit, et in altum rapit alioque transfert ; ita pariter omnem mundi potentiam, sapientiam, eloquentiam, etc., straverunt Apostoli, et a gentilismo in Christi Ecclesiam transtulerunt, juxta illud : « In spiritu vehementi conteres naves Tharsis, » *Psal.* XLVII, 8. Et : « Vox Domini in virtute, vox Domini in magnificentia, *Psal.* XXVIII, 4. Quocirca sonus hic Apostolos et fideles non perculit, nec exanimavit, sed ad amorem, reverentiam et desiderium Spiritus Sancti acuit et excitavit, simulque significavit quales ipsos et cæteros fideles esse oporteret, nimirum vehementes in studio virtutis et salutis, « regnum enim cœlorum vim patitur, et violenti rapiunt illud : » ita Cyrillus, *Catech.* 17. Ex adverso, Eliæ zelanti et indignanti idololatris, optantique eorum necem et excidium, apparuit Spiritus Sanctus in vento et aura, non vehementi, sed leni, ut ejus indignationem et zelum nimium leniret, eique spiritum patientiæ et mansuetudinis inderet, III *Reg.* XIX, 11. Nam ut ait S. Bernardus, serm. 23 in *Cant.* : « Tranquillus Deus tranquillat omnia, et quietum aspicere quiescere est. » Vide septem dotes et commoda ventorum quæ recensui *Daniel.* III, 65, eaque mystice accommoda Spiritui Sancto.

*Spiritus Sanctus est quasi ecnephias.*

Denique multi censent hic realem fuisse ventum, qui cum impetu perflaverit cœnaculum Apostolorum : sicut realis fuit sonus a vento perstrepente, ut videtur, productus. Alii tamen censent realem fuisse sonum, sed non ventum, tum quia Lucas ait : « Tanquam advenientis spi-

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ® DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

ritus : » vox enim *tanquam*, significat spiritus, id est venti, non essentiam, sed similitudinem, *q. d.* Auditus est sonus et fragor ingens, qualis excitari solet a vento valido ingruente ; esto hic non esset talis ventus. Deus enim fragorem et sonum, quem causare solet ventus, sine vento producere potest : quin et homines certa arte et collisione corporum similem sonum repræsentant, perinde ac nonnulli vocem philomelæ aliarumque avium et bestiarum ita imitantur, ut a voce ipsarum avium discerni nequeant. Tum quia si realis fuisset ventus, ejus vehementia læsisset et stravisset Apostolos, humique affixisset ; tum denique quia pariter linguæ igneæ non fuerunt reales et propriæ, sed earum species et similitudo duntaxat, uti mox dicam.

Moraliter S. Chrysostomus, hom. *De Spiritu Sancto*, in fine tom. III : « Da, ait, mihi navim vacuam, gubernatorem, nautas, funes, anchoras, omnia disposita, et nusquam esse spiritum venti, nonne tardat omnis quantuscumque est apparatus, si desit operatio spiritus ? Ita fieri solet, licet sit ampla sermonis supellex, et mens profunda, et eloquentia, et intelligentia, si non adsit Spiritus qui vim suppeditat, otiosa sunt omnia. »

Et replevit (sonus venti, non ventus, ut jam dixi) totam domum. — Ut significaret incolas domus replendos Spiritu Sancto. Unde symbolum hoc explicans subdit, vers 4 : « Et repleti sunt omnes Spiritu Sancto. » Per domum ex phrasi Hebræa intellige cœnaculum : in eo enim erant sedentes Apostoli et fideles ; qui enim extra illud erant, non receperunt Spiritum Sanctum. Unde S. Cyprianus, lib. III *Testim.*, cap. III, legit : « Et implevit totum illum locum (1). »

Ubi erant sedentes. — Vel proprie, uti censet Cajetanus. Sessio enim quietis et collectæ mentis (quæ optima ad recipiendum Spiritum Sanctum est dispositio) est symbolum. Unde in vita S. Bernardi legimus eum fere sedendo contemplationi vacasse. Hinc illud Philosophi : « Anima sedendo fit sapiens. » Vel « sedentes, » id est degentes et commorantes, hoc enim significat Hebr. ישב *iascab*, id est *sedere*. Credibile enim est fideles orationi vacasse et invocasse Spiritum Sanctum, cum ipse in eos advenit : ac proinde vel genibus nixos, vel stantes more Judæorum id ipsum fecisse, juxta id quod canit Ecclesia in festo Pentecostes : « Orantibus Apostolis Deum venisse nuntiat. »

3. Et apparuerunt illis dispertitæ linguæ. — « Dispertitæ, » id est distributæ per singulos, ita ut quisque suam haberet partialem linguam capiti suo insidentem, licet integram et indivisam, uti communiter pictores eos depingunt. Multi tamen probabiliter censent linguas singulas proprie fuisse dispertitas, id est *dissectas*, ut vertit Tigurina (hoc enim significat Græcum διαμεριζόμεναι), ita ut sectili forma apparuerint, quam ita possumus concipere, ut imaginemur singulis incubuisse plures partiales linguas, quæ tamen inferne in unam quasi radicem coalescerent, ita ut inferne videretur esse una totalis lingua, de qua dicitur : « Seditque supra singulos eorum, » quæ exurgens in plures linguas quasi culmos et calamos, sese dispertiret et divideret. Unde Ecclesia in missa Pentecostes, infra Actionem, dicit linguas hasce fuisse innumeras. Ignis enim, cujus speciem habebant hæ linguæ, ob suam agilitatem et volubilitatem in varias partes quasi linguas facile se dividit et dispertit. Ratio est, quia hæ linguæ significabant Spiritum Sanctum incumbentem Apostolis, eisque indentem omnium linguarum tot gentium, ad quas ituri erant, cognitionem : multæ ergo linguæ multiplices gentium linguas (quas Apostolis indebat Spiritus Sanctus) repræsentabant. Addit S. Cyprianus, serm. *De Spiritu Sancto*, hac multiplicitate linguarum significari multiplicitatem donorum, quam cuique communicabat Spiritus Sanctus, juxta illud 1 *Corinth.* XII, 4 : « Divisiones gratiarum sunt, idem autem Spiritus. »

Simile est quod narrat Diodorus Siculus, lib. II, cap. ult., in insula quadam reperiri homines qui habent dissectam linguam, ita ut simul dupliciter, ideoque cum duobus loqui possint : una enim parte linguæ loqui uni, alia alteri. Verum viri cordati jure id pro fabula habent, præsertim cum nulli Historici classici tanti prodigii meminerint. Porro serpentes, quorum prudentiam imitari nos jubet Christus, *Matth.* x, 16, linguam habent trifidam et trisulcam, eamque ardentem et urentem, ut trilingues esse videantur. Serpens trilinguis.

Nota : Voluit Spiritus Sanctus hoc visibili signo se quasi visibilem exhibere, et visibiliter Apostolis illabi. Causam dat Nazianzenus ejusque interpres Nicetas, *orat.* 44 : « Nam, inquit, cum Filius corpore sensibili et conspicuo nobiscum consuetudinem habuisset, par erat ut Spiritus quoque corporaliter appareret : sicut etiam apparuit primum in forma columbæ, nunc in forma linguarum ignearum. Et cum Christus, etc., ad ea quæ Deo conveniebant, reversus esset, suæque gloriæ restitutus, Spiritum ad nos post Christum descendere oportebat. » Sicut ergo Christus incarnatus est, ut ore proprio doceret nos viam virtutis et salutis, atque eructaret in sinu Patris abscondita a constitutione mundi, ita post Christum quasi incarnatus est Spiritus Sanctus in linguis igneis, ut iis imbueret Apostolos et fideles.

(1) Nonnulli τὸν οἶκον h. l. non de *domo aliqua privata* (cœnaculo), sed de œco seu *conclavi quod in templo fuerit*, intelligendum esse existimant ; tales autem œcos in templo Hierosolymitano fuisse, in quibus et doctores legis de rebus sacris scholas haberent, testis est Josephus, *Antiq.*, VIII, III, 2. Huic tamen sententiæ obstat, primo, quod Apostoli, etsi templum adire iis vetitum non esset, sine concessione peculiari magistratus Judaici œcum *templi* vix occupare potuissent ; tale quid autem concessisse Judæos Christi discipulis sibi exosis, non est credibile ; secundo, quod Lucas mentem suam dilucidius explicuisset, si per τὸν οἶκον œcum *templi* voluisset intelligi.



Linguæ. — Quæres, cur specie linguæ Apostolis insedit Spiritus Sanctus ? Respondeo : *Primo*, quia Apostolos hic constituebat prædicatores Evangelii : prædicationis autem instrumentum est lingua. Per linguas ergo accipiebant donum linguarum. Ubi nota : Donum linguarum complectitur tria : *primo*, ipsam cognitionem vocum variarum ; *secundo*, significationem earumdem ; *tertio*, habituationem potentiarum motivarum et organorum, ad voces diversorum idiomatum recte et prompte formandas, per quam habituationem habebant habitualem facultatem debite componendi, coordinandi et pronuntiandi voces et sententias cujuscumque linguæ. Hæc enim habituatio alia est in lingua Hispanica, alia in Germanica, alia in Gallica. Et in hoc proprie consistit habitus, sive donum habituale linguarum. Adde *quarto*, cum linguis inditam fuisse Apostolis perfectam sapientiam et cognitionem rerum fidei ac sublimium mysteriorum, ad quæ prædicandum destinabantur, idque significabatur per linguas, tum quia linguæ et voces symbola sunt rerum et veritatum eis significatarum, tum quia eædem sunt instrumentum ad eas prædicandum. Si enim Spiritus Sanctus dedit eis instrumentum accessorium, ergo multo magis dedit ipsum principale, quod est motor et fons talis doctrinæ et prædicationis. Hoc autem est clara fides et contemplatio veritatis salutaris ad hominum salutem necessariæ vel convenientis, inquit S. Bernardus, serm. 1 *in Pentecoste.* Insuper acceperunt Apostoli hic prudentiam supernaturalem, qua provide et prudenter omnes suos actus et sermones per tot difficultates, pericula, rerum et personarum diversitates componerent et dirigerent ad suam aliorumque salutem. Denique acceperunt audaciam et zelum cæterasque virtutes et dotes ad tantum munus necessarias, easque in actu perfecto et heroico. Cui enim sol ille divinus fulget, huic facile cuncta refulgent.

*Secunda* causa est, quia, ut ait S. Gregorius, hom. 30 *in Evang.*, habet cognationem maximam lingua cum verbo. Sicut enim verbum mentis producit vocem linguæ, sic a verbo spiratur et producitur Spiritus Sanctus. Ita Nazianzenus, orat. 44 *de Pentecoste*, per linguam censet significari cognationem et vinculum quod est inter Filium et Spiritum Sanctum. Rursum, sicut lingua est ejusdem naturæ cum ore et cæteris membris, ita Spiritus Sanctus est consubstantialis Patri et Filio, ita ut quasi lingua eorum arcana et secreta nobis enuntiet, juxta illud 1 *Cor.* XII, 3 : « Nemo potest dicere, Dominus Jesus, nisi in Spiritu Sancto. » Ita S. Gregorius, hom. 30 *in Evang.*

*Tertio*, sicut lingua discernit sapores et distinguit dulce ab amaro, sapidum ab insipido, ita Spiritus Sanctus mentem illuminans, facit eam distinguere res cœlestes et æternas a terrenis et caducis, ut illas eligamus, has contemnamus. Hac de causa ait Apostolus, 1 *Cor.* IV : « Animalis homo non percipit ea quæ sunt spiritus, » quia scilicet non habet gustum sincerum nec linguam hanc Spiritus Sancti. Linguæ ergo hæ significabant quod Spiritus Sanctus intimos gustus rerum divinarum vimque gustativam ipsarum divinitus Apostolis dabat, ait S. Bernardinus, serm. 1 *de Pentecoste*, cujus sermones pios et eruditos manu ipsius propria scriptos anno Domini 1427 magna cum animi voluptate vidi, legi et deosculatus sum Romæ in illustri Bibliotheca Ducis de Altemps, qui proinde eosdem aureo involucro ornavit.

*Quarto*, quia lingua multum juvat digestionem, nam cum dentibus cibum dividit, masticat et quasi in chilum vertit. Unde Physici docent primam digestionem fieri in ore, secundam in stomacho, ac proinde sanum et perutile esse ut cibus bene prius masticetur in ore, antequam in stomachum trajiciatur. Ita Spiritus Sanctus facit, ut per meditationem quasi linguam ruminemus et masticemus verba Dei, itaque ea in mentem trajiciamus nobisque incorporemus.

*Quinto*, quia lingua est membrum homini vel utilissimum, vel maxime noxium. Nam ut dicitur *Proverb.* XII : « Mors et vita in manu linguæ. » Et S. Jacobus ait, cap. III, 8 : « Linguam nullus hominum domare potest : inquietum malum, plena veneno mortifero. » Quare opus est Spiritu Sancto, qui linguam domet, regat, sanctificet, juxta illud *Prov.* XVI : « Hominis est præparare cor, Domini autem gubernare linguam. » Spiritus Sanctus enim docet pauca loqui cum discretione et multa operari cum fervore, ac jugiter laudare Deum. In hoc enim perfectio vitæ spiritualis consistit.

Viderunt id per umbram Gentiles. Scitum est illud Anacharsis, qui rogatus, « quid esset in homine pessimum et quid optimum ? » respondit : « Lingua. » Hæc enim utilissima est, si recta ratione gubernetur ; pestilentissima vero, si secus. Ita Laertius, lib. I *De Vitis Philosoph.*, cap. IX. Stobæus, *serm.* 34, narrat Theocritum Chium, cum Anaximenes dicturus esset, ita præfatum esse : « Incipit verborum flumen, mentis gutta ; » significans illum esse multiloquum, sed parum sapientem. Demosthenem vero rogatum, « cur homo haberet unam linguam, aures vero duas ? » respondisse : « Quoniam duplo magis audire hominis expedit, quam loqui. » Unde Zeno adolescenti in convivio loquaci dixit : « Aures tibi in linguam defluxerunt, » ut refert Laertius, lib. VII, cap. I.

Tanquam ignis. — Vox *tanquam* videtur significare has linguas non fuisse verum ignem, sed ignis duntaxat habuisse speciem et similitudinem, *primo*, in colore rubeo ; *secundo*, in fulgore ; *tertio*, in volubilitate et motu. Ita Cajetanus. Verum multi probabiliter censent verum fuisse ignem,

... ut verus fuit sonus. Vox enim *tanquam* vel *sicut*, sæpe in Scriptura non similitudinem, sed veritatem significat, ut : « Vidimus gloriam ejus quasi unigeniti, » *Joan.* I, 14. Adde, *tanquam* significare potius multitudinem fuisse in linguis, quam in igne, ut sit hypallage, *q. d.* « Linguæ tanquam ignis, » hoc est ignis tanquam linguæ, aut potius, *q. d.* Linguæ hæ non erant veræ linguæ, humanæ et carneæ (hæ enim fuissent crassæ et indecentes, ac incongruæ ad repræsentandum Spiritum Sanctum, qui subtilissimus est spiritus), sed erant similes igni; quia ignis hic in linguæ specie apparebat et insidebat Apostolis.

Prior sententia uti simplicior, ita germanior videtur, tum quia vox *tanquam* significat fuisse ignis similitudinem, non veritatem; tum quia græce est ὡσεὶ πυρός, id est *tanquam ignis*, in genitivo, *q. d.* Linguæ hæ non erant veræ, sed instar ignis, sive erant linguæ non carneæ, sed ignis speciem referentes, perinde ac si ex igne fuissent effictæ. Sicut ergo non fuerant linguæ carneæ et humanæ, sic nec verus fuit ignis, sed ejus species et similitudo, sicut pictores pingere solent ignem. Hic autem vivacior fuit ignis pictura et specie, quia videbatur ardere, agitari et in altum assurgere instar veri ignis. Tum denique, quia non fuit vera columba, sed ejus duntaxat species, quæ descendit in Christum dum baptizaretur in Jordane, *Matth.* III, 16, uti graviores doctores censent, et significat Matthæus dicens : « Et vidit Spiritum Dei descendentem sicut columbam. » Vox enim « sicut » indicat fuisse columbæ similitudinem. Simile fuit de vento, ut dixi vers. 2; denique si fuisset verus ignis, afflasset et combussisset capillos et capita Apostolorum. Videtur ergo ignis hic similitudinarius fuisse aer aut vapor densior, cui Deus induit lucem roseam et rubeam instar ignis, in linguæ speciem conformatus, ita ut videretur esse lingua ignea, tum quia ignis per se pyramidalis est, sensimque se arctans in conum assurgit, uti facit et lingua; tum quia Deus hunc ignem proprie in linguæ modum efformabat. Fuerunt itaque linguæ πυρός, id est *ignis*, puta flammæ ignis, quæ longe acutiores sunt, quam linguæ nostræ.

Quare plane pyramidales erant et in acumen assurgebant et desinebant, idque quinque de causis. *Prima* est ut significaretur quod Spiritus Sancti ardor mentem acuit et profunda Dei penetrare facit. *Secunda*, in signum quod corda discipulorum subtilissime et acutissime subintrabat et penetrabat. *Tertia*, in signum quod ea faceret suspirare et anhelare ad cœlum et cœlestia. *Quarta*, in signum quod linguis eorum ad penetrandum et inflammandum mentes auditorum miram efficaciam indéret, juxta id quod Christus promiserat *Luc.* XXI : « Ego dabo vobis os et sapientiam, cui non poterunt resistere et contradicere omnes adversarii vestri. » *Quinta*, in signum quod daret eis donum discretionis spirituum, quo penetrarent mentes, affectiones et secreta cordium, ut iis congrue ad salutem loqui, prædicare et consulere possent. Hoc enim donum iis qui animas tractant, ut Confessariis, Concionatoribus, Rectoribus est valde utile et opportunum.

Quæres, cur linguæ hæ fuerint igneæ? Respondeo : *Primo*, quia Deus, ac præsertim Spiritus Sanctus, est amor subtilissimus, efficacissimus, potentissimus, agillimus. Unde ejus symbolum est ignis, juxta illud *Deut.* IV, 24 : « Deus tuus ignis consumens est. » Idipsum per multas analogias ostendi *Levit.* IX, 23. Rursum, sicut lex vetus fuit data in Sina per ignem et cum igne, imo cum fumo, tonitruis et fulguribus, ut dicitur *Exodi* XIX, 16 et 18 : ita multo magis ejus antitypa lex nova danda fuit per ignem. Hic enim ignis repræsentavit has linguas igneas, tonitrua repræsentarunt sonum venti vehementis, fulmina conciones et miracula Apostolorum, fumus contritionem et pœnitentiam Judæorum et Gentium. Causam dat Isidorus Pelusiota, *epist.* 494 : « Ut, inquit, unus Deus in utroque Testamento cognosceretur, quod scilicet idem ipse utriusque esset auctor, ideoque pro jure et arbitrio suo vetus aboleret novumque ei surrogaret. »

*Secundo*, quia sicut Spiritus Sanctus auctoravit Prophetas per ignem, ita multo magis decebat ut auctoraret et Apostolos. De Prophetis liquet : nam Isaiam, cap. VI, 6, creavit Prophetam et sui ævi Apostolum, tangens purgansque labia ejus carbone ignito. Sic de Elia ait Ecclesiasticus, XLVIII, 1, « Surrexit Elias quasi ignis, et verbum ejus quasi facula ardebat; » unde et raptus est in cœlum curru igneo, IV *Reg.* XXI, 11; et Jeremias, *Thren.* cap. I, vers. 13 : « De excelso, inquit, misit ignem in ossibus meis, et erudivit me. » Et Ezechiel quatuor Cherubinos stipatores currus gloriæ Christi ita describit, cap. I, 13 : « Aspectus eorum quasi carbonum ignis ardentium et quasi aspectus lampadarum. » Hi autem typi fuerunt Apostolorum, qui quasi Cherubini, imo Seraphini, currum Ecclesiæ et gloriæ Dei egerunt per totum orbem, dum Dei et Ecclesiæ magnificentiam toto orbe celebrarunt et propagarunt. Quocirca Christus idipsum prædixit dicens, *Luc.* XII, 49 : « Ignem veni mittere in terram, et quid volo nisi ut accendatur? » Hinc et Spiritus Sanctus repræsentatus fuit columna ignis et nubis, quæ præivit et deduxit castra Hebræorum per desertum in terram promissam, uti dixi *Exodi* XIII, 21.

*Tertio*, ut significaret legem Christi, quam mox promulgaturus erat, esse legem ignis, id est charitatis et zeli, juxta illud *Deut.* XXXIII, 2 : « In dextera ejus ignea lex. » Ignis ergo significat incendium amoris, quod Apostolis et fidelibus immisit Spiritus Sanctus.

*Quarto*, ut significaret effectum quem Spiritus Sanctus operaturus erat in animis Apostolorum



cæterorumque fidelium, nimirum quod in eis torporem, timorem, concupiscentias et vitia consumeret et combureret quasi ignis, eosque igneos, id est zelosos, efficaces et agiles ad omne bonum efficeret, sicut ignis ignit ferrum, ait Cyrillus, *Catechesi* 17. « Hic ignis, ait Chrysostomus, *hom.* 4, mundi peccata quasi sylvam exussit. » Et inferius : « Sicut enim igneus homo, si in medias inciderit stipulas, nihil læderetur, sed magis vim exeret suam; ita hic evenit. » Et S. Gregorius, hom. 30 *in Evang.* : « In linguis igneis, ait, apparuit Spiritus, quia omnes quos repleverit, ardentes pariter et loquentes facit. Linguas igneas doctores habent, quia dum Deum amandum prædicant, corda audientium inflammant. Nam et otiosus est sermo doctoris, si præbere non valet incendium amoris. Hoc doctrinæ incendium ab ipso veritatis ore conceperant, qui dicebant : Nonne cor nostrum ardens erat in nobis, cum loqueretur in via et aperiret nobis Scripturas? » Verum est illud Ciceronis de oratore præceptum, lib. II *De Orat.* : « Ardeat orator, si judicem velit accendere. » Oportebat ergo hoc igne ardere Apostolos, ut eo totum orbem frigore torpentem et gelidum inflammarent.

*Quinto*, Cyrillus Hierosolymitanus, *Catechesi* 17 : « Ignis, ait, portendit tribulationem magnam et multiplicem, quam passuri erant Apostoli et fideles; sed superaturi per ignem amoris divini, quem idcirco hic eis indidit Spiritus Sanctus. »

*Sexto*, ignis significat acre examen et lumen quod menti suggerit Spiritus Sanctus. Audi S. Bernardinum, serm. 2 *De Pentecoste* : « Quid, ait, a te quærit, qui tanta sollicitudine te quæsivit, nisi te sollicitum ambulare cum Deo tuo? Hanc sollicitudinem non facit, nisi Spiritus Sanctus, qui scrutatur profunda pectorum nostrorum, discretor cogitationum et intentionum cordis, qui nec minimam paleam intra cordis, quod possidet, habitaculum patitur residere, sed statim igne subtilissimæ circumspectionis exurit. Spiritus dulcis et suavis, qui nostram voluntatem flectat, imo erigat et dirigat magis ad suam, ut eam et veraciter intelligere, et ferventer diligere, et efficaciter implere possimus. »

Denique S. Augustinus, serm. 185 *De Temp.* : « Ipse (Spiritus Sanctus), inquit, Apostolos suos vivæ lucis fonte perfudit, ut ipsi postmodum universum mundum, tanquam duodecim solis radii, ac totidem lampades veritatis illuminent, et inebriati novo vino repleant atque irrigent sitientia corda populorum. » Quocirca idem toto affectu eum invocans in *Medit.* IX : « Jam, inquit, divini amor numinis, Patris omnipotentis prolisque beatissimæ sancta communicatio, omnipotens Paraclete Spiritus, mœrentium consolator clementissime, jam cordis mei penetralibus potenti illabere virtute, et tenebrosa quæque laris neglecti latibula, corusci luminis fulgore pius habitator lætifica, tuique roris abundantia, longo ariditatis marcentia squalore, visitando fœcunda. Saucia interioris hominis arcana tui amoris jaculo, et torpentis medullas jecoris flammis salutaribus penetrando succende, sanctique fervoris igne illustrando intima mentis et corporis universa depasce. Pota me torrente voluptatis tuæ, ut nil jam mundanorum degustare libeat venenatæ dulcedinis. Judica me, Domine, et discerne causam meam de gente non sancta, doce me facere voluntatem tuam, quia Deus meus es tu. Credo ergo, quia quemcumque inhabitaveris, Patris ac pariter Filii domicilium condis. Beatus qui te merebitur hospitari, quoniam per te Pater et Filius apud eum faciunt mansionem. Veni jam, veni, benignissime dolentis animæ consolator, protegens in opportunitatibus, in tribulatione adjutor. Veni, mundator scelerum, curator vulnerum; veni, fortitudo fragilium, relevator labentium; veni, humilium doctor, superborum destructor. »

Viderunt idipsum Gentilium Philosophi. « Stoici enim, ait S. Cyrillus, lib. I *Contra Julian.*, Deum vocant ignem artificialem, via incedentem ad nativitatem mundi. Democritus asserit Deum esse mentem in igne orbicularis speciei, esseque animam mundi. »

SEDITQUE SUPER SINGULOS EORUM. — « Sedit, » id est institit, incubuit : nec enim lingua, vel ignis proprie sedet. Jam *sedit*, non sonus, aut ventus : hic enim non sedebat, sed agitabatur et perflabat totam domum, sed ignis hic linguarum, vel lingua ignea, ac consequenter Spiritus Sanctus, hisce linguis repræsentatus, qui unus erat in omnibus linguis. Unde ait *sedit*, non *sederunt* : tum quia una erat lingua totalis, licet in varias partiales dispertita, quæ singulis insidebant, ut dixi vers. 3; tum quia unus erat Spiritus Sanctus, cujus index erat lingua. Syrus tamen vertit, *et sederunt*, scilicet linguæ igneæ, quæ plures erant in pluribus, imo in eodem, sed partiales, ut dixi. Ita S. Cyprianus, lib. III *Testimon.*, cap. CI : « Et visæ sunt, inquit, illis linguæ divisæ quasi ignis, qui et insedit in unumquemque illorum. » Communiter Patres censent linguas has insedisse capitibus Apostolorum, licet aliqui eas in os eorum se insinuasse censeant. Causam dat Cyrillus Hierosolymitanus, *Catechesi* 17 : « Sedit, inquit, super illos, ut novæ coronæ spirituales per linguas igneas imponantur capiti illorum. *Secundo*, quia in Apostolis quasi in Cherubico throno resedit majestas Spiritus Sancti, ait Nazianzenus, *orat.* 44. *Tertio*, ut eos auctoraret orbis Doctores eosque ostenderet esse cœlestes, ideoque cœlesti sapientia et facundia præditos. Ita Ammonius hic. *Quarto*, ut ostenderet Spiritus Sanctus, inquit Chrysostomus, se in iis eorumque successoribus permansurum usque ad finem mundi, juxta promissum Christi, *Joannis* XIV, 16. *Quinto*, sessio hæc significabat *primo*, tranquillitatem animæ omniumque appetituum; *secundo*, stabilitatem et constantiam

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

mentis, ne prosperis elevarentur et adversis dejicerentur; *tertio*, gravitatem et maturitatem morum, quam eis induebat Spiritus Sanctus. *Sexto*, addit noster Franciscus Turrianus, lib. I *De Hierar. ordinat. Minist.*, cap. II, citans S. Dionysium, *De Eccles. Hierarch.*, et S. Hieronymum, Dial. *contra Lucifer.*; item Ammonius, Damianus et alii, Apostolos hoc symbolo creatos esse Episcopos in Pentecoste, cum prius a Christo in ultima cœna dicente : « Hoc facite in meam commemorationem, » creati essent Presbyteri. Ratio eorum est, quia in Pentecoste, inquiunt, acceperunt Apostoli potestatem dandi Spiritum Sanctum, per impositionem manuum, puta per sacramentum Confirmationis et Ordinis. Verum ad hoc dici potest Apostolos potestatem hanc tunc accepisse in actu secundo, cum eam prius accepissent in actu primo; nam non congruebat eos hac potestate uti in actu secundo, antequam ipsi Spiritus Sancti plenitudinem in Pentecoste recepissent. Tunc enim ipsi in gratia confirmati, cœperunt confirmare et ordinare alios. Quare verius est eos creatos esse Episcopos ab ipso Christo post resurrectionem, cum eis dixit, *Joan.* XX, 21 : « Sicut misit me Pater, et ego mitto vos. » Hisce enim verbis creavit suos Vicarios orbisque Doctores, ac consequenter suum officium et auctoritatem, puta omnem potestatem Ecclesiasticam eis communicavit, ac proinde eos creavit Episcopos, uti ibidem asserunt S. Cyrillus, Chrysostomus, Theophylactus, Rupertus et alii.

Denique aliqui, ut Dionysius Carthusianus, censent Apostolos hic confirmatos esse in gratia per assistentiam et protectionem continuam Spiritus Sancti, quæ eis hic ab illo deputatur et addicitur, ita ut deinceps ab ea excidere, nec mortaliter, sed venialiter duntaxat, peccare possent. Confirmatos enim eos fuisse in gratia docet S. Ambrosius, lib. *De Benedict. Patriarch.*, cap. IV, et passim Scholastici : nec apparet ubi confirmati sint in ea, nisi in Pentecoste; tunc enim Spiritus Sancti plenitudinem acceperunt, perinde ac baptizati, in sacramento Confirmationis dicuntur in gratia baptismo accepta confirmari, roborari et perfici ac repleri Spiritu Sancto, licet non ea plenitudine qua Apostoli. Unde Eusebius Emissenus (vel quisquis est auctor), hom. *De Pentecoste*, asserit in sacramento Confirmationis illud robur Spiritus Sancti conferri, quod collatum est Apostolis in Pentecoste.

4. Et repleti sunt omnes. — Qui antea habebant Spiritum Sanctum, jam ejus plenitudinem acceperunt, ait S. Leo, serm. 3 *De Pentecoste*. Porro non omnes parem acceperunt gratiam, sed alius majorem, alius minorem, quisque scilicet pro suo, tum officio et gradu, tum dispositione, sicut vasa minora et majora replentur vino; sed majus plus recipit capitque quam minus, ob majorem capacitatem. Capacitas autem major ad recipiendum dona majora Spiritus Sancti, est major dispositio et præparatio, major humilitas, majus eorum desiderium, spes, oratio, etc. Præclare S. Augustinus, serm. 185 *De Temp.* : « Quanta, ait, et quam ineffabilis pietas Redemptoris! hominem portavit ad cœlum, et Deum misit ad terras. Quanta est auctori cura pro instauratione facturæ suæ? Ecce iterum nova de supernis medicina mittitur, ecce iterum infirmos suos per seipsam majestas visitare dignatur. Ecce iterum humanis divina miscentur, id est vicarius successor Redemptoris, ut beneficia quæ Salvator inchoavit, peculiari Spiritus Sancti virtute consummet, et quod ille redemit, iste sanctificet; quod ille acquisivit, iste custodiat. »

Ubi nota : S. Augustinus Spiritum Sanctum vocat Vicarium, id est successorem Christi. Spiritus Sanctus enim voluit descendere in mundum, ut imitaretur Verbi, puta Christi, descensum, ejusque cœpta et acta compleret. Quocirca descensus Spiritus Sancti in Apostolos similis fuit descensui Christi in mundum, puta incarnationi. *Primo*, quoad substantiam. Sicut enim Verbi substantia descendit in carnem, sic Spiritus Sanctus substantialiter descendit in Apostolos. *Secundo*, quoad modum. Sicut enim modus incarnationis fuit unio hypostatica, sic hypostasis Spiritus Sancti unita fuit Apostolis modo quodam simili. Unde sicut Verbum in carne fuit quasi ignis in carbone, ideoque illud carboni ignito assimilant S. Cyrillus, Damascenus et alii; ita pariter Spiritus Sanctus fuit quasi ignis incidens Apostolis. Ignis enim quoad splendorem repræsentat Verbum, quod est sapientia, lux et splendor Patris : ignis vero quoad calorem repræsentat Spiritum Sanctum, qui est calor, id est amor Patris et Filii : linguæ vero repræsentant carnem, quæ sunt pars carnis nobilissima, ac connexionem habent cum pulmone et corde, ex quo omnis spiritus, sanguis et vita carnis oritur. *Tertio*, quoad causam. Tam enim descensus Spiritus Sancti quam Christi causa fuit amor immensus et divinus, quo ipse, quasi Deus et summum bonum, cupivit summe benefacere hominibus iisque se summo modo, adeoque substantialiter et personaliter communicare et donare. *Quarto*, quoad proprietates. Sicut enim proprietates humanæ naturæ in Christo attribuuntur Deo et Verbo, et vice versa per communicationem idiomatum, qua Deus dicitur natus, esuriisse, sitiisse, passus, mortuus, crucifixus, quia scilicet humana natura quam assumpsit, nata est, esuriit, passa est, mortua et crucifixa : ac vicissim hic homo dicitur esse Deus, omnipotens, immortalis, æternus, quia scilicet persona Verbi cui juncta est humanitas, est Deus omnipotens, immortalis, æternus : ita pariter est quædam communicatio idiomatum inter Spiritum Sanctum et Apostolos, per quam communicationem Apostoli dicuntur effecti divini, spirituales, sancti, ob Spiritum divinum et sanctum quem receperunt, ac vicissim ipse Spiritus Sanctus dicitur apostolicus, multilinguis, propheticus, doctor, prædicator, quia tales effecit Apostolos, adeoque per eorum ora et linguas locutus docuit et prædicavit. *Quinto*, quoad fructus et effectus. Sicut enim Verbum incarnatum purgavit nos a peccatis, illuminavit, omni gratia donavit, perfecit, beavit et ad gloriam æternam perduxit : ita pariter purgat, illuminat, perficit, beat nos Spiritus Sanctus.



Spiritus Sanctus quis? Prima conclusio.

Spiritu Sancto. — Quæres, quis, qualis, quantus est Spiritus Sanctus? Respondeo et dico : *Primo*, Spiritus Sanctus vocatur tertia persona S. Trinitatis quam spirant et spirando producunt Pater et Filius, sicut homo spirando producit flatum, sive anhelitum et spiritum. Sicut enim cor per os producit flatum, ita Pater per Filium producit Spiritum Sanctum, ipse ergo est spiritus et anhelitus Patris et Filii. Aut potius, sicut anima ex intellectione rei amabilis spirat et producit amorem ejusdem, ita Pater per Verbum spirat Spiritum Sanctum. Ergo Spiritus Sanctus est et dicitur Amor castus et sanctus, spiratus et productus a Patre et Filio. Amor enim est quasi spiritus quem expirat affectus : unde et amantes apud homines languent. Hinc et de Sapientia, cujus fons est Spiritus Sanctus, ait Sapiens, VII, 25 : « Vapor est enim virtutis Dei, et emanatio quædam est claritatis omnipotentis Dei sincera. »

Nota : Hic Spiritus non est extrinsecus Deo ab eoque emissus et efflatus, sed intrinsecus et substantialis. Est enim Spiritus hic non creatura, sed vere et proprie Deus, et tertia persona S. Trinitatis, in eadem numero Deitate cum Patre et Filio subsistens, ab iisque ab æterno naturali emanatione spiratus et productus, ideoque utrique consubstantialis, coæternus et per omnia æqualis. Audi S. Cyrillum Hierosolymitanum, *Catechesi*, 17 : « Unus, ait, est Spiritus Sanctus, subsistens, qui ubique Patri et Filio adest, non qui ab ore Patris et Filii loquente formetur, vel effletur, ut in aerem diffundatur, sed substantialis, loquens ipse et operans. » Hinc S. Gregorius Thaumaturgus in sua confessione, quam refert Gregorius Nyssenus, in orat. *De illius Laudibus*, Spiritum Sanctum vocat imaginem Filii, quia scilicet a Filio, ut a sui principio et exemplari procedit : « Unus, inquit, Spiritus Sanctus ex Deo ortum et existentiam habens, qui per Filium apparuit, imago perfecta Filii perfecti. » Et S. Athanasius, in *Symbol.* : « Spiritus Sanctus, ait, a Patre et Filio non factus, nec creatus, nec genitus, sed procedens. » Idem, serm. 4 *Contra Arianos*, ostendens quomodo in uno Deo sint tres personæ, affert simile de sole. Sicut enim in sole est splendor et lux, quæ duo ex se emittit, ita in Patre est Filius et Spiritus Sanctus, quos ambos ex se producit, Filium generando, Spiritum Sanctum spirando : « Non enim, inquit, tria principia, aut tres Patres introducimus, sicut Marcionistæ, cum non tres soles ad comparationes adducamus, sed unicum solem, ejusque splendorem, unicamque ex ambobus lucem. » Alias similitudines arboris et fontis affert Tertullianus, lib. *Contra Praxeam* : « Tertius, inquit, est Spiritus a Deo (Patre) et Filio, sicut tertius a radice fructus ex frutice, et tertius a fonte rivus ex flumine, et tertius a sole apex ex radio. Nihil tamen a matrice alienatur, a qua proprietates suas ducit. »

Spiritus Sanctus procedit a voluntate et amore.

Dico *secundo* : Sicut Filius procedit ab intellectu et intellectione Patris, qua se Pater intelligit et comprehendit, quasi hujus intellectionis terminus adæquatus, et Verbum consubstantiale, ideoque genitus et Filius, sic Spiritus Sanctus procedit a voluntate et dilectione, qua se invicem Pater et Filius infinite diligunt, quasi hujus dilectionis terminus adæquatus et amor consubstantialis, ideoque Spiritus Sanctus, spiratus, non genitus. Unde Richardus de S. Victore, epist. *ad [illegible]dum, de Processione Spiritus Sancti* : « Si tu, inquit, recte diceris amare te amore cordis tui, cur non etiam recte dicantur Pater et Filius amare se amore cordis sui, qui est Spiritus Sanctus? » Et communis est hæc sententia Patrum : « Pater et Filius diligendo se invicem, producunt Spiritum Sanctum, » ait Franciscus Suarez, *de Deo trino et uno*, lib. XI, cap. II. Spiritus Sanctus ergo ex vi processionis suæ est amor notionalis, primus, increatus, immensus, divinus, ipseque Deus : ac proinde hunc amorem nobis communicat, dum seipsum cum charitate creata quam nobis infundit, nobis communicat, juxta illud Apostoli, *Roman.* V : « Charitas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum Sanctum, qui datus est nobis. » Hic verum est illud Philosophi : « Deus est circulus, qui incipiens in se, desinit in seipsum. » Incipiens enim in Patre generare Filium, desinit in Spiritum Sanctum qui idem Deus est cum Patre et Filio; « Deus enim charitas est, et qui manet in charitate, in Deo manet, et Deus in eo, » I *Joan.* IV, 16. Deus ergo charitas est ei cui charus ante omnia est Deus. Rursum S. Augustinus, lib. XI *Civit.*, cap. XXIV : « Vocatur, ait, Spiritus Sanctus tanquam sanctitas substantialis et consubstantialis amborum. » Hinc idem S. Augustinus, lib. VI *De Trinit.*, cap. V, Spiritum Sanctum vocat « unitatem, charitatem et sanctitatem Patris et Filii. » Et S. Bernardus, serm. *De Pentec.*, ait, « Spiritum Sanctum procedere tanquam firmissimum et indissolubile vinculum Trinitatis. » Et serm. 8 *in Cant.*, eum vocat « osculum Patris ad Filium. »

Hinc dico *tertio* : Spiritus Sanctus est primum et increatum donum Patris et Filii, in quo suam essentiam cum omnibus divinis attributis ei donarunt, ut eamdem nobis donare et communicare posset; ita S. Augustinus, lib. IV *De Trinit.*, cap. XX : « Spiritui Sancto, ait, donum Dei esse, est ex Patre (Filioque) procedere. » Idem, lib. V, cap. XV : « Quia, ait, Spiritus sic ab æterno procedebat, ut posset donari, jam donum erat ante-

quam esset cui donaretur. Aliter enim intelligitur cum dicitur donum, aliter cum dicitur donatum. Nam donum potest esse et antequam detur: donatum autem nisi datum fuerit, nullo modo dici potest. » Vide D. Thomam et Scholasticos, 1 *part.*, *Quæst.* XXXVIII. Audi S. Basilium, lib. V *Contra Eunomium*, sub finem: « Spiritus, inquit, imago Filii dictus est, et Dei spiritus, et verbum, et Spiritus oris, et bonus Spiritus, et rectus, et principalis, et Spiritus potentiæ, et Dominus, et Deus dictus est Dei Spiritus, sicut etiam ipsum verbum. » Ubi nota improprie per catachresin Spiritum dici imaginem et Verbum, quia scilicet Patri et Filio, a quibus procedit, est similis, licet ex vi processionis suæ formaliter non procedat ut similis: hoc enim proprium est generationi Filii, qui proinde solus proprie est imago et Verbum Patris, ac proinde ejusdem character, splendor et pulchritudo. Pulchritudo enim nihil est aliud, nisi summi boni splendor in Verbo, ac per Verbum in creaturis refulgens.

Dico *quarto*, reipsa et physice nobis donari ipsam personam Spiritus Sancti, cum gratia et charitate, ac consequenter Patrem quoque et

Spiritus Sanctus realiter datur justis. Filium: id patet ex Joan. XIV, 13: « Si quis diligit me, sermonem meum servabit, et Pater meus diliget eum, et ad eum veniemus, et mansionem apud eum faciemus. » Ergo mansio Dei et sedes, templum ac thronus Dei et S. Trinitatis est anima justi, ac proinde proprie magisque intime est in ea præsens Deus, quam est in rebus creatis per essentiam, præsentiam et potentiam; imo si per impossibile Deus non esset in anima per essentiam, præsentiam et potentiam, per gratiam et justitiam inciperet ibi esse realiter præsens, inquit Suarez, loco mox citando, sicut incipit esse corpus Christi sub speciebus panis per verba consecrationis, et sicut deitas Verbi cœpit esse præsens humanitati Christi, cum eam sibi hypostatice univit; adeo ut, si ante non fuisset in ea præsens, per hanc unionem hypostaticam cœpisset in ea realiter existere et esse præsens: cœpit enim ibi esse hypostatice, id est personaliter; sic et hic. Est enim hic summa Dei unio inter Deum et animam sanctam, qua nulla creaturæ puræ potest dari major. Nam, ut ait S. Petrus, per eam fimus divinæ consortes naturæ. Sicut ergo Beatis realiter est præsens Deus, cum illis suam essentiam ostendit, eamque fruendam et possidendam communicat; sic et est in anima sancta, ac proinde mox in ea suam gratiam, charitatem aliaque dona divina diffundit et communicat: uti sol, ubi oritur, mox suam lucem, radios et calorem spargit. Posita ergo ultima dispositione ad justitiam, v. g. contritione, statim subintrat in animam Deus et S. Trinitas, ac deinde eidem suam charitatem et gratiam communicat. Hoc significat τὸ « mansionem apud eum faciemus. » Ita S. Bonaventura, in 1, *dist.* XIV, art. 2, *Quæst.* 1; *ibid.* Magister, Scotus, Gabriel, Marsilius ac D. Thomas, 1 *part.*, *Quæst.* XLIII, art. 3 et 6; *ibidem* ejus discipuli, ac Gregorius de Valentia, Vasquez, et fuse Franciscus Suarez, lib. XII *De Deo trino et uno*, cap. V, ubi et aliam rationem moralem adjungit, scilicet hanc: Plena, ait, amicitia exigit præsentiam amici: justitia autem et charitas est amicitia Dei plena: ergo Deus animæ sanctæ, quasi amico suo, est præsens in eaque habitat quasi in templo suo, ut anima eum præsentem colat, amet et veneretur. Quocirca S. Basilius, homil. *De Spiritu Sancto*, docet justos per gratiam fieri Deos agereque vitam divinam, quia inhabitat eos Spiritus Sanctus, qui quasi anima eos vivificat et agit ad omne bonum. Verba S. Basilii sunt: « Habet homo per inhabitatorem Spiritum dignitatem propheticam, apostolicam et angelicam, cum antea fuerit terra et cinis. » Et mox: « Hujus gratia Deus est quisque Sanctorum; dictum enim illis a Deo est: Ego dixi: Dii estis, et filii Excelsi omnes. Et: Deus Deorum (utique Sanctorum) locutus est. Et: Videbitur Deus Deorum (videlicet Sanctorum) in Sion. Necesse est autem divinum esse Spiritum, et ex Deo esse, qui Diis divinitatis est causa. » Et paulo post: « Sicut in igne caliditas est partim quam in se habet, partim quam affert aquæ; ita et Spiritus in seipso habet vitam, et qui participes illius sunt, divino quodam modo vivunt, vitam adepti divinam ac cœlestem. Quapropter et omnia in illo perfecta sunt, dilectio, gaudium, pax, tolerantia, bonitas, prudentia, sapientia, consilium, securitas, pietas, scientia, sanctimonia, redemptio, fides, operationes virtutum, dona sanationum et quæcumque alia illis similia. Qui se illi conjunxerit, et quasi in unum coierit, audiet illud Apostoli: Qui Domino adhæret, unus cum illo spiritus est. » Idem, lib. III *Contra Eunom.*: « Sicut, ait, ferrum quod in medio ignis jacet, ferri naturam non amisit, vehementi tamen ignis actione ignitum, cum universam ignis naturam in semetipsum acceperit, et colore, et calore, et actione ad ignem transit: sic sanctæ virtutes ex communicatione, quam cum illo habent qui natura sanctus est, per totam suam subsistentiam receptam, jam quasi innatam sanctificationem habent: diversitas vero ipsis a Spiritu Sancto hæc est, quod Spiritus natura sanctus est, illis vero participatione inest sanctificatio. » Quocirca Cyrillus, *Catechesi* 16, Spiritum Sanctum vocat gratiarum parochum, id est præbitorem, largitorem ex officio. Parochus enim vocatur, cui officium rem aliquam curandi et præstandi incumbit.

Dico *quinto*, omnibus quidem justis dari Spiritum Sanctum, sed tamen non dici mitti ad quempiam, « nisi quando proficit in aliquem novum actum, vel novum statum gratiæ, ut puta cum aliquis proficit in gratia miraculorum, aut prophetiæ; vel in hoc quod ex fervore charitatis exponit se martyrio, aut abrenuntiat his quæ possidet, aut quodcumque opus arduum aggreditur, » ait D. Thomas, 1 *part.*, *Quæst.* XLIII, art. 6, ad 2. Sic in Pentecoste missus est ad Apostolos, quia contulit eis excellentiam donorum omnium. Idem significat τὸ « repleti sunt, » ita nimirum ut eum quo pleni erant, quasi supereffluentes in alios effunderent. Præclare Richardus de S. Victore,

Infusio, diffusio et effusio Spiritus Sancti. serm. *De missione Spiritus Sancti*, tres in eo gradus ponit et distinguit, nimirum Sancti Spiritus infusionem, diffusionem, effusionem. Infusio est, cum suam gratiam animæ infundit, etiamsi eam non impleat; sicuti cum vinum vasi infunditur usque ad vasis dimidium. Diffusio, quando per totam animam diffunditur, ita ut nullam ejus partem vacuam relinquat. Effusio, quando ita eam replet, ut supereffluat, eumque in alios effundat. Et sic Apostoli hic aliique fideles in *Actis* dicuntur repleti Spiritu Sancto. Unde S. Augustinus, serm. 183 *De Temp.*: « Affuit, inquit, in hac die fidelibus suis non jam per gratiam visitationis et operationis, sed per ipsam præsentiam majestatis, atque in vasa non jam odor balsami, sed ipsa substantia sacri defluxit unguenti. Idem asserit Nazianzenus, *orat.* 44. Et S. Leo, serm. *De Pentecost.*: « Spiritus Sanctus, inquit, inspirator fidei, doctor scientiæ, fons dilectionis, signaculum castitatis, et totius est causa virtutis. » Et, *serm.* 2, asserit Apostolos in Pentecoste accepisse « constantiam illius charitatis, quæ omnem formidinem foras mitteret et furorem persequentium non timeret; quia Spiritus Sancti nova abundantia repleti, ardentius velle et efficacius posse cœperunt, proficientes a præceptorum scientia ad tolerantiam passionum: ut sub nulla jam tempestate trepidantes, fluctus sæculi et elationes mundi fide supergrediente calcarent, et morte contempta omnibus Gentibus Evangelium veritatis inferrent. » Invocemus ergo sanctum hunc Spiritum, dicamus cum Poeta Christiano, imo cum S. Ecclesia:

> Aura potens, amor ignipotens, spirabile numen,
> Ambarum (Patris et Filii) communis amor, cum
> ....... flamma,
> Sancte, veni, sanctis accende ardoribus orbem.
> O dium flamen, nostris te mentibus affla.

Reple tuo nos flamine, flumine, lumine, numine; « Veni, creator Spiritus, mentes tuorum visita, imple superna gratia, quæ tu creasti pectora. Accende lumen sensibus, infunde amorem cordibus: infirma nostri corporis virtute firmans perpeti. Redde mihi lætitiam salutaris tui et spiritu principali confirma me. » Denique proprietates, epitheta et dotes plurimas Spiritus Sancti recenset Sapiens, cap. VII, vers. 22, dicens: « Est enim in illa (Sapientia, cujus fons et auctor est Spiritus Sanctus) spiritus intelligentiæ sanctus, unicus, multiplex, subtilis, disertus, mobilis, incoinquinatus, certus, suavis, amans bonum, acutus, quem nihil vetat, bene faciens, humanus, benignus, stabilis, certus, securus, omnem habens virtutem, omnia prospiciens, et qui capiat omnes spiritus, intelligibilis, mundus, subtilis. » Hinc vocatur « Spiritus, » non tantum ratione essentiæ et modi procedendi, quia scilicet spiratur ut spiritus, uti dixi initio: sed etiam ratione efficaciæ et efficientiæ, quia subtilis est, penetrans, efficax, etc., ut spiritus, ut patet ex verbis jam citatis. Additur « Sanctus, » quia purissimus et sanctissimus est, omnisque sanctitatis creatæ fons et causa.

Et cœperunt loqui. — Non poterant se continere Apostoli Spiritu Sancto quasi musto pleni, quin illico in Dei laudes erumperent, ac donum sibi a Spiritu inditum monstrarent et in alios effunderent. Ad hoc enim eos urgebat vis et plenitudo Spiritus, perinde ac B. Virgo, Verbo concepto, Deo plena erupit cecinitque: « Magnificat anima mea Dominum, » etc. Præclare S. Leo, serm. 1 *De Pentecoste*, exclamat: « O quam velox est sermo sapientiæ; et ubi Deus magister est, quam cito discitur quod docetur, etc.! Ab hoc igitur die tuba Evangelicæ prædicationis intonuit, ab hoc die imbres charismatum, flumina benedictionum omne desertum et universam aridam rigaverunt. » Et S. Augustinus, in *Psal.* LIV: « Per superbos homines divisæ sunt linguæ, per humiles Apostolos congregatæ sunt linguæ. Spiritus superbiæ dispersit linguas, Spiritus Sanctus congregavit linguas. » Idem, lib. *De Blasphemia in Spiritum Sanctum*: « Ideo, ait, Apostoli linguis omnium Gentium locuti sunt, quia per linguas constat consociatio generis humani. Et oportebat per linguas omnium gentium significari istam societatem filiorum Dei et membrorum Christi futuram in omnibus gentibus, ut, quemadmodum tunc ille apparebat accepisse Spiritum Sanctum qui loquebatur linguis omnium, ita nunc ille se cognoscat accepisse Spiritum Sanctum, qui tenetur vinculo pacis Ecclesiæ, quæ effunditur in omnibus gentibus. »

Variis linguis: — tum quia unus una, alius alia lingua, v. g. Andreas parthice, Joannes græce, Jacobus persice, Simon germanice loquebatur. Quæres: Quomodo id factum? Aliqui censent Apostolos una duntaxat lingua locutos, nimirum patria, quæ erat syro-hebræa; sed a variis variarum linguarum gentibus fuisse intellectos, sicut S. Vincentius Ferrerius hispanice loquens et concionans, ab Italis, Gallis, Flandris et Anglis intelligebatur; et S. Xaverius unica responsione duodecim diversa quærentibus satisfaciebat. Favet huic sententiæ quod dicitur, vers. 11: « Audivimus eos loquentes nostris linguis. » Et quia impli at eumdem eodem tempore simul diversis linguis loqui. Non enim potest quis simul nisi unam vocem et orationem proferre. Ita censent S. Cyprianus, serm. *De Spiritu Sancto*, Arator, Œcumenius et Dionysius Carthusianus hic.

Verum dico Apostolos et fideles singulos hic vicissim et successive variis linguis esse locutos. Probatur *primo*, quia id clare hic dicitur: « Lo-



UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ® DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

quebantur, inquit, variis linguis, » græce ἑτέραις, id est, « aliis et diversis a sua patria, » quæ erat Syrochaldaica et Galilæa. Syrus, *Loquebantur lingua et lingua*, id est pluribus linguis.

*Secundo*, quia alioquin miraculum hoc non tam loquentium, quam audientium fuisset : non enim fuisset in Apostolis, sed in Judæis, qui eos audiebant. Deus autem hoc dono linguarum ornare et glorificare voluit ipsos Apostolos. Ita Nazianzenus, *orat.* 44.

*Tertio*, quia idipsum promisit Isaias, cap. XXVIII, uti explicat Apostolus, I *Corinth.* XIV, 21, dicens : « In aliis linguis, et in aliis labiis loquar populo huic. » Unde et Apostolus ibidem gloriatur : « Gratias, inquit, ago Deo meo quod omnium vestrum lingua loquor. » Hoc est, quod eis pollicitus est Christus : « Linguis loquentur novis, » *Marc.* XVI, 17.

*Quarto*, quia idipsum significat Ecclesia in Missa Pentecostes, dum infra Actionem ita orat : « Communicantes, et diem sacratissimum Pentecostes celebrantes, quo Spiritus Sanctus Apostolis innumeris (id est plurimis) linguis apparuit. »

*Quinto*, quia multis miraculis fuisset opus, si ipsi una lingua loquentes, a variis gentibus in variis linguis fuissent auditi : debuisset enim sigillatim vox et lingua cujusque a Deo in aere formari, itaque ad aures ejus deferri. Sin autem ipsos variis linguis locutos dicamus, unum duntaxat fuit miraculum, scilicet infusio linguarum facta Apostolis. Deus autem et natura non solent opera et miracula sine necessitate multiplicare. Frustra enim fit per plura, quod fieri potest per pauciora.

*Sexto*, quia ita censent Cyrillus, *Catech.* 17; S. Augustinus, tract. 93 *in Joan.*; S. Ambrosius, *in Psal.* XVIII, ubi idipsum probat ex ejus vers. 4 : « Non sunt loquelæ neque sermones quorum non audiantur voces eorum; » Nazianzenus, *orat.* 44; S. Leo, serm. 1 *De Pentecoste*; S. Gregorius, hom. 30 *in Evang.*, et alii.

Addo tamen Apostolos subinde una lingua loquentes et concionantes, ab auditoribus variarum linguarum fuisse intellectos; ac consequenter utroque modo habuisse hoc donum linguarum quasi duplicatum. Si enim id concessum fuit S. Vincentio aliisque viris Apostolicis, multo magis ipsis Apostolis. Sane S. Franciscum Xaverium utroque modo habuisse donum linguarum testatur processus canonizationis ejusdem. Unde Illustrissimus Cardinalis de Monte, in revelatione facta in Consistorio coram Gregorio XV Pontifice, ita ex Actis de eo profitetur : « Diversarum gentium linguis quas non didicerat, cum eas Evan[illegible] loquebatur, ac si ibi natus et educatus esset; et contigit non raro, ut eum concionantem diversarum nationum homines, sua quisque lingua plane et polite loquentem audiverit : id quod pro maximo miraculo ab ea gente habitum, non solum auxit venerationem Xaverii, sed multos etiam ad fidem convertit. »

Apostoli acceperunt cognitionem omnium linguarum totius orbis.

Porro, Apostoli acceperunt hic cognitionem omnium linguarum totius orbis, quia ad omnes gentes destinabantur, omniumque erant Apostoli et doctores. Ita S. Ambrosius, *epist.* 33. Numerantur autem a plerisque primævæ linguæ septuaginta : tot enim in divisione linguarum tempore fabricæ turris Babel, totidem familiis ex Noe prognatis indita fuisse censent. Verum *Gen.* X, 32, ostendi, eo tempore 35 tantum fuisse familias, ac consequenter totidem linguas; sed ex illis multæ aliæ tot labentibus sæculis prognatæ sunt, multæ etiam novæ adinventæ. Legi in una duntaxat valle Indiæ Occidentalis numerari septingentas linguas, adeoque quamlibet urbem sæpe habere propriam linguam, ne ab incolis viciniæ urbis, cum quibus hostilitatem exercet, intelligatur, neve cum hostibus vel in lingua communicet. An hæ omnes Apostolis inditæ sint, incertum est. Sed certum est omnes primævas et primarias lateque patentes eis esse inditas : item dialectos earumdem, et particulares alias, quæ illarum gentium ad quas Deus eos ituros prævidebat, erant propriæ. Facile est enim Spiritui Sancto hæc et plura indere, sicut eidem facile fuit omnibus angelis in primo instanti creationis indere species et scientias rerum omnium, earumque signa et linguas spiritales, quibus ipsi suos conceptus aliis enuntiare et inter se colloqui possent. Hinc S. Leo, serm. 1 *De Pentec.* : « Nec dubium, ait, in illo omnium humanarum vocum exultante concentu, majestatem Sancti Spiritus fuisse præsentem. »

Ex quo sequitur, non solos Apostolos, sed et cæteros fideles numero 120, tum viros, tum feminas, hoc donum linguarum accepisse, præsertim B. Virginem ac S. Magdalenam : ipsa enim fuit Apostola, ac ut talis prædicavit Massiliensibus, eosque convertit, uti habet ejus Vita. Ita contra Cajetanum id de B. Virgine negantem, docet inter alios Franciscus Suarez, III *part.*, *Quæst.* XXXVII, disp. XX, sect. 2. Erat enim ipsa Apostolorum omniumque fidelium ad se, quasi ad Christi matrem, et toto orbe visendi causa confluentium doctrix et consolatrix, ac consequenter ut eos resalutare, animare et instruere posset, debebat eorum callere linguam. Addit Suarez eam ante adventum Spiritus Sancti habuisse hoc donum; nam cum tribus magis eorum lingua locuta est. Quin et deinceps primis illis Ecclesiæ sæculis, multis hoc donum datum fuit. Nam Irenæus, lib. V, cap. VI, testatur « audisse se multos universis linguis loquentes. » Sic S. Basilius, ait Am[illegible] Græcæ linguæ cognitionem a Deo postulavit et obtinuit. Sic S. Antonius Ulyssipponensis coram Pontifice prædicans, a variarum nationum et idiomatum auditoribus intellectus est. Sic Bernardinum in Concilio Florentino latine loquentem, Græci, Itali sermonis ignari, intellexerunt. In his ergo verum est illud *Sap.* I : « Spiritus Domini replevit orbem terrarum, in hoc (hic Spiritus græcizat : nam πνεῦμα, id est *Spiritus*, Græcis est neutrum) quod continet omnia, scientiam habet vocis; » ac proinde eam suis, quibus vult, communicat et aspirat. Sic etiamnum Patres Societatis nostræ, qui quasi Apostoli Indias obeunt, magnam facilitatem in addiscendis earum linguis, ex dono Spiritus Sancti, ad illas gentes convertendas necessario sentire se scribunt. Si enim natura non deest in necessariis, multo minus Deus et Spiritus Sanctus. Qui ergo linguas igneas desiderat, vitam Apostolicam ambiat easque ardenter et crebro efflagitet a Spiritu Sancto. Memorabile est exemplum F. Gentilis Franciscani, qui sub annum Domini 1330 in Persidem Evangelii causa profectus, cum Babylone degeret, neque in ediscendo Arabico idiomate, cujus illic usus est, magnopere proficeret, decrevit in Italiam regredi; in ipsa autem via accurrit ei adolescentulus, qui, causa cognita, redire eum jussit, quoniam Deus illius linguæ notitiam ei inderet : itaque ab ea hora tam bene et expedite Arabice locutus est, ac si in Arabia natus fuisset. Ita habent Chronica Franciscanorum, et ex iis Hieronymus Platus, lib. II *De bono Status relig.*, cap. XXX.

PROUT SPIRITUS SANCTUS DABAT ELOQUI ILLIS. — Græce ἀποφθέγγεσθαι, id est præclare et sententiose loqui quasi gnomas divinas et apophthegmata cœlestia, inquit Chrysostomus, non ad elegantiam et pompam composita, sed ardentia, et ad corda audientium compungenda et inflammanda, igne Spiritus Sancti succensa. Improbabile est quod asserit Jacobus de Valentia super *Magnificat*, Apostolos hic vidisse Dei essentiam quasi obiter et per transennam, in eaque audisse arcana verba quæ non licet homini loqui : nec enim Mosi, nec Paulo, nec ulli Prophetæ, vel Apostolo, id in hac vita concessum fuisse ostendi II *Cor.* XII, 4, et *Exodi* XXXIII, 19. Porro loquebantur « magnalia Dei, » ut patet vers. 11.

Moral. Primum, de lingua regenda.

Moraliter : disce hic Apostolos et viros sanctos non loqui ea quæ natura, imaginatio aut voluntas propria, sed quæ Spiritus Sanctus suggerit. Ille enim in mente eorum degit sicut sol in mundo, illuminans eam; sicut rex in suo regno, gubernans eam; sicut pater in familia, regens eam; sicut magister in schola, erudiens eam; sicut hortulanus in horto, irrigans eam. Est enim ipse lux intellectus, ardor voluntatis, suscitator memoriæ, frænum timoris, anchora spei, sal gustus spiritualis animæ, medicina passionum, nauclerus appetituum et desideriorum.

Rursum disce quemque loqui ex spiritu intus in corde dominante : hic enim spiritus cor ad loquendum per os movet. Si sanctus est, movet ad sancta verba; si malus et impurus, ad mala et impura. Vis ergo scire cor et secreta cujusque? vis scire qualis quisque sit? Considera qualia crebro et libenter loquatur. Si videris eum delectari colloquiis vanis, curiosis, turpibus, superbis, invidis, rixosis, maledicis, scito cor ejus esse vanum, curiosum, turpe, superbum, invidum, rixosum, maledicum; sin gravibus, pudicis, humilibus, benignis, beneficis, sapientibus, spiritualibus, scito eum gravem, pudicum, humilem benignum, beneficum, sapientem, spiritualem « Ex abundantia enim cordis os loquitur, » ait Christus. Quin et Socrates : « Loquere, ait, adolescens, ut te videam. Imago enim et speculum mentis est sermo. » Hinc Apostoli, quia pleni erant Spiritu Sancto, non nisi sancta, divina, ignea eructabant. Vas enim per orificium exhalat odorem ejus rei, qua intus plenus est : si vino plenum, exhalat odorem vini; si aceto, aceti; si melle, mellis; si fœtore, fœtoris, etc. Quare assidue invocandus est Spiritus Sanctus doctori, concionatori et cuivis fideli, ut cor ejus possideat, ex eoque linguam regat, ut eo modo doceat, concionetur, loquatur, quo audientium mentes feriat illasque Dei cognitione illuminet, ejusque timore et amore accendat, uti sibi concionanti accidisse narrat S. Augustinus, apud Posidonium, in ejus Vita, cap. XV. Ita Esther conversura Assuerum orat Deum, dicens : « Tribue sermonem compositum in ore meo in conspectu leonis, » *Esther* XIV, 13.

5. ERANT AUTEM IN JERUSALEM HABITANTES, — id est commorantes, degentes ad tempus, ad celebrandum ibi festum Pentecostes, juxta legem *Exodi*, XXIII, 17, aut studiorum, vel pietatis causa, perinde ac multi Romam veniunt, ibique aliquot septimanas vel menses commorantur, ut visitent loca sancta; alii per plures annos, studiorum, vel negotiorum causa. Nam ex sequentibus liquet hos in aliis provinciis natos recedisse. Aiunt enim, vers. 8 : « Audivimus unusquisque linguam nostram in qua nati sumus, Parthi, et Medi, et Ælamitæ, et qui habitant Mesopotamiam. » Unde et a Judæis in Judæa natis et habitantibus, se distinguunt vers. 11, dicentes : « Judæi quoque et Proselyti, Cretes et Arabes. » Denique expresse, vers. 7, inter eos nominantur « advenæ Romani. » Ita Nazianzenus, *orat.* 44, Œcumenius et alii.

Nota : In Jerusalem, quasi in matrice et metropoli Synagogæ, erant collegia et hospitia omnium gentium : Judæi enim per gentes dispersi, atque ac proselyti, in Jerusalem confluebant tum religionis, tum sapientiæ et legis addiscendæ causa. Talia jam sunt Romæ.

VIRI RELIGIOSI. — Syrus, *timentes Deum*; alii, *cultui Dei addicti*; alii, *Dei et pietatis cultores*, quales vulgus jam *devotos* vocat. Non enim erant Religiosi votis tribus Religionis Deo obligati et astricti, quales jam sunt : sed Religiosi a virtute religionis, cui proprium est, ut Deo cultum reddat, illi debitum majestati, tum ob ejus præstantiam et excellentiam, tum ob beneficia quæ ab eo accepimus et perpetuo accipimus. Unde Ci-

cero, lib. II *De Natura deorum*, religionem dici putat a relegendo, ut qui omnia quæ ad Dei cultum pertinent, diligenter pertractarent et tanquam relegerent, Religiosi appellarentur. S. Augustinus vero, lib. *De Vera religione*, circa finem, religionem a religando deducit, quasi hæc virtus sit, quæ quasi vinculum Deo nos alligat et religat, utpote creaturam suo Creatori, hominem suo Numini. Sic ait S. Jacobus, cap. I, 27 : « Religio munda et immaculata apud Deum et Patrem hæc est, visitare pupillos et viduas in tribulatione eorum, et immaculatum se custodire ab hoc sæculo ; » quia scilicet virtus religionis hos actus misericordiæ, puritatis et innocentiæ non elicit, sed imperat.

Moraliter quam homo Deo sit addictus. Præclare S. Augustinus, tract. 29 in *Joan.* : « Quid, inquit, tam tuum, quam tu ? quid tam non tuum, quam tu, si alicujus es, quod es ? » Nam ut jumentum quidquid est, hominis est, sic homo multo magis totus est Dei. Et S. Gregorius, lib. X *Moral.*, cap. X : « Necesse est, ait, ut homo in cunctis suis motibus sub dispositione disciplinæ religetur, et tanquam domesticum animal loris vinctum serviat atque æternis dispositionibus restrictum vivat. » Et S. Bernardus, serm. *De quadruplici debito* : « Ecce, inquit, in januis est qui fecit cœlum et terram : et Creator tuus est, tu creatura : tu servus, ille Dominus ; ille figulus, tu figmentum. Totum ergo quod es, illi debes, a quo totum habes, illi præcipue Domino, qui et te fecit, et benefecit tibi, qui tibi ministrat siderum cursus, aeris temperiem, fœcunditatem terræ, fructuum ubertatem. Huic revera totis medullis, totis viribus serviendum, ne forte indignationis oculo te respiciat et despiciat, et conterat in æternum. » Ita Psaltes, imo Christus, *Psal.* XXI : « Anima mea, inquit, illi vivet, et semen meum serviet ei. »

Ex omni natione. — Judæi enim ob varias persecutiones, præsertim Antiochi Epiphanis, toto orbe dispersi, ubivis gentium degebant, uti etiamnum degunt. Ita Nazianzenus, *orat.* 44. Porro Deus ita disposuit, ut ex omni natione adessent, qui hujus prodigii testes, domum reversi, illud apud suos enarrarent, itaque essent semina futuræ prædicationis in toto orbe ; ita Chrysostomus. Hi ergo fuerunt quasi præcursores Apostolorum eisque viam ad evangelizandum straverunt. Nota τὸ « ex omni, » id est ex plurimis. Est hyperbole, non enim erant absolute ex omni natione ; quia non legimus hic adfuisse Indos, Japones, Sinas, imo nec Gallos, Germanos, Hispanos, Sarmatas.

6. Facta autem hac voce, — tum soni vehementis, vers. 2, hic enim quasi tuba sonora excivit omnes incolas Hierosolymæ ad cœnaculum Apostolorum, cui incumbebat, ut dixi vers. 2 : ita Syrus ; tum locutionis Apostolorum variis linguis. Unde liquet Spiritum Sanctum sonoram et tubalem vocem, æque ac mentem ardentem Apostolis indidisse, quæ procul audiretur, præsertim cum tot hominum, puta 120 fidelium, concurrerent et simul resonarent. Sic de S. Paulo ait S. Hieronymus, epist. 61 ad *Pammachium* : « Paulus vas electionis, tuba Evangelii, rugitus leonis nostri, tonitru Gentium, quem quotiescumque lego, videor mihi non verba, sed audire tonitrua. » Adde, hanc vocem a paucis auditam, in plures fuisse divulgatam. Unde Tigurina vertit, *is rumor cum increbuisset, convenit multitudo*, non tantum ob vocis citationem, sed maxime ob impulsum Spiritus Sancti, qui eos interius incitabat, ut causam hujus vocis inquirerent, eaque ratione Petri concionem audirent, converterentur et crederent in Christum. Ita Cajetanus.

Multitudo, — multorum millium. Nam mox ex ea tria millia conversa esse ait Lucas, vers. 41. Cœnaculum ergo hoc per omnium linguarum et gentium confluxum fuit quasi compendium mundi et microcosmus.

Et mente confusa est. — Τὸ « mente » non est in Græco, sed tantum συνεχύθη, quod *primo*, Syrus vertit, *conturbata est*. *Secundo*, Chrysostomus, *perculsi sunt*, ob pavorem conscientiæ suggerentis se occidisse Christum, ejusque sceleris vindictam Deum eis hoc fragore comminari et intentare. *Tertio*, Beda, « confusa, » inquit, id est commista est, « sicut olim confusum est labium universæ terræ, et vocatum est nomen loci ejus Babel, » *Gen.* XI, 9. *Quarto*, alii « confusa, » inquiunt, « est » pudore, *q. d.* Erubuit ad tantum prodigium quo Deus glorificabat Christum, quem ipsi occiderant. *Quinto*, alii, *tumultuata est*, uti solet fieri in hominum confluxu et turba ad spectaculum insolitum et prodigiosum. Alii enim stupebant, alii rogabant : Quidnam vult hoc esse ? Alii irridebant dicentes, eos esse musto plenos, ut patet vers. 12. *Sexto*, et genuine, « confusa est » admiratione, stupore sacroque timore, reverentia et horrore tanti tamque novi et insoliti miraculi. Ita Vatablus, Cajetanus et alii. Nam, ut sequitur, vers. 7 : « Stupebant omnes et mirabantur. » Unde causam hujus confusionis simulque ipsam confusionem explicans subdit Lucas : Confusa sextupliciter.

Quoniam audiebant unusquisque lingua sua illos loquentes. — Dubitat Nazianzenus, *orat.* 44, quo referri debeat τὸ « lingua sua, » an ad *audiebat*, *q. d.* Quisque sua lingua audiebat et intelligebat illos loquentes una lingua, scilicet patria et Hebraica : an vero ad *loquentes*, *q. d.* Quisque audiebat eos loquentes variis linguis, ac consequenter et sua in qua natus erat. Verum dico ad utrumque pertinere : quia enim Apostoli variis linguis loquebantur, hinc audientium quisque audiebat in eis suam pariter linguam, uti dixi vers. 4.

7. Stupebant, — ἐξίσταντο, id est *extra se rapiebantur quasi in extasin*.

Galilæi sunt. — Mirantur Galilæos esse polyglossos, quia Galilæi hebetiori, sed martio



ingenio, magis ad arma quam ad litteras et linguas erant idonei, ait Glossa.

9. Ælamitæ. — Duplex est Ælam, una in Persia, altera in Media, contra quam prophetat Jeremias, cap. XLIX. Vide ibi dicta.

Qui habitant Mesopotamiam et Judæam. — *q. d.* Tam ii qui Mesopotamiam, Parthiam, Cappadociam, etc., quam qui ipsam Judæam incolunt. Mirabantur enim ipsi Judæi in Judæa habitantes, Apostolos Judæos non tantum judaice, sed tot peregrinis linguis loqui, esto ipsi eas non intelligerent. Nota, Spiritum Sanctum Apostolis gentium plurium, quam hic nominentur, linguas indidisse. Nec enim nominantur hic Brasilii, Mexicani, Peruani, Germani, Galli, quorum tamen linguas calluerunt Apostoli, utpote ad eos propediem mittendi et ituri.

Et Asiam. — Asia est tertia pars orbis, sed magnitudine cæteris duabus, puta Europæ et Africæ, par imo major, adeoque ipsa est quasi dimidia pars orbis : complectitur enim Indias usque ad Sinas inclusive. In Asia, puta juxta Babylonem, fuit paradisus terrestris. Asia est duplex, major et minor. Hugo hic Asiam minorem accipit, quæ hodie Turcici imperii melior et feracior est portio, vocaturque Anatolia, eo quod ἀνατολήν, id est Orientem spectet, inquit Ortelius in *Theatro orbis*. Verum quia hæc complectitur Cappadociam et Phrygiam, quæ quasi discretæ ab Asia hic recensentur, hinc distinctius alii per *Asiam* accipiunt Propontidem, de qua Ptolemæus, lib. V, tab. I *Asiæ*, et S. Petrus, *Epist.* I, cap. I, vers. 1 : « Petrus, inquit, Apostolus Jesu Christi electis advenis dispersionis Ponti, Galatiæ, Cappadociæ, Asiæ, etc. » Ita Salmeron, Lorinus et Sanchez hic, qui *secundo* addit, « Asiam » accipi posse civitatem in eo tractu præcipuam, ejusdem cum provincia nominis, ut in Africa est civitas Africa, a qua provincia nomen accepit ; et in Hispania sunt metropoles Valentia, Toletum, Corduba, Hispalis, Murcia, a quibus provinciæ integræ nomen sortitæ sunt (1).

10. Libyæ, quæ est circa Cyrenen, — ideoque a sua metropoli Cyrene, apud Cosmographos vocatur *Cyrenaica*. Ex hac ortum fuisse Simonem Cyrenensem, patrem Alexandri et Rufi, quem Judæi angariaverunt ut Jesu crucem bajularet, censet Gagneius et alii ; licet alii ex alia Cyrene, quæ est in Cypro, aut ea quæ est in Syria, prognatum putent.

Advenæ Romani. — Syrus, *qui venerunt ex urbe Roma*, nimirum erant Judæi Romæ commorantes, qui Hierosolymam religionis vel negotiorum causa venerant.

11. Judæi quoque et Proselyti. — Paulo ante nominavit eos « qui habitant Judæam : » hic ergo « Judæos » vocat eos qui ex Judæis ubivis terrarum et gentium, quas hucusque recensuit, erant prognati. Opponit enim eos Proselytis, qui scilicet erant oriundi ex Gentibus, sed Judaismum erant amplexi, *q. d.* Quos hactenus nominavi, « Parthi, Medi, Ælamitæ, » etc., tam Judæi fuerunt, quam Proselyti. Cajetanus per *Judæos*, accipit eos qui orti erant ex tribu Juda, ac diversa a cæteris Judæam incolentibus dialecto loquebantur.

Proselyti. — Est vox Græca προσήλυτοι, id est *advenæ*, vel *adventitii*, qui scilicet ex Gentibus advenientes aggregabant se Judæis eorumque circumcisionem et sacra capessebant. Hi ergo erant Gentiles natione, sed Judæi religione. Nota : Lucas non curat hic situm et ordinem nationum : unde subdit : « Cretes et Arabes, » qui a Cretensibus remoti, præ Parthis, Medis, etc., Judæis sunt vicini, imo contermini. Tantum hac enumeratione significat, promiscue quoslibet populos audisse suam linguam ex ore Apostolorum resonantem, non tantum Judæos, sed et Proselytos.

Magnalia Dei, — Syrus, *mirabilia Dei facinora*, tum olim per Mosen, Patriarchas et Prophetas edita ; tum paulo ante per Christum, et modo per Spiritum Sanctum patrata. Celebrabant enim Christi nativitatem, vitam, miracula, mortem, redemptionem, ascensionem, missionem Spiritus Sancti, æque ac Spiritus Sancti erga se et Ecclesiam amorem, dignationem et magnificentiam : perinde ac cecinit B. Virgo Dei erga se munificentiam qua Dei mater est effecta, dicens : « Magnificat anima mea Dominum. » Idem videre est in cantico Annæ, I *Reg.* II. Erant ergo linguæ Apostolorum quasi canoræ citharæ, organa et plectra Spiritus Sancti, ore quasi decachordo personantia et modulantia Dei laudes et magnalia.

12. Et mirabantur, — διηπόρουν, quod Tigurina vertit *hæsitabant* ; alii, *interrogabant* : διαπορέω enim multa significat, nimirum dubito, ambigo, ancipitis animi sum et consilii inops, admiror, interrogo, inquiro. Hi enim affectus connexi sunt : nam ex admiratione sequitur dubitatio, ex dubitatione interrogatio.

13. Alii autem irridebant. — Verisimile est hos fuisse Scribas et Pharisæos, eorumque asseclas. Hi enim uti Christum, ita et Christianos, præsertim Apostolos irriserunt et persecuti sunt : irrisio enim hæc profecta est, non ex ignorantia, sed ex malitia, facile enim videbant Apostolos non vino, sed Spiritu Dei agi : nullum enim vinum est, quod peregrinas linguas inspiret. Ita Œcumenius.

Musto pleni sunt isti. — Græcum γλεύκους et *mustum*, et *vinum succumque dulcem* significat, unde alii hic vertunt, « vino dulci pleni erant. » Nam hæc dixerunt in Pentecoste, puta in maio, cum non sunt uvæ, ut ex eis mustum vinumque recens exprimi possit. Verum irridendo et subsannando hoc dicunt. Unde non curant congrue

(1) *Asia* hic est tractus Asiæ Minoris, specialiter eo nomine nuncupatus, olim *Joniæ* nomine celebre.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS ®

sed maledice loqui (1). *q. d.* Isti videntur ebrii et insanire, perinde ac si mustum bibissent. Mustum enim, quia lentum, turbidum et fæculentum magis inebriat turbatque cerebrum, quam vinum vetus et defæcatum, præsertim quia ob dulcedinem avidius et majori copia bibitur, atque ob lubricitatem facile cerebrum permeat. Ita Œcumenius. Unde ab Ovidio, lib. III *Tristium*, elegia x, vocantur *fervida musta*. Et Plinius, lib. XIV, cap. xx: « Pugnacibus mustis, inquit, crapulæ plus inditur, lenibus parcius. » Unde et Cicero, lib. *De Claris orator.*: « Sic ego, ait, istis censuerim, et novam istam quasi de musto ac lacu fervidam orationem fugiendam: » licet alii contrarium censeant, scilicet vinum vetus, utpote potentius, magis inebriare novo, puta musto.

« Vera dicunt Judæi, inquit Cyrillus, *Catechesi* 17, sed irridendo. Novum enim vere erat illud vinum, novi Testamenti gratia. Sed novum hoc vinum est a spirituali vinea, quæ jam antea sæpe in Prophetis fructum ferebat, et in novo Testamento refloruit. Ut enim sensibilis vinea semper manet eadem, successu autem temporis novos affert fructus; sic et Spiritus Sanctus, idem semper manens sicuti est, qui sæpe in Prophetis operabatur, nunc novum quiddam et admirandum declaravit. » Et inferius: « Non ita sicut vos existimatis, isti ebrii sunt, sed sicut scriptum est: Inebriabuntur pinguedine domus tuæ, et torrente voluptatis tuæ potabis eos. Inebriati sunt sobria ebrietate, quæ peccatum mortificat, et cor vivificat: ebrietate omnino contraria illi corporeæ ebrietati. Illa enim et cognitorum inducit oblivionem, hæc etiam ignoratorum notitiam donat. Inebriati sunt bibentes vinum spiritualis vitis illius, quæ dicit: Ego sum vitis, vos palmites. » Considera hic utriusque ebrietatis, corporalis scilicet et spiritualis, analogias.

Analogia ebrietatis corporalis et spiritalis.

« Ebrietas, inquit S. Bernardus, lib. *De Modo bene vivendi*, cap. xxv, corpus debilitat, mentem illaqueat. Ebrietas generat perturbationem mentis. Ebrietas auget furorem cordis. Ebrietas nutrit flammam fornicationis. Ebrietas ita alienat mentem, ut homo nesciat semetipsum, etc.; nec est aliud ebrietas quam manifestissimus dæmon. » Similis, sed in opposito genere, est ebrietas spiritalis; et sicut ebrius vino, videtur incarnatus diabolus, sic ebrius amore et Spiritu Sancto videtur incarnatus angelus.

*Primo*, enim sicut ebrietas corporalis rationem naturalem adimit, ita et spiritalis facit hominem emotæ mentis, ac a ratione naturali ad supernaturalem eum transfert, ut amplius non sapiat terrena et humana, sed cœlestia et divina.

*Secundo*, sicut ebrius non cognoscit amicos, sed eos impugnat et ferit, ita ebrius Spiritu Dei non curat parentes, fratres, cognatos, cum se a Dei cultu, a religione, a martyrio avocare conantur, uti fecerunt Levitæ jussu Dei occidentes idololatras, etiamsi fratres essent, filii et patres, juxta illud Mosis, *Deut.* xxxiii, 9: « Qui dixit patri suo et matri suæ: Nescio vos; et fratribus suis: Ignoro vos, et nescierunt filios suos, hi custodierunt eloquium tuum et pactum tuum servaverunt. »

*Tertio*, sicut ebrius discurrit per plateas, et obvios invadit: ita Apostoli discurrerunt per orbem invadentes reges et principes, eosque subjugarunt Christo.

*Quarto*, ebrius lætissimus est, ita et Apostoli. Audi S. Bernardum, tract. *De diligendo Deo*: « Tunc prorsus, inquit, inebriat charissimos suos, tunc torrente voluptatis suæ potat: quoniam quidem in complexu illo arctissimo et castissimo sponsi et sponsæ, fluminis impetus lætificat civitatem Dei. »

*Quinto*, vinum accendit hominem, ita et charitas gratiaque Spiritus Sancti. Unde S. Bernardus, ibidem: « Hinc, ait, sobria illa ebrietas vero, non mero, ingurgitans: non madens vino, sed ardens Deo. » Et serm. 49 *in Cant.*, explicans illud Cant.: *Introduxit me rex in cellam vinariam, ordinavit in me charitatem*: « Ebria, inquit, est sponsa, sed amore, non vino, nisi quod amor vinum est, etc. Erant Apostoli ebrii, sed Spiritu Sancto, non musto. » Hanc ebrietatem sobriam sanctamque bibunt eximii Sancti in Eucharistia, de qua Psaltes, *Psalm.* xxii, 5: « Et calix meus inebrians quam præclarus est; » et Zacharias, cap. ix, 17: « Quid enim bonum ejus est, et quid pulchrum ejus, nisi frumentum electorum, et vinum germinans virgines? » Vide ibi dicta.

*Sexto*, ebrius exhalat et eructat vinum et crapulam, quo plenus est, cantat et vociferatur: sic et Apostoli « bulliebant musto, et musto bulliente linguæ gentium profluebant, » ait S. Augustinus, serm. 186 *De Temp.* Et serm. 188: « Jam enim facti fuerant utres novi, sanctitatis gratia renovati, ut vino novo, hoc est Spiritu Sancto repleti, linguis omnibus loquendo ferverent, et Ecclesiam Catholicam per omnium Gentium linguas futuram, evidentissimo illo miraculo præsignarent. »

*Septimo*, ebrius vino æstuans, animosus et pugnax nil timet, sed intrepidus ruit in enses et ignes. Unde Kosaki aliique milites pugnaturi implent se vino adusto, eoque pleni non nisi pugnas et minas spirant: ita Apostoli antea timidissimi, post receptum Spiritum Sanctum facti animosissimi, non nisi bellum contra infidelitatem, impietatem et dæmonem spirarunt, ac intrepide in pericula, carceres et martyria se

(1) Rectius Rosenmullerus ad h. l.: « Lucas videtur illud musti genus intelligere, quod Plinius ἀειγλεῦκος, reliqui scriptores genere neutrio γλεῦκος nuncuparunt. Veteres sic præpararunt, ut contra suam naturam, qua, cum fervet, in vinum mutatur, per longum temporis spatium, imo per totum annum, integrum et incorruptum se conservaret, atque musti jucundum saporem retineret. » Vid. Walchii *Dissert. de natura et indole τοῦ γλεύκους.*



conjecerunt. Audi ebrium Apostolum: « Quis nos separabit a charitate Christi: tribulatio? an angustia? an fames? etc. » *Rom.* viii.

Octavo, ebrietas parit insaniam. Nam, ut aiebat Anacharsis, primus calix qui bibitur, est necessitatis, secundus hilaritatis, tertius voluptatis, quartus insaniæ: ita ebrii Spiritu fiunt mundo et mundanis insani. Pulchre S. Bernardus, tract. *De Natura divini amoris*, cap. iii: « Audi, ait, sanctam insaniam: Sive mente, inquit Apostolus, excedimus Deo, sive sobrii sumus, vobis. Vis ad hæc audire insaniam? Si dimittis, inquit, eis hoc peccatum, dimitte: sin autem, dele me de libro vitæ, » *Exodi*, cap. xxxii. « Vis aliam? Ipsum audi Apostolum: Optabam, inquit, anathema esse a Christo. Hæc ad Sancti Spiritus adventum Apostolorum fuit ebrietas, hæc Pauli insania, cum diceret ad eum Festus: Insanis, Paule. Mirumne erat si insanire pronuntiabatur, qui in ipso mortis periculo, ipsos judices suos a quibus pro Christo judicabatur, ad Christum convertere nitebatur? Non hanc insaniam multæ litteræ in eo faciebant, sicut dicebat Rex veritatem intelligens, sed dissimulans; sed, ut dictum est; Sancti Spiritus ebrietas, in qua et in parvo et in magno similes eos sibi facere gestiebat, qui eum judicabant. Et ut cætera omittam, quæ major, quæ magis inopinata insania, quam hominem relicto sæculo desiderantem et ardentem inhærere Christo; pro Christo rursum necessitate obedientiæ et charitatis fraternæ inhærere sæculo; tendentem in cœlum semetipsum mergere in cœnum? Hic est Benjamin adolescentulus, qui in mentis suæ excessu nec suum aliquid sentit, sed cum solum in quem totus excessit. Hac insania insani erant Martyres, inter tormenta ridentes. Cur hic non dicam, quod in fervore lasciviæ suæ lascivus Poeta dixit: Insanire libet? » Sicut ergo vinum, ita et amor facit insanos. Videre hoc est in iis, qui perdite amant feminam quampiam: quid non agunt, quid non tentant, quæ pericula non adeunt, ut ejus gratiam consequantur? Nil aliud cogitant, nil somniant, nil loquuntur nisi de ea, quasi insani. Idem, sed potentius, facit amor incensus zelusque Dei, qui hominem ita inebriat, ut non aliud cogitet, somniet, loquatur, quam Deum, et ea quæ Dei sunt. Cupit enim ubique Deum celebrare omnesque ad Dei cultum et amorem pellicere, imo impellere. Quocirca multa dicit et facit, quæ mundani æstimant insaniam. Denique optat pro Deo quotidie subire mille pericula, labores et mortes.

Graphice hanc ebrietatem describit S. Augustinus, serm. 185 *De Tempor.*, cujus proinde sensa plena spiritu hic ad verbum, in gratiam et commodum lectoris ascribam. Sic ergo ait: « Hoc musto inflammantur, et hoc præclaro poculo quotidie inebriantur etiam corda fidelium, et animæ convertentium. Quod frequenter fieri videmus, quando pro desiderio salutis suæ parentes et patriam suam fugiunt. Exeunt, nullo compellente, de terra et de cognatione sua; et mortui huic mundo alios spiritualiter animarum inquirunt parentes, et liberi sub jugo veniunt, et paulo ante elati atque sublimes humilia affectant, superba fastidiunt et cupiunt esse quod antea despexerant: et odisse incipiunt quod fuerant. Præsentium hospites, futurorum appetitores, æternam illam patriam, contempta temporalium falsitate, suspirant. Hoc itaque musto spiritales animæ inebriatæ, et penitus commutatæ, abstinentiam deliciis, vigilias dulcibus somnis, paupertatem divitiis anteponunt. Arduum contra vitia laborem, jucundissimam computant voluptatem: dulcescunt eis vilia, et quæ prius fuerant pretiosa, vilescunt: diligunt inimicos suos, et benefaciunt his qui se oderunt. Non convincuntur (forte legendum conviciantur) indignantibus, non irritantur in opprobriis: non franguntur in injuriis: prorsus horum nihil sentiunt propter fervorem Spiritus Sancti et propter æternam retributionem. Hoc spiritali mero calebant Martyres, quando abjicientes et post se jactantes omnia sæculi blandimenta, ibant ad passiones, obliviscentes facultates et affectiones, patrimonia ac matrimonia sua, et vincentes armatam contra se parvulorum pignorum fletibus pietatem, vociferantes quidem parentes, pulverem mittentes in capita sua, et matres facies suas avulsis crinibus dilacerantes. Sed illi hæc omnia tanquam ebrii non videbant, nec cognoscebant suos: quia infuso præcordiis suis Spiritu Sancto ad dolores, ad supplicia, tanquam ad consolationes et ad præmia festinabant. »

14. Stans autem Petrus, — quasi Primas Apostolorum caputque Ecclesiæ. Unde ipse solus pro omnibus loquitur, et prodigii rationem reddit ac legem Evangelicam solemniter promulgat. In Pentecoste a Petro, quasi Christi vicario, fieri debuit hæc prima et solemnis in Sion legis Christi promulgatio, qua abrogata est lex vetus, ita ut deinceps obligare desierit, uti docet D. Thomas et Theologi passim. Porro erexit se Petrus stetitque, ut a tot millibus videri et audiri posset. Unde et *levavit vocem*, id est elata voce clamavit. Verisimile enim est, tot millia cœnaculo capi non potuisse, sed circum illud in locis vicinis ipsaque platea constitisse; nisi quis dicat cum nonnullis, Petrum eduxisse turbam in templum ibique concionem hanc ad eam habuisse.

Tropologice: Τὸ « stans » significat constantiam et celsitudinem animi in Petro post receptum Spiritum Sanctum, qui prius ad vocem ancillæ expaverat et negarat Christum. Audi S. Chrysostomum, hom. 4 *in Acta*: « Erat, inquit, Petrus os omnium, causam fidei agit pro omnibus, doctrina sua instruit omnes: ipse præcipuus fidei ass[illegible]or est, præcipuus Catechista habetur, et primus extitit verbi concionator, et primus [illegible] Ecclesiam, eamque non ex Hiero-

solymitanis, et circumcirca habitantibus Judæis; sed ex Parthis, Medis, Phrygiis, Libycis, Ægyptiis, Arabibus, advenis Romanis et aliis. Et qui omnium pastor fuit a Domino institutus, ex omnibus nationibus cogere cœpit oves : docuit eos fidem, simul et Apostolicos mores, nempe renuntiare omnibus, simul convenire in oratione et panis a Christo edocta fractione. »

15. NON ENIM, etc., HI EBRII SUNT, CUM SIT HORA DIEI TERTIA. — Ab ortu solis Judæis dies erat duodecim horarum, quas in quatuor partes dividebant, nimirum primam, tertiam, sextam, nonam, cuique ternas horas assignantes. Prima computabatur ab ortu solis, et complectebatur tres horas; quibus evolutis succedebat tertia, cum totidem horis, post quas in meridie sequebatur sexta, quæ teste Plutarcho, lib. VIII *Symp.*, Quæst. VI, apud omnes pene Gentes solet esse tempus et hora prandii. Unde et prandium, ait Plutarchus, dicitur quasi ἐς ἔνδιον, id est *juxta meridiem*, vel *meridianum*. Ita Josephus in Vita sua, et ex eo Baronius, tradunt Judæos in festis omnibus abstinere solitos usque ad sextam.

Hinc patet, Spiritum Sanctum descendisse in Apostolos tempore matutino, puta hora ab ortu solis tertia : idque *primo*, quia eo tempore homines post somnum vigiles, et ante cibum jejuni, solent esse aptiores ad recipiendos Dei illapsus. *Secundo*, quia iisdem de causis auditores magis idonei erant ad hoc prodigium considerandum et ad prædicationem Petri audiendam. *Tertio*, quia illa hora, ait Beda, apud Judæos erat orationi destinata, uti et nunc est apud Christianos. Quocirca hac hora solent celebrari Missæ, quia eadem in orantes Apostolos descendit Spiritus Sanctus, ait Rupertus, lib. X *Officior.*, cap. XVIII. *Quarto*, quia hora tertia, scilicet fluente, crucifixus est Christus, ait S. Marcus, cap. XV, vers. 25, qui proinde eadem hora implevit quod in vita promisit et in cruce promeruit, scilicet missionem Spiritus Sancti, ait S. Cyrillus, *Catech.* 17. Symbolice Hugo : « Hora, ait, tertia significat dari orbi tertiam legem. *Prima* enim fuit lex naturæ, *secunda* Mosis, *tertia* Christi. »

17. EFFUNDAM DE SPIRITU MEO. — Id est *effundam Spiritum meum*, ut vertit noster Interpres. *Joel.* cap. II, vers. 28. Est Hebraismus. Hoc Joelis oraculum exposui *Joelis* cap. II, vers. 28, eo enim spectat : quare quæ ibi dixi, hic non repetam.

22. VIRUM APPROBATUM. — ἀποδεδειγμένον, quod Pagninus vertit, *designatum*; Tigurina, *exhibitum*; Vatablus, *demonstratum*, quem scilicet multis signis ostendit a se esse missum; Tertullianus, lib. *De Carne Christi*, cap. XV, *destinatum*; Syrus, *qui a Deo apparuit*; Noster, *approbatum a Deo*, quem scilicet Deus multis demonstrationibus comprobavit esse suum filium et legatum. Non ergo necesse est dicere cum Erasmo, nostrum Interpretem legisse ἀποδεδεγμένον, ἀπὸ τοῦ ἀποδέχομαι, id est *recipio, approbo*; imo hæc lectio frigidum et alienum dat sensum. Non enim vult dicere Lucas Christum susceptum fuisse a Deo, sed orbi demonstratum et comprobatum per multa prodigia.

IN VOBIS. — Syrus, *apud vos*; Pagninus et Tigurina, *erga vos*, vestri scilicet causa, ut vestris animis et corporibus consuleret vosque in utroque homine salvaret.

VIRTUTIBUS, ET PRODIGIIS, ET SIGNIS. — Hæc tria idem, vel pene idem sunt, connotato duntaxat differentia; sed exaggerationis causa junguntur, ut multitudinem et magnitudinem miraculorum Christi significent. Miracula enim vocantur *virtutes*, Græce δυνάμεις, quia sunt opera virtutis, id est omnipotentiæ Dei, quæ hominum et angelorum vires transcendunt. Eadem vocantur *prodigia*, quia portentosa et stupenda sunt, præsertim cum in aere aut cœlis fiunt. Eadem vocantur *signa*, quia significant res vel futuras, vel præsentes, v. g. Christum, eorum auctorem, esse Messiam Dei Filium, tum quia Messiam illa patraturum prædixit Isaias aliique Prophetæ, tum quia Christus illa hoc fine faciebat, ut iis Judæis probaret se esse Dei Filium.

23. HUNC DEFINITO CONSILIO. — Hoc dicit, ne Judæi putent Christum casu, aut necessitate et violentia crucifixum, *q. d.* Ne putetis vos vestris viribus vim intulisse Christo, eumque non potuisse manus vestras evadere; fuit id ab æterno decretum in consistorio S. Trinitatis, ac consequenter ab ipsomet Christo, qua Deus est : libere ergo et sponte mortem ipse subiit eique se obtulit. Poterat enim se subducere, poterat vos omnes arefacere, occidere, imo annihilare. Merito Tertullianus, *Apolog.*, cap. XXV, ridet Gentiles, quod deos et Jovem subjicerent fato : « Misera, inquit, illa conjux Jovis et soror, adversus fata non valuit (tueri Carthaginem contra Romanos) plane. Fato stat Jupiter ipse. »

Moraliter S. Chrysostomus : « Petrus, inquit, tentat liberare eos a crimine, ut quondam fratres suos Joseph, a quibus venditus fuerat, dicens, *Genes.* cap. XLV, vers. 8 : Non vestro consilio, sed Dei voluntate huc missus sum. » Et cap. L, vers. 19 : « Nolite timere ; num Dei possumus resistere voluntati? Vos cogitastis de me mala, sed Deus vertit illud in bonum, ut exaltaret me, etc., et salvos faceret multos populos. » *Secundo*, per τῷ *definito consilio*, significat quam Christus libenter ac libere passionem subierit, et a Deo præfinitis cooperatus sit, ait Œcumenius.

ET PRÆSCIENTIA, — imperite et impie Calvinus, Beza, pro *præscientia*, vertunt, *providentia et decreto*. Censent enim Deum esse auctorem operum omnium, tam malorum, quam bonorum, v. g. tam proditionis Judæ, quam vocationis Petri : tam crucifixionis Christi, quam conversionis S. Pauli. Deum enim esse primam rerum et actionum omnium causam, ac proinde actiones omnes, tam malas, quam bonas, quæ in tempore fiunt,



ab æterno decrevisse et sanxisse ut fierent, atque ex vi hujus decreti Deum easdem in tempore procurare et efficere ut fiant. Unde sequitur, Deum esse auctorem peccati, æque ac virtutis : quæ horrenda etiam Gentilibus et sæculis omnibus inaudita est impietas et blasphemia. Hoc excludit hic Petrus dicens προγνώσει, id est *præscientia*, hoc est prænotione et prævisione, qua scilicet prævidebat impias Judæorum voluntates, quæ Christum eis a se traditum et objectum avide susciperent (quod significat Græcum λαβόντες) et morte afficerent. Hæc ergo fuit series et combinatio præscientiæ cum decreto Dei. Prævidebat Deus per suam omniscientiam, Scribas et Pharisæos tali tempore et loco fore tam impios et perversos, ut, si Christum eis objiceret, præsertim taxantem eorum scelera, ipsi eum invaderent et crucifigerent. Tunc decrevit et dixit : Volo Christum eis objicere, ac volo ut ipse crucem et mortem ab eis infligendam patiatur et subeat, ut per eam satisfiat offensæ et injuriæ mihi factæ per peccatum Adæ et posterorum ejus, itaque redimatur et salvetur genus humanum. Præscientia ergo fuit impietatis Judæorum, decretum vero passionis Christi et redemptionis nostræ. Hoc est quod Theologi communi axiomate celebrant : *Actio displicuit, passio grata fuit. Actio*, scilicet occisio et crucifixio Christi facta a Judæis, summe displicuit Deo, quia fuit immane parricidium, imo Christicidium et Deicidium. *Passio* vero Christi, hanc crucem suscipientis, summe placuit Deo, quia fuit actus summæ humilitatis, obedientiæ, charitatis et religionis, qua se in holocaustum Deo pro nobis obtulit. Vide S. Leonem, serm. 16 *De passione*. Poterat Deus decernere et jubere alicui Regi aut Prophetæ, ut Christum immolaret, sicut præcepit Abrahæ immolare filium Isaac. Sed noluit, quia non decuit. Maluit ergo uti ad hoc impiis Judæorum voluntatibus, quas ipse tali tempore certo fore certoque id facturas prævidebat.

Dices : Posita hac Dei præscientia et decreto, infallibile et necessarium erat Christum a Judæis occidi : præscientia enim Dei falli nequit, ideoque impossibile est ut non eveniat, quod ipse præscit fore. Ergo posita hac Dei præscientia, necessarium erat et fatale Judæos occidere Christum. Quare occisio eorum fuit necessaria, quomodo ergo eis fuit libera?

Respondeo : Duplex est necessitas, æque ac impossibilitas : una antecedens actum liberum, sive consensum liberi arbitrii : altera eumdem consequens. Antecedens tollit libertatem facitque ut consensus voluntatis non sit liber, sed necessarius. Tale est Dei decretum, æque ac gratia efficax et prædeterminans, quam ponit Calvinus. Hæc enim se sola actum producit in voluntate, ea nihil libere cooperante. Consequens necessitas non tollit libertatem actus, sed eam sequitur et præsupponit. Talis est necessitas præscientiæ Dei ; hæc enim sequitur actum liberum eumque præsupponit. Ideo enim vidit Deus Judæos occisuros Christum, quia ipsi libere eum erant occisuri, si ipse illis eum objiceret; non vero e contrario, ideo Judæi occiderunt Christum, quia Deus præviderat illos eum occisuros, hoc enim falsum est. Visio enim sequitur et præsupponit rem visam, quasi suum objectum : quod enim non est, videri nequit : prius ergo necesse est ut sit, ac deinde quasi posterius sequitur, ut videri possit, actuque videatur, uti recte docet S. Augustinus, lib. V *Civit.*, cap. X.

Instabis *primo* : Præscientia Dei est ab æterno, actus vero liber fit in tempore : Prior ergo est præscientia, quam sit actus liber. Ergo necessitas præscientiæ est antecedens libertatem, non consequens. Ergo libertatem ab actu libero tollit, eique necessitatem imponit, quia quidquid antecedit actum liberum, ita ut ex eo necessario sequatur actus, hoc actum determinat facitque necessarium, non liberum. Talis autem videtur esse Dei præscientia.

Respondeo : Necessitas præscientiæ est antecedens tempore, sed consequens causalitate. Antecedit enim actum liberum tempore, imo antecessit ab æterno, eumdem tamen consequitur objective, et in genere causæ materialis. Deus enim sua præscientia prævertit existentiam rerum futurarum, atque eminus quasi ex alta specula æternitatis prævidet actus, qui post multa sæcula futuri sunt. Itaque tempore eos antecedit, sed objective eos sequitur. Prius enim est rem esse futuram, quam futuram a Deo prævideri ; sicut prius est hominem ambulare, quam a me videri ambulare. Sicut ergo visio mea, qua video Petrum ambulantem, illi non imponit necessitatem ambulandi, quia, ea non obstante, potest quandocumque vult cessare ab ambulatione eamque sistere, ita et præscientia Dei non imponit necessitatem actibus liberis futuris : quia, ea non obstante, potest voluntas quandocumque vult ab iis cessare imo contrarium facere, itaque tollere Dei præscientiam, ac facere ut eos amplius Deus non præviderit. Ergo necessitas præscientiæ simpliciter non est antecedens libertatem, sed consequens, quæ consensum voluntatis liberum sequitur et præsupponit, etiamsi tempore, imo æternitate eam antecedat.

Instabis *secundo* : Impossibile est hæc duo inter se componi, simulque consistere et esse vera, nimirum Deum præscire actum futurum, et tamen illum non fore, sive non esse futurum. Ergo posito quod Deus præsciat eum futurum, necessario fit; ponitur autem Deus nunc eum præscire, ergo nunc necesse est ut quandoque fiat sitque futurus.

Respondeo : Hæc impossibilitas et necessitas est ex suppositione actus futuri, ideoque consequens, non antecedens. Ideo enim impossibile est ut non sit futurum, quod Deus præscit futurum, quia

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ®
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

impossibile est ut id quod futurum est, ideoque præscitur a Deo esse futurum, non sit futurum; sed sicut futurum est libere, ita et Deus prævidet illud libere futurum : nullam ergo ei sua præscientia necessitatem imponit, qua necessario sit futurum. Hæc ergo necessitas non est alia quam ea, qua res dum est, necessario est; dum est præterita, necessario est præterita; dum est futura, necessario est futura : quæ rem reique existentiam consequitur : ideoque non tollit libertatem, sed eam præsupponit. Sic Antichristus peccabit libere; posito tamen quod peccabit, necessarium est ut peccet. Impossibile enim est, ut idem simul sit futurum, et non futurum, sive ut idem simul sit, et non sit. Sic posito quod videam Petrum ambulantem, necessarium est ut ambulet : nec enim videre possum id quod non est; et tamen libere ambulat Petrus, quia potest visionem meam non ambulando tollere.

Instabis *tertio* : Id quod videtur et prævidetur, jam est extra causas, jamque existit, et est in facto esse : ergo impossibile est ut non existat, et sit infectum : ergo necessario existit, non libere.

Respondeo : Actus liber dupliciter potest spectari : *primo*, ut est in fieri; *secundo*, ut est in facto esse : priori modo est liber, posteriori necessarius : libere enim egreditur a libera electione voluntatis, ita ut in potestate voluntatis sit eum elicere, vel non elicere, imo contrarium elicere : postquam tamen egressus est, non potest non esse egressus : utrumque sua præscientia prævidet Deus : prævidet enim eum libere egredi a voluntate, et postquam jam egressus est, non posse non esse egressum, ideoque priori consideratione esse liberum, posteriori necessarium : prævidet enim rem ut in se fit, omnemque ejus et dum incipit, et dum completur seriem modumque contemplatur. Hæc dixi obiter ob quorumdam objectiones, qui iis se mire torquent : sed unica distinctione necessitatis in antecedentem et consequentem, et altera, qua consideratur actus nunc in fieri, nunc in facto esse, res tota facilis est clareque perspicitur, æque ac concordia gratiæ efficacis et prædestinationis cum libero arbitrio; utraque enim innititur præscientiæ Dei. Gratia enim efficax est, quæ ita allicit mulcetque liberum arbitrium, ut illi persuadeat eliciatque effectum, puta liberum arbitrii assensum : quare efficax non est, et consequenter præviderí nequit, nisi prævideatur quod liberum arbitrium libere sinet se ab ea flecti, quodque eam acceptabit eique libere consentiet, cum facile possit eamdem refutare illique dissentire, si velit. Idem est de prædestinatione, quæ gratiæ efficaci, et consequenter præscientiæ Dei innititur. Prædestinatio enim non est aliud quam gratiæ præparatio, puta decretum Dei, quo decernit, v. g., Petro dare gratiam efficacem eamque continuare usque ad finem vitæ. Hoc non intellexit Calvinus, ideoque censuit præscientiam et prædestinationem Dei esse quasi fatum inevitabile, quod homini liberum adimat arbitrium : sicut ex adverso Cicero ita liberum statuit arbitrium, ut Dei negaret præscientiam; utque tolleret fatum, sustulit providentiam, atque ita dum homines fecit liberos, fecit sacrilegos, ait S. Augustinus, lib. V *De Civit.*, cap. IX et seq.

Ex dictis sequitur, falso plebeios nonnullos culpare præscientiam Dei, in eamque conjicere suas et sortes et casus, quin et damnationem vel salutem. Narrat et reprehendit S. Augustinus, lib. *De Bono persever.*, cap. XV, quemdam sui monasterii Religiosum, qui cum de defectibus suis argueretur, respondebat : « Qualiscumque nunc sim, talis ero qualem me Deus futurum esse præscivit. » Melius dixisset : « Talem me Deus fore præscivit, qualis vel per me peccando, vel per gratiam Dei bene agendo esse voluero. » Nam suo illo axiomate negligens curam suæ salutis eamque in Deum rejiciens, tandem monasterium deserens, factus est velut canis reversus ad suum vomitum.

TRADITUM. — ἔκδοτον, id est *expositum*; Syrus, *segregatum*. Nota : Traditus est Christus, tum a Patre, *Rom.* VIII, 32, et a seipso, *Galat.* II, 20; tum a diabolo, *Joan.* XIII, 2, ac a Juda, a Judæis, a Pilato in mortem et crucem : sed passive et objective a Patre et a se; a diabolo vero cæterisque ejus asseclis active et positive. Rursum fine diverso, nam a Patre et a se traditus est, ut mundum salvaret; a diabolo, ut Judæos ad Christi parricidium impelleret; a Juda, per cupiditatem pretii; a Judæis, per malignitatem; a Pilato, per metum. Ita Origenes et S. Thomas, in *Matth.* XXVI.

PER MANUS INIQUORUM. — Hæc verba referri possunt tum ad *traditum*, quod præcessit : Christus enim traditus fuit per manus iniqui Judæ et satellitum ejus, Annæ et Caiphæ pontificibus; tum ad *affigentes*, scilicet cruci, ut habet Syrus; Christus enim cruci affixus est per manus iniquorum militum.

24. QUEM DEUS SUSCITAVIT, SOLUTIS DOLORIBUS INFERNI. — Τὸ « inferni » legit quoque Irenæus, lib. III, cap. XII; S. Augustinus et alii apud eum, epist. 99 *ad Evodium*, et Syrus qui vertit, *solutis funibus inferorum*. Hebr. enim חבל *chebel*, et funem, et dolorem significat : quia dolor est quasi funis ligans, arctans et stringens, acriterque pungens afflictum. Verum Græca habent λύσας τὰς ὠδῖνας τοῦ θανάτου, id est *solvens dolores mortis*, idque clarius et planius est. Sed eodem res redit, nam idem quasi est mors et infernus, quia olim ante Christum omnes qui moriebantur, ibant in infernum. Unde tunc teneri morte, vel inferno, idem esse videbatur : anima enim post mortem ibat ad infernum, corpus ad sepulcrum. Unde de utroque resuscitando subdit, vers. 27 : « Quoniam non derelinques animam meam in inferno, nec dabis sanctum tuum videre corruptionem. »



Quæres, qui sunt dolores mortis et inferni, quos Deus solvit suscitans Christum? *Primo*, Calvinus censet esse pœnas, anxietatem et desperationem, quam damnati patiuntur in inferno. Hanc enim nobis debitam, in se luendam suscepisse Christum, ideoque in cruce desperasse, dum clamavit : « Deus meus, Deus meus, ut quid me dereliquisti? » Verum hoc non minus stolidum est, quam blasphemum et impium, uti ostendi *Hebr.* V, 7.

*Secundo*, alii censuerunt hic significari quod Christus moriens liberarit damnatos ex inferno, idque videtur innuere S. Augustinus, *epist.* 99. Verum hæc est hæresis, quam recenset et refutat idem S. Augustinus, *hæresi* 79, et S. Gregorius, lib. VI, *epist.* 179. Melius alii censent Christum morientem vel omnes, vel plurimos ex Purgatorio liberasse eisque dedisse primam et plenariam indulgentiam, uti dixi *Zachar.* IX, 11.

*Tertio*, alii ex Syro censent dolores vel funes mortis hic vocari vires mortis, quibus quasi funibus corpus Christi mortui ligabat et detinebat in sepulcro, animam vero in inferno.

*Quarto*, Cajetanus ex S. Thoma censet dolores mortis et inferni vocari pœnalitates, quas naturaliter et communi sorte ac jure patiebatur Christi corpus in sepulcro, et anima in inferno, quæ duæ erant. Prior, quod anima esset separata a corpore, quasi a suo compare, ad quod naturalem habet inclinationem, itaque quasi esset altera sui parte trunca et mutila. Posterior, quod detineretur in loco tam vili et infimo, qualis est sepulcrum et infernus. Verum dolor et pœna omnis Christi finita est in ejus morte. Et certum est Christi animam non fuisse detentam in inferno, nec corpus in sepulcro in vindictam, vel supplicium, aut satisfactionem alicujus peccati; sed fuit hoc corpori mortuo quasi naturæ debitum et commoditas, animæ vero fuit potius honor et triumphus : quia per eam Christus quasi victor inferni et liberator Patriarcharum, eo descendit.

*Quinto*, alii respondent quod Christus dolores vel funes inferni paratos ut se constringerent, sicut alios omnes morientes constrinxerant et constringunt, solvit, id est discussit et dispulit, fecitque ne iis constringeretur. Rursum de facto solvit eos in aliis qui in limbo vel Purgatorio iis constricti tenebantur, dum eos inde liberavit et eduxit. Ita S. Augustinus, *epist.* 99. Hic sensus probabilis et appositus est.

*Sexto*, S. Chrysostomus et Œcumenius respondent dolores hos non fuisse Christi, nec fidelium, sed ipsius mortis : « Mors enim, inquit, illum detinens doluit, sicut cetus absorpto Jona quasi indoluit, ideoque eum evomuit, » *q. d.* Deus per Christi resurrectionem ipsam mortem a doloribus quasi parturientis liberavit : mors enim et infernus suo utero tantum Christi onus et pondus ferre non volentes, quasi dolorem patiebantur cum eum clauderent, quem tenere et capere non poterant. Verum hoc subtilius est quam solidius et germanius.

*Septimo* ergo et genuine, dolores mortis et inferni metonymice vocantur dolores gravissimi, qui hominibus mortem afferunt eorumque animas in infernum mittunt, ut ibi quasi in tenebris et carcere ineluctabili perpetuo detineantur et degant. Hinc illud *Psal.* XVII, 5 : « Circumdederunt me dolores mortis, etc., dolores inferni circumdederunt me, præoccupaverunt me laquei mortis. » Quo alludit hic Petrus. Unde pro *dolores mortis*, Interpres, II *Reg.* XXII, 5, vertit, *contritiones mortis*; et pro *dolores inferni*, vertit *funes inferni*. Hebræi enim dolores metaphorice vocant חבלי *chable*, id est funes, quia instar funium stringunt et affligunt. Ita S. Basilius et Theodoretus, in *Psal.* XVII, et Suarez, III *part.*, *Quæst.* LII, disp. XLIII, sect. 1.

Sensus ergo est, *q. d.* Deus suscitavit Christum, solutis doloribus mortis et inferni, hoc est, superata per Christi suscitationem morte et inferno cum omnibus doloribus illam comitantibus, puta tum præcedentibus in agonia, passione et cruce; tum qui illam subsequi solent in inferno, *q. d.* Deus per Christum resurgentem dissolvit et destruxit mortis et inferni regnum, cum omnibus suis doloribus et ærumnis. Rursum per hypallagen, dolor mortis et inferni accipi potest mors dolorosa, sive dolor mortalis et infernalis; qualis est morbus vel cruciatus lethalis, qui animam e corpore sua acerbitate avellit et extorquet, *q. d.* Per resurrectionem Deus solvit et abolevit mortem, quæ in Christo fuit dolorosissima. Huc accedit expositio Riberæ in *Osee* cap. XIII, vers. 14, qui sic explicat : « Solutis doloribus mortis, » id est solvens et irritans id, quod per tot dolores et cruciatus mors effecerat, ut scilicet anima Christi a corpore separaretur, dum eam separatam rursum in resurrectione corpori univit. Mors enim et infernus suis ærumnis et doloribus, quasi funibus, videbantur Christi animam et corpus quasi colligata et incarcerata detinere, ut non videretur esse spes inde exeundi et remeandi ad vitam. Sed Deus hæc vincula et hosce funes dissolvit, dum Christum ex iis ad lucem et vitam redivivum reduxit. Morti, sive inferno dat epithetum et titulum « dolorum, » tum quia mors in se est plena doloribus : unde « terribilium omnium terribilissimum est mors, » ait Aristoteles; tum quia proprie significat dolores Christi, quos in passione et morte habuit plurimos et maximos, adeo ut superarint omnes dolores omnium Martyrum. Ita S. Leo, serm. 1 *De Ascensione* : « Post passionem, inquit, ruptis mortis vinculis, quæ vim suam in eum qui peccati erat nescius, incedendo perdiderat, infirmitas in virtutem, mortalitas in immortalitatem contumelia transivit in gloriam. »

Tropologice S. Hieronymus et S. Augustinus, in *Psalm.* XVII : Dolores inferni, inquiunt, sunt



UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ® DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

invidiæ detrahentium et calumniantium et exprobrantium, quæ mortem infernalem operantur, animamque in mortem secundam et infernum præcipitant, quales a Scribis et Judæis passus est Christus, etiam pendens in cruce, dum ab iis audiit : « Vah! qui destruis templum Dei, et in triduo reædificas illud : salva temetipsum. Si Filius Dei es, descende de cruce, » *Matth.* cap. XXVII, vers. 40.

24. Juxta quod impossibile erat teneri illum ab eo, — inferno scilicet et morte : tum quia Christus erat innocentissimus et sanctissimus ; mors autem et infernus sunt pœna et carcer peccatorum ; tum quia Christi divinitas, æque ac humanitatis vis et robur claudi et detineri nequibant morte et inferno, sed potius Christus quasi victor, dominator et triumphator ea sua manu et potestate clausit, imo dissolvit, enervavit, abolevit.

25. David enim dicit in eum. — De eo : ita Syrus, puta de Christo. Vel, « in eum, » id est in persona ejus, ait Cajetanus. David enim in Christi persona hæc dixit :

Providebam Dominum in conspectu meo semper. — *q. d.* In omni mea actione, passione, cruce et morte prospiciebam ad Dominum eumque mihi proponebam, fortiter fortique spe omnia agens et sustinens, quasi decertans pro Deo in ejus conspectu ; perinde ac milites acriter pugnant, dum sunt in conspectu sui ducis. Sciebam enim me jugiter a Deo conspici, ac proinde vicissim jugiter eum conspiciebam, dicens cum Elia : « Vivit Dominus, in cujus conspectu sto, » III *Reg.* cap. XVII, vers. 1 ; ac proinde omnem meam spem, amorem et affectum in Domino me continente defixi, certus quod ex omni tribulatione me liberabit et a morte ad vitam gloriosam suscitabit. Unde subdit : « Quoniam a dextris est mihi, » tanquam hyperaspistes, protector et propugnator, « ne commovear, » etc. « Et caro mea » crucifixa, mortua et sepulta « requiescet in spe » resurrectionis, quod scilicet tertio die eam a morte ad vitam suscitabis. Ita Sancti omnes ambularunt in conspectu Dei, cogitantes se semper et ubique præsentem habere Deum, ac in ejus præsentia omnia operari et pati, ideoque per omnia studuerunt ei placere. Hic enim acer est stimulus ad virtutem. Unde S. Ephrem, serm. *De Virtute*, cap. X, asserit, « continua Dei recordatione animæ passiones recedere, instar maleficorum prætore accedente. » Hinc Deus præcepit Abrahæ : « Ambula coram me, et esto perfectus, » *Gen.* XVII, 1. Vide ibi dicta. S. Basilius, Admonit. *ad filium spiritalem* : « Memento, ait, te sub Domini conspectibus stare, qui occulta cordis prospicit et abdita mentium novit. Quodcumque opus inchoaveris, primo invoca Dominum, et ne desinas gratias agere, cum perfeceris illud. Quære Dominum, et invenies eum : nec dimittas cum tenueris, ut copuletur mens tua in amore ejus. Hoc stude in vita tua, ut orationem puram offeras Deo. Qualem cupis erga te esse Dominum, talis esto ipse erga conservum tuum. In omni opere quod cogitas facere, prius examina si secundum Dominum est, quod cogitas. Et si rectum est coram Deo, perfice : si vero adversum fuerit repertum, amputa illud ab anima tua. »

A dextris est mihi. — *q. d.* Mihi Christo, qua homo sum, Deus Pater proxime adest et assistit, ut me protegat, conservet et resuscitet ; Deus vero Filius mihi assistit quasi hypostasis, et suppositum me sustentans, per unionem hypostaticam, quam nunquam dissolvet : ac proinde esto in morte separetur anima a corpore, tamen divinitas utrique manebit unita ; perinde ac qui panem manu frangit, partes panis a sese invicem separat, sed utramque manu retinet, unam dextra, alteram sinistra.

Ne commovear. — « Sed stabiliter in eo permaneam, » ait S. Augustinus, *in Psalm.* XV.

27. Quoniam non derelinques animam meam in inferno. — Ergo de fide est Christi animam post mortem descendisse ad inferos, ut habet Symbolum Apostolorum. Ita S. Ambrosius, serm. 74 *De Mort.*; S. Hieronymus, *in Psal.* XV ; S. Augustinus, *epist.* 99, et alii passim. Inepte ergo et impie Beza secutus Calvinum, vertit : « Non derelinques cadaver meum in sepulcro ; » animam in cadaver, infernum in sepulcrum inaudita metamorphosi histrionica levitate transmutans. Negat enim ipse cum suo Calvino Christum descendisse ad inferos, itaque reipsa tollit hunc articulum e Symbolo : « Descendit ad inferos, » dum eum ita interpretatur, ut idem sit quod descendit ad sepulcrum : explicat enim, inquit, (imo obscurat, depravat et evertit) id quod præcessit : « Et sepultus est. » Inepte, inquam. Nam, ut alia taceam, opponitur hic anima carni. De carne enim præcessit : « Caro mea requiescet in spe ; » et sequitur : « Non dabis Sanctum tuum videre corruptionem, » scilicet in sepulcro. De anima vero per antithesin subjungit : « Non derelinques animam meam in inferno. » *Secundo*, quia Græcum ᾅδης semper *infernum*, nunquam *sepulcrum* significat. Vide Bellarminum, lib. IV *De Anima Christi*, cap. XII. Nota τὸ *quoniam* : hæc enim vox dat causam ejus quod præcessit : « Et caro mea requiescet in spe, » *q. d.* Ideo caro mea secure in sepulcro quiescet in spe resurrectionis, quoniam tu, Domine, non derelinques animam meam in inferno, uti prædixisti et promisisti per Davidem, *Psal.* XV, sed tertio die eam ex inferno ad sepulcrum reduces, ut carnem rursum induat, vivificet et glorificet.

Christus vere descendit in infernum.

Inepte rursum Calvinus et Brentius censent *descendere in infernum* idem esse quod exstingui, perire et interire, *q. d.* inquit Calvinus : Non sines animam meam interire et exstingui, quia divinitate suffulta est. Unde recte inferas cæterorum hominum animas, quæ unione hypostatica divinitatis non suffulciuntur, interire et exstingui, perinde ac animas brutorum. Vide hic ut Calvinus viam sternat atheis et atheismo.



Nec dabis (אַל תִּתֵּן *al titten*, id est *non sines*, *non permittes*) Sanctum tuum. — Græce est vox masculina τὸν ὅσιον, qua notatur Christus, qui est *Sanctus* per antonomasiam, utpote Sanctus Sanctorum, *q. d.* Non sines, o Domine, me Christum secundum corpus corrumpi, quia sum Sanctus Sanctorum, quem non decet corruptio, sed incorruptio et immortalitas. Ubi nota : Sola unio hypostatica non sufficiebat (esto id exigebat) servare Christi corpus a corruptione ; sed præter eam requirebatur actio physica divinitatis, quæ corpus conservaret, et tueretur ab aere, humoribus aliisque rebus quæ corpora mortua corrumpere et putrefacere solent. Unde S. Augustinus, *in Psal.* XV, hunc locum sic exponit, *q. d.* « Neque sanctificatum corpus, per quod alii sanctificandi sunt, corrumpi patieris. » Idipsum ad sanguinem a Christo patiente effusum extendunt Durandus et Gabriel, quos citat et sequitur noster Suarez, III *part.*, tom. II, disp. XLVII, sect. 3, scilicet sanguinem hunc in triduo mortis Christi non fuisse corruptum, uti corrumpi solet sanguis ab aliis hominibus effusus, eo quod eum a corruptione tutaretur Verbi divinitas, cui, æque ut ante, manebat hypostatice conjunctus, ut fuse ibidem probat Suarez, atque id definitum videri a Clemente VI et Pio II. Contrarium tamen, scilicet sanguinem Christi in triduo mortis ejus corruptum fuisse, mansisse tamen unitum hypostatice Verbo, non est improbabile : licet enim corruptus fuerit quoad formam vitalem (sive illa sit anima, sive alia) quam habuerat in corpore Christi vivo, idem tamen mansit incorruptus quasi sub forma cadaveris sibi accommodata ; atque eo modo quo mansit ille sanguis quasi mortuus, seu quasi cadaver sanguinis, ita pariter mansit unitus Verbo.

Videre, — id est sentire, experiri. Est catachresis : visus enim omnium sensuum nobilissimus, pro quolibet sensu ponitur in Scriptura : hic pro tactu ponitur.

Corruptionem. — Christi viventis corpus vidit corruptionem, quia mortuum est : mors enim est hominis et vitæ corruptio. Christi vero morientis corpus non vidit corruptionem, Græce διαφθοράν, puta putrefactionem et incinerationem. Cæterorum enim hominum corpora post mortem putrefiunt : ex putrefactione nascuntur vermes et bufones, qui carnem usque ad ossa depascuntur : quo facto ipsi, deficiente alimento, moriuntur, putrescunt, et in sua elementa, terram et aquam, resolvuntur. Cadaver ergo abit in putredinem et vermes, inde in terram, itaque impletur prima Dei in hominem peccantem sententia : « Pulvis es, et in pulverem reverteris, » *Gen.* III, 19. Christi vero corpus ab hac sententia immune fuit, tum quia peccato immune et sanctum ; tum quia hypostatice unitum erat Verbo ; tum denique quia passione sua meruit dominium mortis et corruptionis, ejusque exterminium per suscitationem sui et nostri.

28. Notas mihi fecisti (Syrus, *manifestasti*, ostendisti, exhibuisti) vias (Hebr. et Syriace, *viam*) vitæ, — id est, me ex morte et inferno ad vitam reduxisti et revocasti. Resurrectio enim et glorificatio corporis sunt viæ quibus Christus progressus est ad vitam immortalem et gloriosam, nosque progredi faciet in universali resurrectione. Unde pro « notas mihi fecisti, » Hebr. est תּוֹדִיעֵנִי *todieni*, quod cum sit futurum in Hiphil, proprie significat, *facies me docere*, notas facere, demonstrare vias vitæ, ut scilicet eas ostendam et exhibeam, tum Patriarchis et Sanctis mecum resurrecturis, tum meis fidelibus in die judicii mea virtute resurrecturis. Hæ vocantur *viæ vitæ*, tum quia ducunt ad novam resurgentium vitam ; tum quia ducunt in cœlum, quæ est terra vitæ et viventium. Hinc Theologi docent quod Christus in hac vita fuerit viator usque ad resurrectionem, operando et merendo nobis salutem, sibi resurrectionem ; esto simul fuerit comprehensor, quia anima ejus videbat Dei essentiam, eaque visione erat beata.

Tropologice S. Augustinus, *in Psalm.* XV, exponit, *q. d.* : « Notas fecisti per me humilitatis vias, ut ad vitam redirent homines, unde per superbiam ceciderant ; in quibus quia ego sum, notas mihi fecisti. » Christus enim est via, veritas et vita. S. Bernardus, serm. 1 *in festo Apost. Petri et Pauli* : « Putas, ait, parva res est, scire vivere? Magnum aliquid, imo maximum est. Non vivit qui superbia inflatur, qui luxuria sordidatur, qui cæteris inficitur pestibus ; quoniam non est hoc vivere, sed vitam confundere et appropinquare usque ad portas mortis. Bonam autem vitam ego puto et mala pati, et bona facere, et sic perseverare usque ad mortem. » Et paulo post : « Arbitror autem quod tu, qui in congregatione es, bene vivis, si vivis ordinabiliter, sociabiliter et humiliter. Ordinabiliter tibi, sociabiliter proximo, humiliter Deo. Ordinabiliter, ut in omni conversatione tua sollicitus sis observare vias tuas, et in conspectu Domini, et in conspectu proximi : cavens et tibi a peccato, et illi a scandalo. Sociabiliter, ut studeas amari et amare, blandum te et affabilem exhibere ; supportare non solum patienter, sed et libenter infirmitates fratrum tuorum, tam morum quam corporum. Humiliter, ut cum hæc omnia feceris, spiritum vanitatis studeas exsufflare, qui ex hujusmodi nasci solet ; et quantumcumque illum senseris, negare consensum. » Et S. Ambrosius, *serm.* 22 : « Martyres, inquit, sicut viam passionis Christi experti sunt, ita experientur et vitæ. Scriptum est enim : Notas mihi fecisti vias vitæ. Hoc utique in resurrectione ex persona dicitur Salvatoris, ut qui dum post mortem ab inferis redit ad superos,

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ® DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

incipiat notam habere viam vitæ, quæ ante habebatur ignota. » Et mox : « Notas enim mihi fecit vias vitæ, cum me docuit fidem, misericordiam, justitiam, castitatem. His enim pervenitur itineribus ad salutem : et licet nos in resolutione corporis mortis umbra circumdet, tamen gressus suos vita non deserit, sed inter ipsas medias inferni leges, inoffenso Christi virtutibus ambulamus. Unde ait S. Propheta : *Nam etsi ambulavero in medio umbræ mortis, non timebo mala quoniam tu mecum es.*

Replebis me jucunditate cum facie tua, — id est coram facie tua, præsente facie tua : ita S. Hieronymus et Chald. ; puta, cum faciem tuam, id est te mihi præsentem et benevolum exhibueris, *q. d.* Replebis me omni gaudio et lætitia, tam in corpore, quam in anima, cum mihi resuscitato ostendes faciem tuam, ut jam non tantum anima, uti factum est in triduo mortis meæ, tuam faciem videat eaque beetur; sed et corpus per animam eamdem conspiciat eaque fruatur; præsertim quia ab ea, mediante gloria animæ, hauriet impassibilitatem, claritatem aliasque dotes gloriosas. Unde S. Hieronymus, *in Psalm.* XV, vertit : « Ostendes mihi plenitudinem lætitiarum ante vultum tuum. » Quocirca subdit Psaltes : « Delectationes in dextera tua usque in finem, » *q. d.* Sedens ad dexteram tuam, id est in summis gloriæ tuæ bonis, tibi proximus et vicinissimus, perennes inde delectationes hauriam.

29. De patriarcha David. — Probat citatum locum, *Psalm.* XV : « Nec dabis Sanctum tuum videre corruptionem, » non competere Davidi, eo quod ipse defunctus, sepultus et corruptus sit, sed Christo post triduum mortis resurgenti (1).

Et sepulcrum ejus est apud nos. — *q. d.* Corpus Davidis usque ad hunc annum jacuit in sepulcro : ergo corruptum, putrefactum et in pulverem redactum fuit. Ergo David non de se, sed de Christo prophetavit, cum dixit : « Non dabis Sanctum tuum videre corruptionem (2). » Nota : Caute dicit S. Petrus : « Sepulcrum ejus est apud nos, » non corpus, aut caro ejus : quia videtur David paulo ante inter alios Patriarchas, puta Adam, Abraham, Isaac, Jacob, Mosen, etc., cum Christo ex sepulcro resurrexisse, *Matth.* XXVII, 53, ac proinde amplius non fuisse in sepulcro. Nam verius est Sanctos qui cum Christo resurrexerunt, non rediisse ad mortem et sepulcrum, sed resurrexisse ad vitam immortalem atque cum Christo in corpore et anima gloriosos et triumphantes ascendisse in cœlum. Hoc enim decebat triumphum Christi, ut cum in corpore glorioso triumpharet, haberet pariter Sanctos in corpore triumphi sui asseclas et stipatores, quos quasi captivitatem et prædam morti ereptam, triumphans secum duceret in cœlum. Hoc etiam decebat ipsos Sanctos, quibus sane miserius fuisset rursum mori, quam optabile resurgere ad vitam tam brevem. Adde, animæ eorum jam erant beatæ, ac proinde par erat eas non uniri corporibus nisi gloriosis et immortalibus. Ita Origines, S. Hieronymus, Beda, Anselmus, D. Thomas, in *Matth.* XXVII, 53 ; Clemens Alexandrinus, lib. VI *Strom.*; Eusebius, lib. IV *Demonstr.*, cap. XII ; Epiphanius, *hæresi* 75, et passim Recentiores.

30. De fructu lumbi ejus. — In lumbis enim est origo seminis, quod ex iis per venas in membra generationi destinata descendit. Fructus ergo lumbi, vel ventris, ut vertit Syrus, sunt proles et posteri. Nota : Textus Græcus hic addit κατὰ σάρκα ἀναστήσειν τὸν Χριστὸν, *q. d.* Sciens quod Deus sibi jurasset de fructu lumbi ipsius, nimirum Christum, secundum carnem suscitaturum, vel resurrecturum (nam τὸ ἀναστῆσαι, vel active *suscitaturum*, vel passive *resurrecturum* vertas), quem collocaret super sedem ejus. Vel, ut Œcumenius, *q. d.* Cum jurasset de fructu ventris ponere super sedem ejus, secundum carnem resurrecturum Christum prævidens, locutus est de ejus resurrectione. Verum hæc verba nec habet Syrus, nec noster Interpres, et sine iis sensus constat. Unde Erasmus suspicatur ea in Græco ab erudituło quopiam, cui sensus non videbatur esse adeo clarus et absolutus, fuisse adjecta in margine, indeque postea in textum esse translata.

Sedere super sedem ejus, — occupare regnum Davidis patris sui in ejusque throno quasi regem sedere. Hoc Christi regnum non fuit temporale, uti Davidis, sed spirituale et æternum. Regnum ergo Christi est Ecclesia, primum in Judæa, deinde per totum orbem sparsa, jam militans, quæ in fine mundi erit triumphans. Christus enim stirpem et regnum Davidis collapsum restituit, sed augustius et nobilius : nam pro terreno cœleste, pro caduco perenne substituit. Hanc regni sui instaurationem a Prophetis promissam, avide Judæi tempore Christi exspectabant, uti etiamnum exspectant. Unde Gabriel nuntians Deiparæ Christi conceptionem et incarnationem, *Lucæ* I, 32 : « Hic, inquit, erit magnus et Filius Altissimi vocabitur, et dabit illi Dominus sedem David patris ejus, et regnabit in domo Jacob in æternum, et regni ejus non erit finis. » Quare frustra miseri et abjecti Judæi hoc sui Messiæ regnum carnale, exile et caducum præstolantur.

(1) « Liceat audenter dicere ad vos de patriarcha David. » Pro *audenter* Græcum habet παῤῥησίας, quæ vox sæpissime in *Actis* est *libertas dicendi*. Benigna igitur est compellatio, concilians audientium animos, quod singularis esset et eximia de Davide existimatio Judæorum, de quo tamen illa recitata accipi non posse, Petrus erat demonstraturus ; *q. d.* Salvo respectu, quem Davidi debeo et ipse, id tamen libere profiteri licebit, etc.

(2) « Et sepulcrum ejus apud nos est. » Quum alia sepulcra extra urbem essent, monumentum Davidis et familiæ ejus in ipsa urbe erat (Vid. *Neh.* III, 16), et hujus haud semel meminit Josephus, e. g. *Antiq.* XIII, VIII, 4 ; XVI, VII, 1.



31. Providens, — προϊδὼν, id est *prævidens*. Ita Syrus.

Quia neque derelictus est in inferno, — quoad animam, sed illa ex eo egrediens ad sepulcrum carnem suam resumpsit, et cum ea gloriosa resurrexit.

33. Dextera igitur Dei exaltatus, — dum per dexteram, id est potentem Dei virtutem et operationem, quasi victor et triumphator peccati, mortis, dæmonis et inferni, gloriose resurrexit et ascendit in cœlum.

Promissione Spiritus Sancti accepta a Patre. — *q. d.* Christus accepit a Patre potestatem promittendi et mittendi Spiritum Sanctum, vel accepit a Patre, ut posset mittere in Apostolos Spiritum Sanctum quem eis promiserat. Nam Deus Pater quasi promisit Christo, Christus nobis, Spiritum Sanctum.

Effudit hunc (Spiritum Sanctum) quem vos videtis (in linguis igneis) et auditis, — per os nostrum variis linguis loquentium magnalia Dei. Hinc Patres probant contra Arianos, Christum esse Deum. Nam « quomodo Deus non est, qui dat Spiritum Sanctum ? Imo quantus Deus est, qui dat Deum ? » ait S. Augustinus, lib. XV *De Trinit.*, cap. XXVI.

34. Non enim David ascendit in cœlum. — *q. d.* Ergo David cum ait, *Psal.* CIX, uti jam citabo, « Sede a dextris meis, » non de se loquitur, sed de Christo resuscitato, quia ascendit in cœlum, sedetque ad dextram Patris, ac inde effudit Spiritum Sanctum in nos. Romæ quidam eruditus, Rabbino-Christianus, mihi asseruit S. Petrum hoc dixisse contra μετεμψύχωσιν Pythagoræ : censuit enim Pythagoras animas de uno corpore in aliud transmigrare. Qui error Hebræos quoque pervasit : unde dicunt ipsorum Cabalistæ, Adam tres habere litteras, quæ singulæ virum illustrem significant : *prima* est A, quæ significat Adamum ; *secunda* est D, quæ significat Davidem ; *tertia* est M, quæ significat Messiam, sive Christum. Hos ergo tres facere Adam, id est unum quasi hominem ; eo quod anima Adæ migrarit in Davidem, et ex Davide in Christum. Quocirca S. Petrum hunc errorem hic perstringere, ac dicere animam Christi, non Davidis, ascendisse in cœlum. Ita ipse. Nam alias, inquit, quis nescit David esse mortuum, nec ascendisse in cœlum ? Aut quis alius unquam deliravit dixitque quod David ascenderit in cœlum, ut Petro idipsum hic refutandum esset ? Favet, quod simili ratione Herodes putabat animam Joannis Baptistæ, a se occisi, transmigrasse in Christum, *Matth.* XIV, 2. Et Judæi animam Phinees censent transmigrasse in Eliam, Eliæ vero animam in Joannem Baptistam. Unde eum interrogant : « Elias es tu ? » *Joan.* I, 21.

Judæorum μετεμψύχωσις. Cabala Adam.

Dixit autem ipse. — Hinc patet quod David sit auctor *Psal.* CIX, non Melchisedech, nec Eliezer, servus Abraham, aut quis alius, uti fingunt Rabbini. Canit enim David illo psalmo non Abrahæ, nec Davidis, nec Ezechiæ, uti somniant Judæi, sed Christi regnum per resurrectionem et ascensionem in cœlo et in terra, quo ex Sion cœpit regnare in omnes gentes, donec impios conterat in die judicii.

Dixit. — Hebr. נאם *neum*, id est dictum, effatum, pronuntiatum, decretum, oraculum Domini de Christo Domino meo.

Dominus (Deus Pater) Domino meo. — Hebr. אדני *adoni*, *q. d.* Christo, qui meus, puta Davidis, cum sit filius, est tamen et Dominus, non tantum qua Deus est, sed et qua homo. Nam qua homo, jure et titulo redemptionis, æque ac unionis hypostaticæ, qua in immensum omnes homines et angelos antecellit, omnium hominum et angelorum, ac consequenter meus, id est Davidis, est Dominus. « Dixit » ergo Deus Pater Christo homini, cum triumpho ascendenti in cœlum :

Sede a dextris meis, — id est mihi proximus in summa mea gloria regna. Ita S. Hieronymus et Theodoretus, *in Psal.* CIX. Quomodo Christus sedeat ad dextram Dei, fuse explicui *Colos.* III, 1.

Citant hunc Psalmi CIX versum Christus, *Matth.* XXII, et S. Paulus, *Hebr.* I, 13, ex eoque probant Christum esse majorem angelis, esseque Deum : hoc enim dominium in Davidem omnesque homines Christus homo obtinuit, non vi humanitatis, sed unionis hypostaticæ, quia scilicet ipse non est purus homo, sed homo Deus.

35. Donec ponam inimicos tuos (in die judicii) scabellum pedum tuorum, — ut scilicet plane victi, tibi tuisque pedibus subjecti sint, et substrati quasi vile scabellum. Sic Sapores, rex Persarum, Valerianum Imperatorem bello victum fecit scabellum pedum : dorsum enim quasi scabellum præbebat pedibus Saporis in equum ascensuri, inquit Eutropius et Victor in *Valeriano*. Idem fecit Tamberlanes Bajazeti, Turcarum Imperatori victo et capto. Nota : τὸ « donec » non significat quod eousque duntaxat sessurus sit Christus ad dexteram Dei, quasi deinceps non sit sessurus et regnaturus ; sed potius contrarium, *q. d.* Sede et regna apud me donec omnes hostes tibi subjiciam, quando longe magis sedebis et regnabis : nam non tantum apud me, sed toto orbe dominaberis, quia omnes hostes tibi subjugabo. Simile est *Matth.* I, 25 : « Non cognoscebat eam donec peperit filium suum, » *q. d.* B. Virgo non concepit ex Joseph, quia non cognovit eam usque ad partum ; multo minus cognovit eam post partum. Porro *inimicos* vocat infideles, Saracenos, Paganos, hæreticos omnesque impios, qui Christo noluerunt se subjicere et obedire.

Omnis domus (id est tota familia, tota posteritas, tota gens) Israel, — id est Jacobi patriarchæ.

36. Quia et Dominum eum, et Christum fecit Deus, hunc Jesum. — *q. d.* Deus Pater evexit Jesum ad hoc dignitatis fastigium, ut sit Dominus universorum et Christus sive Messias, hoc

ALERE FLAMMAM VERITATIS
UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ®
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

est, unctus gratiæ plenitudine, de qua omnes accepimus : evexit, inquam, eo ipso quo eum divinæ personæ et naturæ in incarnatione univit. Quare perperam Ariani hæc verba torquent contra divinitatem Christi; *q. d.* Petrus : Christus non fuit Deus et Dominus per naturam divinam, sed a Deo Patre factus et denominatus est per communicationem divinæ auctoritatis et potestatis. Nam S. Petrus loquitur de Christo, non qua Deus, sed qua homo est : Jesus enim est nomen proprium hujus hominis, et qua homo factus est Dominus omnium, et Christus orbisque redemptor, dum a Judæis crucifixus est. Ita S. Cyrillus, lib. IX *Thesauri*, cap. III; S. Basilius, lib. IV *Contra Eunomium*, et alii. Perperam quoque Theodorus Mopsuestenus docens Christum fuisse merum hominem, quia sua sanctitate meruerit conjunctionem cum divina natura, idipsum ex hoc loco probabat. Audi Vigilium : « In suprascripto XXXIX cap. rursum illud quod B. Petrus dixit, *Actor.* II, Jesum a Nazareth, quem unxit Deus spiritu et virtute, exponens dicit, per unctionem spiritus quod meruit, et immaculatum eum per omnia factum, et ad divinam naturam meruisse conjunctionem : quæ verba Christum purum hominem aperte significant. Qui ergo hæc ita sapit, docet, credit, aut prædicat, anathema sit. » Ita Vigilius papa in codice Vaticano, quem citat Baronius, anno Christi 553, pag. 417.

Quem vos crucifixistis. — Hic ingens est stimulus quo S. Petrus mira libertate et sinceritate pupugit corda Judæorum, *q. d.* Videte quantum scelus commiseritis : crucifixistis enim Jesum, id est Salvatorem mundi, qui est Dominus universorum et Messias, sive Christus vester. Unde notat S. Chrysostomus multos ex Judæis, qui coram Pilato contra Christum clamaverant : « Crucifige, crucifige eum, » huic Petri concioni interfuisse, eaque compunctos se ad Christum, quem crucifixerant, convertisse.

37. Compuncti sunt, — intimo dolore et contritione, quod Christum occidissent et sprevissent. Utrum hic miremur magis, Christine in suos parricidas potenti[illegible] an clementiam? an potius utramque? Clem[illegible]ia enim eos ad pœnitentiam vocavit, et pœ[illegible]tentes in gratiam recepit habuitque loco [illegible]arissimorum filiorum : potentia mentes eor[illegible] hostiles et saxeas compunxit, et comm[illegible]vit fecitque benevolas et amicas, ut Christum, quem antea summe oderant, diligerent. Hæc mutatio dexteræ Excelsi. Hæc vis compunctionis.

Præclare S. Bernardus, tract. *De Modo bene vivendi*, serm. 10 : « Maria Magdalena, inquit, per compunctionem et lacrymas meruit a Domino audire : Remittuntur tibi peccata tua. Bona compunctio thesaurus est desiderabilis, et inenarrabile gaudium in mente hominis. Anima quæ in oratione habet compunctionem, proficit ad salutem. Lacrymæ pœnitentium pro baptismate reputantur apud Deum. Compunctio cordis sanitas est animæ. Compunctio lacrymarum remissio est peccatorum. Compunctio Spiritum Sanctum adducit ad se, quia cum Spiritu Sancto mens visitatur, statim homo peccata sua plorat. » Subdit deinde quatuor causas et motiva compunctionis : « Ploramus enim, inquit, propter peccata nostra, et propter miseriam hujus mundi, ac propter compassionem proximi, et propter dilectionem cœlestis præmii. Propter peccata flebat ille qui dicebat : Lavabo per singulas noctes lectum meum, lacrymis meis stratum meum rigabo. Idem de miseriis hujus mundi gemebat, cum dicebat : Heu mihi, quia incolatus meus prolongatus est! Habitavi cum habitantibus Cedar, multum incola fuit anima mea. Dominus per compassionem flevit super Lazarum et super civitatem Jerusalem, dicens : Quia si cognovisses et tu. Etiam Paulus Apostolus, qui præcepit gaudere cum gaudentibus, et flere cum flentibus, per compassionem dolebat, dicens : Quis infirmatur, et ego non infirmor? Cum dilectione cœlestis præmii plorabant justi dicentes illud Psalmistæ : Super flumina Babylonis, illic sedimus et flevimus, dum recordaremur tui Sion, » etc. Actus vero heroicus effectusque compunctionis est, quem assignat S. Chrysostomus, lib. II *De Compunctione*, dicens : « Hoc est humiliati cordis vera compunctio, magna agere et humilia loqui : justa operari et super peccatores timere ac tremere. »

38. Pœnitentiam agite. — Pœnitentiæ ante baptismum requisita et necessaria est contritio, non perfecta, quæ est dolor de peccatis ex amore Dei, quia scilicet homo per eum Deum super omnia diligit, quem olim offendit : quem tamen requirit Navarrus in *Enchirid.*, cap. I, n. 38; sed imperfecta, quæ a Theologis dicitur attritio, estque dolor de peccatis ob metum gehennæ et damnationis. Hac enim dispositione posita, baptismus, qui est regeneratio animæ, ei gratiam, quasi novam primamque Spiritus vitam infundit : alioqui, si contritio perfecta requireretur, cum hæc manet ex perfecto amore Dei, ideoque hominem justificet et vivificet, sequeretur vitam requiri ante vitam; nec baptismum regenerare, sed contritionem illi præviam. Excitandi tamen sunt pœnitentes baptizandi ad veram contritionem, utpote perfectiorem, uti Petrus hic eos, licet compuncti essent, excitat ad compunctionem augendam, declarandam et perficiendam.

Baptizetur unusquisque vestrum in nomine Jesu Christi, — puta in fide, professione, virtute, meritis et baptismo Jesu Christi (non Joannis Baptistæ, aut Pharisæorum, qui sua multaque habebant baptismata), credendo et profitendo hunc esse Christum, unicumque mediatorem a Deo Patre propositum ad assequendam remissionem peccatorum, justitiam et salutem. Porro baptismus Christi est is qui confertur in nomine SS. Trinitatis, dicendo : Ego te baptizo in nomine Patris,



et Filii, et Spiritus Sancti. Tres enim personæ SS. Trinitatis (hujus enim confessio et professio est baptismus) explicite et distincte in baptismo exprimendæ sunt. Licet enim de hac re olim nonnulli dubitarint, imo negarint id esse necessarium, censentes sufficere ut baptizans dicat : « Ego te baptizo in nomine Jesu Christi, » eo quod id hic dici videatur, tamen contrarium declaravit et definivit Ecclesia. Vide Franciscum Suarez, III *part.*, tom. III, disp. XXI. Adde, fortasse Apostolos primis illis temporibus, formæ baptismi addidisse nomen Jesu Christi dicendo : Ego te baptizo in nomine Patris, et Filii Jesu Christi, et Spiritus Sancti, ut huic novo nomini fidem, amorem et reverentiam conciliarent. Quare certum est S. Petrum, antequam hosce pœnitentes baptizaret, catechizasse eos ac docuisse mysterium SS. Trinitatis aliosque symboli articulos; ac deinde eos in nomine S. Trinitatis baptizasse : quæ omnia compendio perstringens S. Lucas, ait eum dixisse : « Baptizetur unusquisque vestrum in nomine Jesu Christi. » Nam, ut notat S. Augustinus, lib. III *Contra Maximin.*, cap. XVII, una persona SS. Trinitatis aliam non excludit, sed includit : quocirca Scriptura nunc unam, nunc aliam, nunc omnes nominat, ut significet omnes tres esse ejusdem essentiæ et potentiæ. Et Theophylactus, in fine *Evang.* : « Christi, id est uncti, nomen, inquit, in se continet et Patrem ungentem, et unctionem Spiritum, et unctum Filium. »

Tropol. Vivendum est Christo. Tropologice S. Chrysostomus, hom. 12 in II *ad Corinth.* : « Cum, inquit, per Jesum Christum mortuum vivamus, ei utique ob quem vivimus, vivere debemus. » Et S. Bernardus, serm. *De quadruplici Debito* : « Christo Jesu, inquit, debes omnem vitam tuam, quia ipse vitam suam posuit pro tua, et cruciatus amaros sustinuit, ne tu perpetuos sustineres. » Ac post multa ita concludit : « Cum ergo ei donavero quidquid sum, quidquid possum, nonne istud est sicut stella ad solem, gutta ad fluvium, lapis ad montem, granum ad acervum? » Idem, tract. *De Dilig. Deo* : « Si totum me debeo pro me facto, quid addam jam pro refecto, et refecto hoc modo? Nec enim tam facile refectus quam factus; nam qui me semel, et tantum dicendo fecit, in reficiendo profecto et dixit multa, et gessit mira, et pertulit dura; nec tantum dura, sed et indigna. In primo opere me mihi dedit, in secundo se; et ubi se dedit, me mihi reddidit. Datus ergo et redditus, me pro me debeo, et bis debeo. Quid Deo retribuam pro se? Nam etiamsi me millies rependere possem, quid sum ego ad Deum? » Idem, serm. 20 in *Cant.* : « Dignus plane est morte, qui tibi, Domine Jesu, recusat vivere, et mortuus est; et qui tibi non sapit, desipit; et qui curat esse nisi propter te, pro nihilo est, et nihil est. Propter temetipsum, Deus, fecisti omnia, et qui vult esse sibi et non tibi, nihil esse incipit inter omnia. »

Et accipietis donum Spiritus Sancti. — *Primo*, *q. d.* Accipietis ipsum Spiritum, qui est primum et increatum Dei donum, uti ostendi, vers. 4. *Secundo*, *q. d.* Accipietis gratiam et justitiam, quæ est donum Spiritus Sancti. *Tertio*, Franciscus Suarez, tract. *De Sacramento Confirmationis*, disp. XXXII, sect. 1, per « donum Spiritus Sancti » accipit gratiam sacramenti Confirmationis, quæ eximia est et singulare donum Spiritus Sancti. Unde sacramento Confirmationis hunc effectum tribuit Scriptura, quod conferat Spiritum Sanctum, ut patet *Act.* VIII et cap. XIX. Olim enim cum grandævi baptizabantur, mox a baptismo conferebatur eis sacramentum Confirmationis.

39. Vobis enim est repromissio, — ad vos quasi filios Abrahæ, pertinet promissio Abrahæ facta de Christo, quod scilicet per eum benedicendæ, id est justificandæ et salvandæ, essent omnes gentes, *Gen.* XXII. Hæc ergo promissio est de Christo, ac consequenter de Spiritu Sancto, quem æque ac Apostoli recepturi erant in baptismo, si crederent in Christum.

Omnibus qui longe sunt, — a Deo, Ecclesia, fide et salute, puta Gentilibus, quibus ait Apostolus, *Ephes.* II, 12 : « Eratis illo in tempore sine Christo, alienati a conversatione Israel, et hospites testamentorum, promissionis spem non habentes et sine Deo in hoc mundo. Nunc autem in Christo Jesu vos qui aliquando eratis longe, facti estis prope in sanguine Christi. »

40. Testificatus est, — διεμαρτύρετο, id est quasi testibus adhibitis asseverabat, confirmabat et contestabatur vera esse sua dicta et dogmata de Christo. Testes hi erant, tum Scriptura et prophetiæ de Christo, tum commemoratio sanctitatis et miraculorum vitæ et passionis Christi, tum ipsi Apostoli cæterique fideles, quin et ipsi Judæi, qui Christi vitam, miracula et mortem viderant.

Exhortabatur. — Syrus, *postulabat*, vel *efflagitabat ab eis*.

Salvamini a generatione ista prava. — *q. d.* Per fidem et baptismum Christi vitamque Christianam segregate vos ab hoc sæculo infideli et impio, puta a Judæis et Gentibus infidelibus et impiis, ut salvetis animas vestras. Præclare S. Eucherius, epist. *ad Valerianum* : « Vera, inquit, beatitudo est, sæculi beatitudinem spernere, neglectisque terrenis in divina flagrare. Abrumpatur illa interminabilis sæcularium negotiorum catena. Nihil est magnum re, quod parvum tempore : nec longis dilatatur gaudiis, quidquid arcto fine concluditur. »

Moraliter nota, conversationem cum sæcularibus et impiis esse periculosam ac ducere ad interitum æternum. Pauci enim tam fortes et constantes sunt, ut tot pravis exemplis, sermonibus, invitationibus, irrisionibus, minis, etc., impiorum semper resistant, nec iis se ad eorum mores flecti sinant. Qui ergo sapit, cum Loth fugiat de Sodoma, ne ejus incendio afficiatur. Verum enim est illud *Eccles.* XIII : « Qui tetigerit picem, inqui- Moralit. De conversatione cum impiis fugienda.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
ALERE FLAMMAM VERITATIS
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS ®

nabitur ab ea; et qui communicaverit superbo, induet superbiam. » Et illud S. Hieronymi, *epist.* 7 : « Proclivis est malorum imitatio, et quorum virtutes assequi nequeas, cito imitaris vitia. » Nam, ut ait S. Cyprianus, lib. *De Spectac.*, « nihil facilius, quam ut superbia superbiam, iracundia iracundiam, omne denique vitium, sui generis vitium in aliorum animis pariat, non modo nescientibus et non advertentibus, sed sæpe etiam invitis. » Exemplo est S. Augustinus, qui lib. II *Confess.*, cap. III et IX, deplorat quod juvenis inter coætaneos suos jactantes vitia sua, ipse etiam simulabatur non modo ad eadem facienda, sed etiam ad fingenda quæ non fecerat, ne videretur abjectior, quo erat innocentior; et ne vilior haberetur, quo erat castior. Nimis enim contagiosam rem esse malos sodales, cum dicitur : « Eamus, faciamus, et pudet non esse impudentem. » Similis huic concioni Petri est concio S. Joannis, *Epist.* I, cap. II, dum ait : « Nolite diligere mundum, neque ea quæ in mundo sunt. Si quis diligit mundum, non est charitas Patris in eo. Quoniam omne quod in mundo est, concupiscentia carnis est, et concupiscentia oculorum, et superbia vitæ. » Et S. Leonis serm. 5 *De Quadrages.* : « Plena, ait, omnia periculis, plena laqueis. Incitant cupiditates, insidiantur illecebræ; blandiuntur lucra, damna deterrent; amaræ sunt obloquentium linguæ, nec semper veracia sunt ora laudantium. » Quocirca sapienter S. Bernardus, *epist.* 103 : « Beatus, inquit, qui post illa non abiit quæ possessa onerant, amata inquinant, amissa cruciant. » Vide S. Ambrosium, lib. *De Fuga sæculi.*

41. Appositæ sunt — Ecclesiæ et cœtui fidelium qui tum collecti erant pauci numero, puta 120, super quos descendit Spiritus Sanctus. Sic ait Jeremias, L, 5 : « Apponentur ad Dominum fœdere sempiterno. »

Animæ, — homines. Est synecdoche : pars enim ponitur pro toto.

Tria millia. — Vide hic fructum sanguinis Christi : vide et linguam igneam Spiritus Sancti, per os Petri jaculantem ignea verba quasi tela, quibus totum auditorum cœtum amore Christi accendit et inflammavit. Erant hæ primitiæ fervoris et spiritus.

42. Erant autem perseverantes, — προσκαρτεροῦντες, id est *perdurantes magna continuaque instantia et constantia.* Vide dicta cap. I, 14.

In doctrina Apostolorum, — audienda, ruminanda, meditanda.

Et communicatione fractionis panis. — Græce *communicatione et fractione panis.* « Communicatione, » scilicet bonorum, inquit Vatablus, et officiorum mutui obsequii, ait Cajetanus, *q. d.* Primi Christiani mutuo suas opes, res et obsequia magna charitate communicabant : erant enim ipsis omnia communia. Verum de hac operum communione dicet Lucas, vers. 44. Quare melius noster Interpres τὸ *et* accepit quasi exegeticum, pro *id est*, uti alibi sæpe accipitur; aut potius censuit esse hendiadyn, qua unum per duo dicitur, ut apud Virgilium : « Aurum frænosque momordit, » id est aureos frænos momordit. Sic « in communicatione et fractione panis, » id est in communicatione fractionis panis, vel quæ communicatio erat fractio, sive in fractione panis; alioqui τὸ « communicatione » caret genitivo, nec explicatur cujus rei fuerit hæc communicatio.

*Eucharistia est communio quadrupliciter. Primo.* Unde pro « communicatione, » Græce est κοινωνία, id est *communio*, sive *communis unio*, quo nomine a S. Paulo et Patribus vocatur Eucharistia quatuor de causis. *Prima* est, quia ipsa est mensa et cibus communis, cui assident et communicant omnes fideles. Unde Græci cœnam quasi κοινόν, id est *communem*, nuncupari censent. *Secundo.* *Secunda*, quia in Eucharistia communicamus cibo plane eidem et individuo, puta corpori Christi, quod non fit in aliis cœnis, ubi unus hanc cibi partem, alius aliam sumit et manducat. Unde S. Chrysostomus, hom. 88 *in Matth.*, ait « nos per communicationem cum Christi corpore fieri massam unam; » et Cyrillus Alexandrinus, lib. IV *in Joan.*, cap. XVII : « Sicut, ait, cera ceræ liquefactæ miscetur, et ignis ferro ignito se insinuat, ita nos miscemur corpori Christi, » ac consequenter ejus divinitati; itaque efficimur « concorporei et consanguinei Christi, » imo Christiferi. Quocirca Isidorus Pelusiota, lib. I, *epist.* 228, asserit « communionem vocari, propter conjunctionem cum Deo, et quia regni participes reddit. » Hoc est quod ait Paulus, I *Corinth.* X, 16 : « Calix benedictionis cui benedicimus, nonne communicatio sanguinis Christi est? et panis quem frangimus, nonne participatio corporis Domini est? » Ubi et *tertiam* rationem subdit, dicens : « Quoniam unus panis, unum corpus multi sumus omnes, qui de uno pane participamus, » *q. d.* Eucharistia est communis omnium fidelium unio; nam unit omnes eidem corpori Christi, ac consequenter unit omnes inter se. Quæ enim sunt eadem uni tertio, sunt et eadem inter se. Quocirca S. Dionysius, *Eccles. Hier.*, cap. III : « Divinissima, inquit, unius ejusdemque panis atque poculi communis pacificaque communicatio, divinam illis velut convictoribus morum conjunctionem sancit; » additque quod Eucharistia sit omnium « Sacramentorum consummatio et perfectio. » *Denique* Eucharistia uniendo nos Christo, omnibus et singulis Christi sanguinem, passionem et merita communicat.

Fractionis panis. — Beza et hæretici, ac nonnulli Catholici accipiunt panem communem, *q. d.* Christiani habebant mensas communes, agitabant convivia communia. Verum hæc non est laus Christianorum, sed Epicureorum. Dico ergo Græce esse τοῦ ἄρτου, id est *illius panis*, scilicet Eucharistici et divini. Unde Syrus clare vertit, *Eucharistiæ* : hoc enim nomen, licet Græcum, retinuerunt Syri, uti et Latini. Et patet ex circumstantiis : hæc enim fractio panis interjicitur inter



doctrinam Apostolorum et orationes. Erat ergo ejusdem ordinis, puta spiritualis, uti illa erant spiritualia, non carnalia. Alludit enim Lucas ad verba sui Pauli, I *Corinth.* X, 16, paulo ante citata, ubi Eucharistiam vocat fractionem panis, ob causas quas ibidem recensui; quibus adde primos Christianos post Eucharistiam agitasse commune convivium, quod ob symbolum charitatis vocabant agapen, in qua eumdem panem cibumque frangebant et manducabant, de quo dixi, I *Corinth.* XI, 21. Porro hæc mox a Pentecoste prima descensuque visibili Spiritus Sancti contigerunt. Post eam ergo illico a fidelibus cœpit frequentari Eucharistia, indeque tantus eorum fervor. In cujus rei memoriam, festum Corporis Christi institutum ab Urbano IV Pontifice, ab eodem jussum est celebrari feria quinta post Octavam Pentecostes. Nam, ut ait S. Thomas, *in Officio Eccles.* illius festi, « congruit ut tanti Sacramenti institutionem illo tempore specialiter recolamus, quo Spiritus Sanctus corda discipulorum edocuit, ad plene cognoscenda hujus mysteria Sacramenti : nam et in eodem tempore cœpit hoc Sacramentum a fidelibus frequentari. »

*Tria primorum fidelium officia: Primum, concio.* Nota hic tria primaria primorum Christianorum munia et exercitia, nobis, quoad possumus, imitanda et frequentanda. Perseverabant enim *primo*, in doctrina Apostolorum : ita et nos in concionibus verboque Dei audiendo, legendo, ruminando perseveremus. « Qui enim ex Deo est, verba Dei audit, » ait Christus, *Joan.* VIII, 47. Verbum Dei est lux animæ et semen orationis, meditationis omniumque bonorum operum, juxta illud *Psalm.* CXVIII, 105 : « Lucerna pedibus meis verbum tuum, Domine, et lux semitis meis. »

*Secundum* est, sancta communio Eucharistiæ, per quam ipsi Christo realiter et substantialiter unimur. Sicut enim cibus unitur corpori, et in illud convertitur; ita Christus quasi cibus unitur nobis : verum non se in nos, sed nos in seipsum convertit, juxta illud quod dixit S. Augustinus : « Non me mutabis in te, sed tu mutaberis in me. » Qua de causa primi fideles quotidie communicabant, uti hic innuit S. Lucas, eaque præcipua fuit causa tantæ sanctitatis et perfectionis eorum. Idem facere etiamnum dicuntur Abyssini sub Preto-Joanne. Hoc est quod oramus in oratione Dominica : « Panem nostrum quotidianum, » Græce ἐπιούσιον, id est *supersubstantialem*, ut vertit Interpres S. Matthæi, cap. VI, 11, « da nobis. » Hinc Tertullianus, lib. *De Oratione*, cap. ult., ait « solvendam esse orationem, corpore Domini accepto. » Hac de causa olim fideles Eucharistiam domum deferebant, præsertim tempore persecutionis, ac quotidie eam sumebant, ut se armarent ad martyrium; eaque fuit causa fortitudinis tot Martyrum, uti docet S. Cyprianus, lib. *De Spectac.*, et *Exhort. ad Mart.* Quocirca Concilium Florentinum docet effectum Eucharistiæ esse augmentum gratiæ, et omnem illum effectum, quem materialis cibus in corpore efficit. Et infra subdit Eugenius Pontifex : « Hujus Sacramenti effectus, quem in anima efficit digne sumentis, est adunatio hominis ad Christum; et quia per gratiam homo Christo incorporatur, et membris ejus unitur, consequens est, quod per hoc Sacramentum in sumentibus digne gratia augeatur. » Et Tridentinum, sess. XIII, cap. II, docet « hoc Sacramentum esse institutum tanquam spiritualem animarum cibum, quo alantur et confortentur viventes vita illius qui dixit : Qui manducat me, et ipse vivet propter me; et antidotum quo liberemur a culpis quotidianis et a peccatis mortalibus præservemur. » Hinc vocatur « panis, » sed sacer et transsubstantiatus, non tantum quia habet speciem panis, sed etiam quia ad omnem cibum adhibetur panis; unde panis a pascendo dicitur. Hinc et ab Hebræis quilibet cibus et pabulum dicitur panis. Eucharistia autem omnimodo pabulo animam pascit; est ergo panis et plusquam panis.

Præclare S. Cyprianus, *De Cœna Domini* : « Qui manducat, ait, ex hoc pane, ultra non esurit : qui bibit, ultra non sitit; quoniam mysterii hujus sic sufficit gratia, sic reficit intelligentia, ut cuicumque tantæ rei innotuerit plenitudo, omnis consummationis fine invento, Christi bajulus ipsum ferat in pectore, ipsum gerat in mente, et omni tempore habitatori suo dicta et facta jubilatione consona laudes resonent et gratiarum actiones decantent. Hæc ebrietas non accendit, sed exstinguit peccatum : in hoc vino non est luxuria, nec movetur ad ludum post hunc potum lascivia. Cum sopivit oblivio cuncta carnis ludibria, mira sunt quæ sentit, magna quæ videt, inaudita quæ loquitur : quin (quem) Agnus iste paschalis inhabitat, cujus animam meri hujus fortitudo hilaritate inexplicabili lætificat et delectat. »

*Tertium* est, oratio qua Deum laudamus, gratias agimus, novamque gratiam poscimus et impetramus. Ubi obiter nota, Lucam hic tribus verbis describere ritum et ordinem quem primi fideles servabant in suis cœtibus et synaxibus : *primo*, enim audiebant verbum Dei; *secundo*, communicabant; *tertio*, Deo canebant hymnos, psalmos et cantica spiritualia, uti ostendi, I *Corinth.* cap. XIV. Hæc enim tria sunt necessaria Ecclesiæ et cuivis fideli, ejusque sunt quasi anima et vita. Sicut enim ad vitam corpoream requiruntur tria, scilicet sol, panis et halitus sive respiratio, ita totidem requiruntur ad vitam spiritualem, nimirum spiritualis sol, puta verbum Dei; spiritualis panis, puta Eucharistia; et spiritualis halitus, puta oratio : hac enim halitum ac spiritum divinum e cœlo attrahimus et haurimus, juxta illud *Psal.* CXVIII, vers. 131 : « Os meum aperui, et attraxi spiritum. » Hæc tria adum-

brata fuerunt tribus vasis in templo veteri, puta in Sancto, quæ erant candelabrum septiceps, mensa panum propositionis et altare thymiamatis: candelabrum enim repræsentat verbum Dei; mensa panum, Eucharistiam; altare, orationem, hæc enim est thymiama Deo odoratissimum et gratissimum, ut patet *Apoc.* VIII, 3. Porro, « oratio perfecta est, ait S. Bernardus, tract. *De Natura divini amoris*, cap. III, in qua tanta sit fides, ut speret omnia; tanta devotio, ut Deum videatur cogere (qualis erat S. Catharinæ Senensis, dicentis: Domine, non dimittam te, nisi hanc illamve animam, virtutem aut gratiam mihi concesseris); tantus amor, ut omnia quæ petit, in ipsa oratione se sentiat obtinere; tam benigna humilitas, ut in omnibus non suam, sed Dei voluntatem in se fieri præoptet. » Talis fuit horum primorum fidelium, ideoque omnia quæ poposcit a Deo, protinus impetravit.

PANIS. — Ex hoc loco colligitur, sufficere laicis sumere Eucharistiam sub una specie panis, nec requiri alteram, puta calicis. Crescente enim in immensum numero fidelium, difficile et pene impossibile erat omnibus dari calicem. Adde, multos esse abstemios, qui abhorrent a vino: essequе in tanto numero evidens periculum irreverentiæ et effusionis sanguinis, præsertim in turba rudium et rusticanorum. Objiciunt hæretici, sub pane intelligi calicem; nam certum est Apostolos et sacerdotes obtulisse sacrificium, in quo requiritur consecratio tam vini, quam panis. Respondeo: Lucas hic non loquitur de sacrificio sacerdotum, ad quod requiritur utraque species, sed de communione fidelium laicorum, in qua cum duntaxat nominet panem, colligimus eum solum fuisse datum et distributum in tot millium turba.

Vers. 43. Timor pro reverentia. 43. FIEBAT AUTEM OMNI ANIMÆ TIMOR. — « Timor » hic erat sacer quidam horror et reverentia, quia videntes linguas igneas et audientes sermones igneos, timebant et venerabantur Apostolos quasi homines cœlestes et divinos, qui miracula patrare, et cum Elia ignem e cœlo devocare et in hostes vibrare possent. Sic « primus in orbe deos fecit timor, » ait Poeta. Sic, visis Christi prodigiis, dicuntur turbæ timuisse, *Lucæ* VII, 16: timor hic non erat aliud quam religio et reverentia erga Christum, ex ejus miraculis concepta. Sic Matthæus, cap. IX, 8, sanato paralytico a Christo, ait: « Timuerunt turbæ, » Græce ἐθαύμασαν, id est *admiratæ sunt*; admirationis enim effectus est timor, sive reverentia. Unde S. Lucas idem narrans, cap. V, 26 *Evang.*, scribit: « Apprehendit omnes » ἔκστασις, id est *extasis*, puta timor ex stupore manans et in Dei glorificationem erumpens. Ecce ut Spiritus Sanctus Apostolos antea timidos veluti cervos, facit omnibus terribiles quasi leones. Ecce quanta est vis sanctitatis, quam etiam impii verentur et expavescunt.

PRODIGIA. — Hisce enim a Deo erat confirmanda nova primaque fides de Christo, ut per ea credibilia fieret hominibus; alioqui temere credidissent. Quare similia ab hæreticis nova dogmata afferentibus poscenda et exhibenda sunt, si sibi credi velint. Vere Richardus Victorinus, lib. I *De Trinit.*, cap. II: « Si error, inquit, est quod credimus, a te decepti sumus: ista enim in nobis iis signis et prodigiis confirmata sunt, quæ non nisi a te fieri potuerunt. »

ET METUS ERAT MAGNUS IN UNIVERSIS. — Hæc verba desunt in Græco et Syro, quia idem sunt cum eo quod præcessit: « Fiebat autem omni animæ timor, » illudque exaggerant et inculcant.

44. OMNES ETIAM QUI CREDEBANT, ERANT PARITER. — Græce ἦσαν ἐπὶ τὸ αὐτό, *erant in idipsum*; Syrus, *erant simul*; Tigurina et Pagninus, *erant conjuncti*, non quod simul habitarent; hoc enim erat impossibile in tanta hominum, præsertim conjugatorum et mechanicorum turba. Quæ enim domus tot millia fidelium cepisset? Erant ergo simul, quia statis horis simul ad synaxin, puta ad concionem, communionem et orationem, de quibus paulo ante dixit Lucas, in templum conveniebant. Id nostri Anabaptistæ, quasi simiæ imitantur in Moravia: quisque enim eorum suam domum et officinam habet, sed statis horis ad suas synaxes coeunt omnes. Adde, Apostolos et capita Ecclesiæ, puta primarios fideles, simul habitasse juxta templum in porticu Salomonis. Hoc est enim quod ait Lucas, cap. V, 12: « Per manus autem Apostolorum fiebant signa et prodigia multa in plebe. Et erant unanimiter omnes in porticu Salomonis. » Denique sociabant se, ut vicini invicem habitarent circa templum, quoad poterant, et quantum officia rerumque status cuique permittebant, uti videmus in urbibus recte constitutis, cives qui ejusdem sunt sectæ, nationis, mercaturæ, vel opificii, simul habitare in eadem platea. Et hoc innuit Lucas dicens, vers. 46: « Frangentes circa domos panem. »

ET HABEBANT OMNIA COMMUNIA. — Meum enim et tuum est causa omnis discordiæ, ait S. Chrysostomus. Plato ideam perfectæ reipublicæ describens deposcit, ut in ea omnia sint communia, ad perfectam civium unionem et concordiam, etiam uxores. Sed in eo fœde erravit: uxorum enim communitas repugnat legi naturæ, quæ sancit unam cum uno copulandam ad prolis certitudinem et debitam educationem. Primi Christiani ergo hoc sustulerunt omniaque habuerunt communia præter uxores, ac proinde vixerunt quasi Religiosi; imo religiosæ vitæ fundamenta ab eis jacta esse, docent S. Hieronymus, lib. *De Viris illustr.*, in *S. Marco*; S. Augustinus, *epist.* 109, et S. Basilius in *Regul. fusior.*, Reg. XIX et XXXII. Vidit hoc per umbram Pythagoras, cum auream hanc gnomen edidit: « Amicorum omnia communia; » ex quo Diogenes colligebat, « sapientis esse omnia quæ in orbe sunt: » hæc enim sunt Dei,



cujus amicus est sapiens; teste est Seneca, lib. VII *De Beneficiis*, cap. XII (1).

Ex hoc ergo loco, quod primi Christiani haberent omnia κοινά, id est *communia*, ortum est κοινόβια, puta Cœnobia et Cœnobitæ, inter quos primi fuerunt Essæi, quorum parens fuit S. Marcus, de quorum sanctitate mira scribit Eusebius, lib. II *Hist.*, cap. XVII: S. Hieronymus, lib. *De Script. Eccles.*, in Vita S. Marci. Quocirca recte idem S. Hieronymus, eodem libro in Philone: « Talis, inquit, primo credentium fuit Ecclesia, quales nunc Monachi esse nituntur et cupiunt, ut nihil usquam proprium sit, nullus inter eos dives, nullus pauper: patrimonia egentibus dividantur, orationi vacetur et psalmis, doctrinæque et continentiæ, quales et Lucas refert primum Hierosolymis fuisse credentes. Quocirca ex tunc cœpit vita Religiosa et Cœnobitica a viris perfectionis avidis, qui primævam Apostolorum et fidelium vitam æmulari conabantur, quorum ingens fuit multitudo per orbem sparsa, uti testatur S. Dionysius, *Eccl. Hierach.*, cap. X. Eam deinde post annum Domini 300, instauravit S. Antonius in Ægypto, S. Basilius in Græcia, S. Hieronymus in Syria, S. Augustinus in Africa, S. Benedictus in Italia totoque Occidente, quem deinde secuti sunt S. Bernardus, S. Dominicus, S. Franciscus, etc.

Porro hæc communio bonorum, magnum est virtutis et perfectionis compendium. Nam *primo*, ingens est charitatis mutuæ incentivum. Unde S. Laurentius Justinianus, lib. *De Obedientia*, cap. XVIII: « Quid aliud, inquit, esse dixerim Religiosorum monasteria, et Deo famulantium loca, quam stadia militaria atque spiritualia castra pugnantium? Nonne in eisdem frequentissimæ devotionis lacrymæ, compunctionis gemitus, suspiria pietatis, compassionis et charitatis ad Deum incessanter effunduntur vota? » Et paulo post: « Quid oro locupletius, quam nihil habere et omnia possidere? Carere rebus superfluis, et uti necessariis? Proprium spernere patrimonium, et Christi esse hæredem? Monasteriorum quippe redditus thesauri sunt Salvatoris, ii profecto communes fiunt omnibus in commune viventibus. Non secernitur persona divitis, non potentis statui defertur; sed prout cuique expedit, erogantur; quod est opus divinum, commendatio gratiæ, charitatis officium et naturæ exemplum. »

*Secundo*, quia amorem et affectum avocat ab opibus et deliciis terrenis, quasi vilibus et exilibus, eumque totum transfert in Deum et res cœlestes: quo fit, ut in cœlo defixus quasi aquila, pompas omnes et dignitates terræ velut formicas aspiciat et despiciat, ac quasi rex omnibus emineat et dominetur, juxta illud ab Isaia, cap. LVIII, promissum: « Sustollam te super altitudines terræ, et cibabo te hæreditate Jacob patris tui. » Nam, ut ait S. Cyprianus, tract. *De Orat. Domin.*: « Qui renuntiavit jam sæculo, major est honoribus ejus et regno; et ideo qui se Deo et Christo dedicat, non terrena, sed cœlestia regna desiderat. » Cœnobita ergo celsior est mundo, dominus universi, par angelis, civis Sanctorum, domesticus paradisi, hæres Dei, cohæres Christi. Vide S. Chrysostomum, homil. 15 *ad Popul.* Hinc nullum, licet potentem et principem, timet, nulli adulatur, sed libere quorumvis vitia carpit, audacter tyrannis resistit, ut Elias restitit Achab, Nathan David, Eliseus Joram, Moses Pharaoni, qui proinde a Deo audivit: « Constitui te Deum Pharaonis, » *Exod.* VII.

*Tertio*, parit meritorum et bonorum omnium communionem. Unde S. Basilius, *Const. monast.*, cap. XIX: « Communis, ait, eis est Deus, communis pietatis mercatura, communis salus, communia certamina, communes labores, communia præmia et certaminum coronæ, ubi multi unus, et unus, non solus, sed in pluribus. »

*Quarto*, aufert materiam litium, cupiditatum vitiorum et tentationum omnium; ac ex adverso materiam tempusque et aptitudinem suggerit vacandi sibi et Deo, meditandi, exercendi opera pietatis, spei, charitatis et virtutum omnium, juxta illud *Psal.* XXXIX: « Ego autem mendicus sum et pauper: Dominus sollicitus est mei. » Vere S. Augustinus, serm. 33 *De Verbis Apost.*: « Amor, inquit, rerum terrenarum viscus est spiritualium pennarum. Ecce concupisti, hæsisti. Quis dabit tibi pennas ut columbæ? quando volabis ubi vere requiescas, quando hic ubi male hæsisti, perverse acquiescere voluisti? »

*Quinto*, parit animi pacem, serenitatem, lætitiam et jubilum perpetuum. Hæc ergo vita accedit ad vitam quam egit Adam et Eva in paradiso, estque inchoatio vitæ cœlestis, quam Beati agunt in cœlo. Quocirca hæc primorum Christianorum « vita erat angelica, » ait S. Chrysostomus, juxta illud Christi: « Si vis perfectus esse, vade, vende quæ habes, et da pauperibus, et habebis thesaurum in cœlo, » *Matth.* XIX, 21. Et illud *Psalm.* LXXII: « Quid mihi est in cœlo, et a te quid volui super terram, Deus cordis mei, et pars mea Deus in æternum? » Unde S. Laurentius Justinianus, Opusc. *De Monastica conversat.*, cap. II, pulchritudinem vitæ cœnobiticæ, qualem agunt claustrales, describens: « Est, inquit, claustrum hortus conclusus, paradisus deliciarum, thalamus nuptialis, cubile immaculatum, virtutum schola, tabernaculum fœderis, reclinatorium sponsi,

(1) Non fuit absoluta bonorum communio in Ecclesia Hierosolymitana; et si fuit, saltem non diu duravit. Nam ipsorum Apostolorum tempore collectæ in usum pauperum, I *Cor.* XVI, frequentatæ sunt, quibus certe opus non fuisset, si bonorum a singulis facta universorum extitisset collatio. Imo liberum cuique fuit, facere hoc aut non facere, ut ostendit Ananiæ exemplum, cap. V, vers. 4. Describitur ergo et hic et aliis locis beneficentiæ et fraternæ charitatis studium acre et eximium.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

bellatorum statio, sanctitatis domus, castitatis custos, prudentiæ firmamentum, religionis magisterium et obedientiæ sanctæ speculum singulare. »

POSSESSIONES — *Agrorum aut domorum*, ut explicat Lucas, cap. IV; unde *possessio* dicitur quasi *pedum sessio* aut *positio*, ait Festus : fundi enim aut domus possessio capiebatur immittendo in eam pedem, quasi in rem propriam et peculium.

45. ET SUBSTANTIAS (bona mobilia, ut pecora et supellectilia) VENDEBANT, — studio tum paupertatis et perfectionis calcantes terrenas opes et anhelantes ad cœlestes; tum vitæ communis et charitatis, ut ea in fratres, puta Christianos, præsertim egentes distribuerent; tum ex instinctu Dei quasi præsagientes imminentem persecutionem, ne bona hæc a Judæis confiscarentur, sed ut ipsi ex eorum pretio viverent aliisque fidelibus in persecutione bonis suis spoliatis succurrerent, juxta illud Apostoli, *Hebr.* cap. XI, vers. 34 : « Nam et vinctis compassi estis, et rapinam bonorum vestrorum cum gaudio suscepistis, cognoscentes vos habere meliorem et manentem substantiam. » Unde Melchiades Pontifex, XII, *Quæst.*, I, cap. *Futuram*, ait quod futuram Ecclesiam in gentibus Apostoli prævidebant, idcirco prædia in Judæa minime sunt adepti, sed pretia tantummodo ad fovendos egentes : præsertim quia prævidebant Jerusalem et Judæam paulo post a Tito et Romanis plane vastandam. Idem fecerunt deinceps Christiani, qui, vigente persecutione, parabant se ad martyrium, ut S. Valerianus, S. Cæcilia, S. Sixtus, S. Laurentius, qui bona etiam Ecclesiæ divendebant et distribuebant inter fideles egenos, ne persecutores ea confiscarent et raperent, prudenti sane pioque consilio.

PROUT CUIQUE OPUS ERAT. — « Non quod pueriliter quis gestire poterat : nil ibi otiosum erat, ac multo minus superbum : quod opus erat, hoc est, quantum ad indumenta, quod et nuditatem tegeret et frigus repelleret, » ait S. Bernardus, Apolog. *ad Gul. Abb.*

46. IN TEMPLO. — Hoc imitantur hodie Cœnobitæ et sæculares pii, tam viri, quam matronæ, quæ omne tempus quod a negotiis liberum habent, in templo orationi, lectioni et concioni impendunt. Ubi enim quis melius, jucundius, utilius, nobilius versetur, quam cum Deo in ejus domo?

ET FRANGENTES CIRCA DOMOS PANEM, — (Græce κατ' οἶκον, id est *circa domum*, puta Dei, hoc est templum, ait Œcumenius) qui proinde cum multis aliis censet panem hunc quem in templo frangebant, fuisse Eucharistiam. Unde pro *panem*, Syrus vertit *munus benedictum*, puta panem consecratum et transsubstantiatum, deinque quasi missam in sacrificium oblatum. Idque est valde probabile, quia Eucharistia a Paulo et Luca vocatur *fractio panis*. Nec obstat, quod Noster Græcum κατ' οἶκον vertat *circa domos*, puta domatim, per domos singulas, idque recte ex græcismo; quia, crescente numero fidelium, per varias domos eos distribuere in iisque Eucharistiam celebrare oportebat. Atque exinde ortæ et distinctæ parœciæ, quibus singulis suus præest Parochus, sive Pastor, cum primitus una esset οἶκος, sive domus et cœnaculum fidelium, uti patet cap. I, vers. 13. Alii tamen, ut Lyranus, Cajetanus et Carthusianus significant hunc panem fuisse usualem et communem, *q. d.* « Frangebant, » id est distribuebant per domos panem, id est cibum, pro numero, qualitate et quantitate incolarum cujusque domus. Unde notat Chrysostomus, dici *panem*, *q. d.* Alimentum necessarium, non delicias. Huic sensui favet id quod sequitur : « Sumebant cibum cum exultatione, » sed hoc recte accipias de agape post Eucharistiam, *q. d.* Post Eucharistiam sumebant agapen, sive cibum in epulo et convivio communi, instituto in memoriam ultimæ cœnæ Christi communis, ad symbolum et stimulum charitatis. Unde pro *sumebant*, græce est μετελάμβανον, id est *simul sumebant cibum communem*, scilicet in agape, quam post Eucharistiam celebrabant (1).

CUM EXULTATIONE, — tum ob receptam Christianismi gratiam, tum ob supradictam Eucharistiam, tum ob agapen tantamque in se invicem charitatem mutuam. Videbant enim novam in mundo rempublicam Christianam, qualis nunquam visa fuerat in mundo, eamque similem vitæ cœlesti et angelicæ; seque in eam per Dei gratiam esse cooptatos, ac proinde omnium Spiritus Sancti charismatum in ea factos esse participes. « Nullum enim majus signum inhabitantis Spiritus est, quam lætitia spiritualis, » ait S. Bernardus. Rursum : « Secura mens quasi juge convivium, » ait Sapiens. Nimirum : « Vox exultationis et salutis in tabernaculis justorum, » *Psal.* CXVII. Ita in S. Synaxi exultabat S. Franciscus, ut ait S. Bonaventura, in ejus Vita, cap. IX : « Flagrabat, inquit, erga Sacramentum Dominici corporis fervore omnium medullarum, stupore admirans permaximo illam charissimam dignationem et dignantissimam charitatem : sæpe communicabat et tam devote, ut alios devotos efficeret, dum ad immaculati Agni degustationem quasi spiritu ebrius, in mentis ut plurimum rapiebatur excessum. »

Porro Tertullianus bona et delectationes Christianismi, in quibus jure exultant Christiani, ita strictim recenset et compensat, lib. *De Spectaculis*, Voluptas Christiani.

(1) « Frangentes circa domos panem. » Ex nostra saltem sententia, sermo hic est ad litteram de epulis quæ dicebantur ἀγάπαι, quæ ad omnes fideles pertinebant, ita tamen ut ditiores in subsidium pauperorum necessaria conferrent. Κατ' οἶκον, scil. ἕκαστον, id est, singulis in domibus, modo in hac, modo in illa. Nemini autem ignotum est, primis temporibus *ante*, deinde *post* has epulas, Eucharistiam fidelibus distribui de more fuisse. Vid. Bergier, *Dictionnaire de Théologie*, voc. *Agapes*.



cap. XXIX : « Quid, inquit, jucundius quam Dei Patris et Domini reconciliatio, quam veritatis revelatio, quam errorum recognitio, quam tantorum retro criminum venia? quæ major voluptas, quam fastidium ipsius voluptatis, quam sæculi totius contemptus, quam vera libertas, quam conscientia integra, quam vita sufficiens, quam mortis timor nullus; quod calcas deos nationum, quod dæmonia expellis, etc., quod Deo vivis? Hæ voluptates, hæc spectacula Christianorum sancta, perpetua, gratuita. » Et mox : « Vis et pugillatus et luctatus? præsto sunt non parva, sed multa. Aspice impudicitiam dejectam a castitate, perfidiam cæsam a fide, sævitiam a misericordia contusam, petulantiam a modestia obumbratam; et tales apud nos sunt agones, in quibus ipsi coronamur. Quale autem spectaculum in proximo est adventus Domini jam indubitati, jam superbi, jam triumphantis? Quæ illa exultatio angelorum, quæ gloria resurgentium Sanctorum? quale regnum exinde justorum? qualis civitas nova Jerusalem? etc. Qualia illa sunt quæ nec oculus vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascenderunt? » Unde paulo ante concludit : « Delicatus es, Christiane, si et in sæculo voluptatem concupiscis, imo nimium stultus, si hoc existimas voluptatem. Dicas velim, non possumus vivere sine voluptate, qui mori cum voluptate debebimus? Nam quod est aliud votum nostrum, quam quod et Apostoli, exire de sæculo et recipi apud Dominum? Hæc voluptas ubi et votum. »

ET SIMPLICITATE CORDIS, — id est sine malitia, dolo, suspicione, invidia, mœstitia; benevole, candide, sincere, integre, hilariter, liberaliter. Significat omnia bona fide esse gesta; nullas exquisitas fuisse delicias, nullas etiam sectas vel schismata; sed quemque sua libenti et alacri animo fratribus communicasse, ait Chrysostomus, ac vicissim quæ ex distributione sibi obtingebant, simpliciter, candide, hilari et grato animo accepisse, non respiciendo an alteri melior vel major pars distributa fuisset.

Simplicitas physica et moralis quid?

Nota : Sicut in rebus naturalibus simplicia dicuntur corpora, quæ non sunt mixta et composita, qualia sunt cœlum et elementa, ex quibus reliqua corpora componuntur et conflantur : ita in moralibus simplices vocantur, qui carent fuco, dolo et cupiditatum passionumque mixtura. Quocirca Deus simplicissimus est, tam physice in natura, quam moraliter in virtute, candore et puritate. Unde præclare S. Augustinus, lib. XI *Civit.*, X : « Est, inquit, bonum solum simplex, et ob hoc solum incommutabile, quod est Deus. Ab hoc bono creata sunt omnia bona, sed non simplicia, et ob hoc mutabilia. Creata sane, id est facta, non genita. Quod enim de simplici bono genitum est, pariter simplex est, » puta Verbum et Filius Dei. Et mox : « Ideo simplex dicitur, quoniam quod habet, hoc est, » etc., utpote « cui non sit aliquid habere, quod vel possit amittere; vel aliud sit habens, aliud quod habet, sicut vas aliquem liquorem, aut corpus colorem, aut aer lucem, aut anima sapientiam. Nam neque vas liquor est, nec corpus color, nec aer lux, neque anima sapientia est. Hinc est quod etiam privari possunt rebus quas habent. » Et inferius : « Secundum hoc ergo dicuntur illa simplicia, quæ principaliter vereque divina sunt, quod non aliud est in eis qualitas, aliud substantia; nec aliorum participatione, vel divina, vel sapientia, vel beata sunt. » Unde idem alibi : « Simplex eris, si te mundo non implicaveris, sed explicaveris : explicando enim te a mundo (unies te cum Deo simplicissimo, itaque) simplex, implicando duplex eris. » Et Ficinus, in cap. VII *Timæi* Platonis : « Simplicitas, inquit, suprema super æternitatem extat, a qua in divinis mentibus sit integritas, et in animalibus rationabilibus æternitas tempori mixta, et in mundi sphæris sempiternitas temporalis : in his autem quæ sphærarum motu virtuteque fiunt, quædam portio temporis. » Quo ergo quis simplicior est, eo proximius ad Deum et divinitatem accedit. Quocirca monet Christus : « Estote prudentes sicut serpentes, et simplices sicut columbæ, » *Matth.* X; *q. d.*, ait S. Hieronymus, epist. *ad Rustic.* : « Habeto simplicitatem columbæ, ne cuiquam machineris dolos; et astutiam serpentis, ne aliorum supplanteris insidiis : quia non multum distat in vitio, aut decipere, aut decipi posse. » Idem, in cap. VII *Oseæ* : « Prudentia, ait, absque simplicitate malitia est, et simplicitas absque ratione stultitia nominatur. »

Simplicitati opponitur hypocrisis, quæ virtutum simulatione clausum vitium abscondit et arte palliat, quam proinde acriter passim insectatur Scriptura. Hypocrita enim est vulpes, histrio, Mercurius triceps et simia in purpura. Ut camelopardalis collo refert equum, pedibus et cruribus bovem, capite camelum, maculis tigrim aut pardum : ita inter hypocritas sunt qui varias hominum formas exprimunt. Si cultum inspicias, sanctum quempiam esse existimes; si orationem audias, satrapam loqui putes; si vitam expendas, nebulonem invenies; si scripta, bubulcum. Vide S. Gregorium, lib. X *Moral.*, cap. XXVII, in illud : « Deridetur justi simplicitas, » ubi graphice simplicium, æque ac duplicium sensa et mores depingit; et Climacum, *gradu* XXIV, ubi inter alia ait, simplicitatem esse habitum animæ varietate carentem totiusque perversæ cogitationis ignarum, et qui nulla mala cogitatione moveatur. Sic S. Paulus exhortans ad eleemosynam, jubet ut eam faciant in simplicitate : « Qui tribuit, ait, in simplicitate, » *Rom.*, cap. XII, vers. 8. Vide ibi dicta. Simplicitatis insignis et primævæ fidelium æmulæ, domesticum in Societate habemus exemplum et speculum R. P. Paschasium Broetum, qui, unus e decem primis Patribus Hypocrita emblema.

S. P. N. Ignatii sociis, creatus Nuntius Apostolicus per Hiberniam, ac præ cæteris omnibus a S. Ignatio dignus judicatus patriarchatu Æthiopiæ, ob raram sapientiam et sanctitatem cum miro candore et simplicitate conjunctam; adeo ut ab eodem *Societatis angelus* nuncuparetur. Sic enim de eo scribit noster Sacchinus, tom. II *Hist. Societ.*, lib. VI, num. 97 : « Propria ejus laus dicebatur simplicitas mixta prudentiæ. Hanc principio complexus, toto vitæ cursu tenuit. Hanc prædicabat ipse frequenter, et commendari ab omnibus cupiebat; » idque tribus de causis : « *Prima*, quia materia maxime capax cœlestium donorum simplicitas est; perennis fons beatæ cordis tranquillitatis, impenetrabile diabolo munimentum, virtutum cæterarum conciliatrix, altrix et decus. Nam quod in ore formoso est hilaritas, hoc est in virtutis quasi vultu simplicitas. *Secundo*, quod ipsa sit alienæ benevolentiæ rapax illicium. Nihil enim ita blandum et amabile, ut candidum et apertum, et cui te securus credas, ingenium; ut nescius cuiquam nocere, ac cuivis prodesse paratus animus. *Tertio*, quod simplicium congressu et Deus et homines mirifice delectantur. Denique simplicitas in eum maxime statum reponit humanam sobolem, unde serpentis fraus parentem primum dejecit. » Simplicitatis quoque illustre nuper dedit exemplum Illustrissimus Cardinalis Bellarminus; adeo ut, cum quidam liberius diceret eum non fuisse evectum ad pontificatum, eo quod haberetur simplex, candide et hilariter responderit : « Felix simplicitas, quæ me tanto onere liberavit! »

47. Collaudantes Deum. — Notat eos post cibum gratias egisse Deo, eumque de suis alimentis quasi donis collaudasse. Hinc post agapen canebant Deo hymnos et cantica spiritualia, ut ait Apostolus, *Ephes.* v, 19. Qui rursum, I *Tim.* iv, 4 : « Nihil, inquit, rejiciendum, quod cum gratiarum actione percipitur. » Vide ibi dicta.

Et habentes gratiam, — id est amabiles, grati et accepti toti plebi. Pro *gratiam*, Syrus vertit רחמא *rachame*, quod significat visceralem affectionem, et ex intimis visceribus manantem compassionem, amorem et benevolentiam. Porro hanc gratiam et dilectionem populi fidelibus « conciliabat beneficentia eleemosynæ, et morum candor atque simplicitas, » ait S. Chrysostomus; item modestia, mansuetudo, sanctitas in vultu, verbis omnique actione relucens

Dominus autem augebat, — προσετίθει, id est *addebat* numero cœtuique fidelium, puta Ecclesiæ, ut habet Græcus, de quo mox, plures alios « qui salvi fierent, » inspirando eis fidem et desiderium baptismi ac Christianæ vitæ, quibus justificarentur, et, si in iis usque ad vitæ finem perseverarent, salvarentur et æternam beatitudinem consequerentur.

In idipsum, — id est simul, videlicet *in Ecclesia*, ut habent Græcus et Syrus. Porro Græcus τὸ ἐπὶ τὸ αὐτὸ, id est *in idipsum*, rejicit ad initium capitis sequentis. Verum videtur Lucas scripsisse hic ἐπὶ τὸ αὐτὸ, quod aliquis explicuerit addens in margine, τῇ ἐκκλησίᾳ, id est *in Ecclesia*; quod deinde ab alio putante hoc ad textum pertinere, in textum translatum est, excluso ἐπὶ τὸ αὐτὸ in caput sequens. Sed quocumque modo legas, idem est sensus. *In idipsum* enim idem est quod simul, pariter, puta in Ecclesia, ut dixi. Denique tam exacte S. Lucas hic et insequentibus enarrat virtutes et vitam primorum fidelium, quia ipsa fuit interpretatio Evangelii et praxis doctrinæ Christi, quæ ejus legem nobis ad vivum factis expressit, ac proinde ipsa nobis viva est lex et norma vitæ Christianæ. « In Sanctorum vita cognoscimus quid in Scriptura legere debeamus, » ait S. Gregorius, hom. 10 *in Ezech.* Et vice versa Evangelium et « lex scripta est commentarius vitæ Sanctorum, » ait Philo, lib. *De Abraham.*

## CAPUT TERTIUM.

### SYNOPSIS CAPITIS.

*Sanctus Petrus claudo gressum restituit; inde docet populum se hoc miraculum non suo, sed Christi virtute effecisse, ut in eum credant.*

1. Petrus autem et Joannes ascendebant in templum ad horam orationis nonam. 2. Et quidam vir, qui erat claudus ex utero matris suæ, bajulabatur : quem ponebant quotidie ad portam templi, quæ dicitur Speciosa, ut peteret eleemosynam ab introeuntibus in templum. 3. Is cum vidisset Petrum et Joannem incipientes introire in templum, rogabat ut eleemosynam acciperet. 4. Intuens autem in eum Petrus cum Joanne, dixit : Respice in nos. 5. At ille intendebat in eos, sperans se aliquid accepturum ab eis. 6. Petrus autem dixit : Argentum et aurum non est mihi; quod autem habeo, hoc tibi do : In nomine Jesu



Christi Nazareni surge, et ambula. 7. Et apprehensa manu ejus dextera allevavit eum, et protinus consolidatæ sunt bases ejus et plantæ. 8. Et exiliens stetit, et ambulabat; et intravit cum illis in templum ambulans, et exiliens, et laudans Deum. 9. Et vidit omnis populus eum ambulantem et laudantem Deum. 10. Cognoscebant autem illum, quod ipse erat qui ad eleemosynam sedebat ad Speciosam portam templi; et impleti sunt stupore et extasi in eo quod contigerat illi. 11. Cum teneret autem Petrum et Joannem, cucurrit omnis populus ad eos ad porticum quæ appellatur Salomonis, stupentes. 12. Videns autem Petrus, respondit ad populum : Viri Israelitæ, quid miramini in hoc, aut nos quid intuemini, quasi nostra virtute aut potestate fecerimus hunc ambulare? 13. Deus Abraham, et Deus Isaac, et Deus Jacob, Deus Patrum nostrorum, glorificavit Filium suum Jesum, quem vos quidem tradidistis et negastis ante faciem Pilati, judicante illo dimitti. 14. Vos autem sanctum et justum negastis, et petistis virum homicidam donari vobis; 15. auctorem vero vitæ interfecistis, quem Deus suscitavit a mortuis, cujus nos testes sumus. 16. Et in fide nominis ejus hunc, quem vos vidistis et nostis, confirmavit nomen ejus : et fides, quæ per eum est, dedit integram sanitatem istam in conspectu omnium vestrum. 17. Et nunc, fratres, scio quia per ignorantiam fecistis, sicut et principes vestri. 18. Deus autem, quæ prænuntiavit per os omnium Prophetarum, pati Christum suum, sic implevit. 19. Pœnitemini igitur, et convertimini, ut deleantur peccata vestra, 20. ut cum venerint tempora refrigerii a conspectu Domini, et miserit eum qui prædicatus est vobis, Jesum Christum, 21. quem oportet quidem cœlum suscipere usque in tempora restitutionis omnium, quæ locutus est Deus per os sanctorum suorum a sæculo Prophetarum. 22. Moyses quidem dixit : Quoniam Prophetam suscitabit vobis Dominus Deus vester de fratribus vestris, tanquam me, ipsum audietis juxta omnia quæcumque locutus fuerit vobis. 23. Erit autem : omnis anima quæ non audierit Prophetam illum, exterminabitur de plebe. 24. Et omnes Prophetæ a Samuel, et deinceps, qui locuti sunt, annuntiaverunt dies istos. 25. Vos estis filii Prophetarum, et testamenti, quod disposuit Deus ad patres nostros, dicens ad Abraham : Et in semine tuo benedicentur omnes familiæ terræ. 26. Vobis primum Deus suscitans Filium suum, misit eum benedicentem vobis, ut convertat se unusquisque a nequitia sua.

1. Petrus autem et Joannes. — Græcus præfigit ἐπὶ τὸ αὐτὸ, id est *in idipsum*, hoc est simul, pariter. Verum hoc pertinet ad finem capitis præcedentis, uti jam dixi : licet Cajetanus, Pagninus, Tigurina et alii referant hoc ad cap. iii, *q. d.* Petrus et Joannes ascendebant in templum simul et pariter; vel, ut Cajetanus, sub idem tempus, quo scilicet gesta sunt ea quæ audivimus cap. ii. Notat S. Chrysostomus combinationem Petri et Joannis, tam hic quam cap. viii, 14, et *Joannis* xx, 3, indicem magnæ inter utrumque conjunctionis et amicitiæ, ut suo exemplo doceant Prælatos et capita congregationum unionem et concordiam. Erant enim hi duo primarii, et quasi duo oculi, non tantum Ecclesiæ, sed et Apostolorum. Nimirum sequuntur institutum Christi, qui Apostolos binos misit ad evangelizandum, *Matth.* vi, 7. Hoc exemplum sequantur Religiosi, qui nunquam soli, sed semper cum comite, qui vitæ sit testis et adjutor, incedant; adeo, ut S. Thomas Aquinas Religiosum, qui solus incederet, vocare sit solitus dæmonem solitarium. Hoc enim inter cætera ejus apophthegmata recenset Castiglius in ejus Vita.

Ascendebant in templum. — Templum enim situm erat edito loco in monte Sion, ut toti urbi esset conspicuum, ad quod proinde per gradus ascendebatur, in quibus multi censent recitatos fuisse psalmos, qui inde Graduales dicuntur. Templum enim est domus, tum Dei altissimi, tum et orationis, qua colloquimur cum Deo, et ad Deum mente ascendimus. Oratio enim est mentis in Deum elevatio : ita S. Chrysostomus. Porro templum hoc erat atrium laicorum, non Sanctum, multo minus Sanctum sanctorum : in illud enim solis sacerdotibus Aaronicis, in hoc soli pontifici semel in anno patebat ingressus.

Disce hic contra hæreticos, meliorem esse orationem quæ fit in templo quam alibi, idque quinque de causis. *Prima* est, quod oratio in templo sit publica Dei invocatio, laus et adoratio coram tota Ecclesia, ideoque major et honorificentior Deo, quam quæ fit alibi solitarie. *Secunda*, quod in templo quasi in domo sua habitet Deus, Melius est oratio in templo quam alibi, ob quinque causas. Prima. Secunda.

S. P. N. Ignatii sociis, creatus Nuntius Apostolicus per Hiberniam, ac præ cæteris omnibus a S. Ignatio dignus judicatus patriarchatu Æthiopiæ, ob raram sapientiam et sanctitatem cum miro candore et simplicitate conjunctam; adeo ut ab eodem *Societatis angelus* nuncuparetur. Sic enim de eo scribit noster Sacchinus, tom. II *Hist. Societ.*, lib. VI, num. 97 : « Propria ejus laus dicebatur simplicitas mixta prudentiæ. Hanc principio complexus, toto vitæ cursu tenuit. Hanc prædicabat ipse frequenter, et commendari ab omnibus cupiebat; » idque tribus de causis : « *Prima*, quia materia maxime capax cœlestium donorum simplicitas est; perennis fons beatæ cordis tranquillitatis, impenetrabile diabolo munimentum, virtutum cæterarum conciliatrix, altrix et decus. Nam quod in ore formoso est hilaritas, hoc est in virtutis quasi vultu simplicitas. *Secundo*, quod ipsa sit alienæ benevolentiæ rapax illicium. Nihil enim ita blandum et amabile, ut candidum et apertum, et cui te securus credas, ingenium; ut nescius cuiquam nocere, ac cuivis prodesse paratus animus. *Tertio*, quod simplicium congressu et Deus et homines mirifice delectantur. Denique simplicitas in eum maxime statum reponit humanam sobolem, unde serpentis fraus parentem primum dejecit. » Simplicitatis quoque illustre nuper dedit exemplum Illustrissimus Cardinalis Bellarminus; adeo ut, cum quidam liberius diceret eum non fuisse evectum ad pontificatum, eo quod haberetur simplex, candide et hilariter responderit : « Felix simplicitas, quæ me tanto onere liberavit! »

47. COLLAUDANTES DEUM. — Notat eos post cibum gratias egisse Deo, eumque de suis alimentis quasi donis collaudasse. Hinc post agapen canebant Deo hymnos et cantica spiritualia, ut ait Apostolus, *Ephes.* v, 19. Qui rursum, I *Tim.* IV, 4 : « Nihil, inquit, rejiciendum, quod cum gratiarum actione percipitur. » Vide ibi dicta.

ET HABENTES GRATIAM, — id est amabiles, grati et accepti toti plebi. Pro *gratiam*, Syrus vertit רחמא *rachame*, quod significat visceralem affectionem, et ex intimis visceribus manantem compassionem, amorem et benevolentiam. Porro hanc gratiam et dilectionem populi fidelibus « conciliabat beneficentia eleemosynæ, et morum candor atque simplicitas, » ait S. Chrysostomus; item modestia, mansuetudo, sanctitas in vultu, verbis omnique actione relucens

DOMINUS AUTEM AUGEBAT, — προσετίθει, id est *addebat* numero cœtuique fidelium, puta Ecclesiæ, ut habet Græcus, de quo mox, plures alios « qui salvi fierent, » inspirando eis fidem et desiderium baptismi ac Christianæ vitæ, quibus justificarentur, et, si in iis usque ad vitæ finem perseverarent, salvarentur et æternam beatitudinem consequerentur.

IN IDIPSUM, — id est simul, videlicet *in Ecclesia*, ut habent Græcus et Syrus. Porro Græcus τὸ ἐπὶ τὸ αὐτὸ, id est *in idipsum*, rejicit ad initium capitis sequentis. Verum videtur Lucas scripsisse hic ἐπὶ τὸ αὐτὸ, quod aliquis explicuerit addens in margine, τῇ ἐκκλησίᾳ, id est *in Ecclesia*; quod deinde ab alio putante hoc ad textum pertinere, in textum translatum est, excluso ἐπὶ τὸ αὐτὸ in caput sequens. Sed quocumque modo legas, idem est sensus. *In idipsum* enim idem est quod simul, pariter, puta in Ecclesia, ut dixi. Denique tam exacte S. Lucas hic et in sequentibus enarrat virtutes et vitam primorum fidelium, quia ipsa fuit interpretatio Evangelii et praxis doctrinæ Christi, quæ ejus legem nobis ad vivum factis expressit, ac proinde ipsa nobis viva est lex et norma vitæ Christianæ. « In Sanctorum vita cognoscimus quid in Scriptura legere debeamus, » ait S. Gregorius, hom. 10 *in Ezech.* Et vice versa Evangelium et « lex scripta est commentarius vitæ Sanctorum, » ait Philo, lib. *De Abraham.*

# CAPUT TERTIUM.

## SYNOPSIS CAPITIS.

*Sanctus Petrus claudo gressum restituit; inde docet populum se hoc miraculum non suo, sed Christi virtute effecisse, ut in eum credant.*

1. Petrus autem et Joannes ascendebant in templum ad horam orationis nonam. 2. Et quidam vir, qui erat claudus ex utero matris suæ, bajulabatur : quem ponebant quotidie ad portam templi, quæ dicitur Speciosa, ut peteret eleemosynam ab introeuntibus in templum. 3. Is cum vidisset Petrum et Joannem incipientes introire in templum, rogabat ut eleemosynam acciperet. 4. Intuens autem in eum Petrus cum Joanne, dixit : Respice in nos. 5. At ille intendebat in eos, sperans se aliquid accepturum ab eis. 6. Petrus autem dixit : Argentum et aurum non est mihi; quod autem habeo, hoc tibi do : In nomine Jesu



Christi Nazareni surge, et ambula. 7. Et apprehensa manu ejus dextera allevavit eum, et protinus consolidatæ sunt bases ejus et plantæ. 8. Et exiliens stetit, et ambulabat; et intravit cum illis in templum ambulans, et exiliens, et laudans Deum. 9. Et vidit omnis populus eum ambulantem et laudantem Deum. 10. Cognoscebant autem illum, quod ipse erat qui ad eleemosynam sedebat ad Speciosam portam templi; et impleti sunt stupore et extasi in eo quod contigerat illi. 11. Cum teneret autem Petrum et Joannem, cucurrit omnis populus ad eos ad porticum quæ appellatur Salomonis, stupentes. 12. Videns autem Petrus, respondit ad populum : Viri Israelitæ, quid miramini in hoc, aut nos quid intuemini, quasi nostra virtute aut potestate fecerimus hunc ambulare? 13. Deus Abraham, et Deus Isaac, et Deus Jacob, Deus Patrum nostrorum, glorificavit Filium suum Jesum, quem vos quidem tradidistis et negastis ante faciem Pilati, judicante illo dimitti. 14. Vos autem sanctum et justum negastis, et petistis virum homicidam donari vobis; 15. auctorem vero vitæ interfecistis, quem Deus suscitavit a mortuis, cujus nos testes sumus. 16. Et in fide nominis ejus hunc, quem vos vidistis et nostis, confirmavit nomen ejus : et fides, quæ per eum est, dedit integram sanitatem istam in conspectu omnium vestrum. 17. Et nunc, fratres, scio quia per ignorantiam fecistis, sicut et principes vestri. 18. Deus autem, quæ prænuntiavit per os omnium Prophetarum, pati Christum suum, sic implevit. 19. Pœnitemini igitur, et convertimini, ut deleantur peccata vestra, 20. ut cum venerint tempora refrigerii a conspectu Domini, et miserit eum qui prædicatus est vobis, Jesum Christum, 21. quem oportet quidem cœlum suscipere usque in tempora restitutionis omnium, quæ locutus est Deus per os sanctorum suorum a sæculo Prophetarum. 22. Moyses quidem dixit : Quoniam Prophetam suscitabit vobis Dominus Deus vester de fratribus vestris, tanquam me, ipsum audietis juxta omnia quæcumque locutus fuerit vobis. 23. Erit autem : omnis anima quæ non audierit Prophetam illum, exterminabitur de plebe. 24. Et omnes Prophetæ a Samuel, et deinceps, qui locuti sunt, annuntiaverunt dies istos. 25. Vos estis filii Prophetarum, et testamenti, quod disposuit Deus ad patres nostros, dicens ad Abraham : Et in semine tuo benedicentur omnes familiæ terræ. 26. Vobis primum Deus suscitans Filium suum, misit eum benedicentem vobis, ut convertat se unusquisque a nequitia sua.

1. PETRUS AUTEM ET JOANNES. — Græcus præfigit ἐπὶ τὸ αὐτὸ, id est *in idipsum*, hoc est simul, pariter. Verum hoc pertinet ad finem capitis præcedentis, uti jam dixi : licet Cajetanus, Pagninus, Tigurina et alii referant hoc ad cap. III, *q. d.* Petrus et Joannes ascendebant in templum simul et pariter; vel, ut Cajetanus, sub idem tempus, quo scilicet gesta sunt ea quæ audivimus cap. II. Notat S. Chrysostomus combinationem Petri et Joannis, tam hic quam cap. VIII, 14, et *Joannis* XX, 3, indicem magnæ inter utrumque conjunctionis et amicitiæ, ut suo exemplo doceant Prælatos et capita congregationum unionem et concordiam. Erant enim hi duo primarii, et quasi duo oculi, non tantum Ecclesiæ, sed et Apostolorum. Nimirum sequuntur institutum Christi, qui Apostolos binos misit ad evangelizandum, *Matth.* VI, 7. Hoc exemplum sequantur Religiosi, qui nunquam soli, sed semper cum comite, qui vitæ sit testis et adjutor, incedant; adeo, ut S. Thomas Aquinas Religiosum, qui solus incederet, vocare sit solitus dæmonem solitarium. Hoc enim inter cætera ejus apophthegmata recenset Castiglius in ejus Vita.

ASCENDEBANT IN TEMPLUM. — Templum enim situm erat edito loco in monte Sion, ut toti urbi esset conspicuum, ad quod proinde per gradus ascendebatur, in quibus multi censent recitatos fuisse psalmos, qui inde Graduales dicantur. Templum enim est domus, uti Dei altissimi, ita et orationis, qua colloquimur cum Deo, et ad Deum mente ascendimus. Oratio enim est mentis in Deum elevatio : ita S. Chrysostomus. Porro templum hoc erat atrium laicorum, non Sanctum, multo minus Sanctum sanctorum : in illud enim solis sacerdotibus Aaronicis, in hoc soli pontifici semel in anno patebat ingressus.

Disce hic contra hæreticos, meliorem esse orationem quæ fit in templo quam alibi, idque quinque de causis. *Prima* est, quod oratio in templo sit publica Dei invocatio, laus et adoratio coram tota Ecclesia, ideoque major et honorificentior Deo, quam quæ fit alibi solitarie. *Secunda*, quod in templo quasi in domo sua habitet Deus, Melius est oratio in templo quam alibi, ob quinque causas. Prima. Secunda.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

ac proinde ibi suam præsentiam exhibeat et postulata exaudiat, uti precatus est Salomon, III *Reg.* VII, Deusque ei promisit ibidem, cap. IX, vers. 3, dicens : « Erunt oculi mei et cor meum ibi cunctis diebus. » *Tertio*, quia in templo, ob consociationem, preces unius adjuvantur a precibus et meritis omnium præsentium, ac præsertim sacerdotis; qui speciatim pro omnibus præsentibus sacrificat. Sicut ergo nummus unus non habens justum pondus, si detur creditori, ab eo rejicitur; sin vero multis aliis misceatur, acceptatur, transitque cum cæteris : ita et oratio solitarii, si sit tepida, vaga, negligens, rejicitur a Deo; sin vero multis aliis ferventibus jungatur, earum vi et quasi alis attollitur, et in cœlum ad Deum evolat. *Quarto*, oratio in templis facta adjuvatur a Sanctis, quorum corpora ibidem sepulta sunt. *Quinto*, eadem dat aliis orandi exemplum aliosque ædificat.

Quare fanatica est hæresis recenter exorta in Hollandia, quæ damnat templa et oratoria publica, cœtusque fidelium et Ecclesiæ non nisi in privatis cubiculis cogendos et celebrandos docet, ibique suos cogit et celebrat, nixa male intellectis Christi contra Pharisæos, suæ devotionis ostentatores, verbis *Matth.* VI, 6 : « Tu autem cum oraveris, intra in cubiculum tuum, et clauso ostio, ora Patrem tuum in abscondito. » Ut quid enim jussit Deus Mosi fabricare tam amplum tabernaculum et Salomoni tam augustum templum, promittens se in eo ipsius et fidelium preces exauditurum, III *Reg.*, cap. VIII et IX, nisi quia in eo volebat publice coli et adorari ? Ut quid toties David, Christus, Petrus et Joannes hic ascenderunt in templum, nisi publicæ orationis causa ? Ut quid a tempore Constantini piissimi Imperatores, Reges, Pontifices singulis sæculis ædificaverunt tot basilicas, tot templa tanta amplitudine et magnificentia, quantam ubique terrarum cernimus, nisi ut fideles in iis turmatim adunati Deum unanimiter et propalam invocarent et laudarent ? juxta illud regii Psaltis : « Confitebor tibi in Ecclesia magna, in populo gravi, » id est multo, imo plurimo, « laudabo te. » Et illud Christi : « Apud te laus mea in Ecclesia magna : vota mea reddam in conspectu timentium eum, » *Psal.* XXI, 26. Et illud : « Omnes gentes, plaudite manibus, jubilate Deo in voce exultationis. Quoniam Dominus excelsus, terribilis, rex magnus super omnem terram, » *Psal.* XLVI, 1.

Quocirca Deus horribiliter ulcisci solet templorum violationem vel eversionem : quin et Gentiles Historici multa raraque exempla narrant eorum qui in multas gravesque inciderunt calamitates, eo quod reverentiam debitam templis falsorum suorum deorum non detulissent. Unde Socrates, lib. VII *Hist.*, cap. XXIII, sapienter notat profanationem templorum certum esse signum iræ Dei, et cladis reipublicæ imminentis. Porro quo quis major est, eo majorem debet Deo ejusque templis honorem, ut suo exemplo alios idem facere doceat.

Id sapiebat Theodosius Imperator, qui adeo venerabatur templa, ut cum armis et diademate illa ingredi noluerit, sed utraque ad eorum fores deposuerit, dictitans hanc reverentiam se debere iis locis, in quibus magis resplendet divinitas et majestas Domini. Ita refertur in Concilio Ephesino, cap. XXI.

S. Gregorius Nazianzenus, *orat.* 19, laudat Nonnam matrem suam ita venerantem templa, « ut in iis nunquam illius vox audita sit, quod silentio Sancta honorarit, quod venerandæ mensæ nunquam terga obverterit, nec in divinum pavimentum expuerit. » Nam, ut recte ait S. Augustinus in *Regula*, et refertur *dist.* XLII, can. 6 : « In oratorio præter orandi et psallendi cultum penitus nihil agatur, ut nomini huic et opera jugiter impensa concordent. » Est enim et vocatur domus orationis : ibi ergo non aliud agendum, quam ut orationi vacetur. S. Chrysostomus, hom. 2 in epist. II *ad Corinth.*, in fine, agens de liturgia Ecclesiæ : « Quidam, ait, adeo sunt incogitantes, stulti ac dissoluti, ut non solum eo tempore, quo hæc aguntur cum catechumenis, sed etiam in his quæ aguntur cum fidelibus, stent et fabulentur. Hinc subversa sunt omnia, hinc perierunt omnia, et quidem eo tempore, quo maxime Deus erat placandus, illo magis irritato discedimus. »

S. Mauritius tanta reverentia et devotione versabatur in templo, ut nunquam visus sit sedere, sed genuflexus semper, aut stans facie pavida et pallida. Rogatus causam, dixit : « Non pavebo, non tremam, sciens me hic stare coram Deo ? » Ita Severus in ejus Vita.

Quin et Abyssini omnes etiam laici, quantumvis senes, in templo ex reverentia nunquam sedent, sed genuflectunt, vel certe stant innixi scipionibus, si senes sint, vel infirmi; id Romæ mihi asseverarunt viri graves et Abyssini ipsi.

Moraliter, S. Gregorius Nazianzenus, in *Sententiis* : « Perpetuum, inquit, sit tibi hoc studium, ut mentem tuam templum Deo extruas : sic enim eum pro spirituali statua in intimo corde habebis. » Modum præscribit idem Nazianzenus, in *Monasticis*, dicens :

Agendorum initium et finis sit Deus, etc.
Si beneficus fueris, imitaberis Deum.
Fac sis benignus, ut benignum habeas Deum.

Vide dicta in fine Aggæi prophetæ.

Ad horam orationis nonam, — quæ incipiebat hora tertia post meridiem, et finiebatur in vespera solisque occasu. Judæi enim diem et noctem dividebant in quatuor partes et vigilias, puta in horam primam, tertiam, sextam et nonam, et quamque pie ordiebantur a Deo et precibus, juxta illud : « A te principium, tibi desinet. » Fideles enim omnia sua opera Ordo Horarum Canonicarum.



æque ac finire decet. Hinc Psaltes, licet totius regni curis districtus : « Septies, inquit, in die laudem dixi tibi, » *Psal.* CXVIII, vers. 164; et Judæi, e Babylone reduces, « legerunt in volumine legis Domini Dei sui quater in die, et quater confitebantur et adorabant Dominum, » ait Esdras, lib. II, cap. IX, vers. 3. Daniel quoque in Babylone « tribus temporibus in die flectebat genua sua, et adorabat confitebaturque coram Deo suo, » *Daniel.* cap. VI, vers. 10, ubi causas hujus rei recensui. Rursum Psaltes, *Psalm.* CXVIII, vers. 62 : « Media, ait, nocte surgebam ad confitendum tibi. » Ex quibus locis liquet, discrimen horarum orationi destinatarum ante Christum apud Judæos et veteres fuisse, idemque Ecclesiam recte imitatam esse, imo perfectius facere per septem Horas Canonicas; nimirum, *primo*, in honorem SS. Trinitatis, ut tertia quaque hora eam laudemus, quam semper laudare deberemus ut angeli; sed cum id curæ et necessitates corporis et vitæ non permittant, id saltem faciamus initio cujusque horæ, puta ad primam, tertiam, sextam et nonam, juxta illud *Thren.* cap. II, vers. 19 : « Consurge, lauda in nocte, in principio vigiliarum. »

*Secundo*, in gratiarum actionem ob beneficium creationis. Septem enim diebus Deus omnia creavit, *Genes.* cap. I.

*Tertio*, ob septem primaria mysteria redemptionis, quæ totidem horis recolimus. Nam nocturnis horis tam natus, quam captus est Christus. Prima judicatus est, et resurrexit. Tertia condemnatus est, et misit Spiritum Sanctum in Pentecoste. Sexta crucifixus est et in cœlum ascendit. Nona mortuus est, et in limbum ad patres liberandos descendit. Vespere e cruce depositus est, omnibusque completis sepultus, quod recolimus Completorio : ita S. Cyprianus, serm. *De Oratione Dominica*; Tertullianus, *Contra Psychicos*, cap. X; S. Athanasius, serm. *De Virginit.* Vide Bellarminum et Navarrum, tract. *De Horis Canonicis*.

Porro, apud Judæos primariæ orationis horæ erant duæ, nimirum prima et nona, ob duplex juge sacrificium agni, quod iis offerebant, nempe matutinum, quod mane hora prima, et vespertinum, quod hora nona immolabant, de quo dixi *Exodi* cap. XXIX, vers. 39. Initium ergo diei æque ac finem Judæi dabant Deo, per solemnem adorationem et sacrificium. Idem multo magis facere decet Christianos.

Moraliter, disce hic *primo*, pietatem omnia a Deo impetrare : quia enim Petrus ascendit in templum pietatis et orationis causa, hinc meruit curare claudum.

*Secundo*, unum opus bonum disponere et sternere viam ad aliud : ita hic oratio stravit viam ad eleemosynam, eleemosyna ad sanationem et miraculum. Sicut enim peccatum allicit et advocat aliud, ut superbia invidiam, invidia rixam, rixa cædem; ita una virtus provocat aliam : est enim virtutum, æque ac vitiorum inter se concatenatio, et quasi contesseratio : « Somnus somnum adescat, et vigiliæ vigilias pariunt, » ait S. Dominicus Loricatus, ut habet ejus Vita.

*Tertio*, devotis et euntibus ad orationem omnia prospere succedere, Deumque mira providentia eorum res dirigere, secundare et exaltare.

Denique docet hic S. Petrus fideles, præsertim Ecclesiasticos, observare stata et ab Ecclesia sancita orandi, et horarias preces persolvendi tempora, ut scilicet eas non simul et conjunctim, sed divisim suis quibusque horis et temporibus legant, quantum fieri potest, et quantum officia et occupationes cujusque patiuntur. Hæc enim de causa ab Ecclesia per horas distincta et distributa sunt. Qua in re excelluit Illustrissimus Cardinalis Bellarminus piæ memoriæ, qui licet tot studiorum, lectionum, consultationum negotiis distringeretur, solebat tamen singulas seorsim et stato ab Ecclesia tempore, v. g. Nocturnas noctu, Primam hora prima, Tertiam tertia, Sextam sexta, Nonam nona recitare.

Narrat beatus Petrus Damianus, epist. *ad Desiderium, Cassinensem abbatem*, S. Severinum, Coloniensem Archiepiscopum, post mortem apparuisse cuidam clerico, ac tactu manus suæ tantum ei ardorem indidisse, ut e manu ejus carnes usque ad ossa defluerent, ac dixisse se relegatum ad ignes Purgatorii, hoc solo nomine et culpa, « Quia in aula regia, inquit, constitutus, imperialibus me consiliis vehementer implicui, Canonicæ synaxis officia per distincta horarum spatia non persolvi. Mane quippe simul omnia coacervans, tota die negotiis ingruentibus secura libertate vacabam. Ob hanc itaque negligentiam horarum, ardoris hujus fero supplicium. » Idem ex Damiano refert Baronius, tom. XI, anno Christi 1062, ubi tamen recte censet pro Severino legendum Peregrinum, qui creatus est Archiepiscopus Coloniensis anno Domini 1021, et præfuit annis 16.

Magnus ille Sabbas abbas pro suorum negotiis adiens Justinianum Imperatorem, eaque cum illo tractans, audita hora tertia illico ab imperatore transtulit se ad status illius horæ preces; cumque socius ejus Jeremias diceret hoc esse indecorum et incivile, respondit : « Imperator facit officium suum, nos nostrum; » ita habet ejus Vita die 5 decembris.

2. Vir — 40 annorum, ut dicitur vers. 22.

Claudus. — Non dubium plures alios a Petro et Apostolis esse sanatos, inquit S. Chrysostomus, et satis insinuat Lucas, cap. V, vers. 12; hujus tamen unius curationem enarrat, tum quia cæteris fuit illustrior, præsertim quia facta est juxta templum, ubi erat turba populi; tum quia ejus occasione concionem habuit S. Petrus ad turbam, qua quinque millia ad Christum convertit, ut patet cap. IV, 4.

Quem ponebant quotidie ad portam templi. —



UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

Mendicantes ad fores templi quatuor de causis. Prima. Secunda.

Hinc patet apud Judæos, pauperes et ægros et mancos præ foribus templi mendicasse, uti fit Romæ et apud Christianos multis in locis : idque primo, ut Christianis, qui raro hospitalia et carceres visunt, eleemosynæ cogitationem mentemque injiciant. Secundo, ut per eleemosynam disponant se ad orationem, sciantque se esse mendicos Dei, et ab eo vicissim eleemosynam petant et accipiant. Rursum, mendici docent nos modum orandi piamque rhetoricam, scilicet affectuose, miserabiliter et clamose miserias nostras Deo proponere, ejusque liberalitatem et opes celebrando, opem et gratiam quasi stipem emendicare. Unde S. Chrysostomus, hom. *De Martyrib.*, quæ est tomo V, ordine secunda : « Præveniantur, ait, precibus preces : rogantem claudum rogaturi ante audiant, quam precentur : nec permittit claudus orare illos quos petit, nisi prius acciperet ipse quod optavit. » *Tertio*, ut admoneantur miseriæ et fragilitatis humanæ, memores sibi idem contingere posse, quod in mendicis intuentur. Ex eadem carne constamus omnes, et eadem lege nati sumus, eidem peccato originali ejusque pœnis obstricti nascimur. Alios ergo spiritus cristasque ponant, Deoque gratias agant, quod in sorte mendicorum eos non collocarit. *Quarto*, ut mendicorum preces efflagitent, sciantque se plus ab eis accipere quam dare. Quocirca Christus : « Ego, inquit, dico vobis, facite vobis amicos de mammona iniquitatis, ut cum defeceritis, recipiant vos in æterna tabernacula, » *Luc.* cap. XVI, vers. 9. Mendici ergo sunt janitores cœli, cubicularii Dei, divitum non tam clientes quam patroni; ita S. Chrysostomus, hom. 28 *ad Popul.*

Porro Antverpiæ aliisque multis per Germaniam et Belgium bene ordinatis urbibus, non permittitur ut mendici fores templi obsideant; aut publice, multo minus per templum, mendicent, ne orantes obturbent, ne infirmis et prægnantibus nauseam et abortum moveant, neve mendici audaces et clamosi aliis honestis egentibus, sed timidis et verecundis, eleemosynas præripiant, imo ipsis dantibus ditiores evadant, uti subinde deprehensum est. Quare Eleemosynarios publicos constituunt, qui templum obeant et eleemosynas petant, quas in egentes per hospitalia a se distributos, pro cujusque necessitate et merito congrue distribuant. Quod sane uti ordinatius, ita et satius sanctiusque est, idque olim decrevit Concilium Turonense II, cap. V, nuperque Mediolani renovavit beatus Carolus Borromæus.

QUÆ DICITUR SPECIOSA. — a specie et pulchritudine. Hæc enim est quæ a Josepho, lib. XV *Antiq.*, cap. XIV, inter decem atrii portas pulcherrima describitur, quam proinde Baronius, anno Christi 34, censet esse illam, quæ ab eodem Josepho Corinthia nuncupatur, eo quod ex ære Corinthio, quod apud veteres præstantissimum et laudatissimum erat, fabricata esset, quæ multum, ait idem Josephus, cæteras portas argento inclusas et inauratas decore et honore superabat, quia crassiori argento et auro vestiebatur, quod quidem novem portis infuderat Tiberii pater Alexander. Sic et Ribera, lib. I *De Templo*, cap. XXXII. Verisimile est hanc portam non fuisse templi, puta atrii, mediam, ut nonnulli volunt, sed extimam; licet enim Josephus, lib. VI *Belli*, cap. VI, subindicet cæcos et claudos templum laicorum, puta atrium, ingredi potuisse, tamen eos ibi mendicasse non est credibile, tum quia id non decebat sanctitatem loci, tum quia ille locus tantum erat Judæorum et mundorum, extimus vero erat Gentilium quoque et immundorum. Mendici ergo ut tam a Gentilibus et immundis, quam a Judæis et mundis stipem poscerent, ante extimam extimi atrii portam sese collocabant. Et ita eam extimam, ante atrium Gentium, graphice depingit Adrichomius in tabula Chorographica urbis Jerusalem : qui et addit portam hanc fuisse Orientalem, aliis, Sur, alias Seir dictam; et Speciosam cognominatam, quod omnium portarum esset maxima, altissima et pulcherrima, per quam etiam principalis in templum erat introitus. Hanc collapsam Joathan rex instauravit, II *Paral.* cap. XXVII.

3. INCIPIENTES INTROIRE IN TEMPLUM. — Cur non potius in egressu post orationem, quam in ingressu hoc miraculum patrarunt? Variæ sunt causæ : *Prima*, quia in ingressu statim occurrit claudus hic eleemosynam ab Apostolis petens, quam proinde illico ei præstiterunt, bis enim dat qui cito dat. *Secunda*, ut hac beneficentia pararent se ad orationem, uti jam dixi. *Tertia*, ut divina liberalitas Apostolorum preces antevertens ostenderetur. Sic exponit D. Chrysostomus, in fine tom. I, serm. quodam in cap. III *Sap.* : « O gloriosum, inquit, meritum Apostolorum, qui ante in templo operantur, quam ipsi Dominum deprecentur; ante virtus ostenditur, quam oratio ad Dominum præmittatur : effectus preces præveniunt; virtutes desideria antecedunt : nec expectatur ut vota ad Dominum præmittantur; quia Dominus ipse ante efficit, quam oretur. »

ROGABAT. — « Quia vidit illos, inquit Chrysostomus, miracula facientes, et pios ex ipso habitu judicavit. »

4. RESPICE IN NOS. — Jussit claudo Petrus, ut in se respiceret : *primo*, ut ejus attentionem ad futurum miraculum excitaret; *secundo*, ut ejus spem erigeret et dirigeret, q. d. Oculos, spem et mentem in nos defige, quasi quid novum et magnum a nobis recepturus; *tertio*, ut claudus in se respiciens modum miraculi videret, utrique illud a se proficisci invocato nomine Jesu, ac consequenter audiret illud : « In nomine Jesu Christi Nazareni, surge et ambula; » eaque fide dexteræ apprehensum erigeret et sanaret : quare Christo [illegible] tribueret, et gratias ageret, in eum-



que crederet, ac idipsum coram aliis profiteretur et celebraret.

Aspectus Sanctorum salutaris.

Moraliter : docuit Petrus quam potens sit vel solus aspectus Sanctorum. Sicut enim basiliscus suo aspectu eos quos aspicit, enecat; ita Sancti suo aspectu virtutem, gratiam et Dei benedictionem eis quos intuentur, aspirant. Ea de causa S. Chrysostomus, in cap. I et ult. *ad Rom.*, scribit S. Paulum tam officiosum esse in salutationibus, quia sola Sanctorum salutatio efficax est potensque afferre salutem, uti beata Virgo salutans Elisabeth, eam cum prole sanctificavit. Unde ipsa exclamavit : « Unde hoc mihi, ut veniat mater Domini mei ad me? Ecce enim ut facta est vox salutationis tuæ in auribus meis, exultavit in gaudio infans in utero meo, » *Lucæ* I, 43.

Vere S. Ambrosius, explicans illud *Psal.* CXVIII, *Qui timent te, videbunt me, et lætabuntur* : « Pretiosum est, inquit, videre virum justum : plerisque enim justi aspectus admonitio correctionis est, perfectioribus vero lætitia. » Et mox : « Justi sanat aspectus, et ipsi oculorum radii virtutem quamdam videntur infundere iis qui fideliter eum videre desiderant. » Ita solus S. Francisci aspectus intuentes compungebat et accendebat ad amandum Deum et cœlestia, ait S. Bonaventura in ejus Vita. Idem de S. Dominico, S. Francisco Xaverio, beato Aloysio Gonzaga, testantur eorum Vitæ.

Paupertatis opes.

6. ARGENTUM ET AURUM NON EST MIHI. — Apostoli pauperes erant censu, ideo divites erant sensu, spiritu et fide, ut ait S. Jacobus, cap. II, 5. Audi Nazianzenum, *orat.* 27 *De Amore pauper.* : « Adeo pauper vivendi genus sibi Petrus præscripsit, ut lupinis famem expelleret. » Lupini sunt pisa amara et agrestia.

Præclare S. Ambrosius in illud *Psal.* CXVIII, 57, *Portio mea, Domine* : « Cui, ait, portio Deus est, totius naturæ possessor est effectus, videlicet totus quidam cum Domino dominus. » Declarat id exemplo S. Petri, qui, quia relictis omnibus secutus est Dominum, ipse quoque naturæ dominus esse meruit : nam claudo petenti eleemosynam dixit : « Quod habeo tibi do : In nomine Jesu Christi, surge et ambula. Ecce Petrus sub Christi nomine quasi unus Christus, ac ideo omnium dominus factus est, qui naturæ damna reparabat. Quomodo ergo poterat naturæ damna sentire? » Sic recte dixit S. Chrysostomus : « Agrum pauperis esse crumenam divitis. » Et S. Augustinus, serm. 28 *De Verbis Apostoli* : « Non tibi displiceat paupertas tua, nihil ea potest ditius inveniri. Vis nosse quam locuples sit? cœlum emit. Quibus thesauris conferri possit, quid videmus paupertati indultum? » Hinc et Climacus, *gradu* 17, asserit pauperem monachum dominum esse mundi, et quia jactavit curam suam in Deum, in eo per fidem possidere omnes res et gentes in servos. Nam « desiderium pauperum exaudivit Dominus, præparationem cordis eorum audivit auris tua, » *Psal.* IX. Pergit S. Augustinus : « Deo dives est inops auri, virtutes largitur et gratias confert. » Et superius : « Testimonium virtutis secuturæ, est professio paupertatis. Unde Apostolus loquebatur : Nihil habentes, et omnia possidentes. Qui aurum non habet, fidem habet, virtutem habet. Videamus quid amplius coruscet. Aurum, quod nemo tutum habet, nisi qui semper abscondit? Aurum, quod in perniciem Domini fulget? Aurum, quod per tenebras quæritur, per tenebras custoditur? Aurum, cujus inquisitio damnatos habet, cujus amor Judam facit? Aurum, quod apud avarum animum præfertur Christo? cujus gravis acquisitio ærumnosa possessio. » Hæc et plura ibidem sparsim S. Augustinus.

Aliam causam dat S. Ambrosius, lib. X, *epist.* 82 : « Gloriatur, inquit, in paupertate, quasi refugiat contaminationem. » Quasi diceret : Contaminatio erat D. Petro, opulentia; gloriatio, inopia : hanc quodammodo ostentare, illam penitus abdicare cupiebat. Certe Jacob pauper et peregrinus in Ægypto, sic abundabat, ut suis illis omnium bonorum benedictiones impertiret, *Genes.* XLIX, 2. De qua re D. Ambrosius, lib. II *De Jacob et Vita beata*, cap. IX : « Quis, inquit, tam dives in regno, quam iste in peregrino loco? Denique reges benedicebat. Nec immerito pauper non erat, qui nullo indigebat; pauper non erat, qui se pauperem non putabat. Et quis pauperem dicat, cujus comparatione dignus non erat mundus? »

Legi vitas plurimorum Sanctorum, et deprehendi eos solos excelluisse miraculorum copia et pondere, qui excelluerunt in paupertate et austeritate vitæ, quasi ejus merces et præmium congruo a Deo decretum fuerit donum miraculorum : tales fuere S. Bernardus, S. Dominicus, et tres S. Francisci, nimirum Assisias, de Paula et Xaverius, qui pauperrimus in India 25 mortuos, ut alia taceam, suscitavit.

Legi apud auctores graves, S. Thomam Aquinatem, cum ad Innocentium IV Pontificem venisset, coram quo forte magna vis auri signati numerabatur, et ei Pontifex dixisset : Vides, Thoma, Ecclesiam non amplius, sicut olim cum primum inciperet, dicere posse : « Aurum et argentum non habeo? » modeste respondisse : « Fatendum hoc est, Pater sancte; sed etiam Ecclesia modo non potest, sicut primitiva, ad claudum dicere : Surge, ambula, sanus esto. » Et tamen certum est Ecclesiam licite et utiliter, imo necessario, possidere pecunias et prædia, uti docte contra Joannem Wiclefum demonstrat Bellarminus, tom. I, lib. I *De Cleric.*, cap. XXVI. Verum Deus pro rerum et temporum exigentia ita sapientissime sua dona partitus est, ut Ecclesia primitus pauper coruscaret miraculis, ad infidelium conversionem : iis vero conversis, miraculis amplius non indigens, opibus et donis fidelium suum jus et dignitatem tueretur : quin et nonnullis eximiis

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

in ea sanctis etiam Pontificibus, præsertim paupertatis studiosis, gratiam miraculorum concessit, uti S. Martino, qui præter alia tres mortuos ad vitam revocavit, de quo canit Ecclesia : « Martinus hic pauper et modicus, cœlum dives ingreditur, » etc. Et S. Gregorio, cujus vitam et miracula Joannes Diaconus quatuor libris conscripsit: sed et hic censu licet dives, spiritu tamen fuit pauperrimus : adeoque suum patrimonium, quod erat amplissimum, ac factus Pontifex omnes pontificatus redditus et opes in eleemosynas profudit, quibus omnes pauperes Romæ et per totam Italiam, quin et in terra sancta aliisque provinciis, vere pauperum pater, aluit et sustentavit.

QUOD AUTEM HABEO, HOC TIBI DO. — *q. d.* Potestatem faciendi miracula quam habeo, tibi applico, per eamque tibi sanitatem dono. Potestatem enim hanc habebat Petrus permanentem, non per habitum (nullus enim habitus dari potest, qui physice quævis miracula patret), sed instar habitus : Dei enim assistentiam habebat per modum habitus, ut per ejus omnipotentiam sibi paratam, quoties vellet, toties miraculum ederet. Deum ergo Deique potentiam Petrus quasi habebat in manu, ac per eam erat quasi omnipotens. Ecce quid facit Dei amicitia et sanctitas! Ecce quomodo Deus se suaque omnia Sanctis communicat!

Dicit ergo Petrus : « Quod habeo, hoc tibi do, » *q. d.* ait Ambrosius, in illud *Psal.* CXVIII, 57, *Portio mea, Domine* : « Portio mea Christus est. In portione mea dives sum ; in portione mea potens sum. Quomodo poterat Petrus portionis suæ damna sentire, qui naturæ damna reparabat? » Imo felicior est, qui Deum possidet, quam qui totam naturam possideret : hic enim suas sæpe jacturas patitur, ille nullas. Unde subdit S. Ambrosius de eo qui Deum possidet : « Portio tua, inquit, non ariditate siccatur, non imbre diluitur, non frigore uritur, non tempestate quassatur. Ea est potior, quam terrenæ partes æquare non possunt. »

Moraliter : docet hic S. Petrus, ut in donis acceptis a Deo, communicandis simus liberales : ideo enim a Deo communicantur. Quocirca quisque det quod habet. Qui habet opes, det opes; qui eas non habet, porrigat manum, det linguam, consolando, docendo, etc.; porrigat cor compatiendo, orando, etc. « Esto calamitoso Deus, » ait Nazianzenus, *orat.* 27, ut vicissim Deum promereare, isque tibi sit Deus, id est beneficus et liberalis.

Quare Petri dissimiles sunt divites avari, qui, ut ait S. Hieronymus, *ad Eustoch. de custod. virg.*, cap. XIV, « licet sermone taceant, opere loquuntur : Fidem et misericordiam non habeo; quod autem habeo argentum et aurum, tibi non do. »

...INI JESU CHRISTI, — qui, scilicet, est Christus Mes... Judæis promissus.

NAZARENI, — scilicet ex Nazareth oppidolo oriundi, quem proinde Judæi per contemptum vocarunt Nazarenum, imo cruci ejus hunc titulum præfixerunt : « Jesus Nazarenus rex Judæorum. » Quare Deus eum ita humiliatum nunc exaltat, ac in nomine Nazareni te sanat tibique ætatis florem et membrorum vigorem restituit. *Nazarenus* enim hebraice idem est quod floridus, et floridos efficiens. Talis factus est Christus per resurrectionem, juxta illud *Psal.* XXVII, 7 : « Refloruit caro mea. »

7. PROTINUS. — Ut appareret esse instantanea, ideoque non naturalis et medicinalis, sed divina sanatio. Fuit hæc subita sanatio symbolum nostræ resurrectionis, quæ fiet in momento. Unde S. Augustinus, hom. 28 *De Verbis Apostoli* : « Testimonium, ait, velocis resurrectionis, est velocitas ex debilitate surgentis in momento, in ictu oculi, in novissima tuba. » Hoc miraculum fecit Petrus anno 34 Christi, eodem scilicet quo in Parasceve Christus est passus, in Paschate resurrexit : unde quadragesimo die in cœlum ascendit, ac die quinquagesimo in Pentecoste misit Spiritum Sanctum : nam paulo post Pentecosten, de qua cap. præced., Petrus patravit primum hoc suum miraculum. Lucas ergo hic recenset fructus passionis Christi, et effectus.

CONSOLIDATÆ SUNT BASES EJUS, — puta crura et tibiæ, hisce enim quasi basibus moles corporis fulcitur, ait Tyrannus.

ET PLANTÆ. — Græce σφυρά, quod Beza vertit *malleoli*, id est ossa juxta talos extantia : sed frigide; σφυρὸν enim significat totum pedem, ut a tibia secernatur. Unde σφυρόω idem est quod *calceo*, et εὔσφυρος, *bene calceatus*. Quare minus minusque recte Pagninus et Tigurina σφυρὰ vertunt, *tali*. Melius Noster et Syrus vertunt, *plantas*, puta pedes, quibus totum corpus insistit; qui in paralyticis, humore aqueo in eos defluente, resoluti sunt, in claudis contracti, debiles et manci.

Mystice : claudus hic erectus a Petro significat Judæos, quos quasi animas claudicantes, Petrus hoc sanationis miraculo ad fidem adduxit, ait Nyssenus, orat. *De S. Stephano*. Et S. Ambrosius, serm. 2 *De S. Petri et Pauli encomiis*, docet merito S. Petrum primum edidisse miraculum in pedum claudi confirmatione, ut ostenderet se esse fundamentum Ecclesiæ : « Ut sicut, inquit, in Ecclesia fidei fundamentum continet, ita et in homine membrorum fundamenta (quæ sunt pedes) confirmet; ut jam non trepidus, nec imbecillis possit, supra petram Ecclesiæ, sed robustus et fortis incedere. » Quocirca sæpius hoc miraculum in claudis operatus est S. Petrus.

Memorabile est quod legimus in vita S. Eduardi, regis Angliæ, scripta ab Alredo, qui floruit anno Domini 1164, nimirum contractum quemdam utroque pede, missum a S. Petro ad S. Eduardum, ut ei diceret se curatum iri, si Eduardus eum suis humeris impositum, ad templum S. Petri



perferret. Quare Eduardum illico id fecisse, itaque ei integram sanitatem gressumque restituisse. Porro revelarat contracto S. Petrus se velle Eduardum in hoc miraculo habere socium, utpote sibi valde devotum : nuncuparat enim votum visitandi limina S. Petri Romæ; sed votum jussu Pontificis, ad Anglorum petitionem, commutavit in templum hoc, quod in honorem S. Petri exædificavit.

Moraliter claudicatio mystica quæ et qualis?

Tropologice : claudicant qui nunc in vitium, nunc in virtutem, nunc in fidem, nunc in hæresim inclinant, quos consolidat Petrus, id est Pastor et Prælatus vi verbi et gratiæ Christi, *Hebr.* XII, 13. Claudicatio enim hæc periculosa est, ut vicina ruinæ extremæ, ac Deo vehementer injuria et exosa. Componit enim et conjungit Deum cum dæmone, eumque Deo quasi æmulum opponit, imo anteponit. Quocirca Elias, III *Reg.* XVIII, 21, ait ad populum : « Usquequo claudicatis in duas partes? Si Dominus est Deus, sequimini eum; si autem Baal, sequimini illum. » Et Josue, cap. ult., 19 : « Non poteritis servire Domino : Deus enim sanctus et fortis, æmulator est, nec ignoscet sceleribus vestris, etc. Testes vos estis, quia ipsi elegeritis vobis Dominum, ut serviatis ei. » Et Moyses, *Deuter.* XXXII, 16 : « Provocaverunt eum in diis alienis, et in abominationibus ad iracundiam concitaverunt. » Et vers. 39 : « Videte quod ego sim solus, et non sit alius Deus præter me. » Et Christus, *Matth.* VI, 24 : « Non potestis Deo servire et mammonæ. » Et Paulus, II *Cor.* VI, 14 : « Nolite jugum ducere cum infidelibus. Quæ enim participatio justitiæ cum iniquitate? aut quæ societas luci ad tenebras? Quæ autem conjunctio Christi ad Belial? »

Ita Politici in Republica conjungunt hæreticos cum Catholicis, itaque fidem et simul Rempublicam evertunt. Tales fuerunt Cuthæi, sive Samaritæ, ex Assyria translati in Samariam, qui coluerunt Deum Israelis, et simul Deos Assyriorum, IV *Reg.* XVII, 33. Tales sunt quasi chamæleontes; nam pro varietate locorum et personarum omnibus se conformant, cum hæreticis loquuntur hæretice, cum Catholicis catholice, cum piis et castis simulant pietatem et castitatem, cum impiis et impudicis impia et impudica effutiunt; præsentibus adulantur, absentes lacerant; bilingues, trilingues, imo omnilingues sunt. Sedent sellis duabus, imo omnibus : fidem habent labilem, ideoque nullam. Vere noster Frusius de tanta sectarum hujus ævi varietate : « Cur nunc tot filiolus luditur una fides? » Talis Proteus fuit Julianus Apostata, ait Nazianzenus, orat. *Contra eumdem*, qui cum Constantino et Christianis erat Christianus, cum Gentilibus Gentilis; modo palliatus, modo togatus; trocho versatilior, polypi mentem obtinens; biceps ut amphisbena; anceps ut mulus; Euripo inconstantior, luna mutabilior, pila mobilior, magis varius quam hydra.

Præclare Cassianus, *Collat.* 6, cap. XII : « Mens justi, ait, non debet esse similis ceræ, quæ semper characteri signantium cedens, pro ejus forma et imagine figuratur, etc.; quin potius debet velut quoddam esse adamantinum signatorium, ut inviolabilem mens nostra figuram sui semper custodiens characteris, universa quæ incurrerint sibi, qualitate sui status signet atque transformet, ipsa vero insigniri nullis incursibus possit. » Objecit olim Æschines Demostheni, quod commutata factione, Euripum ipsum inconstantia sua superasset, essetque Euripistes et incertæ fidei. Quot hodie sunt Euripistæ, quibus nulla est nisi Græca, aut Punica fides!

8. AMBULANS ET EXILIENS. — In eo ergo impletum est illud Isaiæ, cap. XXXV, 6, de Christo et Apostolis oraculum : « Tunc saliet sicut cervus claudus, » ait S. Cyrillus, *Catechesi* 17. Nota : Hic duplex fuit miraculum : prius, quod claudo restituta sit pedum rectitudo et firmitas; posterius, quod illico prompte incesserit, imo exilierit. Qui enim diu non ambularunt, esto sani sint et valeant pedibus, ut incarcerati, tamen ex longa desuetudine ambulandi, expedite incedere nequeunt; sed sensim ambulare discunt ejusque usum et facilitatem ambulando acquirunt, uti experientia constat : ita Sanchez.

10. ET IMPLETI SUNT STUPORE ET EXTASI, — θάμβους καὶ ἐκστάσεως; Pagninus et Tigurina, *repleti sunt admiratione et stupore*; Syrus, *admiratione et extasi*; Biblia Gothica quæ citat Mariana, *stupore et mentis consternatione*. Extasis hic significat admirationem maximam, qua attoniti et perculsi, quasi emotæ mentis, extra se fierent, perinde ac in extasi sive raptu proprie dicto mens a terrenis ad cœlestia rapitur. Unde S. Augustinus explicans illud *Psal.* XXX : « Ego dixi in excessu (Græce ἐν ἐκστάσει, hebr. בחפזון *bechippazon*, id est in *trepidatione et pavore*) mentis meæ : Omnis homo mendax. In excessu mentis, inquit, duo intelliguntur : aut pavor, aut intentio ad superna, ita ut quodammodo de memoria labantur inferna. »

11. CUM TENERET (ita et Græca et Syrus : perperam ergo aliqui legunt *tenerent*; alii, *viderent*) AUTEM PETRUM ET JOANNEM, — puta claudus a Petro sanatus. Sed cur tenuit eos? Respondet Œcumenius, ex timore, ne, si ab eis disjungeretur, rursus in claudicationem incideret; nam apprehensa dextera ejus a Petro, sanus evaserat. Melius S. Chrysostomus censet id eum fecisse ex amore, reverentia et gratitudine, ut suos sanatores arcte complecteretur, stringeret ... ab eis avelli non posset, eosque toti populo ostenderet et deprædicaret.

AD PORTICUM QUÆ APPELLATUR SALOMONIS, — ante quam Petrus sanaverat claudum : claudus enim jacebat mendicans ante hujus porticus portam, quæ vocabatur Speciosa : sed a Petro erectus, cum eo per portam in porticum hanc introivit, celebrans miraculum et miraculi auctorem Pe-

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS
FLAMMAM VERITATIS

trum. Unde populus, ut id videret, tam ad claudum curatum, quam ad Petrum curantem cucurrit.

Porticus Salomonis quæ? Quæres, quænam fuit porticus Salomonis? Nota : Templum Judæorum proprie duas habebat partes, Sanctum et Sanctum sanctorum : in illud soli sacerdotes ingrediebantur, in hoc solus pontifex semel in anno. Quare pro populo ante Sanctum adjectum fuit atrium, ut populus in eo spectaret sacrificia Deumque oraret. Atrium hoc duplex erat : prius Judæorum, posterius Gentium et immundorum. Judæorum bipartitum erat : prior enim ejus pars vicina Sancto, in qua erat altare holocaustorum, cedebat sacerdotibus ; posterior laicis, sed mundis. Porro non licebat sub pœna mortis Gentibus, puta Romanis, ex suo atrio transire in atrium Judæorum, nec Judæis in atrium sacerdotum, teste Josepho, lib. VI *Belli*, cap. VI. Jam quæstioni huic tripliciter respondent interpretes.

*Primo* enim aliqui censent, porticum hanc fuisse exterius adhærentem ipsi Sancto, quæ proinde instar Sancti erat longa viginti cubitos, lata decem, uti dicitur III *Reg.* VI, 3, perinde ac videmus Romæ Basilicis S. Petri, S. Laurentii, S. Cæciliæ, et aliis extrinsecus adhærere porticus, per quas in basilicas introitur ; ita Adrichomius in *Descriptione Jerusalem*. Verum obstat quod in hanc porticum, imo in atrium sacerdotum, quod erat ante porticum, nulli nisi sacerdoti Aaronico fas erat introire. In hanc autem porticum ingressus est Petrus, claudus totusque populus.

*Secundo*, alii censent porticum hanc fuisse ipsum atrium Judæorum, dictique Salomonis, tum quia in eodem loco et area erectum fuit ab Herode, in quo olim Salomon suum erexerat ; tum ad distinctionem porticus extimæ, puta atrii Gentium, quod atrio Judæorum adjecit Herodes : ita Ribera, lib. I *De Templo*, cap. XVI et seqq. Censet enim ipse Salomonem ædificasse tantum atrium Judæorum, non vero atrium Gentium, sed illud adjectum esse ab Herode, ac proinde atrium Judæorum vocari porticum Salomonis, atrium vero Gentium porticum Herodis. Quare porticus Salomonis fuit templum Judæorum, in quo Christus docuit et miracula patravit. Verum obstat quod porticus hæc erat extima, uti eam vocat Josephus, quodque mendici ante atrium, non interius Judæorum, sed extimum Gentium desidebant, ut tam a Gentibus introeuntibus, quam a Judæis stipem poscerent. Non enim decebat sordidos et putidos mendicos in loco Judæis sanctissimo, tanto numero jugiter desidere : nec Judæi id permisissent, præsertim ne eorum clamore et tumultu in sacrificiis et precibus obturbarentur. Erant enim ipsi in sacris religiosi, imo superstitiosi ; et practicabant illud vulgo tritum : « Cæci et claudi non intrabunt in templum, » II *Reg.* V, 8, etiamsi nulla lege id sancitum esset. Sic et apud Romanos mendicorum statio erat ad pontem, uti etiamnum est, ut patet ex Juvenali, *Satyra* IV, et Martiali, lib. X, *Epigram.* V. Ita Sanchez.

*Tertio* ergo alii censent porticum Salomonis fuisse atrium Gentium, aut certe ejus partem. Hoc enim erat quasi templum Gentium, in quo ipsæ Deum adorabant, et ante illud ejusque portam Speciosam sedebant mendici. Erat hoc atrium tale, qualia videmus Romæ in palatiis, nimirum sub dio, ita tamen ut ad latera haberet porticus tectas columnis insistentes, ad quas tempore pluviæ vel æstus reciperet se populus, eaque de causa vocatur porticus Salomonis, non quod Salomon in eo oraret (orabat enim in atrio Judæorum, utpote Judæus et Judæorum rex), sed quod hæc porticus ex incendio templi facto per Chaldæos, superstes manserit, saltem bona sui parte, ita ut facile a Zorobabele, et postea ab Herode instaurari potuerit, inquit Œcumenius. Ita Villalpandus, lib. III *De Templo*, cap. IX, ubi idipsum confirmat ex eo quod Gentiles, qui non nisi in atrio Gentium versari poterant, adierint Philippum in porticu Salomonis, ut viderent Jesum. Jesus ergo tunc in atrio Gentium degebat, *Joannis* XII, 20. Idem, lib. V *De Templo*, disp. IV, cap. LXVII et LXVIII, in fine, idipsum confirmat ex Josepho, lib. XX *Antiquit.*, cap. XIV, ubi porticum hanc ait fuisse extimam templi, eamque vocat « opus Salomonis, » non Herodis. In hanc ergo porticum, ingrediente Petro cum claudo sanato, accurrit populus turmatim, et concionante Petro conversa sunt quinque millia. Unde liquet porticum hanc, quæ tot millia caperet, fuisse ingentem, ideoque fuisse idipsum atrium Gentium. Id enim dictum est « porticus, » tum quia erat extimum, tum quia pro immundis et profanis Gentibus erat quasi immundum et profanum respectu atrii Judæorum, quod pro fidelibus et sanctis Judæis quasi mundum et sanctum erat, et vocabatur templum, non porticus. Sic enim etiamnum vestibula ante templa, quia extima et quia extra templum sunt, vocamus porticus, non templum aut templi partem. Atrium ergo Gentium vocabatur « porticus, » ad distinctionem atrii Judæorum, quod vocabatur « templum, » cui atrium Gentium exterius adjacebat quasi porticus.

12. AUT POTESTATE. — Legit Interpres in Græco ἐξουσίᾳ, id est *potestate*. Quocirca et Syrus vertit, בשולטנן *beschultanan*, id est *imperio nostro*. Unde *Sultani* Ægypti, Babylonis, Tartarorum, vocantur eorumdem principes et Imperatores. Alii legunt εὐσεβείᾳ, id est *pietate*, itaque in Latinis Bibliis legunt Lyranus, Hugo et Dionysius. Inepte hæc Calvinus torquet contra invocationem Sanctorum, quasi nulla sit in eis eorumque reliquiis potestas. Non enim hoc vult Petrus, sed tantum docere potestatem patrandi miracula, quam ex effectu eum habere constabat, non esse suam, id est suarum virium, sed Dei, ab eoque sibi gratis concessam : Sancti enim, inquit S. Gregorius, lib. II, *Dialog.* 30, faciunt miracula, vel prece, vel potestate, hoc est, nunc invocando Deum, nunc per Dei virtutem sibi communicatam, imperando dæmonibus, morbis, etc., ut abscedant.

Vers. 14. 13. ET JUSTUM, — tum formaliter, tum causaliter, hoc est, justificantem cæteros omnes, ita ut nemo hominum sit justus, nisi qui justitiam a Christo acceperit eique illam acceptam referat.

Vers. 16. 16. ET IN FIDE NOMINIS EJUS. — *q. d.* Per fidem et invocationem nominis Christi, per fidem qua in Christum credimus eumque Salvatorem agnoscimus et prædicamus ; vel per fidem quam habemus nomini Christi, id est ipsi Christo a me nominato et invocato, « hunc claudum, quem vos vidistis et nostis, confirmavit, » id est consolidavit et sanavit, « nomen ejus, » puta Christi, *q. d.* Christus in quem credo, a me nominatus et invocatus confirmavit et curavit hunc claudum, non ego mea medicina, vel virtute. Est hic triplex hebraismus. *Primo*, enim præpositio *in* ponitur pro *per* : « in fide, » id est « per fidem. » *Secundo*, « fides nominis » passive hic vocatur fides quæ habetur nomini Christi, id est Christo ipsi ; non enim active fides Christi hic vocatur illa, quam in se habet Christus (in Christo enim non fuit fides, sed visio) ; sed passive, quam scilicet nos habemus in Christum, qua credimus Christo. *Tertio*, nomen Christi metonymice vocatur ipse Christus nominatus et invocatus ; vel certe ipsa invocatio nominis Christi (1).

Nota : Fidei tribuitur hic miraculosa sanatio tanquam causæ non primariæ, sed instrumentariæ. *Primo*, enim fides est causa applicans nobis merita Christi, per quæ sanamur. *Secundo*, fides est dispositio ad sanitatem mentis et corporis. *Tertio*, fides et invocatio est quasi causa impetratoria sanitatis : ipsa enim est oratio vel tacita, vel expressa, quæ sanitatem a Deo impetrat ; unde et eam meretur, non de condigno, sed de congruo. Causa ergo physica principalis curationis claudi fuit Deus ; instrumentalis fuit S. Petrus, manu elevans et erigens claudum. Causa vero moralis, puta meritoria, principalis fuit Christus ejusque merita ; instrumentalis fuit fides S. Petri, ob tres rationes et modos quos jam recensui ; ita D. Thomas, de Potentia, *Quæst.* VI, ad 19.

ET FIDES, QUÆ PER EUM (hoc est, in eum) EST, DEDIT INTEGRAM SANITATEM, — ὁλοκληρίαν, id est integritatem corporis et membrorum, puta pedum. Aliter Chrysostomus : Fides, inquit, quæ per eum, puta Christum, est prædicata et evangelizata, dedit sanitatem claudo ; fides autem a Christo prædicata, est fides in ipsum Christum ; verum Petrum modestiæ causa id non statim exprimere, sed velare et circumscribere, ne aversos a Christo Judæos offendat, donec sensim se in mentes eorum insinuans idipsum declaret et clare denuntiet.

Moraliter : Nota hic primos Sanctos sua miracula et dotes non sibi adscribere, sed Deo, cujus sunt, reddere cum gratiarum actione et glorificatione, ac dicere cum Psalte : « Non nobis, Domine, non nobis, sed nomini tuo da gloriam ; » quod cum facimus, Deus novas in nos gratias effundit : gratia enim congruit daturque grato, quæ aufertur ingrato. Vide S. Gregorium, hom. 8 *in Ezech.*, sub finem : « Idcirco, ait, viri sancti semper laudem Creatori reddunt, ut vera stabilitate persistant in ea virtute quam accipiunt. » Moral. Primum

*Secundo*, quanta sit virtus fidei excellentis et heroicæ : hæc enim omnia quæ credit et sperat, impetrat a Deo juxta promissum Christi, *Marci* XI, vers. 24 : « Omnia quæcumque orantes petitis, credite quia accipietis, et evenient vobis. » Talis est fides miraculorum, per quam S. Petrus, S. Paulus, S. Gregorius Thaumaturgus et similes, tot tantaque prodigia ediderunt.

*Tertio*, quantam fidem, spem et amorem debeamus gerere erga Christum, quem Deus nobis dedit redemptorem, salvatorem, mediatorem omnisque boni datorem, per quem nos benedixit omni benedictione spirituali in cœlestibus, uti admirabundus docet et eructat S. Paulus toto cap. I *ad Ephes.* Unde ipse alibi passim non nisi Jesum et Christum sonat et crepat, dicens se nihil prædicare, nihil scire, nihil sperare, nihil amare, nisi Jesum Christum et hunc crucifixum ; imo se in se non vivere, sed Christum : « Vivo, inquit, ego, jam non ego, vivit vero in me Christus. Mihi absit gloriari nisi in cruce Domini nostri Jesu Christi, per quem mihi mundus crucifixus est, et ego mundo. Mihi vivere Christus est, et mori lucrum. »

Idem fuit sensus primorum fidelium, ut S. Ignatii, epist. *ad Rom.* : « Amor meus crucifixus est, » ac consequenter et fides, et spes mea crucifixa est ; S. Joannis, qui in Evangelio et Epistolis, non nisi Christi amorem, quem ex ejus pectore hausit, spirat ; S. Polycarpi, S. Dionysii, S. Laurentii, etc., qui Christi amore ebrii ad ignes, furcas et leones ibant quasi ad epulas. Sapienter S. Nazianzenus, in *Sententiis* : « Alii, in-

(1) Hæc in h. l. Rosenmullerus : « *Nomen ejus* (Jesu) h. l. est *Jesus ipse*, ut sæpe in V. Test. שם יהוה Jehovah, venerandum Numen. Ἐπὶ, *propter*, *ob* : ἐπὶ cum dativo sæpius finem et scopum indicat. Enim in finem Jesus hoc miraculum per nos edidit, ut et vos convinceremini eum esse verum Messiam. Quæ tamen interpretatio Kuinoello aliisque minus commoda videtur, qui potius verbis *in fide nominis ejus* hunc sensum tribuendum arbitrantur : propter fiduciam *nostram* in Christi auxilio repositam. Certi quid statuere difficile est ob Græcæ constructionis ambiguitatem. Priorem autem explicationem præfero, quum de Apostolorum fiducia in subsequentibus commodius cogitetur. Altera interpretatione admissa, non intelligitur cur in utroque hemistichio eadem fere sententia proponatur. »

quit, aurum, alii argentum, alii mensas delicatas, id est vitæ ludibria in pretio habeant. Ego vero Christum amplissimarum opum instar duco : quem utinam aliquando pura mente mihi intueri contingat; cætera autem mundus habeat. » Præclare S. Bernardus, lib. *De Conscientia*, cap. I : « Cum amor Christi, inquit, totum absorbuit affectum hominis, ut negligens et immemor sui, nil nisi solum Jesum Christum et ea quæ sunt Jesu Christi, sentiat, tunc demum in eo perfecta est charitas. Non est onerosa ei paupertas; iste non sentit injurias, ridet opprobria, contemnit damna, mortem lucrum deputat; imo nec mori se putat, cum magis de morte ad vitam transire se sciat. » Et cap. III : « Premat corpus, trahat mundus, frendeat diabolus, secura erit conscientia, » in Christo defixa. Vere oleum effusum nomen tuum, Jesu Christe. Vide eumdem, serm. 15 in *Cant.*

17. PER IGNORANTIAM FECISTIS, SICUT ET PRINCIPES VESTRI. — Sed longe culpabilior fuit principum ignorantia, quam populi, utpote crassissima vel etiam affectata : quia tamen hæc quoque aliquo modo in scelere minuit audaciam, impudentiam et irreverentiam in Deum, eo quod minuit voluntarium (gravius enim peccassent si Christum cognitum, quod scilicet ipse esset Messias et Filius Dei, voluntarie et destinata malitia occidissent), idcirco a Petro hic allegatur quasi causa Christicidium excusans, non in toto, sed in tanto. Unde Christus pro his orans in cruce : « Pater, inquit, ignosce illis, quia nesciunt quid faciunt. » Et Paulus, I *Cor.* cap. II, vers. 8 : « Si enim cognovissent, nunquam Dominum gloriæ crucifixissent. »

18. DEUS AUTEM, QUÆ (ita Græca et Rom., non *qui*, uti nonnulli legunt) PRÆNUNTIAVIT (scilicet) PATI CHRISTUM, — ut sequitur, *q. d.* Passiones et tormenta Christi, quæ Deus prænuntiavit per Prophetas, omniaque de Christo passuro oracula, implevit per vos vestramque ignorantiam, qua factum est, ut Christus de facto pateretur ea omnia quæ eum passurum prænuntiarant Prophetæ.

19. UT DELEANTUR. — Non tegantur, ut volunt hæretici, non superficie tenus radantur, sed plane deleantur et aboleantur, ac, ut Syrus, *expungantur* : sicut litteræ e tabulis ceratis olim expungebantur, et nunc e membranis expunguntur.

20. UT CUM VENERINT TEMPORA REFRIGERII. — Vatablus, *refocillationis*, scilicet *a peccatis et ira* Dei, subaudi : salvi sitis, vel refrigeremini et vos. *Refrigerium*, vel, ut Syrus vertit, *tranquillitatem et quietem*, vocat salutem et beatitudinem æternam, qua ab æstu tentationum, persecutionum et afflictionum hujus vitæ, quibus in hujus vitæ pelago assidue jactamur et urimur, quiescemus et refrigerabimur. Alludit S. Petrus ad excidium Jerusalem et Judæorum mox futurum per Titum, ac ad Judæorum ærumnas, quibus toto orbe vagi continue agitantur, a quibus in fine mundi liberabuntur.

Porro hoc *refrigerium* pœnitentibus et conversis ad Christum obveniet *a conspectu Domini*, id est ab ipso Domino præsente et conspiciente. Pro *conspectu*, Græce est πρoσώπου, quod Tertullianus, lib. *De Resurrect. carn.*, vertit *a persona Domini*; Cajetanus, *a facie Domini* : quia, inquit, facies Christi erit objectum et causa beatitudinis. Visio enim divinitatis Christi est objectum beatitudinis essentialis; visio vero humanitatis ejusdem est objectum primarium beatitudinis accidentalis. Unde Vatablus exponit, *q. d.* Quæ refrigeratio erat, cum rursus conspectus erit Christus (1). Notat Sanchez pro *refrigerii* Græce esse ἀναψύξεως, quæ vox et *resurrectionem* et *refrigerium* significat; et utrumque huic loco convenit, *q. d.* Cum venerit ἀνάψυξις, quæ resurrectio est et reanimatio (ψυχὴ enim est anima), illa ipsa tunc implebit nominis sui mensuram; nam vobis justis erit ipsa refrigerium, æque ac e morte ad vitam beatam resurrectio. Unde vers. 21, eamdem vocat restitutionem omnium. Unica ergo hac voce duos Symboli articulos complectitur, nimirum : « Credo carnis resurrectionem, » et, « vitam æternam. »

QUI PRÆDICATUS EST. — Ita et Pagninus, Tigurina et Vatablus, legentes in Græco προκεκηρυγμένον, *q. d. præconizatum et proclamatum*; alii legunt προκεχειρισμένον, id est *præparatum*, ut vertit Syrus, itaque legit Irenæus, lib. III, cap. XII; Tertullianus, lib. *De Resurrect. carn.*, vertit, *prædesignatum* : forte legit προωρισμένον.

21. QUEM OPORTET QUIDEM COELUM SUSCIPERE. — Ambiguum est, ait Cajetanus, an dicere velit quod Jesus cœlum suscipiat, sicut rex suscipit regnum; an vero quod cœlum suscipiat Jesum, sicut locus suscipit locatum; utrumque enim est verum, et utrumque huic loco convenit; ac prius involvit posterius. Prior sensus augustior, posterior simplicior est, si cum Syro vertas, *quem oportet cœlo capi*. Ex quo contra Ubiquetarios concludas Christi corpus non esse ubique, uti ubique est ejus divinitas. Sed ex eo contendebat Berengarius Christum non esse in Eucharistia, utpote cœlo conclusum; quem secutus Beza : Nota, inquit, Christum cœlo capi, contra eos qui, pro eo quod fide nobis ascendendum est in cœlum, ut capiti nostro conjungamur, Christum iterum e cœlo, velut Jovem quemdam Elicium evocandum, pertinacissime tuentur. Sed respondendum : Non docemus Christum cœlo evocandum ad Eucharistiam, quasi cœlum deserens locali motu ad nos descendat (hoc enim tantum fiet in die judicii), sed quod manens in cœlo, per omnipotentiam Dei se præsentem sistat in Eucharistia (sive id fiat per corporis

Christus cœlum capit, an quo capitur, quomodo?

(1) Rectius, *a conspectu Domini*, id est, *auctore Deo*, ut Deus venire, exoriri jubeat. 'Aπὸ h. l. ut sæpius, causam, auctorem indicat, et πρόσωπον redundat.



ejus replicationem, sive per acquisitionem duntaxat novi loci, de quo inter se disputant Scholastici), idque invisibiliter et indivisibiliter, cum in cœlo sit visibiliter et divisibiliter respectu loci : alio enim in loco est Christi caput, in alio collum, in alio pectus, in alio pedes, cum in Eucharistia omnia Christi membra sint in eodem loco, puta in eadem hostia, eodemque hostiæ puncto. Christus enim in Eucharistia est sicut anima in corpore, nimirum totus in tota et totus in qualibet ejus parte.

Insuper nota Christum, post ascensum in cœlum, subinde visibiliter in terris apparuisse, ut S. Paulo, dum eum convertit, *Act.* cap. IX, vers. 4, ac S. Petro. Cum enim ipse e carcere rogatu Christianorum fugisset, occurrit ei Christus, rogantique Petro : « Domine, quo vadis? » respondit : « Vado iterum crucifigi. » Ex quo intellexit Petrus Deum velle, ut in carcerem rediret seque pararet ad crucem et martyrium. In cujus apparitionis memoriam, Romæ extra portam S. Sebastiani, in ipsomet apparitionis Christi loco erectum est sacellum, cui vulgo nomen *Domine quo vadis?* Sic apparuit S. Antonio post victoriam luctæ cum dæmonibus, ait S. Athanasius in ejus Vita; item S. Tarsillæ, teste S. Gregorio, in *Dial.*, lib. IV, cap. XVI. Quocirca S. Thomas et Cajetanus censent Christum tunc modico tempore cœlum reliquisse, ac descendisse in terram ad S. Petrum, Paulum, Antonium, etc. Alii putant has visiones fuisse imaginarias, vel etiam reales, non corporis Christi, sed corporis aerei formati ab angelo, quod repræsentaret Christum, sicut ante incarnationem Verbum in corpore aereo Abrahæ, Jacobo aliisque Patriarchis et Prophetis apparuit.

Verius videtur quod Christus aliquando simul in cœlo et simul in terra fuerit, et utrobique realiter proprieque sit visus, ut cum apparuit S. Petro et Paulo. Nam, ut hic dicitur, cœlum non reliquit, et tamen in terra fuit apparuitque S. Petro et Paulo. Ergo tunc simul fuit utrobique. Insinuat id S. Chrysostomus. Videtur autem Christus cœlum modico tempore reliquisse, cum descendit ad B. Virginem in ejus morte : nam cum ea rursum gloriose in cœlum ascendit. Obiter ergo tunc cœlum reliquit. Quod ergo hic dicitur, « oportet eum cœlum suscipere, » intellige quod thronum gloriæ suæ in cœlo firmiter collocarit, ita ut ex eo gloriose et publice non sit descensurus, nisi die judicii, cui non repugnat quod secreto, invisibiliter et obiter ad B. Virginem descenderit. Ita Suarez, III *part.*, *Quæst.* LVIII, in fine.

An animæ cœlo et inferno egredi queant?

Quæres, an simili modo cœlum, purgatorium et infernus teneant et claudant animas cæterorum hominum, ut inde exire nequeant ante diem judicii? Aliqui censent animas damnatorum nunquam egredi ex inferno, ac consequenter nunquam apparere hominibus. Ratio est, quod inferno quasi perpetuo carceri et gehennæ sint mancipatæ. Rursum, quod in inferno nulla sit redemptio. Ita censet Dominicus Soto, in IV, dist. XLV, *Quæst.* 1, art. 4, ad 1; Victoria, *Relect. de Magia*, num. 27; et Abulensis, in IV *Reg.* cap. IV, Q. LVI. Verum alii probabilius opinantur animas tam in inferno et purgatorio, quam in cœlo commorantes, subinde egredi et viventibus apparere, idque ad hoc, ut efficacius iis vel gloriam cœlestem, vel pœnas ignesque inferni sive verbis, sive reipsa per flammas ostendant, itaque majorem vel spem, vel metum et terrorem eis incutiant. Nec hoc quidquam de illorum gloria, vel de horum pœna decerpit, quia utrique utrumque secum portant. Damnati ergo cum apparent, suum carcerem, puta ignem cui alligati sunt, secum ferunt, uti ex pluribus eorum apparitionibus constat. Ita sentiunt D. Thomas, in IV, dist. XLV, Quæst. 1, art. 1, ad 3; Abulensis, in cap. XXV S. Matthæi, *Quæst.* DCCLIII; Alphonsus Mendosa, Quæst. V Scholastic. *De Veris mort. appar.*, et noster Petrus Thyræus, lib. I *De Spirit. appar.*, num. 117 et 249, qui tamen recte addit animas e cœlo et ex inferno rarius per se et personaliter apparere, sed crebrius id fieri per angelos. Rursum, animas e cœlo apparere, quoties eis libuerit : animas vero ex purgatorio et inferno non posse egredi, nec apparere, nisi ex peculiari dispensatione Dei.

USQUE IN TEMPORE RESTITUTIONIS OMNIUM, — usque in diem judicii, quo Deum hominem lapsum in peccatum, ærumnas et mortem, Deo, gloriæ et felici immortalitati restituet, itaque instaurabit angelorum ruinas. Pariter tunc cum homine cœlum, elementa totumque orbem primævæ integritati, incorruptioni et splendori restituet. Erit enim tunc renovatio et quasi regeneratio totius mundi, uti docet Apostolus, *Rom.* cap. VIII, vers. 21, et S. Petrus, *Epist.* II, cap. III, vers. 13.

OMNIUM, — non tantum *temporum*, ut vertit Syrus : sed et hominum rerumque omnium, uti jam dixi.

A SÆCULO. — Hebr. מעולם *meolam*, *q. d.* Qui Prophetæ ab olim, a priscis sæculis, ante aliquot annorum millia hanc mundi restitutionem, a Christo in die judicii faciendam, prædixerunt.

22. MOYSES QUIDEM DIXIT. — E multis Prophetis unum citat, eumque primarium, puta Mosen, qui clare de Christo Salvatore prophetavit, *Deuter.* cap. XVIII, vers. 18. Ejus oraculum ibidem explicavi : quare hic illud non retexam.

23. EXTERMINABITUR DE PLEBE. — Moses, *Deut.* XVIII, habet : « Ego (Deus) ultor existam : » quæ verba paraphrastice hic explicat et interpretatur S. Petrus : cum enim Deus ad ultionem prosilit, exterminat et occidit vel morte corporali, vel spirituali et æterna. Utraque hic significatur. Judæi enim Christo increduli excisi sunt corporaliter a Tito, et spiritualiter æterna morte puniuntur in gehenna.

24. DIES ISTOS, — adventus et redemptionis Messiæ, puta Christi.

25. Vos estis filii Prophetarum. — « Filii, » scilicet spirituales in fide et religione, *q. d.* Vos amplexi estis et creditis Prophetarum oracula eorumque fidem sequimini, quasi germani eorum in pietate filii. Sicut ergo ipsi in Christum venturum crediderunt eumque prædixerunt, ita et vos in eumdem jam natum, passum et resurgentem credite, ne a majorum vestrorum fide et spiritu degeneretis, imo apostatetis.

Et testamenti. — hoc est, fœderis, pacti et promissionis divinæ. Nota Hebraismum : filii fœderis vocantur Judæi, ad quos pertinet fœdus a Deo cum Abraham patre eorum initum : Deus enim Abrahæ et posteris ejus promisit Messiam ejusque benedictionem, id est gratiam, justitiam et salutem, *q. d.* Vos estis filii Abrahæ, ac consequenter filii fœderis, quod Deus cum Abraham pepigit : ac promissionis, quam ei dedit de Messiæ redemptione et salute : nunc ergo cum illa per me vobis a Deo ostenditur et offertur, avide et ambabus, ut aiunt, manibus illam excipite. Vos enim sicut estis filii et hæredes Abrahæ, ita et promissionis illi a Deo factæ. Sic et Christiani vocantur filii novi Testamenti, quia illi ascripti sunt per fidem, et ad illos pertinent Sacramenta, gratia omniaque bona, quæ in novo Testamento Christus Christianis promisit et exhibuit.

In semine tuo. — In filio tuo, puta in Christo ex semine et posteris tuis nascituro. Ita explicat Apostolus, *Galat.* cap. III, vers. 26, et ipse Petrus dicens vers. 26, « suscitans filium suum : » hic ergo est semen benedictum Abrahæ promissum.

Benedicentur (id est justificabuntur omnemque gratiam et gloriam accipient) omnes familiæ terræ, — puta omnes gentes. Dei enim benedictio est efficax, nec verbalis tantum, uti est hominum; sed realis, quæ bonum quod dicit et imprecatur, reipsa confert et præstat : Dei enim benedicere, est benefacere, non quomodo libet, sed eximie et divine. Hoc enim decet Deum Deique immensam liberalitatem et munificentiam. Magnum enim magna dare decet, ut aiebat Alexander Magnus. De hac Abrahæ benedictione, vide ea quæ dixi *Genes.* cap. XII, vers. 3.

26. Vobis primum. — Primo enim et directe missus est Christus ad Judæos, quasi Messias patribus eorum promissus. Unde ab Apostolo vocatur « minister circumcisionis, » *Rom.* XV, 8, id est circumcisorum, puta Judæorum, quia per se iis solis prædicavit.

Suscitans, — ἀναστήσας in aoristo, id est *cum suscitasset eum.* Alludit Petrus ad illud Mosis : « Prophetam suscitabit vobis Deus, » quod citavit vers. 22. Jam « suscitans, » id est *resuscitans*, puta postquam resuscitavit eum a mortuis. Post resurrectionem enim Christus suam benedictionem, id est Spiritum Sanctum, gratiam et salutem, copiose in Judæos effudit. Resurrectio enim græce vocatur ἀνάστασις.

Benedicentem vobis. — Quia vobis benedicet, id est benefaciet, dando flumina gratiarum in hac vita, et gloriæ in futura, ut in die judicii ab eo audiatis : « Venite, benedicti Patris mei, possidete paratum vobis regnum a constitutione mundi. » Ita « qui crucifixus est, suos crucifixores benedixit, » ait S. Chrysostomus.

Ut convertat. — ἐν τῷ ἀποστρέφειν, quod tripliciter verti potest. *Primo*, conditionate, *q. d.* « Si convertat se quisque et pœnitentiam agat : » ita Syrus. *Secundo*, assertive, *q. d.* « Dum quemlibet vestrum convertit : » ita Gagneius. *Tertio*, finaliter et optative, *q. d.* Hoc fine misit Deus Christum, ut scilicet vos convertat a peccatis per suam gratiam et justitiam. « Iste est *enim* omnis fructus, ut auferatur peccatum, » ait Isaias, cap. XXVII, 9. Ablatio peccati enim non fit nisi per gratiam, et justitiam et charitatem infusam a Deo. Quocirca remissio peccatorum in Scriptura celebratur quasi summum Dei opus, patrandum a Messia, ejusque proprius finis et effectus; ut a Zacharia : « Jusjurandum, inquit, quod juravit ad Abraham patrem nostrum, daturum se nobis, ut sine timore de manu inimicorum nostrorum liberati, serviamus illi in sanctitate et justitia coram ipso, omnibus diebus nostris, etc. Ad dandam scientiam salutis plebi ejus, in remissionem peccatorum eorum, » *Luc.* I, 73. Idem celebrat S. Paulus, in *Ephes.* cap. I et II, et passim alibi.

Quocirca docent Theologi quod remissio pec- Quantum donum remissio peccati.
catorum et justificatio sit majus Dei opus, quam creatio cœli et terræ : tum quia peccatum magis distat a Deo, quam nihil ab ente; tum quia nihil ita Deo contrarium et exosum, ac peccatum. Sicut enim peccatum est summum malorum omnium, ita Deus est summum bonorum omnium. Unde et pro peccato Deo satisfieri, ac peccatum ipsum expiari remittique non potuit, nisi per mortem et crucem ipsius unigeniti Filii Dei. Tum quia per gratiam peccata remittentem et justificantem, peccator ex abysso profundissima suorum scelerum elevatur quasi in cœlum empyreum, dum per eam fit non tantum sanctus et amicus Dei, sed et consors divinæ naturæ, Dei filius et hæres, quod donum majus, sublimius et divinius est, quam cœlum et terra omniaque quæ in iis creata. Ita diserte S. Augustinus, tract. 72 *in Joannem*, ubi et addit : « Judicet, ait, qui potest, utrum majus sit justos angelos creare, quam impios justificare : certe si æqualis est utrumque potentiæ, hoc majoris est misericordiæ. » Et fuse D. Thomas, I II, *Quæst.* CXIII, art. 9.

Vide hic quantum malum, quamque fugiendum et execrandum sit peccatum; ac ex adverso quanta sit bonitas Dei et Christi, dum nos peccatores ex potestate diaboli, peccati et inferni transfert in regnum gratiæ et dilectionis filii sui, facitque hæredes, imo reges cœli, ut illam merito admirari, gratias agere et celebrare debeamus tota vita, uti fecit S. Paulus, S. Magdalena, S. Pelagia aliique pœnitentes, imo per totam æternitatem, uti faciunt Beati in cœlo. Quocirca Christus a S. Joanne Baptista hoc elogio, quasi indice toti orbi indicatus et prædicatus est : « Ecce Agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi, » *Joan.* I, 29. Quem secutus S. Joannes Evangelista, passim in Apocalypsi Christum indigitat Agnum pro peccatis nostris occisum et immolatum, eumque ut talem a Beatis in cœlo adorari et laudari pronuntiat, ut cap. V, 6 : « Vidi Agnum stantem tanquam occisum, etc., et viginti quatuor seniores ceciderunt coram Agno, etc., dicentes : Dignus es, Domine, accipere librum, et aperire signacula ejus, quoniam occisus es, et redemisti nos Deo in sanguine tuo ex omni tribu, et lingua, et populo, et natione, et fecisti nos Deo nostro regnum et sacerdotes, et regnabimus super terram. » Et cap. VII, 9; cap. XIV, 1; cap. XV, 3; cap. XIX, 7; cap. XX, 9 et 22.

Quare merito hoc eximium Christi donum admirans Michæas, oracula sua de Christo ita concludit, cap. VII, 18 : « Quis Deus similis tui, qui aufers iniquitatem, et transis peccatum reliquiarum hæreditatis tuæ? » Et mox : « Revertetur et miserebitur nostri, et projiciet in profundum maris omnia peccata nostra. Dabis veritatem Jacob, misericordiam Abraham, quæ jurasti patribus nostris a diebus antiquis. » Vide ibi dicta.



# CAPUT QUARTUM.

## SYNOPSIS CAPITIS.

*Petrus et Joannes, eo quod prædicant Christum resurrexisse, incarcerantur, atque in concilio vetiti prædicare Christum, constanter respondent oportere magis obedire Deo quam hominibus. Secundo, vers. 23, dimissi et reversi ad suos, laudant et invocant Deum, impetrantque libertatem et robur evangelizandi : in cujus signum terræ motu concussus est locus in quo orabant. Denique, vers. 32, narrat Christianos fuisse cor unum et animam unam, nullumque inter eos fuisse egentem, sed ex pretio agrorum et domorum, quod singuli afferebant ad pedes Apostolorum, divisum fuisse cuique tantum quantum opus habebat.*

1. Loquentibus autem illis ad populum, supervenerunt Sacerdotes et magistratus templi, et Sadducæi, 2. dolentes quod docerent populum, et annuntiarent in Jesu resurrectionem ex mortuis. 3. Et injecerunt in eos manus, et posuerunt eos in custodiam in crastinum; erat enim jam vespera. 4. Multi autem eorum qui audierant verbum, crediderunt, et factus est numerus virorum quinque millia. 5. Factum est autem in crastinum, ut congregarentur principes eorum et seniores, et scribæ in Jerusalem; 6. et Annas, princeps Sacerdotum, et Caiphas, et Joannes, et Alexander, et quotquot erant de genere sacerdotali. 7. Et statuentes eos in medio, interrogabant : In qua virtute, aut in quo nomine fecistis hoc vos? 8. Tunc repletus Spiritu Sancto, Petrus dixit ad eos : Principes populi et seniores, audite : 9. Si nos hodie dijudicamur in benefacto hominis infirmi, in quo iste salvus factus est, 10. notum sit omnibus vobis et omni plebi Israel, quia in nomine Domini nostri Jesu Christi Nazareni, quem vos crucifixistis, quem Deus suscitavit a mortuis, in hoc iste astat coram vobis sanus. 11. Hic est lapis qui reprobatus est a vobis ædificantibus, qui factus est in caput anguli; 12. et non est in alio aliquo salus. Nec enim aliud nomen est sub cœlo datum hominibus, in quo oporteat nos salvos fieri. 13. Videntes autem Petri constantiam et Joannis, comperto quod homines essent sine litteris, et idiotæ, admirabantur et cognoscebant eos quoniam cum Jesu fuerant : 14. hominem quoque videntes stantem cum eis, qui curatus fuerat, nihil poterant contradicere. 15. Jusserunt autem eos foras extra concilium secedere; et conferebant ad invicem, 16. dicentes : Quid faciemus hominibus istis? quoniam quidem notum signum factum est per eos, omnibus habitantibus Jerusalem manifestum est, et non possumus negare. 17. Sed ne amplius divulgetur in populum, comminemur eis ne ultra loquantur in nomine hoc ulli hominum. 18. Et vocantes eos, denuntiaverunt ne omnino loquerentur neque docerent in nomine Jesu.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ® DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

25. Vos estis filii Prophetarum. — « Filii, » scilicet spirituales in fide et religione, *q. d.* Vos amplectimini et creditis Prophetarum oracula eorumque fidem sequimini, quasi germani eorum in pietate filii. Sicut ergo ipsi in Christum venturum crediderunt eumque prædixerunt, ita et vos in eumdem jam natum, passum et resurgentem credite, ne a majorum vestrorum fide et spiritu degeneretis, imo apostatetis.

Et testamenti. — hoc est, fœderis, pacti et promissionis divinæ. Nota Hebraismum : filii fœderis vocantur Judæi, ad quos pertinet fœdus a Deo cum Abraham patre eorum initum : Deus enim Abrahæ et posteris ejus promisit Messiam ejusque benedictionem, id est gratiam, justitiam et salutem, *q. d.* Vos estis filii Abrahæ, ac consequenter filii fœderis, quod Deus cum Abraham pepigit; ac promissionis, quam ei dedit de Messiæ redemptione et salute : nunc ergo cum illa per me vobis a Deo ostenditur et offertur, avide et ambabus, ut aiunt, manibus illam excipite. Vos enim sicut estis filii et hæredes Abrahæ, ita et promissionis illi a Deo factæ. Sic et Christiani vocantur filii novi Testamenti, quia illi ascripti sunt per fidem, et ad illos pertinent Sacramenta, gratia omniaque bona, quæ in novo Testamento Christus Christianis promisit et exhibuit.

In semine tuo. — In filio tuo, puta in Christo ex semine et posteris tuis nascituro. Ita explicat Apostolus, *Galat.* cap. III, vers. 26, et ipse Petrus dicens vers. 26, « suscitans filium suum : » hic ergo est semen benedictum Abrahæ promissum.

Benedicentur (id est justificabuntur omnemque gratiam et gloriam accipient) omnes familiæ terræ. — puta omnes gentes. Dei enim benedictio est efficax, nec verbalis tantum, uti est hominum; sed realis, quæ bonum quod dicit et imprecatur, reipsa confert et præstat : Dei enim benedicere, est benefacere, non quomodo libet, sed eximie et divine. Hoc enim decet Deum Deique immensam liberalitatem et munificentiam. Magnum enim magna dare decet, ut aiebat Alexander Magnus. De hac Abrahæ benedictione, vide ea quæ dixi *Genes.* cap. XII, vers. 3.

26. Vobis primum. — Primo enim et directe missus est Christus ad Judæos, quasi Messias patribus eorum promissus. Unde ab Apostolo vocatur « minister circumcisionis, » *Rom.* XV, 8, id est circumcisorum, puta Judæorum, quia per se iis solis prædicavit.

Suscitans. — ἀναστήσας in aoristo, id est *cum suscitasset eum.* Alludit Petrus ad illud Mosis : « Prophetam suscitabit vobis Deus, » quod citavit vers. 22. Jam « suscitans, » id est *resuscitans,* puta postquam resuscitavit eum a mortuis. Post resurrectionem enim Christus suam benedictionem, id est Spiritum Sanctum, gratiam et salutem, copiose in Judæos effudit. Resurrectio enim græce vocatur ἀνάστασις.

Benedicentem vobis. — Quia vobis benedicet, id est benefaciet, dando flumina gratiarum in hac vita, et gloriæ in futura, ut in die judicii ab eo audiatis : « Venite, benedicti Patris mei, possidete paratum vobis regnum a constitutione mundi. » Ita « qui crucifixus est, suos crucifixores benedixit, » ait S. Chrysostomus.

Ut convertat. — ἐν τῷ ἀποστρέφειν, quod tripliciter verti potest. *Primo,* conditionate, *q. d.* « Si convertat se quisque et pœnitentiam agat : » ita Syrus. *Secundo,* assertive, *q. d.* « Dum quemlibet vestrum convertit : » ita Gagneius. *Tertio,* finaliter et optative, *q. d.* Hoc fine misit Deus Christum, ut scilicet vos convertat a peccatis per suam gratiam et justitiam. « Iste est *enim* omnis fructus, ut auferatur peccatum, » ait Isaias, cap. XXVII, 9. Ablatio peccati enim non fit nisi per gratiam, et justitiam et charitatem infusam a Deo. Quocirca remissio peccatorum in Scriptura celebratur quasi summum Dei opus, patrandum a Messia, ejusque proprius finis et effectus; ut a Zacharia : « Jusjurandum, inquit, quod juravit ad Abraham patrem nostrum, daturum se nobis, ut sine timore de manu inimicorum nostrorum liberati, serviamus illi in sanctitate et justitia coram ipso, omnibus diebus nostris, etc. Ad dandam scientiam salutis plebi ejus, in remissionem peccatorum eorum, » *Luc.* I, 73. Idem celebrat S. Paulus, in *Ephes.* cap. I et II, et passim alibi.

Quocirca docent Theologi quod remissio peccatorum et justificatio sit majus Dei opus, quam creatio cœli et terræ : tum quia peccatum magis distat a Deo, quam nihil ab ente; tum quia nihil ita Deo contrarium et exosum, ac peccatum. Sicut enim peccatum est summum malorum omnium, ita Deus est summum bonorum omnium. Unde et pro peccato Deo satisfieri, ac peccatum ipsum expiari remittique non potuit, nisi per mortem et crucem ipsius unigeniti Filii Dei. Tum quia per gratiam peccata remittentem et justificantem, peccator ex abysso profundissima suorum scelerum elevatur quasi in cœlum empyreum, dum per eam fit non tantum sanctus et amicus Dei, sed et consors divinæ naturæ, Dei filius et hæres, quod donum majus, sublimius et divinius est, quam cœlum et terra omniaque quæ in iis creata. Ita diserte S. Augustinus, tract. 72 in *Joannem*, ubi et addit : « Judicet, ait, qui potest, utrum majus sit justos angelos creare, quam impios justificare : certe si æqualis est utrumque potentiæ, hoc majoris est misericordiæ. » Et fuse D. Thomas, I II, *Quæst.* CXIII, art. 9. Quantum donum remissio peccati.

Vide hic quantum malum, quamque fugiendum et execrandum sit peccatum; ac ex adverso quanta sit bonitas Dei et Christi, dum nos peccatores ex potestate diaboli, peccati et inferni transfert in regnum gratiæ et dilectionis filii sui, facitque hæredes, imo reges cœli, ut illam merito admirari, gratias agere et celebrare debeamus tota vita, uti fecit S. Paulus, S. Magdalena, S. Pelagia aliique pœnitentes, imo per totam æternitatem, uti faciunt Beati in cœlo. Quocirca Christus a S. Joanne Baptista hoc elogio, quasi indice toti orbi indicatus et prædicatus est : « Ecce Agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi, » *Joan.* I, 29. Quem secutus S. Joannes Evangelista, passim in Apocalypsi Christum indigitat Agnum pro peccatis nostris occisum et immolatum, eumque ut talem a Beatis in cœlo adorari et laudari pronuntiat, ut cap. V, 6 : « Vidi Agnum stantem tanquam occisum, etc., et viginti quatuor seniores ceciderunt coram Agno, etc., dicentes : Dignus es, Domine, accipere librum, et aperire signacula ejus, quoniam occisus es, et redemisti nos Deo in sanguine tuo ex omni tribu, et lingua, et populo, et natione, et fecisti nos Deo nostro regnum et sacerdotes, et regnabimus super terram. » Et cap. VII, 9; cap. XIV, 1; cap. XV, 3; cap. XIX, 7; cap. XX, 9 et 22.

Quare merito hoc eximium Christi donum admirans Michæas, oracula sua de Christo ita concludit, cap. VII, 18 : « Quis Deus similis tui, qui aufers iniquitatem, et transis peccatum reliquiarum hæreditatis tuæ? » Et mox : « Revertetur et miserebitur nostri, et projiciet in profundum maris omnia peccata nostra. Dabis veritatem Jacob, misericordiam Abraham, quæ jurasti patribus nostris a diebus antiquis. » Vide ibi dicta.



# CAPUT QUARTUM.

## SYNOPSIS CAPITIS.

*Petrus et Joannes, eo quod prædicant Christum resurrexisse, incarcerantur, atque in concilio vetiti prædicare Christum, constanter respondent oportere magis obedire Deo quam hominibus. Secundo, vers. 23, dimissi et reversi ad suos, laudant et invocant Deum, impetrantque libertatem et robur evangelizandi : in cujus signum terræ motu concussus est locus in quo orabant. Denique, vers. 32, narrat Christianis fuisse cor unum et animam unam, nullumque inter eos fuisse egentem, sed ex pretio agrorum et domorum, quod singuli afferebant ad pedes Apostolorum, divisum fuisse cuique tantum quantum opus habebat.*

1. Loquentibus autem illis ad populum, supervenerunt Sacerdotes et magistratus templi, et Sadducæi, 2. dolentes quod docerent populum, et annuntiarent in Jesu resurrectionem ex mortuis. 3. Et injecerunt in eos manus, et posuerunt eos in custodiam in crastinum; erat enim jam vespera. 4. Multi autem eorum qui audierant verbum, crediderunt, et factus est numerus virorum quinque millia. 5. Factum est autem in crastinum, ut congregarentur principes eorum et seniores, et scribæ in Jerusalem; 6. et Annas, princeps Sacerdotum, et Caiphas, et Joannes, et Alexander, et quotquot erant de genere sacerdotali. 7. Et statuentes eos in medio, interrogabant : In qua virtute, aut in quo nomine fecistis hoc vos? 8. Tunc repletus Spiritu Sancto, Petrus dixit ad eos : Principes populi et seniores, audite : 9. Si nos hodie dijudicamur in benefacto hominis infirmi, in quo iste salvus factus est, 10. notum sit omnibus vobis et omni plebi Israel, quia in nomine Domini nostri Jesu Christi Nazareni, quem vos crucifixistis, quem Deus suscitavit a mortuis, in hoc iste astat coram vobis sanus. 11. Hic est lapis qui reprobatus est a vobis ædificantibus, qui factus est in caput anguli; 12. et non est in alio aliquo salus. Nec enim aliud nomen est sub cœlo datum hominibus, in quo oporteat nos salvos fieri. 13. Videntes autem Petri constantiam et Joannis, comperto quod homines essent sine litteris, et idiotæ, admirabantur et cognoscebant eos quoniam cum Jesu fuerant : 14. hominem quoque videntes stantem cum eis, qui curatus fuerat, nihil poterant contradicere. 15. Jusserunt autem eos foras extra concilium secedere; et conferebant ad invicem, 16. dicentes : Quid faciemus hominibus istis? quoniam quidem notum signum factum est per eos, omnibus habitantibus Jerusalem manifestum est, et non possumus negare. 17. Sed ne amplius divulgetur in populum, comminemur eis ne ultra loquantur in nomine hoc ulli hominum. 18. Et vocantes eos, denuntiaverunt ne omnino loquerentur neque docerent in nomine Jesu.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ® DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

19. Petrus vero et Joannes respondentes, dixerunt ad eos : Si justum est in conspectu Dei
vos potius audire quam Deum, judicate : 20. non enim possumus quæ vidimus et audi-
vimus, non loqui. 21. At illi comminantes dimiserunt eos, non invenientes quomodo puni-
rent eos, propter populum, quia omnes clarificabant id quod factum fuerat in eo quod
acciderat. 22. Annorum enim erat amplius quadraginta homo, in quo factum fuerat sig-
num istud sanitatis. 23. Dimissi autem venerunt ad suos et annuntiaverunt eis quanta ad
eos principes Sacerdotum et seniores dixissent. 24. Qui cum audissent, unanimiter leva-
verunt vocem ad Deum, et dixerunt : Domine, tu es qui fecisti cœlum et terram, mare
et omnia quæ in eis sunt : 25. qui Spiritu Sancto per os patris nostri David, pueri tui,
dixisti : Quare fremuerunt gentes, et populi meditati sunt inania? 26. Astiterunt reges
terræ, et principes convenerunt in unum, adversus Dominum, et adversus Christum ejus?
27. convenerunt enim vere in civitate ista adversus sanctum puerum tuum Jesum, quem
unxisti, Herodes, et Pontius Pilatus, cum gentibus et populis Israel, 28. facere quæ ma-
nus tua et consilium tuum decreverunt fieri. 29. Et nunc, Domine, respice in minas eorum,
et da servis tuis cum omni fiducia loqui verbum tuum, 30. in eo quod manum tuam
extendas ad sanitates, et signa et prodigia fieri per nomen sancti filii tui Jesu. 31. Et cum
orassent, motus est locus in quo erant congregati; et repleti sunt omnes Spiritu Sancto,
et loquebantur verbum Dei cum fiducia. 32. Multitudinis autem credentium erat cor
unum, et anima una; nec quisquam eorum quæ possidebat, aliquid suum esse dicebat,
sed erant illis omnia communia. 33. Et virtute magna reddebant Apostoli testimonium
resurrectionis Jesu Christi Domini nostri; et gratia magna erat in omnibus illis. 34. Neque
enim quisquam egens erat inter illos. Quotquot enim possessores agrorum aut domorum
erant, vendentes afferebant pretia eorum quæ vendebant, 35. et ponebant ante pedes
Apostolorum. Dividebatur autem singulis prout cuique opus erat. 36. Joseph autem, qui
cognominatus est Barnabas ab Apostolis (quod est interpretatum filius consolationis),
Levites, Cyprius genere, 37. cum haberet agrum, vendidit eum, et attulit pretium et
posuit ante pedes Apostolorum.

1. Loquentibus autem illis. — Solus Petrus dicitur locutus, cap. præc., vers. 12; sed Petri verba approbabat Joannes, quasi ejus socius et assecla, itaque per Petrum loquebatur. Adde, Joannem non fuisse elinguem, sed zelo plenum idem asseruisse et prædicasse turbis eum cingentibus, quod publice prædicarat Petrus.

Supervenerunt. — Græcum ἐπέστησαν, secundo verti potest, institerunt eis; Tigurina, præsto fuerunt illis; Syrus, insurrexerunt in eos.

Magistratus templi. — Tigurina, præfectus templi; Pagninus, dux templi : in tanto enim Sacerdotum, Levitarum et populi e tota Judæa, imo e toto orbe ad templum quotidie confluentis numero, ne quid turbarum, tumultus aut seditionis oriretur, institutus erat magistratus, quasi prætor templi, ait Beda, suos habens satellites et milites, qui omnes in officio contineret, et eos qui turbas aut tumultus concitabant, in carcerem abduceret. Quocirca S. Chrysostomus, magistratum hunc vocat « ducem militum templi. » Et hoc significat Græcum στρατηγός, scilicet unum aliquem cæterorum militum ducem : est enim singularis numeri. Unde patet magistratum fuisse militarem pro reis capiendis, non autem judicandis, vel condemnandis institutum. Ita Sigonius, lib. VII De Rep. Hebr., cap. xiii. Atque hic fuit, qui cum Juda proditore mittens suos aliosque satellites, Christum cepit in horto, Lucæ xxii, 4. Videtur ergo hic unus fuisse e pontificibus, socios et milites habens minores sacerdotes et levitas : his enim a Deo commissa erat custodia templi, Num. 4. Ita censent Arias Montanus, Salmeron, Sigonius, lib. VII De Rep. Hebr., cap. xiii, et alii. Ratio est, quia Judæi non tolerassent prætorem Gentilem in loco sacro, imo nulli Gentili templum eorum ingredi licebat sub pœna capitis, teste Josepho. Habebant tamen Romani suoque præsidio firmabant Antoniam, quæ erat arx amplissima et munitissima vicina templo, ut docet Josephus, lib. XV Antiq., cap. xiv; idque tum ad templi custodiam, tum ne Judæi e templo arcem facerent et Romanis rebellarent. Huic arci ergo et præsidio præpositus dux, vel tribunus Romanus, si gravior tumultus in templo concitaretur, accitus a prætore templi accurrebat cum suis militibus, motusque omnes componebat. Talis videtur fuisse tribunus Romanus, qui accurrit cepitque Paulum, et in Castra, quæ erant in arce Antonia, perduxit, cap. xxi. Et hoc tantum probant argumenta Sanchez, qui opinatur prætorem templi fuisse Romanum, puta Antoniæ præfectum, non Hebræum.



Sadducæi. — Ita dicti, quasi justi essent, aut potius quod justos se jactitarent (Hebr. enim צדיק tsaddic vocatur justus), aut potius a Sadoc, eorum auctore, inquit Epiphanius, hæresi 14. Fuit hæc una e sectis Judæorum, a Samaritis prognata : unde cum iis solum Mosis Pentateuchum recipiebat docebatque non esse resurrectionem, nec angelum, nec spiritum, Actor. xxiii, 8, ac consequenter animam non esse immortalem; nec esse Numen res humanas dirigens, pios præmians, impios puniens; sed quemque sibi suæ sortis et fortunæ esse fabrum. Erant ergo hi Judæorum quasi Epicurei, reipsa dictitantes illud : « Ede, bibe, lude, post mortem nulla voluptas. » Quocirca Christo et Apostolis prædicantibus Dei judicium et resurrectionem bonorum ad gloriam, malorum ad tormenta, perpetim se opposuerunt. Vide Josephum, lib. XIII Antiq., cap. ix, et lib. XVIII, cap. ii.

Vers. 2. 2. Dolentes, — διαπονούμενοι, Syrus, indignantes; Tigurina et Pagninus, moleste ferentes; alii, anxii.

*In Jesu tripliciter capitur.* In Jesu. — Ita Græca et Romana, non in Jesum. Jam primo, « in Jesu, » id est in nomine Jesu, per Jesum. Ita Tigurina et Pagninus. Secundo, « in Jesu, » id est de Jesu. Sic enim Hebræi et Græci sæpe in usurpant pro de : proprie enim Petrus et Joannes prædicabant Jesum resurrexisse; inde tamen colligebant, vel auditoribus colligendum relinquebant, Jesu discipulos quoque ejus ope et virtute resurrecturos. Unde tertio, τὸ in Jesu, explicari posset, instar Jesu : sæpe enim Hebræum ב, id est in, sumitur pro vicino כ, id est sicut, instar, Christus enim resurgens est causa nostræ resurrectionis, tam exemplaris, quam meritoria et efficiens.

3. Posuerunt eos in custodiam. — « In custodiam, » puta in carcerem; Tigurina, dederunt (miserunt) in custodiam. Ille est primus carcer S. Petri, quem deinde multi alii consecuti sunt; Apostolatus enim insigne est persecutio et carcer, non minus illustre et gloriosum quam signa et prodigia, uti docet Paulus, II Cor. xi, 23, qui proinde in vinculis suis solet exultare et gloriari. Vide ea quæ notavi Ephes. iii, 1. Cum Petro et Joanne incarceratum quoque fuisse claudum sanatum, quasi criminis materiam et objectum, patebit vers. 7, 9 et 10.

Erat enim jam vespera, — utpote post horam nonam ab ortu solis : nona enim sanaverat Petrus claudum, cap. præc., vers. 1 et 7.

4. Multi autem qui audierant verbum, — prædicationem Petri, sanatione claudi et magis intrepida hilarique constantia in carcere, inquit S. Chrysostomus, confirmatam.

Quinque millia. — Diversa prorsus sunt hæc quinque millia, a tribus millibus prima Petri concione conversis, cap. ii. Quare iis adjecta effecerunt numerum octo millium : tot ergo mox fuere fideles, conversi a Petro. Ita S. Hieronymus in cap. xl Isaiæ; S. Augustinus, tract. 30 in Joannem; S. Chrysostomus hic, Lyranus et Beda, qui addit hæc quinque millia convertenda fore typice præsignificasse Christum, cum mandavit Apostolis ut quinque hominum millia paucis panibus pascerent, Matth. xiv, 16. Porro hæc quinque millia fuerunt « virorum, » ait Lucas, quibus si adjicias feminas et pueros, quos non dubium est tot viris plurimos fuisse permixtos, longe major fuit numerus, femineus enim sexus præ viris magis solet esse devotus. Ecce hic verum est illud S. Chrysostomi, hom. De Virtute et Vitio : « Modicum fermentum Apostolorum magnam farinæ massam convertebat; quia non quantitate numeri, sed gratia Spiritus vim suam justi tenent. » Nunc aliquot centeni sacerdotes in civitate vix totidem centenos cives convertunt, quia refrixit utrorumque spiritus. Denique Sophronius, in Fragmento de laboribus S. Petri et Pauli, quod extat tom. VII Biblioth. S. Patrum, asserit S. Petrum constituisse decem millium virorum Ecclesiam : quia scilicet verba ejus animata erant Spiritu cœlesti, et quasi jacula igne divino ardentia, corda audientium feriebant et incendebant.

5. Ut congregarentur principes, etc. — Fuit hoc magnum concilium 72 virorum, quod Græce συνέδριον, indeque Hebr. et Syriace Sanedrin vocatum est, primitus institutum a Deo, Num. xi, 24 et seq., ut ibi dixi. Conflatum erat non ex solis viris tribus Juda, uti volunt Joannes Annius et Lucidus in Breviar. Tempor., nec ex solis sacerdotibus, ut vult Abulensis, sed ex duodecim tribuum duodecim principibus, et ex 24 principibus sacerdotum, qui totidem eorum familiis præsidebant, jussu Dei instituti, et in 24 classes distributi a Davide, I Paral. xv, 6. Harum enim præsides in Evangeliis, Actis, Esdra, etc., crebro vocantur « Principes sacerdotum; » atque ex cæteris populi primoribus, præsertim Scribis et Legisperitis. In hoc concilio damnatus fuit Christus, præsidente eodem Caipha pontifice, qui hic nominatur, ejusque socero Anna, Matth. xxvii, 1. Unde mirum est illos qui recenter tam infensi fuerant erantque Christo, mitius egisse cum ejus Apostolis : sed retinebat eorum furorem Dei manus, et populi, magno numero eis credentis, metus, ne eum in se concitarent ab eoque lapidarentur.

Seniores, — qui tum annorum, tum potius prudentiæ et morum maturitate grandævi sunt, ideoque populo venerabiles, ait S. Gregorius, lib. XIX Moral., cap. xiii. Hinc ab his senibus dictus est Senatus, inquit Cicero.

Scribæ. — Sicut Græci suos sapientes vocabant

philosophos, Chaldæi magos, ita Hebræi eos appellabant סופרים sopherim, a ספר sepher, id est littera, vel liber. Septuaginta vocant γραμματεῖς, id est litteratos; eorum enim erat S. Scripturam describere, docere, interpretari. Ita Epiphanius, hæresi 15; Josephus, lib. II Contra Appion., et alii. Unde Esdras vocatur Scriba. Sic Appion, Philo-nonus et alii vocati sunt Grammatici, id est litterati et docti, non solum in Grammatica, sed et Rhetorica, Philosophia omnique litteratura.

6. Et Annas, princeps Sacerdotum. — Videtur ergo Annas jam fuisse summus pontifex. Ipse enim cum Caipha genero suo, alternis annis gerebat pontificatum, a Romanis, ut videtur, emptum. Dices : Paucis septimanis ante, summus pontifex erat Caiphas, qui Christum condemnavit, Joan. XI, 49; ergo Annas non fuit tunc pontifex. Respondent Glossa Interlinearis, Hugo et Gagneius, post mortem Christi, puta in Paschate, de more Caipham annuo pontificatu perfunctum, cessisse illum Annæ. Annus enim sacer (quo utebantur in pontificatu ineundo, vel deponendo) apud Judæos incipiebat a Nisan, id est martio, et a Paschate, utpote festo primo et maximo; idque ex decreto Dei, Exodi XII, 1. Adde, præponi Annam Caiphæ, quia erat senior et socer Caiphæ, adeoque felix et venerandus, ut filios suos omnes, numero quinque, pontifices viderit, teste Josepho, lib. XX Antiq., cap. VIII. Aliqui hunc Annam putant esse Jonatham, Annæ filium, qui, remoto Caipha, factus est pontifex a Romanis, teste Josepho, lib. XVIII, cap. VI, et vocari etiam Annam de nomine patris credunt. Unde et Nicephorus, in sua Chronol., sic hujus ævi pontifices numerat : Annas, et ex alio genere Ismael; Eleazar, filius Annæ; Simon, Caiphas, Annæ gener; Jonathas et Theophilus, Annæ filii. Pontificatus enim tunc erat annuus. Ita Mariana.

Et Caiphas. — Nota : Paulo ante Petrus in domo Caiphæ pavidus, ter cum juramento negarat Christum; jam Spiritu Sancto in Pentecoste recepto roboratus, coram eodem negationem suam retractat, et Christum generose confitetur, itaque priorem lapsum et scandalum sarcit et reparat. Caipham, Scribas et Pharisæos Christicidii sui justas Deo dedisse pœnas, adeoque Caipham, æque ac Pilatum, necem sibi intulisse, indicat Nicephorus, lib. II Histor., cap. X; quin et Clemens Romanus, lib. VIII Constit., cap. II, et ex eo S. Athanasius vel potius Anastasius, Episcopus Nicænus, Quæst. XVIII in Script.

Joannes. — Hic unus fuit ex quinque Annæ filiis, adeoque pontifex, alio nomine Jonathas appellatus, in pontificatu gerendo æquus et dexter, unde eum laudat Josephus, lib. II Belli, cap. XXV.

Alexander. — Hunc opibus, æque ac virtute et pietate celebrem, Alexandriæ gessisse magistratum Halabarchæ, id est Præfecti salis (ἅλς enim Græcis est sal, ἄρχων præfectus, princeps), narrat Josephus, lib. XX Antiq., cap. III, et ex eo Baronius, anno Christi 34, qui et addit : « Hic est Alexander Lysimachus, cujus pater Tiberius portas templi argento et auro sumptuosissime exornavit (1). »

Quotquot erant de genere sacerdotali, — id est pontificio, ut vertit Syrus, Tigurina et Pagninus; hoc enim significat Græcum ἀρχιερατικοῦ. Erant ergo hi principes sacerdotum, puta 24 familiarum sacerdotalium capita, uti paulo ante dixi. Hi enim principes vocabantur pontifices, quibus præsidebat unus summus pontifex.

7. In qua virtute, — δυνάμει, id est qua potentia. Ita Pagninus et Vatablus.

Fecistis hoc? — non tam miraculum, quam prodigium magicum claudi sanati; unde per despectum, ait Œcumenius, non vocant miraculum, sed hoc, scilicet vulgo notum et famosum præstigium, quod in claudo erecto cernimus. Volebant scilicet Apostolos obruere sua auctoritate et præjudicio, ut faterentur se non miraculum in nomine Christi, sed ludicrum quid arte mirabili, sive magica edidisse. Ita Chrysostomus. Vere Plato in Theæteto : « Antiquitatis auctoritas est sæpe malum præjudicium. » Ex dictis infert Lyranus claudum ipsum cum Apostolis fuisse incarceratum, et e carcere cum iisdem eductum in tribunal, Annæ et Caiphæ præsentem astitisse, idque patet vers. 29. Hanc enim ejus præsentiam videtur innuere pronomen hoc, scilicet novum et mirum, quod videtis in claudo recte gradiente. Porro Christum ab infidelibus habitum fuisse magum et magiæ doctorem, patet Lucæ XI, 15, et Joan. VIII, 48, et idipsum de suo ævo testatur S. Augustinus, lib. I De Consensu Evangel., cap. VIII. Unde passim in Actis S. Agnetis, Luciæ, Agathæ aliorumque martyrum, legimus Christianos a judicibus insimulatos magiæ, ideoque damnatos ad ignem : censebant enim miracula eorum, ac præsertim quod a bestiis, equuleis aliisque tormentis exirent illæsi, esse opus magicum patratum ope, non Dei, sed diaboli.

8. Tunc repletus Spiritu Sancto. — Nova est hæc repletio Spiritus Sancti, ab illa quam acceperit in Pentecoste : illa enim fuit habitualis, hæc actualis, nimirum qua Spiritus Sanctus actu movebat, dirigebat et roborabat Petrum, ut libere, constanter et prudenter responderet, et profiteretur fidem Christi, se scilicet ejus invocatione et virtute claudum sanasse. Hoc est quod Petro et Apostolis promiserat Christus, Lucæ XII, 11 : « Cum autem inducent vos in Synagogas, et ad magistratus, et ad potestates, nolite solliciti esse qualiter aut quid respondeatis, aut quid dicatis; Spiritus enim Sanctus docebit vos in ipsa hora quid oporteat vos dicere. » Simili modo quoties

(1) Mangey, in præfatione Philoni suo præposita, intelligit quoque Alexandrum Lysimachum, fratrem Philonis Judæi, cujus filius Alexander Tiberius duxit Berenicen, Agrippæ majoris filiam (Joseph. Antiq. XIX, v, 1).



Samson patraturus erat opus aliquod heroicæ fortitudinis, dicitur prius : « Irruit Spiritus Domini in Samson, » scilicet incitans eum, animans et roborans ad illud tum aggrediendum, tum opere perficiendum, Judic. XIV, vers. 6, 19 et seq. Ad opera enim heroica non sufficit communis et habitualis gratia, sed nova actualis, eaque communi major et potentior requiritur. Sæpe enim ista opera habitum gratiæ præsentem superant et transcendunt.

9. Si nos hodie dijudicamur, — ἀνακρινόμεθα, id est, discutimur, in quæstionem et examen vocamur. Ita Græci : hoc est, examinamur, ut vertit Tigurina et Pagninus; hinc Syrus, si in jus vocamur. Vox conditionalis si pendet et expletur a notum sit omnibus vobis; potuisset dicere : Quia dijudicamur; sed modestiæ causa dicit : Si dijudicamur.

In benefacto. — Ob beneficium, puta ob sanitatem claudo collatam. Est Hebraismus : Hebræum enim ב, id est in, sæpe est index pretii vel meriti, significans ob, propter, q. d. Nos ob meritum in crimen vocamur : benefecimus enim claudo, et examinamur ut malefici. Tacite ergo perstringit taxatque judices inhumanitatis et injustitiæ, qui potius hoc beneficium celebrare et remunerari debuissent. Judaicum ergo et Pharisaicum est, sinistre interpretari et calumniari benefacta, etiam miracula, eaque tribuere, non Spiritui Sancto, cujus sunt propria, sed vitio, imo Beelzebub et diabolo, uti Judæi exprobrarunt Christo, Matth. cap. XII, vers. 24. Hoc faciunt invidi virtutum et bonorum operum; quod proinde est peccatum in Spiritum Sanctum, uti Christus docet loco citato.

In quo, — qua ratione, quomodo, qua vi et virtute. Sic capitur Hebr. במה bamme, id est in quo. Est enim hoc ב modi vel instrumenti, Hebræis frequens.

10. In nomine, — id est in invocatione, hoc est, per invocationem et virtutem Jesu. Vide dicta cap. II, vers. 38.

Nazareni, — oriundi ex Nazareth oppidulo, ac proinde a vobis despecti, sed a Deo exaltati, cum in resurrectione eum fecit Nazaræum, id est efflorescentem vita, immortalitate, fama et gloria. Vide dicta cap. III, 6.

Quem vos crucifixistis. — Nota hic intrepidam libertatem et heroicos animos Petri, quibus in publico Concilio judicibus objicit Christicidium, ut eos pungat et compungat : crux enim Christi unica est mundi salus, ideoque intrepide ubique prædicata a Petro, Paulo, Andrea cæterisque Apostolis.

Moraliter : disce veritatem, præsertim fidei, cum de ea quis juridice et legitime interrogatur, libere et fortiter profitendam esse, etiam cum periculo vitæ. Quærebant Scribæ, vers. 7 : « In qua virtute, aut in quo nomine fecistis hoc vos? » Respondet Petrus vere et libere : « In nomine Domini nostri Jesu Christi, quem vos crucifixistis. » Ita fecerunt Martyres omnes, ideoque martyrio coronati sunt.

Deus, — Pater, imo et Deus Filius; sed hoc necdum capere poterant Scribæ et Judæi, qui Christum ideo occiderant, quod diceret se esse Deum et Dei Filium; idcirco subticet hoc Petrus, aitque in genere Deus. Ita Œcumenius.

Astat. — Ergo claudus ipse erat præsens in Concilio, utpote e carcere eductus cum Apostolis, ut dixi vers. 7.

11. Hic est lapis. — Citat Psalm. CXVII, 22 : « Lapidem, quem reprobaverunt ædificantes, hic factus est in caput anguli; » quod Chaldæus explicat de Davide, q. d. David primo rejectus a Saule ejusque asseclis, deinde creatus rex factus est quasi lapis angularis Synagogæ, nectens sibi Judam et Israelem, hoc est tam duas, quam decem tribus. Verum, licet ad Davidem psalmus ille alludat, est enim in eo gratulatio solemnis tum Davidis, tum populi de Davidis coronatione in Hebron, vel potius de arca in pace ab eo translata in Sion, ut patet vers. 19; tamen per Davidis typum describit Christi resuscitati gloriam et regnum, ac fidelium ei acclamantium, vers. 17, gratulationem, nimirum cum turba in die Palmarum ei quasi Messiæ regi acclamavit : « Hosanna filio David, » Matth. XXI, 9. Uti enim David, ita multo magis Christus rejectus a pontificibus et Scribis, qui erant quasi architecti Synagogæ, post resurrectionem factus est lapis angularis; utpote qui totum Ecclesiæ ædificium contineat et nectat, Judæos scilicet et Gentes, imo angelos et homines, uti fuse explicat Apostolus, Ephes. II, 14 et seq. Vide ibi dicta.

Nota primo : Utitur Psaltes, et ex eo Petrus, metaphora lapidis, dum Christum vocat lapidem, quia loquitur de fabrica Ecclesiæ : fabrica autem ex lapidibus consurgit. Unde in Hebræo est elegans paronomasia inter אבן eben, id est lapis, et בנה bana, id est ædificavit; a bana enim dicitur eben, q. d. Ex eben bana binian, id est ex lapide ædificavit suum ædificium, puta ex Christo Ecclesiam; hæc enim est fabrica et domus Dei, non materialis, sed spiritualis. Christus lapis qualis? Resp. Primo.

Secundo, hic lapis est durior marmore : unde nec carie consumi, nec scalpris concidi potest, sed illæsus manet in æternum : quia sustinet æternam fabricam, scilicet Ecclesiam duraturam in æternum, cui nulla vis, adeoque portæ, id est omnes vires inferorum prævalere nequeunt, uti petra Christus asseruit, et promisit Petro vicario suo, Matth. XVI.

Tertio, hic lapis est probatus a Deo, angelis totoque mundo et pretiosus, ut ait Isaias, cap. XXVIII, vers. 16, quia ipse est pretium et lytrum sæculi, hoc est, omnium hominum. Unde S. Joannes Apocal. XXI, 18, vidit ei inædificatam Jerusalem cœlestem ex duodecim gemmis pretiosissimis, jaspide, smaragdo, amethysto, etc. Ecclesia enim tum militans, tum maxime triumphans, est

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ® DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

quasi palatium Dei pretiosissimum; cujus lapides sunt gemmæ, puta Apostoli, et fideles omni virtute præstantes; lapis vero angularis et primarius, ideoque pretiosissimus, est Christus. De his vaticinatus est Zacharias, cap. IX, 16 : « Lapides elevabuntur super terram. » Vide ibi dicta.

QUI FACTUS EST IN CAPUT ANGULI. — Alludit ad fabricam Jerusalem restauratam a Nehemia, de qua *Nehemiæ* cap. III, 19, dicitur, « Ædificavit, etc., contra ascensum firmissimi anguli : » Jerusalem enim fuit typus Ecclesiæ, Nehemias Christi. Sed proprie citat *Psalm.* CXVII, 22.

IN CAPUT ANGULI, — id est capitalis et angularis, ut scilicet duos parietes, Gentium et Judæorum, in se velut angulo conjungat.

Nota : « Angulus » in Scriptura symbolum est principis, regis et regni, quia quod in fabrica est angulus, in ostio cardo, hoc in republica est rex et princeps : omnes enim sibi vincit et unit. Christus ergo vocatur « angulus, » quia rex et princeps est Ecclesiæ. Vide dicta *Isaiæ* XIX, 13.

Quæres, quis est hic lapis angularis, an summus, an imus in fabrica? Noster Villalpandus, tom. II in *Ezech.*, pag. 477, censet esse summum. Christus, inquit, factus est in caput anguli, id est in summum angulum, hoc est, in lapidem qui in domo eminet quasi culmen et fastigium, sive frontispicium, quem Hebræi et Latini vocant pinnam. Melius alii passim accipiunt lapidem imum. Nam huc alludens Isaias, cap. XXVIII, 16, vocat hunc lapidem « in fundamento fundatum; » et S. Paulus, *Ephes.* II, 20, dicit fideles omnes huic lapidi superædificari, quasi ἀκρογωνιαίῳ, id est *imo angulari*. Christus ergo factus est caput anguli in fundamento, id est lapis angularis fundamentalis Ecclesiæ. Sic enim S. Paulus et alii passim Christum vocant fundamentum Ecclesiæ, scilicet primum et imum, cui deinde incumbunt duodecim fundamenta secundaria, puta duodecim Apostoli, *Apoc.* XXI, 19.

Arroganter et impie Calvinus hæc sibi appropriat, jactatque se esse lapidem, qui reprobatus sit a Papa et Ecclesia Romana, sed a Deo factus sit fundamentum et caput Ecclesiæ Reformatæ, hoc est, deformatæ. Ita thraso ille audet se comparare Christo, seque facere caput et Papam Ecclesiæ Christianæ, cum sit Satanicæ : alioqui det ipse signa, quibus se a Deo missum doceat, puta miracula, prophetias, Scripturas, etc., quæ dedit Christus.

12. ET NON EST IN ALIO ALIQUO SALUS. — Non est alius qui salvet homines, tum in corpore, uti sanavit hunc claudum : ita S. Cyprianus, lib. II *Contra Judæos*, cap. XVI; tum potius in anima, dando illi gratiam, et per eam post hanc vitam gloriam et salutem æternam. Unde Syrus vertit, *non est in alio aliquo redemptio*. Quapropter explicans subdit :

NEC ENIM ALIUD NOMEN EST, — id est non est alius quam Jesus Christus, in cujus virtute vel invocatione salvemur. « Nomen » enim sumitur pro re nominata, vel pro persona cujus est nomen, puta pro Christo, quem nomine suo invocamus, sperantes et impetrantes ab eo salutem. Est Hebraica metonymia. Sic dicitur *Proverb.* XVIII, 10 : « Turris fortissima nomen Domini, » id est Dominus nomine suo invocatus. Sic passim Scriptura jubet invocare nomen Domini, id est ipsum Deum omnium Dominum. Hinc grave Theologi docent, post promulgatum Evangelium omnibus hominibus ad salutem, id est ad justitiam et ad felicitatem æternam acquirendam, necessariam esse necessitate, non tantum præcepti, sed et medii, fidem explicitam Christi : hunc enim « Deus proposuit propitiatorem per fidem in sanguine ipsius, » *Rom.* III, 24. Quocirca Ethnici et Pagani salvari nequeunt, nisi cognoscant et credant in Christum, esto alias bene viverent. Ita Hugo Victorinus, Magister Sententiarum, S. Thomas, Bonaventura, Alensis, Albertus, Marsilius et Gabriel, quos citat et sequitur Gregorius de Valentia, II II, *Quæst.* II, puncto 4.

Moraliter : hic disce quam reverendum, amabile et desiderabile cuivis fideli esse debeat nomen Jesu Christi, utpote a quo solo salutem omneque bonum exspectare debeat, quamque ei obedire, cumque in omnibus, quoad fieri potest, imitari debeamus. Nam « hoc solo constat nomine nostra salus. » Vide ea quæ dixi cap. III, 6, et *Philip.* II, 10. Præclare Clemens Alexandrinus, *Adhortatio ad Gentes* : « Apparuit, inquit, hominibus hic ipse Verbum, qui solus est ambo, Deus et homo, et est nobis omnium causa bonorum, a quo edocti recte vivere, ad vitam æternam transmittimur. » Et sub finem ait : « Nullum esse aliud opus Christi, quam ut homo salvus fiat. » Et S. Augustinus, conc. 1 *in Psalm.* CI : « Christus, inquit, est pellicanus nascendo, nycticorax moriendo, passer resurgendo : quia natus in solitudine, » ut pellicanus; « passus in tenebris Judæorum tanquam in nocte, in prævaricatione tanquam in ruinis, » ut nycticorax; resurgendo « factus est sicut passer volando, id est ascendendo singularis in tecto, id est in cœlo. » Et hæc tria fecit, ut nos salvaret. Idem, serm. 55 in S. *Joannem* : « Filius Dei, inquit, qui semper in Patre veritas et vita est, assumendo hominem factus est via. Ambula per hominem, et pervenis ad Deum. Per ipsum vadis, ad ipsum vadis, etc. Ambula moribus, non pedibus. Multi enim ambulant bene pedibus, et male ambulant moribus. » Et *sermon.* 84, in fine : « Qui Christum possidet pietate, omnia possidet, quia per ipsum facta sunt omnia. »

13. VIDENTES (θεωροῦντες, id est *considerantes*, *contemplantes*) PETRI CONSTANTIAM, — παῤῥησίαν, id est *in dicendo libertatem*. Ita Tigurina; Pagninus, *in dicendo audaciam*. Nam Apostoli, ut ait Chrysostomus : « Non solis verbis ostendebant se non curare de quibus judicentur, et quod extrema



intentantur pericula; sed etiam habitu, et voce, et aspectu, in summa omnibus libertatem apud populum demonstrabant, per ea quæ loquebantur. »

SINE LITTERIS, — ἀγράμματοι, *illitterati, qui non didicerant litteras*, utpote mechanici et piscatores.

IDIOTÆ. — « Idiota est qui proprio (ἴδιος enim est proprius) tantum naturalique idiomate, seu lingua et scientia contentus, nescit studia litterarum, » ait Beda. Unde Cicero in Pisonem : « Tu, inquit, eruditior quam Piso, prudentior quam Cotta, abundantior ingenio, consilio, sapientia, quam Crassus, ea contemnis quæ illi idiotæ, ut tu appellas, præclara duxerunt. »

ET COGNOSCEBANT EOS, QUONIAM CUM JESU FUERANT, — recordabantur se vidisse eos cum Jesu ambulante et prædicante. Unde Pagninus et Tigurina vertunt, *agnoscebant eos fuisse discipulos Jesu*, ideoque eum prædicare et celebrare.

16. QUID FACIEMUS HOMINIBUS ISTIS? — « Verba hæc victis conveniunt, non vincentibus, » ait Isidorus Pelusiota, lib. III, *epist.* 182. Vincebantur enim tum « facti evidentia, » ait Lyranus, tum constanti asseveratione Petri et Joannis, æque ac claudi, uno ore asserentium, in nomine Jesu Christi eum sanatum esse : quare videbant se juste non posse eos in carcere detinere, multo minus flagellare, vel occidere; et tamen excæcati malitia, in Christum credere nolunt, imo ejus nomen, prædicationem et memoriam opprimere satagunt. Hæc est agnitæ veritatis impugnatio, quæ est peccatum in Spiritum Sanctum. Unde subdunt :

COMMINEMUR. — Græce, *minis comminemur*, id est, ut Tigurina, *minaciter comminemur*; Pagninus, *minaciter interminemur*. Atrocibus ergo minis eos percellere et ad silentium adigere conantur.

NE ULTRA LOQUANTUR IN NOMINE HOC, — ne scilicet amplius Jesu Christi nomen prædicent, invocent et in ejus nomine miracula faciant. Ecce quo prorumpit invidiæ et odii malitia, ut veritatem luce clariorem cernere nolit eamque aliis invideat; quin et ejus beneficia ac miracula populo tam salutaria, imo necessaria, inhibeat. Nota Hebraismum : *Loqui in nomine*, idem est quod loqui nomen, vel de nomine. Sic, *Psal.* CXVIII, dicitur : « in tuis justificationibus, » id est tuas justificationes, puta præcepta, « doce me. »

18. DENUNTIAVERUNT, — παρήγγειλαν, quod et *denuntiare* et *præcipere* significat. Unde Syrus et Pagninus vertunt, *præceperunt*; Tigurina, *edixerunt*. Denuntiatio ergo hæc fuit non simplex admonitio, sed imperiosa præceptio, et interminatio cum minis verberum et carcerum, uti præcessit.

19. SI JUSTUM EST. — Tigurina et Pagninus, *an justum sit in conspectu Dei vos potius audire quam Deum, judicate*. Adeo ergo justitiæ justæque suæ causæ præfidunt, ut hostes suos ejus constituant judices, dummodo deposita passione et præjudicio, veluti ex ratione et veritate sincere quasi stantes in conspectu Dei eam dijudicare. Qui enim serio cogitat se stare coram Deo, eumque suorum judiciorum, dictorum et factorum credit judicem et vindicem, hic recte de omnibus judicat et sentit. Hoc ergo cuique sapienti et prudenti in qualibet re et deliberatione faciendum, ut, sepositis affectibus, coram Deo statuat id quod in judicio extremo coram tribunali Christi consistens, vellet se statuisse.

Nota : Non tenebantur Apostoli hac in re obedire pontificibus et Synagogæ : *primo*, quia jam ei non erant subditi, eo quod jam per promulgationem Evangelii et Ecclesiæ desiisset et mortua esset vetus Synagoga, ac consequenter omnis pontificum auctoritas et judicandi potestas; *secundo*, quia Synagoga in hac causa resistebat Deo mandanti Apostolis ut prædicarent Christum, idque per miracula confirmanti, ne ignorantiam Synagoga prætexere posset. « Quid enim? inquit S. Bernardus, *epist.* 7, quod jubet homo, prohibet Deus; et ego audiam hominem surdus Deo? »

20. NON ENIM POSSUMUS QUÆ VIDIMUS. — *q. d.* Christus voluit nos esse testes suos, ideoque nos suos comites et Apostolos constituit : ergo quæ de eo vidimus et audivimus, licite silere non possumus. *Secundo*, quia, ut ait S. Gregorius, lib. I *in lib. II Reg.* cap. I : « Vino cœlesti ebrii se continere non poterant, et a prædicationis fervore minis victi, tepescere nolebant. » « Non possumus ergo, id est non volumus, » ait Glossa.

21. QUIA OMNES CLARIFICABANT, — ἐδόξαζον τὸν Θεόν, Vers. 21.
id est *glorificabant Deum*. Ita Pagninus, Tigurina et alii. Ecce populus hic sapientior est, sincerior, æquior et pientior suis principibus, adeoque « vox populi, vox Dei. »

22. ANNORUM ENIM ERAT AMPLIUS QUADRAGINTA Vers. 22.
HOMO. — Cum enim ab utero fuerit claudus, uti dictum est cap. III, 2, talisque mansserit per 40 annos, certum erat hanc claudicationem et fuisse naturalem versamque in naturam, imo ex natura primitus vitiata manantem, ideoque medicinæ et naturæ, quin et magiæ viribus incurabilem; ac proinde Petrum, qui eum subito uno instanti sanaverat, non naturæ, nec magiæ, sed Dei viribus per miraculum id fecisse.

23. VENERUNT AD SUOS. — Syrus, *ad fratres* Vers. 23.
*suos*.

QUANTA, — ὅσα, Syrus, Tigurina et Pagninus, *quæcumque*. Noster significantius vertit « quanta, » id est quam magna, quam gravia et atrocia eis dixissent et comminati essent.

24. UNANIMITER. — Non tantum uno animo, sed uno quasi ore eadem verba, non sine magno miraculo proferentes, ait Dionysius. Nam unam eamdemque orationem quæ sequitur, omnes una eademque voce protulerunt, inspirati utique a Spiritu Sancto. Densant enim preces, itaque armatas offerunt Deo, eique quasi vim faciunt, ut ab eo robur contra instantem persecutionem impetrent, et, ut ita dicam, extorqueant, utque ipsa

persecutorum consilia infatuet, animosque et iras vel frangat, vel molliat.

25. Pueri tui. — *Servi tui* : ita Syrus. Est hebraismus, servi enim sunt heris, quod pueri parentibus, discipuli magistris, juvenes senioribus.

Quare fremuerunt (aliqui vertunt, *frenduerunt*) Gentes. — S. Hilarius, in *Psal.* ii, per *Gentes* accipit Gentiles persecutores Christi et Christianorum, præsertim Imperatores Romanos, qui decem persecutiones pene continuas et atrocissimas, per trecentos annos usque ad Constantinum, contra Ecclesiam concitarunt : per *populos* vero accipit Judæos, quales hic erant pontifices et Scribæ. Simplicius alii censent idem esse *gentes*, quod *populi*. Solet enim Psaltes posteriori hemistichio idem pene inculcare et exaggerare quod dixit priori, sed aliis verbis. Gentes ergo sunt populi tam Judæorum, quam Gentilium, turmatim conspirantes et insurgentes contra Christum et Christianos. Id ita esse patebit vers. 27.

Inania. — Hebr. ריק *ric* accipi potest dupliciter. *Primo*, ut nomen, significans vacuum, inane, et sic acceperunt Septuaginta et ex iis S. Lucas, vertentes κενὰ, id est *vacua*. *Secundo*, ut adverbium, significans vacue, frustra, inaniter, *q. d.* Pontifices et Scribæ agitant consilia de evertendo Christo et Ecclesia, nobisque minantur exterminium, sed inane et inaniter, nec enim tuum, o Domine, de ea consilium et decretum convellere possent : imple ergo quod decrevisti, reque ipsa ostende, quod eorum minæ et consilia inania sint, dissipando ea, sicut spuma a mari, bulla a vento dispellitur et dissipatur.

26. Astiterunt. — Hebr. יתיצבו *yitiatsebu*, id est statuerunt se, erexerunt se; Syrus, קמו *kamu*, id est insurrexerunt.

Convenerunt in unum. — In concilium congregati sunt, vel conspiraverunt.

Adversus Dominum. — Quia licet colerent Deum, quasi unum omnium Dominum, tamen persequendo Messiam, sive Christum ab eo missum, pugnabant contra Deum : qui enim legatum persequitur, aut injuria afficit, regem, cujus vicem et personam gerit, persequitur et injuria afficit.

27. Convenerunt, — συνήχθησαν; Syrus, *congregati sunt*.

Vere, — juxta oraculum Davidis, *Psal.* ii, jam citatum, *q. d.* Illud jam vere et reipsa vidimus in nobis expleri.

Puerum tuum. — Syrus, בריך *berich*, id est filium tuum. Sic enim se explicat vers. 30.

Quem unxisti, — unxione gratiæ, tum unionis hypostaticæ, tum habitualis et infusæ, uti dixi cap. ii, vers. 36.

Cum gentibus et populis Israel. — Ecce quod dixi vers. 25. Gentes et populos esse eosdem, hic liquet. Nam gentes, sive populi, vocantur hic Judæi : neque enim in concilio et cœtu hoc Judæorum, intererant Gentiles (1).

28. Facere quæ manus tua. — « Manus, » id est potentia, ait S. Chrysostomus, opus enim redemptionis nostræ e potestate mortis, peccati, diaboli et inferni, peractum per Christi passionem, utpote rem infirmissimam, opus fuit ingentis potentiæ Dei. *Secundo*, « manus, » id est providentia et directio : manu enim omnia dirigimus. Sensus est, ait Œcumenius, *q. d.* Judæi non prævaluerunt Christo, nec eum sua vi occiderunt, ejusque nomen et fidem deleverunt, uti intendebant : sed Deus omnia moderatus est ad suam voluntatem et gloriam omniaque ad optimum finem, puta ad Christi laudem et Ecclesiæ propagationem perduxit. *Tertio*, « manus, » id est operatio : Deus enim passionem Christi, et per eam redemptionem nostram ac Ecclesiæ institutionem operatus est. *Quarto*, « manus, » id est gratia et beneficentia (hæc enim fit manu) : opus enim redemptionis nostræ per Christum, fuit opus summæ gratiæ et beneficentiæ Dei : « ut mirabilior esset gratia et potentia Dei, quæ de tam duris animis, tam tenebrosis mentibus, tam inimicis cordibus, facit sibi populum fidelem, subditum, sanctum, » ait S. Prosper, lib. II *De Vocat. Gent.*, cap. xv.

Et consilium, — βουλή; Syrus, *voluntas tua*; significantius Noster vertit, *consilium*. Redemptio enim nostra, æque ac Ecclesia a Christo fundata, fuit opus summæ sapientiæ et consilii divini, uti docet S. Paulus, I *Corinth.* cap. ii et alibi.

Decreverunt, — προώρισε, id est *prædefinivit*.

Fieri, — pati scilicet Christum, ob salutem et exaltationem tum Ecclesiæ, tum suam. Perperam ergo Beza pro *fieri* passivo, ponit activum *facere*, vertitque *quæ definieras facienda*, quasi Judæi vi decreti divini acti et impulsi sint in necem Christi, itaque Deus primus auctor fuerit tam immanis operis et sceleris, puta Christicidii. Græce enim est γενέσθαι, id est *fieri*, non *facere*. Ita Pagninus, Tigurina et alii passim. Unde Syrus vertit דמהוא *demehewe*, id est *ut fieret*; male ergo latinus Syri interpres vertit active, *facienda*. Dicit itaque S. Petrus, Deus passionem et necem Christi jam ante ab æterno decreverat, sed prævisis prius per præscientiam conditionatam perversis Judæorum voluntatibus, quod scilicet Pontifices et Scribæ superbi, avari et impii Christum essent occisuri, si Deus illum eis objiceret vitia eorum et scelera redarguentem; atque ex vi hujus decreti jussit Christo passionem hanc a Judæis excipere, patique crucem et mortem. *Secundo*, Deus etiam decrevit positive permittere scelera Judæorum, et vim quam illaturi erant Christo, ut Christus pati posset, itaque Ecclesiam redimere, quod erat arcanum Dei consilium, Judæis, imo et dæmonibus incognitum. Dei enim providentia et decretum positivum non tantum versatur et attingit id



quod positive ab ea decernitur, ut ipse vel per se, vel per creaturas faciat; sed etiam id quod ab ea decernitur, ut permittatur fieri ab impiis.

Egregie id declarat S. Leo, serm. 16 *De Passione*, ubi citatis hisce Lucæ verbis : « Quæ manus tua et consilium tuum decreverunt fieri : Numquid, inquit, iniquitas persequentium Christum ex Dei est orta consilio? et illud facinus, quod omni majus est crimine, manus divinæ præparationis armavit? Non hoc plane de summa justitia sentiendum est, quia multum diversum multumque contrarium est id quod in Judæorum malignitate præcognitum, et quod in Christi est Passione dispositum. Non inde processit voluntas interficiendi, unde moriendi; nec de uno extitit spiritu atrocitas sceleris, et tolerantia Redemptoris. Non enim impias furentium manus immisit in se Dominus, sed admisit; nec præsciendo quod faciendum esset, coegit ut fieret, cum tamen ad hoc carnem suscepisset, ut fieret. » Et inferius : « Quod itaque Dominus Jesus Christus furorem frementium pati voluit, in nullo auctor eorum criminum fuit, nec egit ut hæc vellent, sed cessit ut possent; et sic usus est occæcatæ plebis insania, quomodo et perfidia traditoris, quem ab immanitate concepti sceleris, et beneficiis est revocare dignatus et verbis, assumendo in discipulum, provehendo in apostolum, monendo signis, consecrando mysteriis, ut cui nihil benevolentiæ deesset ad correctionem, nihil occasionis superesset ad crimen. »

Tropologice, persecutiones fabricant fidelibus coronas. Tropologice : S. Prosper ad objecta Gallorum responsione 13 docet, per miram Dei providentiam persecutiones cedere in bonum Ecclesiæ, adeoque persecutores fabricare coronas iis quos persequuntur. « Inspiciatur, ait, primum ipsa crux Christi, in qua magno scelere Judæorum misericors voluntas Dei, ut pro redemptione nostra unicus filius ejus occideretur, impleta est. Inspiciatur Apostolorum gloriosa tolerantia, inter persequentium fremitus hac unanimi voce ad Deum clamantium : Convenerunt vere adversus sanctum puerum tuum Jesum, quem unxisti, Herodes et Pontius Pilatus, cum gentibus et populis Israel, ut facerent quæ manus tua et consilium tuum decreverunt fieri. Inspiciantur denique innumerabilium Martyrum palmæ, quibus de crudelissima infidelium sævitia felix est parta victoria. Audiatur etiam Apostolus, Ecclesiam Dei ad perseverantiam pietatis instituens : In nullo, inquit, terreamini ab adversariis, quæ illis est causa perditionis, vobis autem salutis, et hoc a Deo, » *Philipp.* cap. i. Idem ad excerpta Genuens. respondens, ad dub. 7, ex hisce Lucæ verbis docet, « quod in malorum potestate est peccare : ut autem peccando hoc, vel hoc illa malitia faciant, non est in eorum potestate, sed Dei dividentis tenebras et ordinantis eas; ut hinc etiam quod faciunt contra voluntatem Dei, non impleatur nisi voluntas Dei. Male enim velle facillimum est malis, et eorum damnabilem voluntatem non dubium est a Dei potestate concludi, ut effectum cupiditatis suæ, nisi ille permiserit, habere non possint. Uti autem sapientiam et justitiam Dei etiam malorum operibus, quæ ex illorum prodeunt appetitu, ad implenda consilia et judicia sua, nullus vel tenuiter secundum pietatem doctus ignorat, qui videt Dei Patris optimam voluntatem, non parcentis Filio suo, sed pro nobis omnibus tradentis eum, pessima traditorum Judæ et Judæorum voluntate completam. » Judæi ergo, persequendo Christum et Ecclesiam, eos exaltarunt : quia occidendo Christum, fecerunt eum salvatorem mundi et fundatorem Ecclesiæ; occidendo fideles, fecerunt eos martyres, seque et rempublicam perdiderunt; ob hoc enim excisi sunt a Tito et Romanis. Sic Aman, persequens Mardochæum, illum exaltavit, se perdidit. Sic fratres Joseph, vendendo eum, crearunt principem Ægypti. Ecce quam potens, quam mira, quam fidelis Dei providentia in suos!

29. Respice in minas eorum, — ut eas compescas et a nobis avertas; aut nos contra eas armes et robores.

Da servis tuis cum omni fiducia loqui, — μετὰ παῤῥησίας, quod *primo* Syrus vertit, *clare*, *manifeste*, *publice*; *secundo*, Pagninus, *cum omni audacia* : unde S. Chrysostomus ait fideles hic poscere animum imperterritum; *tertio*, alii, *cum omni libertate*; *quarto*, Noster, *cum omni fiducia*; hæc enim libertatem, audaciam, fortitudinem et constantiam involvit vel adducit. Qui enim Deo fidit, liber est, audax, intrepidus et constans.

30. In eo quod manum. — *q. d.* Dabis nobis fiduciam prædicandi, si prædicationem nostram manu tua juves et confirmes, operando per nos ad invocationem Jesu Christi sanitates et signa, quibus ea attesteris, fidemque apud auditores concilies.

31. Et cum orassent, motus est locus. — *Primo*, Vers. 31.
ut hoc signo significaretur eorum orationem a Deo esse exauditam, ait Chrysostomus, Beda et Lyranus. Sic orante Paulo et Sila in carcere terra mota est, cap. xvi, vers. 26. *Secundo*, ut significaretur Deum eis esse præsentem, ad opem ferendam contra omnes terrores et hostes; Deus enim suam præsentiam et magnificentiam solet ostendere per terræ motum, ut sui metum et reverentiam hominibus incutiat. Hinc cum descendit in Sina, daturus legem Mosi et Hebræis, mota est terra a facie Domini, *Psal.* cxiii, 6; *Exod.* xix, 19. Hinc *Psal.* lxxiv, 4, dicitur : « Liquefacta est terra (a facie Dei in eam descendentis) et omnes qui habitant in ea; ego confirmavi columnas ejus. » Et *Psal.* ciii, 32 : « Qui respicit terram, et facit eam tremere. » Vide *Eccli.* xvi, 18. *Tertio*, ut significaret Deum hostibus eorum minacibus et terribilibus fore terribiliorem, omnesque eorum minas et terrores majori terrore incusso discussurum. *Quarto*, ut indicaret gentes terræ incolas, audito Evangelii præconio, ejus metu et reveren-

Terræ motus symbolum. Primum. Secundum.

(1) Non argutandum est in plurali numero *populis*, græc. λαοῖς. Versio antiqua latina legit λαὸς, et hæc est forsitan vera lectio; aut λαοῖς positum est pro singulari λαὸς, quo accuratius hæc verba responderent verbis vers. 25 e Psalmo allatis.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ALERE FLAMMAM VERITATIS UANL DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS ®

tia concutiendas eique subjugandas. Ita Beda et Lyranus : idque patet Aggæi II, 7. Quinto, ad acuendas fidelium mentes contra instantes Judæorum persecutiones. Sexto, symbolum terræ motus signum est et excitamentum lætitiæ : terra enim præ gaudio videtur subsilire et Apostolis Deique servis applaudere. Ita Arator canit :

> Horum sub gressibus ergo
> Læta movetur humus.

Hinc Christo resurgenti terra applaudens tremuit et subsiliit, Matth. cap. ult. Idem fecit cubiculum S. Paulini Episcopi Nolani, eo moriente : gaudebat enim terra, quod tam sancti viri corpus mox gremio suo exciperet, animam vero in cœlum transmitteret. Hujus rei symbolo cum populus Israel exiret de terra Ægypti, pergeretque per siccum maris Rubri alveum in terram promissam, quæ typus erat cœli, « Montes exultaverunt ut arietes et colles sicut agni ovium, » quasi præ gaudio tripudiantes, Psal. CXIII. Septimo, terræ motus signum erat adventantis in eos Spiritus Sancti, qui daturus erat eis fiduciam ad concutiendum et convertendum terrena et dura hominum corda. Unde explicans subdit :

Septima.

ET REPLETI SUNT OMNES SPIRITU SANCTO. — Jam in Pentecoste Spiritu Sancto repleti fuerant, sed quasi in habitu ; nunc eodem replentur quasi in actu, ut scilicet in persecutione loquantur verbum Dei cum fiducia, per linguas igneas quas tunc receperant. Unde S. Chrysostomus : « Reaccensi sunt, inquit, Spiritu Sancto, et reaccensum in ipsis charisma. » Quocirca « jam non metuunt, quia cor eis Spiritus Sanctus mutavit, » ait S. Gregorius in cap. X lib. I Regum. Hinc discimus gratiam habitualem justi non sufficere ad vincendas ingruentes acres tentationes et persecutiones, sed ad hoc opus esse novo crebroque impulsu et robore Spiritus Sancti, illudque precibus continuis et ardentibus efflagitandum et impetrandum esse, uti hic fecerunt fideles.

32. MULTITUDINIS AUTEM CREDENTIUM ERAT COR UNUM, ET ANIMA UNA. — Nota τὸ multitudinis : jam enim Christiani ad octo millia et amplius excreverant, ut patet ex dictis. Erant tamen pauci, si cum Judæis et Gentibus conferrentur. Verum, ut recte ait Chrysostomus, hom. 40 ad populum Antiochen. : « Non in numeri multitudine, sed in virtutis probitate multitudo consistit. Elias unus erat, sed totus mundus non erat dignus, qui ipsi reprehenderetur. » Non physice, quia quisque habebat suum cor et suam animam : non enim datur una anima communis, quasi idea Platonica, singulis individuis se communicans ; licet enim id sensisse Platonem dicat passim Aristoteles, tamen alia fuit mens Platonis ; non etiam datur intellectus unus abstractus singulis assistens : licet enim id sensisse Averroem nonnulli putent, tamen longe alia fuit mens Averrois, uti fuse et erudite explicat noster Dandinus, lib. III De Anim. Erat ergo fidelium cor unum et anima una, non physice, sed moraliter, q. d. Ita animis et sensibus erant concordes, ac si omnes unum idem habuissent cor et unam animam. Ratio erat, prima, quia per charitatem perfectam, pariter perfectam habebant inter se amicitiam : hæc autem in æqualitate et concordia animorum consistit, quasi in omnibus esset una et eadem anima : sicut amicus est alter ipse, inquiebat Pythagoras. Secundo, quia omnes Christum induerant, in eoque summe tam cum ipso quam inter se erant uniti : quæ enim sunt unum cum eodem tertio, sunt et unum inter se. Ita enim amabant Christum Christique discipulos, ut parati essent pro eo mori, quem ante poposcerant crucifigi, ait S. Leo, serm. 11 De Passione. Tertia, quia omnes non suam, sed Dei voluntatem cognoscere et implere satagebant : Dei autem voluntas una est et eadem. Unde S. Gregorius, in cap. I lib. I Reg. : « Per intentionem rationis, inquit, solum conditorem aspiciebant, et per affectionem amoris solam ejus faciem videre desiderabant. » Quarta, quia omnes possidebantur et regebantur eodem Spiritu Sancto, quem ad hoc eis a Patre poposcerat Christus, dicens : « Pater sancte, serva eos in nomine tuo quos dedisti mihi, ut sint unum voluntate, sicut et nos unum sumus » essentia et substantia, Joan. XVII, 11. Unde S. Augustinus, tract. 14 in Joan., sic legit : « Multitudinis credentium erat illis anima una et cor unum in Deum ; » quia scilicet vinculum charitatis mutuæ erat Deus et Spiritus Sanctus. Sicut ex adverso « nihil æque est molestum dæmoni ut concordia, etc. ; hinc ægerrime fert teneri in terra, quam non potuit conservare in cœlo, » ait S. Bernardus, cap. XLI De Modo bene vivendi. Infert S. Augustinus : « Si charitas, inquit, de tot animabus fecit animam unam, et de tot cordibus fecit cor unum, quanta est charitas inter Patrem et Filium ? » Quinta, quia omnes uni Petro, tanquam suo Patri et Pastori Ecclesiæ, plane et plene obediebant. Obedientia enim mater est unionis et concordiæ, uti patet in Religionibus, ubi ea viget. Ergo unum cor et una anima primorum fidelium, erat primo perfecta amicitia et charitas mutua ; secundo, idem Christus singulos inhabitans, et quasi animans ; tertio, eadem intentio omnium in Deum Deique voluntatem ; quarto, idem Spiritus omnes agens et movens ; quinto, eadem omnium obedientia et reverentia erga S. Petrum.

Concordia fecit cor unum. Cur ? Causa prima.

Audi Origenem, hom. De Elcana : « Cur, ait, non omnes unum dicantur, quorum cor et anima una esse describitur ? Unam semper omnes sapientiam meditantur, unum sapiunt, unum sentiunt, unum Deum venerantur, unum Dominum Jesum Christum confitentur, uno Spiritu Dei replentur. Unde merito et ipsi omnes non solum unum, sed et unus dicuntur, sicut Apostolus designavit dicens : Omnes quidem currunt, sed unus accipit palmam, I Cor. cap. IX, vers. 24.



Vides manifeste quia omnes isti unus est. »

Moraliter de charitate fratrum.

Porro hæc unio inter Christianos primævos diu viguit. Testis est Tertullianus, qui vixit sub annum Christi 200. Is enim, Apolog. XXXIX, scribit totam Evangelicam legem consistere in charitate invicem exhibenda, ita ut communis Gentilium de Christianis esset vox : « Vide ut se diligant, ut alter pro altero mori sint parati. » Et S. Pachomius. Hic enim cum Gentilis esset militaretque in exercitu Constantini Magni, videretque Christianorum in milites egenos charitatem, curam et munificentiam, ad Christum conversus, monachus, quin et monachorum pater et princeps effectus est, uti habet ejus Vita. Hinc Christiani olim se invicem fratres appellabant. Porro « melior est, inquit S. Augustinus, serm. 25, vel, ut alii numerant, 27 (qui sermo habetur quoque inter Ambrosianos, num. 9 et 29) De Verbis Apostoli, fraternitate sanguinis, Christi fraternitas : quoniam illa interdum sibi inimica est, Christi autem fraternitas sine intermissione pacifica est. Illa inter se communia cum æmulatione dividit : hæc ea cum gratulatione communicat. »

Refrixit crescente fidelium numero hæc unio. Unde ejus retinendæ causa instituta sunt cœnobia, in quibus tanta fuit unio et communio, ut S. Basilius, Constit. monast. cap. XIX, admiretur « homines ex diversis nationibus et regionibus profectos, per exactam morum ac disciplinæ similitudinem adeo velut in unum coaluisse, ut in pluribus corporibus unus tantum animus inesse videatur, vicissimque plura corpora unius animi instrumenta. » Unde et S. Gregorius, in cap. I lib. I Reg., docet monachi nomen non tantum significare solitudinem et unionem cum Deo, ut ait S. Dionysius, Eccl. Hierarch. cap. X, sed et unionem fraternam, puta unanimem multorum in eodem Dei cultu et obsequio consensum et concentum : hæc enim est musica Deo gratissima. Sic et S. Augustinus, in Psal. CXXXII, explicans illud : « Ecce quam bonum et quam jucundum habitare fratres in unum ! » docet id primitus impletum esse in hisce primis fidelibus, quibus erat cor unum et anima una ; ac deinceps in Monachis, qui inde sortiti sunt nomen, scilicet a μόνος, id est unus, solus. « Nam qui sic, inquit, vivunt in unum, ut unum hominem faciant, ut sit illis vere, quod scriptum est, una anima et unum cor ; multa corpora, sed non multæ animæ ; multa corpora, sed non multa corda : recte dicitur μόνος, id est unus, solus. » Quare signum florentis disciplinæ et virtutis vitæque religiosæ in cœnobio vel collegio, evidens est, si in eo magna vigeat animorum unio et charitas. Ad eam vero retinendam et augendam Cassianus, Collat. 16, cap. VI, duo necessaria esse docet : primum, ut omnes divitiarum et cujuslibet rei terrenæ cupiditates eliminentur ; secundum, ut ita quisque suas resecet voluntates, ut alterius potius, quam suo arbitrio stare velit. Optabat eam Plato in idea suæ Reipubl., Dialog. V, sed modum eam in praxim apud homines redigendi non inveniebat. Hanc ergo, ait ille, civitatem, sive rempublicam sive dii alicubi, sive deorum filii una plures incolant, certe beatos omnique gaudio cumulatos esse. Hac de causa Apostolus toties hanc unionem fidelibus commendat, ac præsertim Ephes. IV, 1 et sequent. Vide ibi dicta. Porro abbas Anub hunc modum concorditer vivendi fratribus præscripsit : « Nos, inquit, qui septem fratres sumus, si vultis ut maneamus simul, efficiamur sicut statua hæc, quæ contumeliis affecta non turbatur. » Ita habetur in Vitis Patrum, lib. V, cap. XV De humilitate, num. 11. Et lib. VII, cap. XLII, abbas Agathon adolescenti petenti, qua ratione cum fratribus habitare posset et deberet, respondit : « Observa præ omnibus, ut qualis primo die ingrederis apud ipsos, talis reliquum tempus peragas, et cum quiete adimpleas peregrinationem tuam. » Idem rursum : « Si habitas, inquit, cum proximo, esto sicut columna lapidea, quæ si injuriatur, non irascitur ; si glorificatur, non extollitur. » Porro quam grata sit Deo hæc unanimitas, ex hoc Dei oraculo disce. B. Macario anachoretæ celebri revelatum fuit, duas mulieres, quæ erant uxores duorum fratrum, ipso esse sanctiores, eo quod in eadem domo per quindecim annos ita concorditer vixissent, ut nunquam litem aliquam habuerint, vel verbum asperius invicem dixerint, uti refert Ruffinus in Vitis Patrum, lib. III, num. 97.

Concordiæ duo media.

NEC QUISQUAM EORUM QUÆ POSSIDEBAT, ALIQUID SUUM ESSE DICEBAT. — Abdicabant ergo rerum proprietatem et dominium, ex studio et voto (ut patebit cap. V, vers. 4) paupertatis æque ac charitatis et communis vitæ. Hoc fecerunt primi Christiani Hierosolymis duntaxat (qui cæteris secuturis sanctiores, eis perfectæ sanctitatis dare voluerunt heroicum exemplar), non vero in aliis Gentilium provinciis, quibus prædicabat Paulus. Hos enim possedisse res suas et habuisse proprias opes et fundos, patet ex collectis, quas pro pauperibus fieri jubet, I Cor. XVI, 1, et ex eleemosynis in Christianos pauperes erogandis, ad quas eos adhortatur, II Cor. VIII et IX et alibi, ac S. Joannis Epist. I, cap. III, vers. 17.

Quare erraverunt hæretici, ab æmulatione vitæ Apostolicæ dicti Apostolici, quos tempore S. Augustini secutus est Pelagius, et nunc Anabaptistæ, dum hoc Hierosolymitarum spontaneum propositum volunt esse præceptum, non consilium Evangelicum. Errat ex adverso Calvinus, qui censet eos retinuisse dominium bonorum, sed ea sponte et liberaliter cum Christianis cæteris communicasse. Non enim habebant quid proprium, sed erant illis omnia communia, ut ait Lucas : ergo abdicabant se dominio, illudque in communitatem, id est in totam Ecclesiam transferebant. Adde, Ananiam et Sapphiram, cap. V, punitos esse morte, quia res suas a se prius ha-

Errores Pelagii et Calvini.

dicatas, rursus sibi vindicare et appropriare volebant.

Cur primi fideles amplexi paupertatem? Causa prima.

Quæres, cur tam studiose primi illi fideles Hierosolymis amplexati sunt paupertatem? Respondeo : *Primo*, quia audierant a Christo et Apostolis, illam esse primam et summam beatitudinem : « Beati pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnum cœlorum, » *Matth.* v. Rursum Christus in paupertate constituit perfectionem virtutis et vitæ Christianæ, non formaliter (perfectio enim hujus vitæ formaliter consistit in charitate, futuræ vero in visione et fruitione Dei), sed causaliter, quia scilicet paupertas nudat nos amore rerum terrenarum, ut impleat amore Dei rerumque cœlestium. Audi S. Hieronymum, epist. 1 *ad Hedibiam*, Quæst. 1 : « Vis, inquit, esse perfectus, et in primo stare fastigio dignitatis? fac quod fecerunt Apostoli : vende omnia quæ habes, et da pauperibus, et sequere salvatorem, ut nudam solamque crucem nuda sequaris et sola. Non vis esse perfecta? sed secundum vis tenere gradum virtutis? dimitte omnia quæcumque habes, da filiis, da propinquis. » Idem *ad Nepotian.* : « Optimus, ait, dispensator est, qui sibi nihil reservat. » Idem in *Epitaph. Nepotiani ad Heliodorum* : « Nepotianus, ait, Dalteo posito habituque mutato, quidquid castrensis peculii fuit, in pauperes erogavit. Legerat enim : Qui vult perfectus esse, vendat omnia quæ habet, et det pauperibus, et sequatur me. Et iterum : Non potestis duobus dominis servire, Deo et mammonæ. Excepta vili tunica et operimento pari, quo tecto tantum corpore frigus excluderet, nihil sibi amplius reservavit. Cultus ipse, provinciæ morem sequens, nec munditiis, nec sordibus notabilis erat. » Et inferius : « Possideant opes sub Christo paupere, quas sub locuplete diabolo non habuerant, et suscipiet eos Ecclesia divites, quos tenuit mundus ante mendicos : Nepotianus noster aurum calcans, schedulas consectatur ; et sicut in carne sui contemptor est et paupertate incedit ornatior, ita totum animæ investigat ornatum. » Idem *ad Rusticum*, epist. 4 : « Sectare vestigia eorum quos sacerdotium et humiliores facit et pauperes : aut si perfecta desideras, exi cum Abraham de patria et cognatione tua, et perge quo nescis. Si habes substantiam, vende et da pauperibus ; si non habes, grandi onere liberatus es : nudum Christum nudus sequere : durum, grande, difficile ; sed magna sunt præmia.

*Secunda*, quia paupertas ex diametro opponitur, et evertit cupiditatem, quæ est radix omnis peccati et mali. Nam ex divitiis oriuntur vitia omnia, ac præsertim superbia et fastus, ac gula et libido : hisce enim opes, arma et fomenta ministrant. « Omne quod est in mundo, concupiscentia carnis est, et concupiscentia oculorum, et superbia vitæ, » puta gula (et libido), avaritia et superbia, ait S. Joannes, *Epist.* I, cap. II, vers. 16. Ex avaritia autem oritur superbia et gula : ergo ipsa est radix omnis peccati. Audi Paulum, I *Tim.* cap. VI : « Habentes autem alimenta et quibus tegamur, his contenti simus. Nam qui volunt divites fieri, incidunt in tentationem et laqueum diaboli, et desideria multa inutilia et nociva, quæ mergunt homines in interitum et perditionem. Radix enim omnium malorum est cupiditas, quam quidam appetentes erraverunt a fide, et inseruerunt se doloribus multis. »

*Tertia*, quia paupertas liberat hominem a mille distractionibus et curis, facitque ut sit liber et expeditus ad vacandum sapientiæ, contemplationi, Evangelio et rebus divinis. Unde S. Bernardus : « Noli, ait, amare (bona terrena) quæ possessa onerant, amata inquinant, amissa cruciant. » « Nonne ipsa sunt, quæ concupita inardescunt, adepta vilescunt, amissa vanescunt? » ait S. Augustinus. Et S. Chrysostomus, hom. 47 *in Matth.* : « Si, inquit, intueri volueris animam hominis aurum amantis, invenies eam ut vestimentum a decem millibus vermium corrosum, ita eam perforatam undique a sollicitudinibus, et a peccatis putrefactam et ærugine plenam. Verum non talis est anima pauperis voluntarii, sed potius fulget ut aurum, splendet ut gemma, efflorescit ut rosa. Non est illic tinea, neque fur, neque sollicitudo negotiorum hujus vitæ, sed sicut angelus ita conversatur. Non subjacet dæmonibus, non assistit Regi, sed assistit Deo ; non militat cum hominibus, sed cum angelis ; non habet thesaurum terram, sed cœlum ; non indiget servis, magis autem habet servos possessiones et cogitationes, quæ rebus dominantur. Quid igitur hoc paupere melius? At non habet equos et currum : quid vero his opus est ei, qui super nube vehi debet, et esse cum Christo? »

*Quarta*, quia paupertatis merces et præmium a Christo promissum sunt opes cœlestes, immensæ et æternæ. Sicut ergo mercator sapit, qui aureo uno emit merces, quas postea decem aureis divendet ; ita multo magis sapit Christianus, qui paupertate emit opes divinas. Paupertas enim facit hominem peregrinum terræ, civem cœli, socium angelorum, domesticum Dei : pauper ergo soli, dives est cœli. Unde S. Augustinus in *Sententiis*, sententia 250 : « Dives, ait, qui talis est, ut contemnat in se quidquid illud est, unde inflari superbia solet, pauper est Dei, » ideoque homo cœlestis, angelicus et divinus. Angeli enim et Beati ex alto despiciunt et rident exiguum hoc terræ punctum omnesque ejus opes et dotes. « Generosi enim magnique animi est, nihil admirari præter Deum, » ait S. Cyprianus. Quare vere et præclare Climacus, *gradu* 17 : « Paupertas, ait, est abdicatio sollicitudinum sæculi, iter ad Deum sine impedimento, expulsio omnis tristitiæ, fundamentum pacis, munditia vitæ, quæ nos liberat omnibus curis vitæ transeuntis, et facit ut Dei mandata perfecte exequamur. » Facit enim paupertas, ut animus ab amore rerum temporalium abstractus, non putet se hic habere ci- Quarta



vitatem permanentem, sed cum Abrahamo futuram semper inquirat, cujus artifex et conditor est Deus, *Hebr.* XI, 10.

*Quinta*, quia paupertas facit ut homo totus Deo adhæreat, in eoque omnem spem et amorem collocet : quocirca Deus vicissim vicariis providentiæ suæ brachiis eum ut suum amplectitur, ditatque non tantum omni gratia, sed et rebus omnibus ad vitam necessariis. Hoc est enim centuplum, quod pauperibus promisit Christus, *Matth.* XIX. Et Psaltes, *Psal.* LIV, 23 : « Jacta super Dominum curam tuam, ipse te enutriet : » quem versiculum suis fratribus pro viatico dare solebat S. Franciscus. Et *Psal.* XXXIII : « Divites, inquit, eguerunt et esurierunt, inquirentes autem Dominum non minuentur omni bono. » Quocirca S. Bernardus, serm. 21 *in Cant.*, docet quod Christus de se dixit : « Si exaltatus fuero a terra, omnia traham ad me ipsum, » idem omnibus ejus fratribus esse commune, quibus omnia non solum adjiciuntur, sed etiam subjiciuntur, dummodo se terrenis rebus liberent, ac super illas se elevent. « Quod si ita est, inquit, non putent divites hujus sæculi fratres Christi sola cœlestia possidere, quia audiunt dicentem : Beati pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnum cœlorum. Non eos, inquam, æstiment sola cœlestia possidere, quia ea sola audiunt in promissione. Possident et terrena, et quidem tanquam nihil habentes et omnia possidentes, eo pro certo magis domini, quo minus cupidi. Denique fideli totus mundus divitiarum est. Totus plane, quia plane tam adversa quam prospera ipsius, æque omnia serviunt ei et cooperantur in bonum. Ergo avarus terrena esurit ut mendicus, fidelis contemnit ut dominus. Ille possidendo mendicat, iste contemnendo servat. »

*Sexta*, quia Christus Dominus, Verbum et Sapientia Patris æterni, e cœlis in terram venit, ut paupertatis pretium et dignitatem non tantum verbo, sed et exemplo sanciret : « Ego, inquit, mendicus sum et pauper, » *Psal.* XXXIX. Quocirca pauperem elegit matrem, patrem fabrum ; nec in domo, sed in stabulo nasci voluit ; nec in cunis, sed in præsepio, eoque alieno reclinari. Tota vita nil proprium possedit, sed aliorum eleemosynis vixit : « Vulpes, ait, foveas habent, et volucres cœli nidos ; Filius autem hominis non habet ubi caput reclinet, » *Matth.* VIII. Discipulos et Apostolos instituit non divites, sed piscatores, plebeios et pauperes. Quocirca Christum in paupertate secuti sunt S. Petrus, Paulus, Apostoli et discipuli omnes, et posterioribus sæculis Prælati et viri Apostolici, S. Basilius, S. Nazianzenus, S. Chrysostomus, S. Martinus, S. Augustinus, S. Gregorius, etc.

Paupertatis Christi sequaces.

Floruit hoc paupertatis studium in pace Ecclesiæ sub Constantino Magno. Post sæculum enim Martyrum, quod fuit ante Constantinum, secutum est sæculum Monachorum et Anachoretarum, quorum dux et antesignanus fuit sanctus Antonius, cujus vitam a se conscriptam Romam detulit S. Athanasius, eaque multos Romanos divites et potentes commovit ad eamdem imitandam : inter quos prima fuit S. Marcella, ait S. Hieronymus in ejus *Epitaphio*. Sub idem tempus Gallicanus, destinatus Constantiæ sponsus, et Constantini Magni gener, ac Romanus Consul, relictis omnibus, ad Ostia Tiberina hospitale ædificavit, in quo ipse pauper pauperibus et ægris serviebat ; qui deinde a Juliano Apostata occisus paupertatis studium martyrii laurea coronavit.

Idem studium paulo post suscitavit exemplo æque ac verbo S. Paulinus, ex Consule Romano monasticen amplexus, indeque creatus Episcopus Nolanus ; item S. Hieronymus, quando cum S. Paula secessit in Bethleem eoque traxit nobilitatem Romanam. Porro S. Paula ita paupertatis erat amans, ita omnia sua (quæ erant amplissima et opulentissima) erogabat in pauperes, ut nec obolum sibi relinqueret, sed in aliena sindone sepeliri peroptaret : quod et ei contigit. Matrem secuta est filia Eustochium, et cæteræ, ac gener Pammachius, qui, ex Consule Romano factus monachus, domum suam in ecclesiam convertit, quæ etiamnum titulo S. Pammachii inscripta visitur, et nuncupatur S. Joannis et Pauli : quem proinde mire celebrat ejus incentor S. Hieronymus, Epistola ad eumdem Pammachium *De Obitu Paulinæ uxoris* : « Nobis, inquit, post dormitionem somnumque Paulinæ, Pammachium monachum Ecclesia peperit posthumum, et patris et conjugis nobilitate patritium, eleemosynis divitem, humilitate sublimem. » Et mox : « Quis hoc crederet ut Consulum pronepos, et Furiani germinis decus, inter purpuras Senatorum furva tunica pullatus incederet, et non erubesceret oculos sodalium, ut deridentes se rideret? Lucet margaritum in sordibus, et fulgor gemmæ purissimæ etiam in luto radiat. » Et inferius : « Nunc omnes Christi Ecclesiæ Pammachium loquuntur, miratur orbis pauperem, quem hucusque divitem nesciebat, etc. Parva dimisimus, et grandia possidemus. Centuplicato fœnore Christi promissa redduntur, etc. Fecit hoc Crates Thebanus, fecit Antisthenes : plus debet Christi discipulus præstare, quam mundi Philosophus, gloriæ animal et popularis auræ atque rumorum venale mancipium. Tibi non sufficit opes contemnere, nisi Christum sequaris. Christus sanctificatio est, sine qua nemo videbit Deum. Christus redemptio, idem redemptor et pretium. Christus omnia, ut qui omnia propter Christum dimiserit, unum inveniat pro omnibus, et possit libere proclamare : Pars mea Dominus, etc. » Et paulo post : « Sive legas, sive scribas, sive vigiles, sive dormias, amor tibi semper buccina in auribus sonet, hic lituus excitet animam tuam : hoc amore furibundus, quære in lectulo tuo quem desiderat anima tua, et loquere confidenter : Ego dormio, et cor meum vigilat. Cumque inveneris eum, et tenueris, ne dimittas. »

Subdit deinde de Pammachii xenodochio : « Audio te xenodochium in portu fecisse Romano, et virgam de arbore Abraham in Ausonio plantasse littore : primus inter monachos in prima urbe, primum sequeris Patriarcham. Hæc moneo, frater carissime, pietate qua te diligo, ut non solum pecuniam, sed et teipsum Christo offeras hostiam viventem, sanctam, placentem Deo, et imiteris Filium hominis, qui non venit ministrari, sed ministrare. Quantumcumque te dejeceris, Christo humilior non eris. Esto nudis incedas pedibus, fusca tunica vestiaris, æqueris pauperibus, inopum cellulas dignanter introeas, ipse aquam portes, ligna concidas, focum extruas ; ubi vincula ? ubi alapæ ? ubi sputa ? ubi flagella ? ubi patibulum ? ubi mors ? Et cum hæc omnia feceris, ab Eustochio tua Paulaque vinceris, si non opere, certe sexu. » Hæc et plura sparsim S. Hieronymus.

Hos in paupertatis instituto secutus est S. Benedictus, S. Bernardus, S. Dominicus, S. Franciscus, qui paupertatem ita adamavit, ut eam quasi sponsam sibi suisque desponsarit. Unde rogatus sæpe a Fratribus, « quænam virtus maxime nos Christo commendaret gratosque faceret ? » cum jubilo respondit : « Paupertas ; hæc est enim via salutis, humilitatis fomes, perfectionis radix, quæ fructus nobilissimos eosque multiplices producit, sed occultos et paucis cognitos. » Quocirca ipse Romæ ad sepulcrum S. Petri et Pauli cum lacrymis supplicans, ut sese de thesauro paupertatis instruerent, meruit eos videre, qui et cum osculo salutantes, dixerunt : « S. Francisce, quia hoc petis quod Christus et Apostoli servarunt, certiorem te reddimus tuum desiderium esse exauditum ; en thesaurus sanctæ paupertatis tibi tuisque asseclis perfecte conceditur ; ac quicumque eum capessent, de regno beatitudinis erunt securi et a Domino benedicti. Hinc idem dictitabat : Pauper est typus Christi, qui propter nos egenus factus est, ut nos sua inopia divites efficeret ; qui ergo pauperi maledicit, Christo maledicit. Ex adverso pecunia servis Dei non est aliud quam diabolus et coluber venenosus. » Ejus discipula, et in instituto Religioso filia S. Clara, cum esset nobilis et opulenta, sua omnia distribuit in pauperes, Ordinem pauperum Religiosarum instituit, ac palam professa est suum hoc collegium fore stabile et Deo gratum, quamdiu paupertate fuerit opulentum. Quamobrem ab Innocentio III Pontifice novum et eo usque inauditum paupertatis privilegium petiit et impetravit, quod et Pontifex propria manu conscripsit. Cum deinde Gregorius IX Pontifex ipsi suaderet, ut in Ordinem possessiones admitteret, seque de facto ipsam a voto, illis adverso, absolvere, respondit : « Nolo, Pater Sancte, a Christi sequela in perpetuum absolvi. » Porro ipsa cæteris raro prævivit exemplo : licet enim per viginti octo annos gravi morbo affligeretur, tamen simplici tunicula et rudi panno vestiebatur, perpetuo rigidoque a setis porcinis ad nudam carnem cilicio utebatur, nudipes incedebat, vili tenuique cibo vescebatur, non cubabat in lecto, sed humi vel super asseres. Hæc et plura habet ejus Vita.

Denique tanta tamque varia et illustria sunt paupertatis bona, ut eam ambierint Gentiles quoque philosophi et principes, vel ut sapientiæ, vel ut gubernaculis reipublicæ toti vacarent, eaque clarissimi evaserint. Hinc S. Chrysostomus, lib. II *Contra Vituperat. vitæ monasticæ*, comparat pauperes cum opulentis regibus, Diogenem cum Alexandro, Platonem cum Dionysio, Socratem cum Archelao, docetque illos gloriosiores fuisse sua paupertate quam hos suis regnis. Laudat quoque Epaminondam, Thebanum principem, qui in concionem vocatus, cum venire non potuisset, quia vestem laverat, nec aliam habebat, omnibus qui eo venerant illustribus viris spectatior et illustrior fuit. Crates Thebanus, ait S. Hieronymus, *epist.* 13, magnum auri pondus projecit in mare, quod diceret non posse se divitem satis bene philosophari : « Mergam, inquit, vos, ne mergar a vobis. » Seneca, magnus paupertatis et frugalis vitæ encomiastes, *epist.* 17 : « Si vis, inquit, vacare animo, aut pauper sis oportet, aut pauperi similis. Non potest studium salutare fieri sine frugalitatis cura. » Apuleius, in *Apologia* : « Paupertas, inquit, est apud Græcos in Aristide justa, in Phocione benigna, in Epaminonda strenua, in Socrate sapiens, in Homero diserta. »

Gentile paupertatis studium.

Sed audi Ælianum breviter eorum heroica paupertatis facinora, sane memoranda, recensentem, lib. XI *Variæ Histor.*, cap. IX. Aristides, inquit, Lysimachi filius, qui multa præclare domi militiæque gessit, et Græcis tributum imperavit, non tantum post obitum reliquit, ut exequiis celebrandis sumptus esset. Phocion etiam egenus erat ; attamen cum mitteret ei Alexander centum talenta, interrogavit : « Quam ob causam hæc mihi donat ? » Qui cum responderent : « Quoniam te solum ex omnibus Atheniensibus bonum honestumque virum judicat, — Sinat igitur, inquit, me talem esse. » Etiam Epaminondas, Polymnidis filius, pauper erat. Cum autem Jason ei quinquaginta aureos nummos mitteret : « Injuriam, inquit, mihi facere incipis. » Et quinquaginta drachmas a cive mutuatus, ut essent pro viatico, profectus est in Peloponesum. Cum vero nuntium allatum esset, armigerum ejus a captivo quodam pecunias accepisse : « Mihi, inquit, da scutum. Tu vero tibi cauponam eme, in qua vivas. Non enim ulterius pericula subire voles, cum dives sis factus. » Pelopidas, cum objurgarent eum amici quod pecuniariæ rei ad vitam tuendam conferentis nullam curam gereret : « Et, inquit, me hercule res utilis est, verum huic Nicomedi, » intento digito in hominem quemdam claudum et mutilum. Scipio, 54 annorum



vitæ spatium emensus, neque emit, neque vendidit quidquam ; adeo paucis fuerat contentus. Cum autem quidam ei scutum eleganter apparatum ostenderet, dixisse fertur : « Atqui Romanum civem par est in dextera spem ponere, non in sinistra, » puta in gladio qui dextera, non in scuto quod sinistra geritur. Ephialtes, Sophonidæ filius, pauperrimus fuit ; etsi vero amici ei decem talenta dono darent, non accepit : « Hæc, inquiens, me cogerent, siquidem reverenter vos haberem, aliquid præter jus concedere : sin minus vos observarem, ingratissimum videri. » Hæc Ælianus.

Æque memoranda sunt quæ recenset Antonius in *Melissa*, part. I, serm. 33 : Democritus, inquit, audiens quemdam de paupertate sua conquerentem, dixit : « Si non multa desideres, pauca tibi multa videbuntur. Desiderium enim contractum, paupertatem divitiis æquipollentem reddit. » Idem dictitabat, « Pauperis conditionem divitis multo beatiorem esse. Pauperes quippe maximis malis non infestantur, ut insidiis, odio, invidia, quibus divites quotidie expositi sunt. » Aristides diviti sibi paupertatem objectanti, dixit : « Mihi quidem nihil adferet mali paupertas, tibi vero divitiæ non paucas perturbationes. » Aristoteles aiebat, « paupertatem multis quidem indigere, inexplebilitatem autem omnibus. » Cato dicebat honestam paupertatem impiis divitiis longe præferendam esse ; hoc enim opprobrii, illud miserationis causa fieri solet. Hæc Antonius.

Talia quoque sunt quæ narrat Stobæus, *serm.* 95. Socrates Archelao ipsum ditare volenti, renuntiari jussit : « Quod farinæ chœnices quatuor obolo venirent Athenis, et fontes aquam funderent. Nam si res meæ mihi non sufficiunt, at ego ipsis sufficio, et sic etiam ipsæ mihi. » Diogenes sibi paupertatem exprobranti respondit : « Infelix, quid ais ? At ego neminem vidi tyrannidem gerere propter paupertatem, omnes vero propter divitias. » Idem paupertatem appellabat virtutem αὐτοδίδακτον, id est quæ per se discitur. Divites indigent multis præceptis ut frugaliter vivant, ut corpus exerceant, ne pompis inhient, etc., quæ omnia seipsam docet paupertas : ipsa ergo cogit ad virtutem. Hæc Stobæus. Idem Diogenes gloriari solebat, quod esset ἄοικος, ἄπολις, ἀπάτρις, ἀχρήματος, ἄστατος, καὶ ἐφημερόβιος, id est *carens domo, civitate, patria, pecunia, nullam habens certam sedem, sed erro, et in diem vivens.* Ita Laertius, lib. VI.

Sic nostro ævo de se jocantem audivimus Henricum IV, postea Franciæ regem, quod rex esset sine regno, et maritus sine uxore, ac dux belli sine pecunia. Plutarchus, in *Lacon.* narrat Lycurgum rogatum, « quomodo Sparta salva et invicta contra hostes consistere posset ? » respondisse : « Si pauperes fueritis, nec alius alio plus requirat. Ad opulentos enim spes prædæ invitat hostem, nec facile potest elabi qui sarcinis et impedimentis retardatur. Adhæc tutiores sunt ab hostium incursu apud quos est æqualitas, et ex æqualitate concordia. » Hæc illi lumine naturæ viderunt, et fecerunt reipublicæ, philosophiæ et laudis causa : sed ad paupertatem Evangelicam, quæ inducit bonorum communionem, quæque unius Dei et vitæ æternæ amore suscipitur, assurgere non potuerunt. Ad eam assurrexerunt primi hi Christiani, quorum proinde vita fuit interpretatio Evangelii et doctrinæ Christi, uti docet S. Augustinus, lib. *De Mendacio*, cap. XV : « Divinæ Scripturæ, ait, non solum præcepta continent, sed etiam vitam moresque justorum ; ut, si forte occultum est, quemadmodum accipiendum sit quod præcipitur (vel consulitur), in factis justorum intelligatur. »

ERANT ILLIS OMNIA COMMUNIA. — Quia propria fecerant communia. Omnia ergo possidebant in communi, et sic quisque pro uno prius sibi proprio, conferendo illud in commune, possidebat omnia cæterorum in communi. Hoc ergo uti commodius est et lucrosius, ita nil derogat paupertati et perfectioni, uti patet in modernis Religiosis plerisque, qui bona possident in communi : esto aliqui majoris resignationis et fiduciæ in Deum studio, nil omnino, ne in communi quidem, habere velint, sed vivere in diem mendicato. Porro hæc communio bonorum nascebatur ex communione animorum, « ut qui eodem consortio religionis tenebantur, eodem consortio fruerentur et vitæ ; ut quibus erat una fides, esset una substantia ; quibus erat communis Christus, communis esset et sumptus. Non quærit charitas quæ sua sunt, » ait S. Augustinus, serm. 27 *De Verbis Apost.*, qui in lib. VI *Confess.*, cap. XIV, narrat se ante conversionem agitasse consilium cum sociis de vita communi ineunda, ut remoti a turbis otiose viverent : « Ut unam, inquit, rem familiarem conflaremus ex omnibus ; ut per amicitiæ sinceritatem non esset aliud hujus, et aliud illius, sed quod ex cunctis fieret unum, et universum singulorum esset, et omnia omnium. Et placuerat nobis, ut bini annui tanquam magistratus omnia necessaria curarent, cæteris quietis. Sed posteaquam cœpit (Romanianus unus e sociis) cogitare, utrum hoc mulierculæ sinerent, quas et alii nostrum jam habebant, et nos habere volebamus, totum illud placitum, quod bene firmabamus, dissiluit in manibus, atque confractum est. Inde ad suspiria et gemitus convertebamur, et gressus ad sequendas latas et tritas vias sæculi. »

33. ET VIRTUTE MAGNA. — Græce, δυνάμει, id est *potentia, robore.* Ita Syrus, Tigurina et Pagninus. Robur hoc consistebat tum in fiducia et audacia prædicandi Christum, tum in patrandis miraculis, uti rogarant Deum, vers. 29.

REDDEBANT, — quasi depositum sibi a Christo commissum. Hoc enim est ἀπεδίδουν. Ita Chrysostomus.

Et gratia magna erat in omnibus illis, — tum « quia gratiam habebant ad omnem plebem, » ut dixit cap. II, vers. 47, id est toti plebi erant amabiles et gratiosi; tum quia Deus eos sua gratia et donis spiritualibus cumulabat, quæ in eorum vultu, verbis omnique actioni resplendebat : unde Pagninus vertit, *gratia magna erat super omnes illos* : tum proprie, quia fideles in mutua conversatione ostendebant magnam gratiam, benevolentiam et beneficentiam, ut viderentur esse fratres, imo angeli et gratiarum filii. Unde Tigurina vertit, *gratiaque magna* (Syrus *benitas*) *aderat omnibus illis*. Hunc esse sensum patet ex ratione quam subdit : « Neque enim quisquam egens erat inter illos, » etc.

35. Et ponebant ante pedes Apostolorum, — tum studio humilitatis et reverentiæ erga Apostolos : unde Hugo et Glossa censent eos, flexis genibus, sua obtulisse Apostolis; tum ut ostenderent opum contemptum, quasi eæ non manibus tractandæ, sed pedibus calcandæ essent; unde Arator :

> Calcandumque docent quod sub hunt gressibus aurum,
> De quo terrena veniant ad pectora curæ;

tum ut ostenderent se non tam gratiam facere, quam recipere ab Apostolis. Audi S. Chrysostomum, in I *Corinth.* cap. XI : « Majoris ducebant quod ab eis reciperentur, quam quod darentur illorum; hoc enim est potissimum contemnere opes, hoc est pascere esurientem Christum, si absque arrogantia et fastu id facias, sicque des quasi tibi ipsi plura, quam danti beneficia dare videaris. » Das enim terram, imo terræ particulam, et recipis cœlum.

Denique S. Chrysostomus hic, *homil.* 11, conatur hanc primorum fidelium devotionem, et bonorum communionem suadere suis civibus Constantinopolitanis, ut omnia sua in commune conferant vivantque in commune, promittens eis similem Dei benedictionem, ita ut nihil cuiquam desit, sed omnia ad vitam necessaria affatim adsint : sed in tanta civium (erant enim in urbe ut minimum centum millia Christianorum, ut ipse ait) multitudine divitibus et opulentis id persuadere non valuit. Quare hæc vitæ communitas et æqualitas apud primos tantum fideles Hierosolymis modico tempore constitit; mox ab eis ad sacerdotes et clericos transiit; ab his illico digressa est ad Monachos et Religiosos, qui soli eam retinent et tuentur.

Porro, ex hac primorum fidelium reverentia erga Apostolos, videtur manasse priscus mos demittendi se ad pedes, non tantum Pontificis, sed et Episcoporum ac virorum sanctorum, juxta oraculum Isaiæ XLIX, 23 : « Vultu in terram demisso adorabunt te, et pulverem pedum tuorum lingent. » Vide ibi dicta. Ita S. Domna, illustrissima et pulcherrima femina, 24 annorum gentilitiis deorum sacrificiis præfecta, legens Acta Apostolorum, ad Christum conversa est, et a Cyrillo, Nicomediensi Episcopo, instructa : inde, quod in Actis Apostolorum primos fideles fecisse legerat, quæcumque habuit, ut gemmas, thesauros et vestes pretiosas, ad Cyrilli pedes in pauperes eroganda portavit. Quare accusata et in carcerem detrusa, post longum agonem martyrio coronata est tempore Maximiani Imperatoris : ita ex Actis Martyrum Nicomediensium Baronius, tom. II, anno Christi 293.

36. Joseph autem. — Hujus unius exemplum ponit S. Lucas, tum quia vir fuit illustris et inter fideles primarius; tum quia deinceps ejus crebram et magnificam faciet mentionem : fuit enim ipse socius S. Pauli, destinatus a Spiritu Sancto ad evangelizandum Gentibus quaquaversum; tum quia hæc ejus oblatio et donum fuit eximium; nam Alexander monachus, in Vita S. Barnabæ, narrat eum cum ditissimus esset, non agellum quempiam, sed latifundium amplissimum magnificis decoratum ædificiis Christi causa vendidisse, pretiumque ad pedes Apostolorum obtulisse; atque hac ratione se ad apostolatum disposuit, ad eumque evehi meruit, de quo cap. XIII.

Qui cognominatus est Barnabas ab Apostolis. — Alius ergo est a Barsaba, qui fuit compositus S. Mathiæ, eique postpositus in apostolatu, cap. I, esto uterque vocatus sit Josephus. Ita S. Chrysostomus.

Quod est interpretatum filius consolationis, — id est totus consolatorius, plenus consolatione, ingens consolator, consolationem omnibus afferens. Causam dat cur ei Apostoli mutarint nomen, vel potius Josepho dederint cognomen Barnabas, quia scilicet Barnabas idem est quod filius consolationis. Talis autem erat Joseph : *Barnabas, id est filius consolationis, cur?* *Primo*, quia hoc suo præclaro oblationis exemplo Apostolis consolationem omnibusque ædificationem attulit, qui proinde certatim eum imitati sunt. *Secundo*, ob eximiam mansuetudinem, hilaritatem, suaviloquentiam, gratiam, sanctitatem, pollebat gratia consolandi afflictos et miseros. Ita Alexander in ejus Vita. *Tertio*, quia pauperes suis eleemosynis consolatus est. Ita Œcumenius.

Nota : Hæc interpretatio videtur nonnullis non a S. Luca, sed ab Interprete addita, et S. Lucæ inserta, tum quia non solet Lucas etyma interpretari, tum quia hæc interpretatio non videtur etymo consentire. Verum certum est S. Lucam eam inseruisse, quia ea non tantum in interpretatione et Bibliis Latinis, sed in ipso autographo Græco Lucæ textu, quin et in Syriaco habetur. Voluit enim Lucas rationem reddere cur Joseph cognominatus sit Barnabas, quia scilicet erat plenus consolatione, quod hebraice significat *Barnabas*. Sic nomen Elymæ interpretatur magus, cap. XIII, 3.

Quæres : Quomodo *Barnabas* hebraice signifi-



*Etymon Barnabæ. Primum.* cat filium consolationis? *Primo*, Erasmus et alii nonnulli nomen Barnabas derivant a בר *bar*, id est filius, et נפש *naphas*, id est respiravit, *q. d.* Filius respirationis et refrigerii, puta consolationis in æstu tentationum et tribulationum : a *naphas* enim dicitur נפש *nephes*, id est anima, spiritus, halitus, respiratio refrigerans et consolans cor : sicut Græcis ψυχή, id est anima, dicitur a ψύχω, id est refrigero, ait Plato in *Cratylo*. Verum obstat quod *Barnabas* scribatur per *b*, *naphas* autem per *p*, nisi dicas has duas litteras, utpote labiales et ejusdem pene soni, esse commutabiles, uti Germani eas commutant, dum pro *b* dicunt *p*. Pro *Barnabas* dicunt *Barnapas*. Addit Erasmus se dubitare, annon pro *Barnabas* legendum sit *Barnacham*, id est filius consolationis; נחם *nacham* enim proprie significat *consolari*. Verum omnia exemplaria habent *Barnabas*, non *Barnacham*, et ita deinceps audiemus eum vocari in apostolatu et comitatu Pauli.

*Secundum.* *Secundo*, « Barnabas » proprie dicitur quasi בר נבי *bar nabi*, id est filius Prophetæ : Propheta enim dicitur is, qui exhortatur et consolatur (unde Græce vocatur filius παρακλήσεως, id est tam exhortationis, quam consolationis). Hoc enim est ejus officium, ut ait Paulus, I *Corinth.* XIV, 31. Unde cap. XV, 32, ait Lucas : « Judas autem et Silas, et ipsi cum essent Prophetæ, verbo plurimo consolati sunt fratres, et confirmaverunt. » Hinc et Isaias, princeps Prophetarum, « consolatus est lugentes in Sion, » ait Ecclesiasticus, cap. XLVIII, 27. Unde Isaias, cap. XL, 1, proclamat : « Consolamini, consolamini, popule meus, dicit Deus vester : loquimini ad cor Jerusalem; » et cap. LXI in persona Christi : « Spiritus Domini super me, etc., ut consolarer omnes lugentes, et ponerem lugentibus in Sion, et darem eis coronam pro cinere, oleum gaudii pro luctu, pallium gaudii pro spiritu mœroris. »

*Tertio*, Pagninus, in *Nomin. Hebr.*, *Barnabas* deducit a *bar* et נבע *naba*, id est eructavit, emanavit, scaturivit, ebullivit, prolocutus est. Unde מבוע *mabbia* est vena, fons, scaturigo, scatebræ, ebullitiones, *q. d.* Filius ebullitionis et eloquii ebullientis, id est sermone profluus, hoc est, consolator. Eloquentes enim et verbis profluí, quibus sermo in ore quasi bullit, solent pollere gratia consolandi et exhilarandi. Sunt enim velut venæ et fontes jugiter emanantes aquas dulces blandi et suavis eloquii, quibus cor angustiatum refrigeratur, reficitur et consolatur.

Forte etiam radix *naba* illo ævo S. Lucæ proprie significabat consolari. Jam enim valde restricta est lingua Hebræa et Syra, ideoque multa verba et verborum significata illius ævi ignoramus. Id enim exigere videtur hoc loco textus Lucæ. Favet quod ex *naba*, per aphæresin litteræ *nun*, deductum videtur Syrum modernum ביא *baia*, id est consolari; unde *baiuo* nostris Syris est consolatio. Hinc et Lexicon Syriacum : Barnabas, inquit, idem est quod filius consolationis, vel filius refugii; sed etymon non indicat, forte quia peregrinum erat, v. g. Cyprium priscum, Barnabas enim fuit Cyprius.

Aut potius etymon est Syrum jam dictum, puta ביא *baia*, id est consolatus est, exhilaravit; unde מביא *mebaia* est consolator. Id ita esse patet ex interprete Syro, qui *Barnabas* hoc loco interpretatur ברא דבויאא *bera debeiaa*, id est filius consolationis.

Levites. — Licet enim Levitæ, *Num.* XVIII, 20, vetentur possidere agros in Judæa, non tamen extra eam, imo nec in Judæa, si ii sint pascuales duntaxat ad alenda pecora, ut patet *Num.* XXXV, 3. Unde Hugo censet hunc Barnabæ agrum fuisse in Cypro; Alexander vero, in Vita S. Barnabæ, ait eum fuisse in Judæa.

Cyprius genere. — Judæi enim post tot captivitates sparsi erant per totum orbem, et ubique gentium fixerant domos, uti et modo fixerunt. Addit Alexander Barnabam, natum in Cypro, habitasse Hierosolymis, ibique una cum Stephano et Saulo sacris Litteris imbutum fuisse a Gamaliele; ac demum ad Christum venisse una cum consobrino suo Joanne, qui cognominatus *est* Marcus, in cujus domo coalescere cœpit nova hæc Christi ecclesia, ut dixi cap. I. Unde Barnabam fuisse unum e 72 Christi discipulis tradit S. Epiphanius, *hæres.* I; Eusebius, lib. III *Histor.*, cap. XXXIII, et alii.

Porro Sophronius, Patriarcha Hierosolymitanus, *Barnabæ præsagi...* in Fragmento de laboribus S. Petri et Pauli, quod extat tomo VII *Biblioth. S. Patrum*, tradit S. Petri uxorem fuisse filiam Aristobuli, fratris Barnabæ, ex qua susceperit filium et filiam. Sophronio astipulatur Helecas, Episcopus Cæsaraugustanus, in *Addition. ad Chronicon* Lucii Dextri et M. Maximi, quod anno Domini 1595 repertum et editum est Cæsaraugustæ. Sic enim scribit : « S. Petrus in honore habetur in Hispaniis, et uxor ejus Concordia passa Romæ sub Nerone, non multo prius quam ipse pateretur. Fuit hæc (ut docet M. Maximus ad epistolam S. Petri) filia Aristobuli, id est Zebedæi, et Salomes, socrus S. Andreæ, qui duxit alteram sororem Concordiæ, et Jacobi et Joannis. Fuit autem Aristobulus, cognomento Zebedæus, frater Barnabæ apostoli Domini. Idem Zebedæus et Barnabas consobrini Joannis, cognomento Marci, et nepotes Mariæ, ubi Christus cœnam ultimam celebravit, et ubi Spiritus Sanctus venit in Apostolos. » Sic ergo juxta Helecam, Barnabas fuit frater Aristobuli, qui alio nomine dictus est Zebedæus, fuitque pater S. Jacobi et S. Joannis Apostolorum, quorum proinde Barnabas fuit patruus, æque ac uxorum S. Petri et S. Andreæ : quare primarii hi Apostoli fuerunt consanguinei, vel affines. Porro de Zebedæo, fratre Barnabæ, hæc addit Helecas : « In Britannia celebris est memoria multorum Martyrum, præcipue S. Aristobuli, unius de septua-

ALERE FLAMMAM VERITATIS
UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS ®

ginta duobus discipulis, qui dictus est etiam Zebebæus, pater Jacobi et Joannis, maritus Mariæ Salomes, qui cum Petro Romam petivit : inde, relictis domesticis suis, missus in Angliam Episcopus, occubuit martyr anno secundo Neronis. » Et inferius de uxore ejus : « Celebris, ait, memoria est apud Hispanos S. Mariæ Salomes, matris S. Jacobi et uxoris Zebedæi, quæ cum attigisset annum nonagesimum anno Christi 42, sub Jacobo, filio Alphæi, Episcopo Hierosolymitano, die 24 maii sanctissime decessit ad cœlos in Italia, diciturque Verulis quiescere, et mors ejus multis nobilitata miraculis. » Idem tradunt Verulenses. Cæterorum, utpote novorum, nec ab aliis traditorum, fides sit penes Helecam et Sophronium.

# CAPUT QUINTUM.

## SYNOPSIS CAPITIS.

*Primo, S. Petrus Ananiam et Sapphiram, ob fraudatum agri pretium, morte punit. Secundo, vers. 12, recensentur miracula crebra Petri et Apostolorum. Tertio, vers. 17, incarcerantur Apostoli, sed ab angelo liberantur ; inde concionantes in templo a Magistratu abducuntur in concilium, a quo increpiti intrepide respondent :* Obedire oportet Deo magis quam hominibus. *Quarto, Gamaliel, vers. 34, sapiens pro Apostolis dat consilium. Denique, vers. 40, flagellantur Apostoli ; sed in iis exultantes, alacrius et audacius Christum prædicant.*

1. Vir autem quidam, nomine Ananias, cum Sapphira uxore sua, vendidit agrum, 2. et fraudavit de pretio agri conscia uxore sua ; et afferens partem quamdam, ad pedes Apostolorum posuit. 3. Dixit autem Petrus : Anania, cur tentavit Satanas cor tuum, mentiri te Spiritui Sancto, et fraudare de pretio agri ? 4. Nonne manens tibi manebat, et venumdatum in tua erat potestate ? Quare posuisti in corde tuo hanc rem ? Non es mentitus hominibus, sed Deo. 5. Audiens autem Ananias hæc verba, cecidit et expiravit. Et factus est timor magnus super omnes qui audierunt. 6. Surgentes autem juvenes amoverunt eum, et efferentes sepelierunt. 7. Factum est autem quasi horarum trium spatium, et uxor ipsius, nesciens quod factum fuerat, introivit. 8. Dixit autem ei Petrus : Dic mihi, mulier, si tanti agrum vendidistis ? At illa dixit : Etiam tanti. 9. Petrus autem ad eam : Quid utique convenit vobis tentare Spiritum Domini ? Ecce pedes eorum qui sepelierunt virum tuum ad ostium ; et efferent te. 10. Confestim cecidit ante pedes ejus et expiravit. Intrantes autem juvenes, invenerunt illam mortuam, et extulerunt, et sepelierunt ad virum suum. 11. Et factus est timor magnus in universa Ecclesia, et in omnes qui audierunt hæc. 12. Per manus autem Apostolorum fiebant signa et prodigia multa in plebe. Et erant unanimiter omnes in porticu Salomonis. 14. Cæterorum autem nemo audebat se conjungere illis ; sed magnificabat eos populus. 14. Magis autem augebatur credentium in Domino multitudo virorum ac mulierum, 15. ita ut in plateas ejicerent infirmos, et ponerent in lectulis ac grabatis, ut veniente Petro, saltem umbra illius obumbraret quemquam illorum, et liberarentur ab infirmitatibus suis. 16. Concurrebat autem et multitudo vicinarum civitatum Jerusalem, afferentes ægros et vexatos a spiritibus immundis, qui curabantur omnes. 17. Exurgens autem princeps Sacerdotum et omnes qui cum illo erant (quæ est hæresis Sadducæorum), repleti sunt zelo ; 18. et injecerunt manus in Apostolos, et posuerunt eos in custodia publica. 19. Angelus autem Domini per noctem aperiens januas carceris et educens eos, dixit : 20. Ite, et stantes loquimini in templo plebi omnia verba vitæ hujus. 21. Qui cum audissent, intraverunt diluculo in templum, et docebant. Adveniens autem princeps Sacerdotum et qui cum eo erant, convocaverunt concilium et omnes seniores filiorum Israel, et miserunt ad carcerem ut adducerentur. 22. Cum autem venissent ministri, et aperto carcere non invenissent illos, reversi nuntiaverunt, 23. dicentes : Car-



cerem quidem invenimus clausum cum omni diligentia, et custodes stantes ante januas ; aperientes autem neminem intus invenimus. 24. Ut autem audierunt hos sermones magistratus templi et principes Sacerdotum, ambigebant de illis quidnam fieret. 25. Adveniens autem quidam nuntiavit eis : Quia ecce viri, quos posuistis in carcerem, sunt in templo stantes et docentes populum. 26. Tunc abiit magistratus cum ministris, et adduxit illos sine vi ; timebant enim populum ne lapidarentur. 27. Et cum adduxissent illos, statuerunt in concilio, et interrogavit eos princeps Sacerdotum, 28. dicens : Præcipiendo præcepimus vobis ne doceretis in nomine isto ; et ecce replestis Jerusalem doctrina vestra, et vultis inducere super nos sanguinem hominis istius. 29. Respondens autem Petrus et Apostoli, dixerunt : Obedire oportet Deo magis quam hominibus. 30. Deus patrum nostrorum suscitavit Jesum, quem vos interemistis, suspendentes in ligno. 31. Hunc principem et salvatorem Deus exaltavit dextera sua, ad dandam pœnitentiam Israeli, et remissionem peccatorum. 32. Et nos sumus testes horum verborum, et Spiritus Sanctus, quem dedit Deus omnibus obedientibus sibi. 33. Hæc cum audissent, dissecabantur et cogitabant interficere illos. 34. Surgens autem quidam in concilio Pharisæus, nomine Gamaliel, legis doctor honorabilis universæ plebi, jussit foras ad breve homines fieri, 35. dixitque ad illos : Viri Israelitæ, attendite vobis super hominibus istis quid acturi sitis. 36. Ante hos enim dies extitit Theodas, dicens se esse aliquem, cui consensit numerus virorum circiter quadringentorum ; qui occisus est ; et omnes qui credebant ei, dissipati sunt, et redacti ad nihilum. 37. Post hunc extitit Judas Galilæus in diebus professionis, et avertit populum post se, et ipse periit ; et omnes quotquot consenserunt ei, dispersi sunt. 38. Et nunc itaque dico vobis, discedite ab hominibus istis, et sinite illos, quoniam si est ex hominibus consilium hoc, aut opus, dissolvetur ; 39. si vero ex Deo est, non poteritis dissolvere illud, ne forte et Deo repugnare inveniamini. Consenserunt autem illi. 40. Et convocantes Apostolos, cæsis denuntiaverunt ne omnino loquerentur in nomine Jesu ; et dimiserunt eos. 41. Et illi quidem ibant gaudentes a conspectu concilii, quoniam digni habiti sunt pro nomine Jesu contumeliam pati. 42. Omni autem die non cessabant in templo et circa domos docentes et evangelizantes Christum Jesum.

1. Ananias. — Hebr. idem est quod *donum Domini*, quod scilicet per votum Domino obtulit ; vel *paupertas Domini*, id est Domino dicata : sed ex *Anania* factus est *Cananias*, id est institor et mercator Domini, quia pretii partem Deo dicatam sibi quasi mercator retinuit, ideoque rursum factus est *Ananias*, id est afflictio Domini, quia a Domino morte mulctatus est.

Sapphira. — Hebr. idem quod *numerans*, scilicet pretium ; aut, ut Syrus, *pulchra*, vel sapphirina.

Agrum. — Syrus קריתא *keritha*, id est ager et villa : quæ vox deducta est ab hebræo קריה *kiria*, id est civitas, pro quo Chaldæi dicunt קרתא : unde Carthago vocata est civitas nova a Didone condita ; lingua enim Punica Hebrææ est affinis, utpote ab ea progenita.

2. Et fraudavit de pretio agri, — ἐνοσφίσατο, id est *callide surripuit*, ab oculis domini vel heri calide removendo ; Syrus, *sustulit*. Erat ergo hoc furtum et sacrilegium rei Deo dicatæ. Ergo vel diserte voverat, vel certe professus erat verbis, aut ipso facto plenam bonorum eorumque pretii abdicationem et oblationem, uti faciunt Religiosi jam voventes paupertatem. Negat tamen Cajetanus, fideles eam tum vovisse : idem negant constanter Calvinus, Marloratus aliique hæretici, votorum et Religionis hostes, dicentes Ananiam solo mendacio solaque hypocrisi peccasse, quod simularet se dare totum cum daret partem, ideoque morte punitum esse. Verum errare eos, patet *primo*, ex verbo *fraudavit* : fraus enim non fit in re propria, sed aliena, puta cum res alteri data, vel vendita aut promissa surripitur. Unde græce est ἐνοσφίσατο, id est callide surripuit. Fuit ergo fur et sacrilegus, quia scilicet violavit votum et professionem paupertatis quam fecerat. Unde S. Augustinus, serm. 27 *De Verbis Apostoli* : « Dum, inquit, ex eo quod promiserat, partem subtraxit, sacrilegii damnatur et fraudis. Sacrilegii, quod Deum in pollicitatione fefellerit ; fraudis, quod integris muneribus portionem quamdam putaverit subtrahendam. » *Secundo*, quia Petrus Ananiam culpans ait : « Cur tentavit Satanas cor tuum, mentiri te Spiritui Sancto, et fraudare de pretio agri ? » Si enim non vovisset, nec promisisset, fuisset tantum mendacium offi- Ananiam fecisse votum paupertatis. Prob. Primo.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ALERE FLAMMAM VERITATIS DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS ®

ciosum, non perniciosum, utpote in re propria, ideoque veniale; sicut qui donaret amico centum aureos, dicens : Plures darem si haberem, at non habeo, peccat tantum mendacio officioso et veniali, nec dicitur fraudare, multo minus mentiri Spiritui Sancto. Instat ei Petrus acrius : « Quare posuisti in corde tuo hanc rem » tam nefandam, tam sacrilegam? « Non es mentitus hominibus, sed Deo. » Ergo Deo voverat et promiserat. Ille enim dicitur mentiri Deo et Spiritui Sancto, qui id quod ei promisit et vovit, non servat. *Tertio*, idem patet ex pœna : Petrus enim punivit eum, æque ac uxorem morte, eaque subita, publica et infami. Fuit ergo lethale et grande hoc scelus : fuit ergo violatio voti et sacrilegium. Si enim non vovissent, licite potuissent pretium, vel ejus partem sibi retinere, et etiamsi dixissent hoc totum esse agri pretium, nemini fecissent injuriam, ideoque non peccassent fraude lethali, sed mendacio tantum veniali. *Quarto*, ita passim docent Patres. S. Basilius, serm. 1 *De Instit. monach.* : « Humanæ, ait, gloriæ cupiditate Ananias quidquid bonorum habebat, Deo palam consecrarat, ut hominum de se opinionem excitaret. » S. Augustinus, verbis paulo ante citatis; S. Chrysostomus hic, *hom.* 12 : « Quare, inquit, hoc fecisti? Voluisti habere? oportebat initio habere, et non promittere; nunc autem postquam consecrasti, majus sacrilegium commisisti. » S. Hieronymus, epist. 8 *Ad Demetr.*, clare : « Ananias, inquit, et Sapphira dispensatores timidi, imo corde duplici, et ideo condemnati; quia post votum abstulerunt quasi sua, et non ejus cui semel ea voverant, partemque sibi jam alienæ substantiæ reservantes. » S. Gregorius, lib. 1, epist. 33 *Ad Venantium* : « Ananias, inquit, pecunias Deo voverat, quas postea victus persuasione diaboli subtraxit; sed qua morte mulctatus est, scis. » S. Fulgentius, epist. *De Debito conjugali*, cap. VIII : « Quam, ait, sit malum quamque sollicite fugiendum, si quis de hoc quod Deo voverit, retinere aut rapere aliquid mortifera prævaricatione pertentet, exemplo sunt Ananias et Sapphira. » Idem asserunt S. Athanasius, serm. *De Passione et Cruce*; Nazianzenus, in *Carm. de Virginit. præc.*; Cyprianus, lib. III *Testimon.*, cap. XXX; Cassianus, *Collat.* XVIII, cap. VII, atque in hoc caput commentantes Œcumenius, qui peccatum Ananiæ vocat sacrilegium; Arator, Beda, Hugo, Lyranus et alii passim, quin et, quod mireris, Beza, veritatis utique nimis clara luce convictus.

*Apostoli eamdem voverunt.*

Porro, si primævi fideles, etiam conjugati, vovebant paupertatem, multo magis eam voverant Apostoli, eorum in virtute duces, sanctitatis et perfectionis magistri, ac Evangelicorum consiliorum præcones exemplo magis quam verbo, idque diserte docet S. Augustinus, lib. XVII *Civit.*, cap. IV : « De terra, inquit, suscitatus est ille (Paulus) super omnes divites pauper, et de illo stercore erectus supra omnes populos opulentos ille inops, ut sedeat cum potentibus populi, quibus ait : Sedebitis super sedes duodecim, et sedem gloriæ hæreditatis dans eis. Dixerunt enim potentes isti : Ecce nos dimisimus omnia, et secuti sumus te. Hoc votum potentissimi voverant. Sed unde hoc eis, nisi ab illo de quo hic continuo dictum est : Dans votum voventi? » Et S. Thomas, II II, *Quæst.* LXXXVIII, art. 4, ad 3 : « Apostoli, inquit, intelliguntur vovisse pertinentia ad perfectionis statum, quando Christum relictis omnibus sunt secuti. » Idem multis probat Alvarus Pelagius, lib. II *De Planctu Ecclesiæ*, cap. IX, et ex eo noster Hieronymus Platus, lib. II *De Bono status Relig.*, cap. XX.

Porro, licet D. Thomas loco citato negare videatur Christum eadem vovisse, idemque diserte doceant Medina et Cajetanus, tamen multi contrarium censent : licet enim in Christo non fuerit illa causa vovendi quæ est in nobis, scilicet ad firmandam voluntatis inconstantiam, quæ in Christo nulla fuit (quod tantum videtur voluisse S. Thomas), tamen multæ aliæ fuerunt, scilicet *primo* ut Deo offerret nobilissimum religionis actum : hic autem est vovere et votum, quo non tantum res et actus, sed et voluntas ipsa in totum Deo consecratur, ita ut rem nec habere, nec velle possit; sicut plus est dare arborem cum fructibus, quam solos ejus fructus, ait S. Anselmus, lib. *De Similit.*, cap. LXXXIV. *Secundo*, ut ipse perfectionis magister, ejus Apostolis nobisque daret specimen et exemplum quod sequamur, *Matth.* XIX, 21; *Lucæ* XIV, 33, ubi Apostoli se Christi exemplum in paupertate secutos asserunt. *Tertio*, quia perfecta opum abrenuntiatio non fit nisi per votum : illo enim vovens non tantum præsentia, sed et futura bona quæ habere potest, libere a se abdicat. *Quarto*, quia tria vota Religionis sunt tria præstantissima holocausta : Christus autem se suaque in perfectissimum holocaustum Deo Patri obtulit. Unde ejus hæc est vox, *Psal.* XXI, 26 : « Vota mea, » id est promissa mea, ait ibi S. Basilius et Theodoretus, « reddam in conspectu timentium eum. » Hanc sententiam probabilissimam esse censet Franciscus Suarez, III *part.*, *Quæst.* XL, disp. XX, sect. 2, et Salmeron, tomo V, tract. 4. Videtur ergo Christus in primo instanti conceptionis suæ, se et omnia sua obtulisse ac vovisse Deo præsertim per paupertatem, castitatem et obedientiam. Nam homini obedientiam vovere non poterat, eo quod non haberet superiorem. Sic in Vita S. Theresiæ quasi quid illustre ponitur, quod ipsa voverit se in qualibet re facturam id quod erat perfectius.

*Primos fideles vovisse castitatem. Primo.*

Insuper, si primi fideles Hierosolymitæ vovebant paupertatem, valde quoque probabile est eosdem vovisse tunc castitatem, et uxoribus deinceps abstinuisse. Probatur id *primo*, quia qui fecerunt majus, fecerunt et minus. Majus autem est abdicare a se bona omnia ad vitam necessaria, quam abstinere conjugio voluntario, et non necessario, cum multi eo abstineant, quod nolint illo illigari, nec pati molestias uxorias et rei familiaris. Adde, ad alendas proles, quæ ex conjugio continue suscipiuntur, opus esse multis opibus, ac proinde non posse eas abdicari. *Secundo*, quia hodie videmus eos qui faciunt votum paupertatis, facere et castitatis; sed non vice versa : multi enim castitatem vovent, qui bonis suis frui volunt. *Tertio*, id suadet fervor Christianorum illius ævi, et primitiæ Spiritus quas ipsi hauserant. Unde de iis ait Lucas, cap. II, 42 : « Erant perseverantes in doctrina Apostolorum; » hæc autem assidua erat, nec tantum tradebat præcepta, sed et consilia Evangelica, inter quæ unum præcipuum erat illud Christi : « Sunt eunuchi qui se ipsos castraverunt propter regnum cœlorum. Qui potest capere, capiat, » *Matth.* XIX, 12. Castratio enim hæc non solam abstinentiam ab usu conjugii, sed et ejus impotentiam significat, non physicam, sed moralem, quæ fit per votum, per quod homo licite non potest uti conjugio. *Quarto*, quia de iisdem ait Lucas ibidem : « Quod erant perseverantes in communicatione fractionis panis et orationibus. » Et vers. 46 : « Quotidie quoque perdurantes unanimiter in templo, et frangentes circa domos panem. » Si quotidie communicabant, si perpetim erant in templo orantes, ergo se continebant. Hoc enim jubet Apostolus, I *Corinth.* VII, 5. *Quinto*, quia ea de causa Corinthii putabant fideles omnes debere vivere cælibes, quia videbant primos Hierosolymitas ita vivere, ac proinde hoc dubium proposuerunt Paulo : quibus ille respondet cælibatum non esse præceptum, sed consilium Evangelicum, ut patet toto cap. VII prioris epistolæ *ad Corinth.* *Sexto*, quia Esseni, quos S. Marcus Alexandriæ instituit, ad instar primorum fidelium, quos viderat Hierosolymis institutos a S. Petro, uti docet S. Hieronymus, *De Script. Eccles.*, in *Marco*, Esseni, inquam, coluerunt cælibatum. Audi Plinium, lib. V, cap. XVII : « Gens (Essenorum) sola in toto orbe præter cæteros mira, sine ulla femina, omni venere abdicata, sine pecunia, socia palmarum, in diem ex æquo convenarum turba renascitur, etc. : ita gens æterna est in qua nemo nascitur : tam fecunda illis aliorum vitæ pœnitentia est. » Et Solinum, *Polyhist.* cap. XXXVI : « Interiora Judææ Esseni tenent, qui præditi morali disciplina, recesserunt a ritu gentium universarum, majestatis, ut reor, providentia ad hunc morem destinati : nullæ ibi feminæ, venere se penitus abdicant : pecuniam nesciunt, palmis victitant; nemo ibi nascitur, nec tamen deficit hominum multitudo. Locus ipse addictus pudicitiæ est; ad quem plurimi licet undique gentium properant, nullus admittitur, nisi quem castitatis fides et innocentiæ meritum prosequatur. Itaque incredibile dictu, gens æterna est cessantibus puerperiis. »



Iisdem argumentis probatur fideles primos professos esse obedientiam Apostolis et S. Petro. Unde et bona sua, ac se totos cum bonis ad pedes Apostolorum obtulerunt, cap. IV, vers. 35. Voluit enim Deus in his primis dare primum et perfectum exemplar vitæ Christianæ, quod omnia deinceps secula intuerentur et imitarentur. Egerunt ergo ipsi vitam religiosam verique fuerunt Religiosi, uti docet S. Hieronymus, *De Script. Eccles.*, in *Philone*, cujus verba recitavi, cap. II, vers. 44, et Cassianus, lib. II *De Instit. Renunt.*, cap. V, et *Collat.* XVIII, cap. V, ubi docet Cœnobitarum institutum a tempore Apostolorum initium sumpsisse, cum multi perfectionis avidi, non eo tantum contenti essent quod omnes facerent, ut sua omnia in commune conferrent : sed etiam his altiora meditantes, in secretiora loca suburbana secederent, qui quod a conjugibus et a suorum consortio, imo ab omni mundi conversatione abstinerent, idcirco a solitudine Monachi, a communitate Cœnobitæ sunt nuncupati. Inter hos autem principem et cæterorum magistrum extitisse S. Marcum Evangelistam in Ægypto; sicut in Æthiopia extitit S. Matthæus, qui Iphigeniam regis filiam cum sociabus in monasterio Deo consecravit; in Græcia S. Paulus, qui Theclam; Romæ S. Clemens, qui Flaviam Domitillam; in Gallia S. Martha, quæ in cœnobio a se erecto cum aliis feminis Deo dicatis cœlestem vitam duxit. Idem liquet ex S. Dionysio, *Eccles. Hierarch.*, cap. X, ubi ritus consecrandi monachos suo, id est Apostolorum, ævo usitatos describit. Hinc S. Chrysostomus, lib. III *Contra Vituper. vitæ monast.*, docet institutum Religiosorum esse Apostolicum : sic et S. Augustinus, Eusebius et alii superius citati. His ergo parentibus et ducibus glorientur Religiosi, eorumque virtutem et ardorem æmulentur, scientes se primævum christianismi spiritum et perfectionis apicem consectari, ut sint sancti totique Deo consecrati, sicut primi illi fideles a Paulo et aliis passim nuncupantur sancti.

*Primi Christiani fuere Religiosi.*

*Esseni qui et quales.*

Denique quam religiosa, sancta et excelsa fuerit primorum fidelium vita, liquet ex Essenis, quos instar Hierosolymitarum Alexandriæ instituit S. Marcus. Essæi enim, vel Esseni nuncupati sunt quasi ὅσιοι, id est, *sancti*, ait Eusebius, lib. VIII *Præpar. Evang.*, IV, ex Philone; vel a Jesu, quasi Jessæi, Jesuæi, Jesuini, Jesuitæ : ita Epiphanius, *hæres.* 29; licet Judæorum Esseni dicti videantur nonnullis ab Hebr. חזה *chasa*, id est vidit, quasi videntes; vel a *chosen*, pro quo Josephus, lib. III *Antiq.*, cap. IX, græce vertit *Essen*, id est rationale, quod erat in pectore pontificis, cui inscripta erat doctrina et veritas, *q. d.* Rationales, contemplativi, qui toti vacabant rationi, menti, doctrinæ, et veritati rebusque divinis contemplandis; vel potius Esseni dicti sunt ab Hebræo *chasid*, et Syro *chasi*, de quo mox plura.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

ginta duobus discipulis, qui dictus est etiam Zebedæus, pater Jacobi et Joannis, maritus Mariæ Salomes, qui cum Petro Romam petivit : inde, relictis domesticis suis, missus in Angliam Episcopus, occubuit martyr anno secundo Neronis. » Et inferius de uxore ejus : « Celebris, ait, memoria est apud Hispanos S. Mariæ Salomes, matris S. Jacobi et uxoris Zebedæi, quæ cum attigisset annum nonagesimum anno Christi 42, sub Jacobo, filio Alphæi, Episcopo Hierosolymitano, die 24 maii sanctissime decessit ad cœlos in Italia, diciturque Verulis quiescere, et mors ejus multis nobilitata miraculis. » Idem tradunt Verulenses. Cæterorum, utpote novorum, nec ab aliis traditorum, fides sit penes Helecam et Sophronium.

# CAPUT QUINTUM.

## SYNOPSIS CAPITIS.

*Primo, S. Petrus Ananiam et Sapphiram, ob fraudatum agri pretium, morte punit. Secundo, vers. 12, recensentur miracula crebra Petri et Apostolorum. Tertio, vers. 17, incarcerantur Apostoli, sed ab angelo liberantur ; inde concionantes in templo a Magistratu abducuntur in concilium, a quo increpiti intrepide respondent :* Obedire oportet Deo magis quam hominibus. *Quarto, Gamaliel, vers. 34, sapiens pro Apostolis dat consilium. Denique, vers. 40, flagellantur Apostoli; sed in iis exultantes, alacrius et audacius Christum prædicant.*

1. Vir autem quidam, nomine Ananias, cum Sapphira uxore sua, vendidit agrum, 2. et fraudavit de pretio agri conscia uxore sua ; et afferens partem quamdam, ad pedes Apostolorum posuit. 3. Dixit autem Petrus : Anania, cur tentavit Satanas cor tuum, mentiri te Spiritui Sancto, et fraudare de pretio agri? 4. Nonne manens tibi manebat, et venumdatum in tua erat potestate? Quare posuisti in corde tuo hanc rem? Non es mentitus hominibus, sed Deo. 5. Audiens autem Ananias hæc verba, cecidit et expiravit. Et factus est timor magnus super omnes qui audierunt. 6. Surgentes autem juvenes amoverunt eum, et efferentes sepelierunt. 7. Factum est autem quasi horarum trium spatium, et uxor ipsius, nesciens quod factum fuerat, introivit. 8. Dixit autem ei Petrus : Dic mihi, mulier, si tanti agrum vendidistis? At illa dixit : Etiam tanti. 9. Petrus autem ad eam : Quid utique convenit vobis tentare Spiritum Domini? Ecce pedes eorum qui sepelierunt virum tuum ad ostium; et efferent te. 10. Confestim cecidit ante pedes ejus et expiravit. Intrantes autem juvenes, invenerunt illam mortuam, et extulerunt, et sepelierunt ad virum suum. 11. Et factus est timor magnus in universa Ecclesia, et in omnes qui audierunt hæc. 12. Per manus autem Apostolorum fiebant signa et prodigia multa in plebe. Et erant unanimiter omnes in porticu Salomonis. 14. Cæterorum autem nemo audebat se conjungere illis; sed magnificabat eos populus. 14. Magis autem augebatur credentium in Domino multitudo virorum ac mulierum, 15. ita ut in plateas ejicerent infirmos, et ponerent in lectulis ac grabatis, ut veniente Petro, saltem umbra illius obumbraret quemquam illorum, et liberarentur ab infirmitatibus suis. 16. Concurrebat autem et multitudo vicinarum civitatum Jerusalem, afferentes ægros et vexatos a spiritibus immundis, qui curabantur omnes. 17. Exurgens autem princeps Sacerdotum et omnes qui cum illo erant (quæ est hæresis Sadducæorum), repleti sunt zelo; 18. et injecerunt manus in Apostolos, et posuerunt eos in custodia publica. 19. Angelus autem Domini per noctem aperiens januas carceris et educens eos, dixit : 20. Ite, et stantes loquimini in templo plebi omnia verba vitæ hujus. 21. Qui cum audissent, intraverunt diluculo in templum, et docebant. Adveniens autem princeps Sacerdotum et qui cum eo erant, convocaverunt concilium et omnes seniores filiorum Israel, et miserunt ad carcerem ut adducerentur. 22. Cum autem venissent ministri, et aperto carcere non invenissent illos, reversi nuntiaverunt, 23. dicentes : Carcerem quidem invenimus clausum cum omni diligentia, et custodes stantes ante januas; aperientes autem neminem intus invenimus. 24. Ut autem audierunt hos sermones magistratus templi et principes Sacerdotum, ambigebant de illis quidnam fieret. 25. Adveniens autem quidam nuntiavit eis : Quia ecce viri, quos posuistis in carcerem, sunt in templo stantes et docentes populum. 26. Tunc abiit magistratus cum ministris, et adduxit illos sine vi; timebant enim populum ne lapidarentur. 27. Et cum adduxissent illos, statuerunt in concilio, et interrogavit eos princeps Sacerdotum, 28. dicens : Præcipiendo præcepimus vobis ne doceretis in nomine isto; et ecce replestis Jerusalem doctrina vestra, et vultis inducere super nos sanguinem hominis istius. 29. Respondens autem Petrus et Apostoli, dixerunt : Obedire oportet Deo magis quam hominibus. 30. Deus patrum nostrorum suscitavit Jesum, quem vos interemistis, suspendentes in ligno. 31. Hunc principem et salvatorem Deus exaltavit dextera sua, ad dandam pœnitentiam Israeli, et remissionem peccatorum. 32. Et nos sumus testes horum verborum, et Spiritus Sanctus, quem dedit Deus omnibus obedientibus sibi. 33. Hæc cum audissent, dissecabantur et cogitabant interficere illos. 34. Surgens autem quidam in concilio Pharisæus, nomine Gamaliel, legis doctor honorabilis universæ plebi, jussit foras ad breve homines fieri, 35. dixitque ad illos : Viri Israelitæ, attendite vobis super hominibus istis quid acturi sitis. 36. Ante hos enim dies extitit Theodas, dicens se esse aliquem, cui consensit numerus virorum circiter quadringentorum; qui occisus est; et omnes qui credebant ei, dissipati sunt, et redacti ad nihilum. 37. Post hunc extitit Judas Galilæus in diebus professionis, et avertit populum post se, et ipse periit; et omnes quotquot consenserunt ei, dispersi sunt. 38. Et nunc itaque dico vobis, discedite ab hominibus istis, et sinite illos, quoniam si est ex hominibus consilium hoc, aut opus, dissolvetur; 39. si vero ex Deo est, non poteritis dissolvere illud, ne forte et Deo repugnare inveniamini. Consenserunt autem illi. 40. Et convocantes Apostolos, cæsis denuntiaverunt ne omnino loquerentur in nomine Jesu; et dimiserunt eos. 41. Et illi quidem ibant gaudentes a conspectu concilii, quoniam digni habiti sunt pro nomine Jesu contumeliam pati. 42. Omni autem die non cessabant in templo et circa domos docentes et evangelizantes Christum Jesum.



1. Ananias. — Hebr. idem est quod *donum Domini*, quod scilicet per votum Domino obtulit; vel *paupertas Domini*, id est Domino dicata : sed ex *Anania* factus est *Cananias*, id est institor et mercator Domini, quia pretii partem Deo dicatam sibi quasi mercator retinuit, ideoque rursum factus est *Ananias*, id est afflictio Domini, quia a Domino morte mulctatus est.

Sapphira. — Hebr. idem quod *numerans*, scilicet pretium; aut, ut Syrus, *pulchra*, vel sapphirina.

Agrum. — Syrus קריתא *keritha*, id est ager et villa : quæ vox deducta est ab hebræo קריה *kiria*, id est civitas, pro quo Chaldæi dicunt קרתא : unde Carthago vocata est civitas nova a Didone condita; lingua enim Punica Hebrææ est affinis, utpote ab ea progenita.

2. Et fraudavit de pretio agri. — ἐνοσφίσατο, id est *callide surripuit*, ab oculis domini vel heri calide removendo; Syrus, *sustulit*. Erat ergo hoc furtum et sacrilegium rei Deo dicatæ. Ergo vel diserte voverat, vel certe professus erat verbis, aut ipso facto plenam bonorum eorumque pretii abdicationem et oblationem, uti faciunt Religiosi jam voventes paupertatem. Negat tamen Cajetanus, fideles eam tum vovisse : idem negant constanter Calvinus, Marloratus aliique hæretici, votorum et Religionis hostes, dicentes Ananiam solo mendacio solaque hypocrisi peccasse, quod simularet se dare totum cum daret partem, ideoque morte punitum esse. Verum errare eos, patet Ananiam fecisse votum paupertatis. Prob. Primo.
*primo*, ex verbo *fraudavit* : fraus enim non fit in re propria, sed aliena, puta cum res alteri data, vel vendita aut promissa surripitur. Unde græce est ἐνοσφίσατο, id est callide surripuit. Fuit ergo fur et sacrilegus; quia scilicet violavit votum et professionem paupertatis quam fecerat. Unde S. Augustinus, serm. 27 *De Verbis Apostoli* : « Dum, inquit, ex eo quod promiserat, partem subtraxit, sacrilegii damnatur et fraudis. Sacrilegii, quod Deum in pollicitatione fefellerit; fraudis, quod integris muneribus portionem quamdam putaverit subtrahendam. » *Secundo*, quia Petrus Ananiam culpans ait : « Cur tentavit Satanas cor tuum, mentiri te Spiritui Sancto, et fraudare de pretio agri? » Si enim non vovisset, nec promisisset, fuisset tantum mendacium offi-

ciosum, non perniciosum, utpote in re propria, ideoque veniale; sicut qui donaret amico centum aureos, dicens : Plures darem si haberem, at non habeo, peccat tantum mendacio officioso et veniali, nec dicitur fraudare, multo minus mentiri Spiritui Sancto. Instat ei Petrus acrius : « Quare posuisti in corde tuo hanc rem » tam nefandam, tam sacrilegam? « Non es mentitus hominibus, sed Deo. » Ergo Deo voverat et promiserat. Ille enim dicitur mentiri Deo et Spiritui Sancto, qui id quod ei promisit et vovit, non servat. *Tertio*, idem patet ex pœna : Petrus enim punivit eum, æque ac uxorem morte, eaque subita, publica et infami. Fuit ergo lethale et grande hoc scelus : fuit ergo violatio voti et sacrilegium. Si enim non vovissent, licite potuissent pretium, vel ejus partem sibi retinere, et etiamsi dixissent hoc totum esse agri pretium, nemini fecissent injuriam, ideoque non peccassent fraude lethali, sed mendacio tantum veniali. *Quarto*, ita passim docent Patres. S. Basilius, serm. 1 *De Instit. monach.* : « Humanæ, ait, gloriæ cupiditate Ananias quidquid bonorum habebat, Deo palam consecrarat, ut hominum de se opinionem excitaret. » S. Augustinus, verbis paulo ante citatis; S. Chrysostomus hic, *hom.* 12 : « Quare, inquit, hoc fecisti? Voluisti habere? oportebat initio habere, et non promittere; nunc autem postquam consecrasti, majus sacrilegium commisisti. » S. Hieronymus, epist. 8 *Ad Demetr.*, clare : « Ananias, inquit, et Sapphira dispensatores timidi, imo corde duplici, et ideo condemnati; quia post votum abstulerunt quasi sua, et non ejus cui semel ea voverant, partemque sibi jam alienæ substantiæ reservantes. » S. Gregorius, lib. 1, epist. 33 *Ad Venantium* : « Ananias, inquit, pecunias Deo voverat, quas postea victus persuasione diaboli subtraxit; sed qua morte mulctatus est, scis. » S. Fulgentius, epist. *De Debito conjugali*, cap. VIII : « Quam, ait, sit malum quamque sollicite fugiendum, si quis de hoc quod Deo voverit, retinere aut rapere aliquid mortifera prævaricatione pertentet, exemplo sunt Ananias et Sapphira. » Idem asserunt S. Athanasius, serm. *De Passione et Cruce*; Nazianzenus, in *Carm. de Virginit. præc.*; Cyprianus, lib. III *Testimon.*, cap. XXX; Cassianus, *Collat.* XVIII, cap. VII, atque in hoc caput commentantes Œcumenius, qui peccatum Ananiæ vocat sacrilegium; Arator, Beda, Hugo, Lyranus et alii passim, quin et, quod mireris, Beza, veritatis utique nimis clara luce convictus.

*Apostoli eamdem voverunt.*

Porro, si primævi fideles, etiam conjugati, vovebant paupertatem, multo magis eam voverant Apostoli, eorum in virtute duces, sanctitatis et perfectionis magistri, ac Evangelicorum consiliorum præcones exemplo magis quam verbo, idque diserte docet S. Augustinus, lib. XVII *Civit.*, cap. IV : « De terra, inquit, suscitatus est ille (Paulus) super omnes divites pauper, et de illo stercore erectus supra omnes populos opulentos ille inops, ut sedeat cum potentibus populi, quibus ait : Sedebitis super sedes duodecim, et sedem gloriæ hæreditatis dans eis. Dixerunt enim potentes isti : Ecce nos dimisimus omnia, et secuti sumus te. Hoc votum potentissimi voverant. Sed unde hoc eis, nisi ab illo de quo hic continuo dictum est : Dans votum voventi? » Et S. Thomas, II II, *Quæst.* LXXXVIII, art. 4, ad 3 : « Apostoli, inquit, intelliguntur vovisse pertinentia ad perfectionis statum, quando Christum relictis omnibus sunt secuti. » Idem multis probat Alvarus Pelagius, lib. II *De Planctu Ecclesiæ*, cap. IX, et ex eo noster Hieronymus Platus, lib. II *De Bono status Relig.*, cap. XX.

Porro, licet D. Thomas loco citato negare videatur Christum eadem vovisse, idemque diserte doceant Medina et Cajetanus, tamen multi contrarium censent : licet enim in Christo non fuerit illa causa vovendi quæ est in nobis, scilicet ad firmandam voluntatis inconstantiam, quæ in Christo nulla fuit (quod tantum videtur voluisse S. Thomas), tamen multæ aliæ fuerunt, scilicet *primo* ut Deo offerret nobilissimum religionis actum : hic autem est vovere et votum, quo non tantum res et actus, sed et voluntas ipsa in totum Deo consecratur, ita ut rem nec habere, nec velle possit; sicut plus est dare arborem cum fructibus, quam solos ejus fructus, ait S. Anselmus, lib. *De Similit.*, cap. LXXXIV. *Secundo*, ut ipse perfectionis magister, ejus Apostolis nobisque daret specimen et exemplum quod sequamur, *Matth.* XIX, 21; *Lucæ* XIV, 33, ubi Apostoli se Christi exemplum in paupertate secutos asserunt. *Tertio*, quia perfecta opum abrenuntiatio non fit nisi per votum; illo enim vovens non tantum præsentia, sed et futura bona quæ habere potest, libere a se abdicat. *Quarto*, quia tria vota Religionis sunt tria præstantissima holocausta : Christus autem se suaque in perfectissimum holocaustum Deo Patri obtulit. Unde ejus hæc est vox, *Psal.* XXI, 26 : « Vota mea, » id est promissa mea, ait ibi S. Basilius et Theodoretus, « reddam in conspectu timentium eum. » Hanc sententiam probabilissimam esse censet Franciscus Suarez, III *part.*, *Quæst.* XL, disp. XX, sect. 2, et Salmeron, tomo V, tract. 4. Videtur ergo Christus in primo instanti conceptionis suæ, se et omnia sua obtulisse ac vovisse Deo præsertim per paupertatem, castitatem et obedientiam. Nam homini obedientiam vovere non poterat, eo quod non haberet superiorem. Sic in Vita S. Theresiæ quasi quid illustre ponitur, quod ipsa voverit se in qualibet re facturam id quod erat perfectius.

*Primos fideles vovisse castitatem. Prima.*

Insuper, si primi fideles Hierosolymitæ vovebant paupertatem, valde quoque probabile est eosdem vovisse tunc castitatem, et uxoribus deinceps abstinuisse. Probatur id *primo*, quia qui fecerunt majus, fecerunt et minus. Majus



autem est abdicare a se bona omnia ad vitam necessaria, quam abstinere conjugio voluntario, et non necessario, cum multi eo abstineant, quod nolint illo illigari, nec pati molestias uxorias et rei familiaris. Adde, ad alendas proles, quæ ex conjugio continue suscipiuntur, opus esse multis opibus, ac proinde non posse eas abdicari. *Secundo*, quia hodie videmus eos qui faciunt votum paupertatis, facere et castitatis; sed non vice versa : multi enim castitatem vovent, qui bonis suis frui volunt. *Tertio*, id suadet fervor Christianorum illius ævi, et primitiæ Spiritus quas ipsi hauserant. Unde de iis ait Lucas, cap. II, 42 : « Erant perseverantes in doctrina Apostolorum; » hæc autem assidua erat, nec tantum tradebat præcepta, sed et consilia Evangelica, inter quæ unum præcipuum erat illud Christi : « Sunt eunuchi qui se ipsos castraverunt propter regnum cœlorum. Qui potest capere, capiat, » *Matth.* XIX, 12. Castratio enim hæc non solam abstinentiam ab usu conjugii, sed et ejus impotentiam significat, non physicam, sed moralem, quæ fit per votum, per quod homo licite non potest uti conjugio. *Quarto*, quia de iisdem ait Lucas ibidem : « Quod erant perseverantes in communicatione fractionis panis et orationibus. » Et vers. 46 : « Quotidie quoque perdurantes unanimiter in templo, et frangentes circa domos panem. » Si quotidie communicabant, si perpetim erant in templo orantes, ergo se continebant. Hoc enim jubet Apostolus, I *Corinth.* VII, 5. *Quinto*, quia ea de causa Corinthii putabant fideles omnes debere vivere cælibes, quia videbant primos Hierosolymitas ita vivere, ac proinde hoc dubium proposuerunt Paulo : quibus ille respondet cælibatum non esse præceptum, sed consilium Evangelicum, ut patet toto cap. VII prioris epistolæ *ad Corinth.* *Sexto*, quia Esseni, quos S. Marcus Alexandriæ instituit, ad instar primorum fidelium, quos viderat Hierosolymis institutos a S. Petro, uti docet S. Hieronymus, *De Script. Eccles.*, in *Marco*, Esseni, inquam, coluerunt cælibatum. Audi Plinium, lib. V, cap. XVII : « Gens (Essenorum) sola in toto orbe præter cæteras mira, sine ulla femina, omni venere abdicata, sine pecunia, socia palmarum, in diem ex æquo convenarum turba renascitur, etc. : ita gens æterna est in qua nemo nascitur : tam fecunda illis aliorum vitæ pœnitentia est. » Et Solinum, *Polyhist.* cap. XXXVI : « Interiora Judææ Esseni tenent, qui præditi morali disciplina, recesserunt a ritu gentium universarum, majestatis, ut reor, providentia ad hunc morem destinati : nullæ ibi feminæ, venere se penitus abdicant : pecuniam nesciunt, palmis victitant; nemo ibi nascitur, nec tamen deficit hominum multitudo. Locus ipse addictus pudicitiæ est; ad quem plurimi licet undique gentium properant, nullus admittitur, nisi quem castitatis fides et innocentiæ meritum prosequatur. Itaque incredibile dictu, gens æterna est cessantibus puerperiis. »

Iisdem argumentis probatur fideles primos professos esse obedientiam Apostolis et S. Petro. Unde et bona sua, ac se totos cum bonis ad pedes Apostolorum obtulerunt, cap. IV, vers. 35. Voluit enim Deus in his primis dare primum et perfectum exemplar vitæ Christianæ, quod omnia deinceps sæcula intuerentur et imitarentur. Egerunt ergo ipsi vitam religiosam verique fuerunt Religiosi, uti docet S. Hieronymus, *De Script. Eccles.*, in *Philone*, cujus verba recitavi, cap. II, vers. 44, et Cassianus, lib. II *De Instit. Renunt.*, cap. V, et *Collat.* XVIII, cap. V, ubi docet Cœnobitarum institutum a tempore Apostolorum initium sumpsisse, cum multi perfectionis avidi, non eo tantum contenti essent quod omnes facerent, ut sua omnia in commune conferrent : sed etiam his altiora meditantes, in secretiora loca suburbana secederent, qui quod a conjugibus et a suorum consortio, imo ab omni mundi conversatione abstinerent, idcirco a solitudine Monachi, a communitate Cœnobitæ sunt nuncupati. Inter hos autem principem et cæterorum magistrum extitisse S. Marcum Evangelistam in Ægypto; sicut in Æthiopia extitit S. Matthæus, qui Iphigeniam regis filiam cum sociabus in monasterio Deo consecravit; in Græcia S. Paulus, qui Theclam; Romæ S. Clemens, qui Flaviam Domitillam; in Gallia S. Martha, quæ in cœnobio a se erecto cum aliis feminis Deo dicatis cœlestem vitam duxit. Idem liquet ex S. Dionysio, *Eccles. Hierarch.*, cap. X, ubi ritus consecrandi monachos suo, id est Apostolorum, ævo usitatos describit. Hinc S. Chrysostomus, lib. III *Contra Vituper. vitæ monast.*, docet institutum Religiosorum esse Apostolicum : sic et S. Augustinus, Eusebius et alii superius citati. His ergo parentibus et ducibus glorientur Religiosi, eorumque virtutem et ardorem æmulentur, scientes se primævum christianismi spiritum et perfectionis apicem consectari, ut sint sancti totique Deo consecrati, sicut primi illi fideles a Paulo et aliis passim nuncupantur sancti.

*Primi Christiani fuere Religiosi.*

*Esseni qui et quales?*

Denique quam religiosa, sancta et excelsa fuerit primorum fidelium vita, liquet ex Essenis, quos instar Hierosolymitarum Alexandriæ instituit S. Marcus. Essæi enim, vel Esseni nuncupati sunt quasi ὅσιοι, id est, *sancti*, ait Eusebius, lib. VIII *Præpar. Evang.*, IV, ex Philone; vel a Jesu, quasi Jessæi, Jesuæi, Jesuini, Jesuitæ : ita Epiphanius, *hæres.* 29; licet Judæorum Esseni dicti videantur nonnullis ab Hebr. חסה *chasa*, id est vidit, quasi videntes; vel a *chosen*, pro quo Josephus, lib. III *Antiq.*, cap. IX, græce vertit *Essen*, id est rationale, quod erat in pectore pontificis, cui inscripta erat doctrina et veritas, *q. d.* Rationales, contemplativi, qui toti vacabant rationi, menti, doctrinæ, et veritati rebusque divinis contemplandis; vel potius Esseni dicti sunt ab Hebræo *chasid*, et Syro *chasi*, de quo mox plura.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ® DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

De Essenis ita ex Philone scribit Eusebius, loco citato : « Nulla animi perturbatione feruntur, sed vera soli hominum libertate fruuntur. Nemo proprium aliquod possidet, non domos, non pecus, non vas aliquod, sed omnibus in medio positis communiter utuntur : habitant simul, et convivunt quasi sodales. Cumque omnia pro communi utilitate faciant, alia aliorum negotia sunt, quæ impigre subeuntes certant : non frigus, non calorem, non aliquam aeris mutationem formidantes. Sunt autem eorum alii agricolæ, alii pastores, alii apum cultores, alii aliarum artium magistri. Cumque a laboribus suis mercedem ceperint, apud eum deponunt qui quæstor creatus est. Is omnia diligenter procurat quibus egent : egent autem paucissimis, cum omnem luxum, tanquam animæ et corporis morbum, aspernentur. » Et inferius : « Nemo servus apud eos est, sed cum universi liberi sint, alteri alteris serviunt, etc. Illam philosophiæ partem solum approbant, qua de Deo et creatione omnium scrutamur. Morali maxime invigilant. Die septima ad loca sacra concurrentes, ordine sub senioribus juvenes considere solent. Leguntur Scripturæ diligenter et exponuntur. Discunt igitur pie, sancte justeque vivere; triplici regula utentes, amore Dei ardentissimo, virtutis cultu diligentissimo, charitate proximi ferventissima. Quod igitur summe Deum diligant, multa nobis argumento sunt, castitas perpetua, jurisjurandi nulla mentio, mendacii odium, et præcipue quod bonorum omnium, nullius mali, Deum causam esse opinantur. Quod virtuti studeant patet, quia pecuniam negligunt, gloriam spernunt, voluptatem oderunt, constantes, severi magnique animi sunt. Charitatis autem argumenta sunt benevolentia, societas, æqualitas. Nullus enim domum habitat, quæ omnium communis non sit; unum ærarium, unus sumptus omnibus est : vestis communis, communis cibus et potus, communis mensa, omnis vita communis est. » Hæc de Esseis ex Philone Eusebius, qui eadem et plura de iisdem ex Porphyrio recenset, lib. IX *De Præpar. Evang.*, cap. I, et Josephus, lib. I *De Bello*, cap. VII, ubi ait eos fuisse opum contemptores, paupertatis et vitæ communis amantes, religiosos erga Deum, silentio deditos, psalmodos, mites, fideles, pacificos, continentes, justos, abstinentes, longævos, in tormentis constantes, imo ridentes, immortalitati et æternitati viventes, quasi heroes et semideos : quos origine et genere fuisse Judæos; sed in christianismum transisse, et fide ac religione fuisse Christianos, docet Epiphanius, loco citato; S. Hieronymus, in *Philone* et *S. Marco*, Sozomenus, Cedrenus, Beda et alii apud Baronium, tomo I, anno Christi 64; et fuse idipsum contra Scaligerum et Novantes ostendit noster Nicolaus Serarius, lib. III *Trihæres.* cap. XVII, et cap. IV, ubi quinquaginta Essenorum dogmata et instituta enumerat. Et cap. I, Essenos nomen accepisse censet ab Hebræo חסיד *chasid*, a quo Syriacum *chasi*, et *chosio*, id est ὅσιος, puta *sanctus* : quod præ cæteris undecim etymis, quæ ibi recensuit, videtur probabilius; quin et idem Eusebius, lib. II *Histor.* cap. XVII, ubi citans verba *Act.* IV, in fine, quibus primorum Christianorum vitam communem et virtutes Lucas depingit, docet tales fuisse Esseos. Quos rursum ex Philone ita describit : « Hoc in primis testatur, quod facultatibus suis renuntiarint, ac bonis ad se pertinentibus cesserint ii qui philosophari cœpissent, et cunctis vitæ hujus curis abstinuerint, relictisque mœnis (?), in agris et hortis solitarie conversati sint, certo scientes consortia eorum qui disparem sequebantur vivendi rationem, inutilia et noxia esse illis qui tum temporis hoc, ut par erat, agebant. Hæc prædictus Philo testificatus ad verbum subjicit, dicens : Est autem in multis quidem terrarum locis hoc genus hominum (oportebat enim perfecti boni participes fieri tam Græcos, quam Barbaros); verum in Ægypto in singulis præfecturis, sicuti vocant, abundant et maxime circa Alexandriam. Deinde et habitationes eorum quales fuerint describens, de ecclesiis ejus regionis hæc dicit : In singulis autem sacrum domicilium est, quod monasterium vocatur, in quo manentes sanctæ vitæ mysteria celebrant, nihil illuc inferentes, nec potum, nec cibum, neque aliud quidquam eorum quæ sunt ad corporis sustentationem necessaria, sed leges et oracula Prophetarum, et hymnos et reliqua hujusmodi, quibus scientia et pietas augentur et consummantur. Et aliquanto post dicit : Totum autem illud temporis spatium, quod est a diluculo usque ad vesperam, in exercitium illis insumitur. Sacras quippe Scripturas legentes philosophantur, ac patriam philosophiam allegorice tractant. Etenim putant ea quæ in manifesta sunt Scripturarum expositione, quædam esse absconditæ naturæ symbola per figuras significata. Habent autem et commentarios priscorum virorum, qui cum disciplinæ eorum duces essent, multa in forma rerum allegorice traditarum post se monumenta reliquerunt. Continentiam autem primum, tanquam fundamentum quoddam in anima collocant, deinde et alias virtutes superstruunt. Cibum aut potum nemo illorum ante solis occasum usurpat. Etenim philosophiæ studium luce, corporis vero necessitates tenebris dignas esse judicant. Unde et diem illi, istis vero modicam noctis partem tribuunt. Nonnulli ex eis toto triduo cibi non recordantur, quibus majus scientiæ, quam cibi desiderium insedit. Nonnulli ita lætantur ac delectantur sapientia pasci, quæ dogmata opulente et abunde subministrat, ut duplicato temporis spatio abstineant, ac vix per sex dies necessario cibo gustantes vescantur. Addit præterea, apud illos, de quibus loquitur, mulieres quoque reperiri, quarum pleræque grandævæ virgines castitatem non necessitate, sicut quædam sacerdotes apud gentes, magis quam sua sponte, propter zelum ac studium sapientiæ custodiant : cujus commercium studiose colentes, corporum voluptates aspernantur, cum immortales potius liberos, quos solus amans Dei animus ex se gignere potest, quam mortales habere cupiant. Quid opus est istis adjicere, quomodo in unum congregati, separatimque viri, ac separatim mulieres, conversati sint, et quæ illis exercita fuerint, quæ adhuc apud nos durant, et præcipue circa salutaris passionis festum diem, in jejuniis et vigiliis nocturnis divinorumque sermonum lectione exercere consuevimus? Et ut unus ex omnibus consurgens in medio, psalmum honestis modulis concinat, utque ei præcinenti unum versiculum, omnis multitudo respondeat; atque in ipsis diebus in terra recumbentes, vinum quidem nemo omnino, ne gustu quidem contingat, sed nec quamlibet carnem : tantum autem aqua sit eis poculum, et panis cum sale vel hyssopo cibus.

*Pane et aqua vivebant.*

Addit autem quomodo sacerdotes, vel ministri exhibeant officia sua, vel quæ sit supra omnia Episcopalis apicis sedes. »

Tales ergo tantique fuere Essæi, puta primi fideles tam Hierosolymæ quam Alexandriæ, de quibus vero dixit Nyssenus, initio tract. *Quid sibi velit nomen Christiani* : « Christianismus est vitæ divinæ imitatio. » Et Nysseni frater S. Basilius, hom. 10 *Hexamer.* : « Christianismus quid est?

*Christianismus quid sit.*

Assimilatio Dei, quatenus eam assequi potest humanæ fragilitas naturæ. Votine reus es te Christianum fore? ne cunctere Deo fieri similis : Christum indue. » Et S. Augustinus, lib. I *De Symbolo ad catechum.*, cap. V : « Christianus est templum Spiritus Sancti. » Idem (vel quisquis est auctor : non enim videtur esse S. Augustinus), lib. *De Vita Christiana*, cap. I, tom. VI : « Christianus est Christi imitator. » Et cap. VI : « Christianus, inquit, justitiæ, bonitatis, integritatis, patientiæ, castitatis, prudentiæ, humilitatis, humanitatis, innocentiæ, pietatis est nomen; et tu illud quomodo defendis et vindicas tibi, cui de tam plurimis rebus nec pauca subsistunt? Christianus est qui potest justa voce dicere : Nemini hominum nocui, juste vixi cum omnibus. » Et cap. XIV : « Christianus ille est, qui omnibus misericordiam facit, qui omnino non movetur injuria, qui opprimi pauperem se præsente non patitur, qui miseris subvenit, qui indigentibus succurrit, qui cum mœrentibus mœret, qui dolorem alterius sicut proprium sentit, qui ad fletum fletibus alienis provocatur, cujus domus communis est, cujus janua nemini clauditur, cujus mensam pauper nullus ignorat, etc., qui Deo die noctuque deservit; qui ejus præcepta indesinenter meditatur; qui pauper mundo efficitur, ut Deo locuples fiat; qui inter homines habetur inglorius, ut coram Deo et angelis ejus gloriosus appareat; qui in corde suo nihil videtur habere simulatum vel fictum; cujus simplex et immaculata est anima, cujus conscientia fidelis et pura est, cujus tota mens in Deo est, cujus omnis spes in Christo est, qui cœlestia potius quam terrena desiderat; qui humana sprevit, ut possit habere divina. » Similia habet S. Ambrosius, serm. *In die Ascensionis Domini*, et Irenæus, lib. II *Contra hæres.* cap. LVII, sub finem.

2. DE PRETIO AGRI, — partem sibi reservantes, ut humana prudentia sibi in tempore necessitatis, v. g. persecutionis, fugæ, senectutis consulerent, diffidentes Deo. Unde S. Hieronymus, epist. 8 *ad Demetr.*, vocat eos « Dispensatores timidos, ac metuentes famem, quam fides non timet. » Addit Lyranus voluisse de una medietate pretii expensas habere communes, uti cæteri, et de altera lautius vivere in occulto; itaque communitatem hac parte defraudabant.

AFFERENS PARTEM QUAMDAM, — medietatem, ait Didymus, lib. I *De Spiritu Sancto*, et Lyranus, quin et Cassianus, *Collat.* VI, cap. XI; censet enim potiorem pretii partem attulisse, et exiguum quid sibi reservasse. Verum pro « partem quamdam, » græce est μέρος τι, ubi τι est diminutivum, et significat partem unam e pluribus, hoc est, particulam, vel particellam ab eo fuisse allatam : plures ergo partes pretii sibi retinuit, unam duntaxat attulit. An partem hanc pretii acceptarit Petrus incertum est. S. Chrysostomus, *hom. ult. in Epist. ad Titum*, innuit non accepisse, idque in detestationem sacrilegii. Unde hoc ejus exemplum secuti videntur S. Gregorius et alii, quos mox citabo, qui pretium proprietariorum in eorum sepulcrum injiciebant, clamantes : « Pecunia tua sit tecum in perditionem. »

3. DIXIT AUTEM PETRUS, — quasi primas Apostolorum et Ecclesiæ caput. Ita Glossa et Hugo.

CUR TENTAVIT. — Græce ἐπλήρωσε, id est *implevit*. Sic et Syrus, *q. d.*, ait Beda : Cor et mens hominis a solo Deo impleri potest : cur ergo tu permisisti illud impleri, id est plene possideri a diabolo, ejusque prava suggestione et consiliis; cum ipse illud, esto velit, implere revera non possit? Noster cum S. Epiphanio, *hæresi* 59, legit ἐπείρασε, hoc est, *tentavit*, id est tentando vicit, et impulit in scelus et sacrilegium : verbum enim *tentavit* sumitur in actu perfecto et consummato, uti sæpe fit apud Hebræos. Nam alioqui peccatum non erat tentari a diabolo, nec in potestate Ananiæ erat facere, ut ab eo non tentaretur. Sic Christus in oratione Dominica jubet nos orare : « Et ne nos inducas in tentationem, » ita scilicet, ut ea superemur, *q. d.* Ne permittas nos vinci tentatione, sed da gratiam, qua eam, cum ingruit, vincamus. Potest tamen secundo « tentavit » accipi simpliciter in actu inchoato, *q. d.* « Cur tentavit Satanas, » id est cur vestra cupiditate et avaritia occasionem dedistis diabolo, ut vos tentaret ad hoc furtum? Diabolus enim non solet tentare nos nisi eo vitio in quod nos videt esse proclives, ideoque facile vinci posse : perinde





UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS
®

ut dux belli civitatem oppugnat ea parte qua debilior est. Sic qui aspiciunt feminas, dant occasionem tentationi libidinis, taciteque volunt ea a diabolo tentari. Nota hic spiritum prophetiæ in Petro, quo occultum Ananiæ scelus ex Dei revelatione cognovit.

SATANAS. — S. Justinus, *Contra Tryphon.*; Irenæus, lib. V, cap. XXI; Beda, in cap. XVI *Matth.*; Oleaster, in cap. XXVI *Genes.*, nomen *Satanas* derivant a שׂטה *sata*, id est declinavit, defecit, apostatavit, ut « Satanas » sit idem quod apostata : primus autem apostata a Deo fuit Lucifer ejusque asseclæ dæmones, cui proinde antonomastice competit nomen *Satanas*. Addit S. Justinus *Satanas* derivari a *sata*, id est recessit, apostatavit; et *nas*, quod per crasin idem est quod נחש *nachas*, id est serpens : ut « Satanas » sit idem quod « apostata serpens. » Verum hebraice vocatur « Satan : » unde ejus proprium etymon est שׂטן *satan*, id est adversari, quod expressit Zacharias, cap. III, 1 : « Satan stabat a dexteris ejus (Jesu pontificis) ut adversaretur ei. » Hebraice לשׂטנו *listeno*, a rad. שׂטן *satan*, id est adversatus est, *q. d.* Satan, id est adversarius, stabat, ut ex nomine et officio suo adversaretur Jesu. Idem significat S. Petrus, *Epist.* I, cap. V, vers. 8, dicens : « Quia adversarius vester diabolus (Satanas) quasi leo rugiens circuit quærens quem devoret. » Ita Origenes, tractat. 1 *in Matth.*, et S. Hieronymus, epist. *ad Marcellam*. Porro hinc liquet minus verum esse quod addit Justinus et ex eo Hilarius in cap. IV. *S. Matthæi*, nomen Satanæ primitus a Christo impositum esse diabolo, cum eum tentavit, *Matth.* IV. Nam diu ante Christum Zacharias, cap. III, 1, eum vocavit « Satanam. » « Satanas » ergo pene idem est quod diabolus, pro quo Dorice dicitur Zabolus (Dores enim pro δ dicunt ζ), id est calumniator, a διαβάλλω, id est *calumnior*. Denique quia *Satan* hebraice significat quemlibet adversarium et contrarium, hinc Christus Petrum suæ passioni obsistentem vocavit « Satanam, » dicens : « Vade post me, Satana, » *Matth.* XVI, 23. Denique non omne peccatum committitur tentante diabolo, uti nonnulli censuerunt, quia ad multa impellit nos concupiscentia innata; sæpe tamen illi se insinuat diabolus, eamque excitat et accendit, quia incredibili in Deum odio, et in homines invidia flagrat, estque solertissimus et perspicacissimus concupiscentiarum nostrarum indagator, ut per eas nos in ruinam impellat, uti docet Cassianus, *Collat.* V, cap. XV. Qui ergo a sciendo vocatur dæmon, a calumniando diabolus, idem ab adversando vocatur Satan.

MENTIRI TE SPIRITUI SANCTO. — Græce est *mentiri te Spiritum Sanctum*; Syrus *mentiri te in Spiritum Sanctum*, et sic habent nonnulli codices Græci εἰς τὸ πνεῦμα τὸ ἅγιον. Verum hæc omnia idem significant, nimirum id quod Noster, Tigurina, Pagninus et alii clare vertunt, *mentiri te Spiritui Sancto*. Ponitur enim sæpe a Græcis et Latinis accusativus pro dativo, ut benedico te, id est benedico tibi; evangelizo te, id est tibi. Adde, ψεύσασθαι non tantum significat mentiri, sed et fallere ac fraudare. Unde verti potest, *fallere*, vel *fraudare te Spiritum Sanctum*. Aliter Vatablus et Cajetanus, *q. d.* « Cur mentitus es, » id est cur præ te tulisti te habere Spiritum Sanctum, et ex ejus instinctu fecisse hanc pretii oblationem et fraudem, cum potius feceris eam instinctu Satanæ, qui tentavit cor tuum, uti præcessit? Porro mentiri Spiritui Sancto, est negare Spiritui Sancto rem illi promissam et voto obligatam, sive fidem illi datam fallere, et, ut Apostolus ait I *Timoth.* V, 12, irritum facere. Unde explicans subdit : « Et fraudare de pretio agri. » Ita Patres omnes quos citavi vers. 1 (1). Discant hic voventes, quam stricte vota servare debeant : si enim ea violent, mentiuntur Spiritui Sancto. Mentitur ergo Spiritui Sancto, qui cum vovecit obedientiam, jussus a Superiore aliquid minus placens, vel minus honorificum facere, respondet : *Non possum*, pro : *Non volo*.

4. NONNE MANENS TIBI MANEBAT. — Est hebraismus, *q. d.* Omnino tuum manebat pretium, liberum tibi erat illud mihi offerre, vel non offerre, si videlicet voti religione et promisso te proprietate rerum non abdicasses; *q. d.* Cur te voto obstrinxisti, si illud violare volebas? Poteras enim non vovere, itaque tuum tibi agri et pretii dominium reservare. Perperam ergo ex hoc loco Cajetanus infert Ananiam non fecisse votum. Syrus vertit, *nonne tuus erat ager antequam venderetur*.

ET VENUMDATUM. — Græce, καὶ πραθὲν, scilicet χωρίον, id est *venditus*, scilicet ager, in tua erat potestate. Ita Syrus, Tigurina et Pagninus. Dices : si ager erat venditus, ergo jam non erat in potestate et dominio vendentis Ananiæ, sed alterius qui eum emerat. Respondeo : τὸ *venditus* potest *primo*, accipi materialiter pro re vendita; *q. d.* Res vendita, puta ager, antequam eum venderes, erat in tua potestate, *q. d.* Nemo coegit te ut agrum venderes : poteras eum tibi servare : cur ergo eum vendidisti ejusque pretium Deo vovisti, cum ejus pretium majori ex parte tibi contra votum reservare velles? *Secundo*, τὸ *venditus* accipi potest formaliter : sed tunc *ager* metonymice sumitur pro pretio agri, *q. d.* Pretium agri a te venditi erat in tua potestate, scilicet antequam illud Deo voveres et offerres. Cur ergo illud Deo vovisti et obtulisti, cum ejus partem fraudare et surripere cogitares? Hinc videtur quod ante votum Ananias vendiderit agrum, ac votum emiserit in pretii oblatione. Cum enim fideles pretia rerum suarum ad pedes Apostolorum deponerent, vel expresse, vel tacite profitebantur se omnem suam substantiam a se abdicare eamque transcribere Deo et Ecclesiæ, ut in ejus jus et dominium transferretur, distribuenda deinde in fideles, prout Apostoli eorum principes censuissent. Communitas ergo, puta Ecclesia, fiebat domina horum bonorum a fidelibus oblatorum. Apostoli vero, utpote et ipsi paupertatem professi, non erant domini, sed dispensatores, uti modo sunt Generales, Provinciales et Rectores Religiosorum.

QUARE POSUISTI IN CORDE? — *Cor* vel est intellectus, vel voluntas. *Ponere ergo in corde*, vel est cogitare : unde Vatablus vertit, *cur concepisti?* vel velle et decernere : unde Tigurina vertit, *cur induxisti in animum?* cur statuisti et decrevisti hanc rem, hoc sacrilegium et votifragium?

NON ES MENTITUS HOMINIBUS (scilicet tantum, vel præcipue : alias enim vere Ananias mentiebatur Petro et Apostolis), SED DEO, — puta Spiritui Sancto, ut paulo ante dixit, cui tua vovisti. Unde recte contra Macedonium inferunt Patres, Spiritum Sanctum esse Deum. Ita S. Athanasius, lib. *De Communi essentia*; Nyssenus, orat. *De Filio et Spiritu Sancto*; Hieronymus, in cap. LXIII *Isaiæ*; Ambrosius, lib. III *De Spiritu Sancto*, cap. X, et alii. Erat ergo hoc peccatum Ananiæ sacrilegium et injurium Spiritui Sancto. Verum proprie non erat peccatum quod a Christo, *Matth.* XII, 31, vocatur in Spiritum Sanctum. Illud enim est, cum opera Spiritus Sancti, v. g. miracula tribuuntur Beelzebub et dæmoni, uti ibidem liquet.

Nota : Ananias dici poterat mentitus quoque Patri et Filio, proprie tamen dicitur mentitus Spiritui Sancto : *Primo*, quia, post ascensum Christi in cœlum, Spiritus Sanctus, in Pentecoste missus in Apostolos et Ecclesiam, factus est ejus dominus, sponsus, pastor, imo anima et vita : quare fraus ab Anania commissa in Ecclesiam, censetur commissa in Spiritum Sanctum. *Secundo*, quia Spiritui Sancto tanquam primo et increato amori tribuuntur omnes gratiæ, virtutes et bona opera, præsertim heroica, quale est se et sua consecrare Deo. Spiritus Sanctus ergo movit Ananiam ad hanc tam sublimem consecrationem et votum : quare ille resiliens votumque violans, fefellit Spiritum Sanctum ejus auctorem. *Tertio*, quia Spiritus Sanctus se liberaliter in Ananiam et fideles omnes effuderat, dando eis omnia dona gratiæ, tum gratum facientis, tum gratis datæ : quare ingratus ei erat Ananias, dum res suas modicas illi promissas subduxit, et suffuratus est. Hæc enim erat magna indignitas, avaritia et ingratitudo; perinde ac si principi danti mille auri talenta, recipiens fraudaret et negaret unum obolum ei promissum. Hoc est quod indignans Deus queritur, *Isaiæ* LVII, 17 : « Propter iniquitatem avaritiæ ejus iratus sum, et percussi eum; abscondi a te faciem meam, et indignatus sum; et abiit vagus in via cordis sui. » Insignis enim et iniquissima est avaritia, sesuaque negare Deo, qui omnia dedit, cuique mille nominibus obstricti sumus, et totum debemus quod possidemus, imo quod sumus. *Quarto*, quia Spiritus Sanctus est spiritus veritatis, quem Christus dedit Ecclesiæ, ut eam doceret omnem veritatem, *Joan.* XVI, 13. Veritati autem adversatur mendacium, quale erat hoc Ananiæ. Rursum Spiritus Sanctus est spiritus candoris et sinceritatis, cui repugnat simulatio et hypocrisis, qualis erat hæc Ananiæ.

5. AUDIENS. — Hinc Porphyrius arguebat S. Petrum sævitiæ et cædis, quod occidisset Ananiam, cui respondet S. Hieronymus, *epist.* VIII, negando quod Petrus eum occidisset, cum ne quidem mortem ei intentarit aut minatus sit. Unde Origenes, tract. 9 *in Matth.*, censet Ananiam tam gravi et inopinata Petri increpatione perculsum, ingenti pudore et mœrore animum exhalasse : sicut de multis aliis legimus quod nimia tristitia expirarint. Quin et Plinius, lib. VII, cap. LIII, testatur Diodorum quemdam dialecticæ professorem pudore subito obiisse, eo quod lusoriam quæstionem non protinus dissolvisset. Verius est eum ad vocem Petri divinitus plaga lethali percussum interiisse. Fuit enim hæc ejus mors non naturalis, sed peccati pœna et plaga a Deo inflicta. Unde Dionysius Carthusianus ait Ananiam et Sapphiram secreto occisos ab angelo. Vox ergo Petri fuit tantum occasio, vel causa instrumentalis occisionis, eaque non physica, sed moralis, ut patet. Unde Tertullianus, lib. *De Pudicitia*, cap. XXI, censet eam fuisse typum excommunicationis.

Notant Origenes, tract. 8 *in Matth.*; S. Augustinus, lib. III *Contra Parmen.*, cap. I; Cassianus, *Collat.* VI, cap. I; Isidorus Pelusiota, lib. I, *epist.* 181, hanc mortis pœnam Ananiæ divinitus inflictam, ad terrorem novellæ Ecclesiæ, ut eo sanciretur publica disciplina, crescente numero fidelium : neque tamen Ananiam in æternum damnatum; sed potius per carnis interitum consultum fuisse ejus et uxoris saluti spirituali et æternæ : pœnituerunt ergo audita increpatione Petri, antequam expirarent; et forte contritione et dolore nimio expirarunt, uti contigit malefico filii audienti concionem beati Vincentii Ferrerii, uti in ejus Vita narratur : nisi dicas eos non expressum votum, sed tacitam tantum bonorum abrenuntiationem ipsa eorum oblatione fecisse; An Ananias sit damnatus?

(1) « Mentiri te Spiritui Sancto. » Vox ψεύσασθαι, pro accusativo, ut vult usus linguæ græcæ, construitur hic cum dativo ex usu hebraizantis sermonis. Sensus est : Inclinasti in Satanicam illam cogitationem, ut fraude fallere velles hos Apostolos, Spiritu Sancto repletos. Nam non potuit Ananias in mentem venire fraude fallere ipsum Deum. Alii sensum hujus loci sic acceperunt quasi Ananias experiri voluisset, an Apostoli fraudem detecturi essent; fecisse autem hoc eo pessimo consilio, ut ludibrio exponeret Apostolos, quasi non essent donorum Spiritus Sancti participes. Quæ tamen interpretatio e narratione ipsa probari nequit. Nihil enim in textu legitur, ex quo colligi possit Ananiam esse in Apostolos infensum.

se proinde rerum Evangelicarum adhuc rudes censuisse, sine gravi peccato posse se aliquid ex iis in suos usus servare, itaque per ignorantiam excusari et venialiter tantum deliquisse : ita Petrus Damianus, *epist.* 15, cap. III. Sic enim Deus percussit Ozam ob arcæ contactum, quod scilicet eam labentem sustentasset, I *Regum* VI, 7. Sic Prophetam per leonem occidit, quod contra præceptum suum in Bethel comedisset, seductus ab alio Propheta, qui sibi contrarium revelatum asserebat, III *Regum* XIII, 24, ubi tantum videtur fuisse peccatum veniale. Contrarium innuit S. Augustinus, serm. 27 *De Verbis Apostoli* : « Ananias, inquit, pariter et vitam perdidit, et salutem. » Et S. Basilius, serm. I *De Instit. Monach.*, dicens : « Ad pœnitentiam aditum invenire non potuit, » utpote subita morte percussus.

Moralia de custodia voti paupertatis.

Moraliter, hinc discant Religiosi quam arcte votum paupertatis observare; ita testamentorum executores, quam studiose pia legata exequi, nec ea in suos vel profanos usus avertere debeant : Deus enim hujus sacrilegii acerrimus est vindex. S. Hieronymus, epist. 22, ad Eustochium, *De Virginitat.*, scribit adeo arctam fuisse in monachis sui temporis paupertatis professionem, ut nemini liceret vel necessaria petere, tametsi vigilabat præpositorum diligentia, ne cui aliquid necessarium deesset. Additque quadam vice in monasterio quodam Nitriæ repertum fuisse monachum jam moriturum, qui aliquot solidos sibi retinuerat : quapropter placuisse Macario, Isidoro et aliis senioribus, ut eum mortuo pecunia infoderentur, clamantibus omnibus : « Pecunia tua tecum sit in perditionem. Nec hoc, inquit, crudeliter quispiam putet factum, tantus cunctos per totam Ægyptum terror invasit, ut unum solidum dimisisse sit criminis. » Idem in simili casu fecit S. Gregorius, ut ipse narrat lib. IV *Dialog.*, cap. IX. Quin et Ecclesia olim Religiosos proprietarios punivit carentia sepulturæ. Nam Clemens III, can. *Super quodam*, de statu Monachorum, sancit ut Canonicus regularis, qui non resignavit proprium, in morte careat christiana sepultura, et, si sepultus sit, exhumetur. Idem sancit Innocentius III in Concilio Lateran., ut habetur ibidem, cap. *Monachi*.

Porro votum paupertatis in eo proprie consistit, et ad hoc obligat sub peccato mortali, ut nihil liceat habere quasi proprium, aut sine venia Superioris, qui bonorum communium est dispensator. Unde S. Augustinus, *De Commun. vita Cleric.*, et habetur cap. *Non dicatur*, XII, *Quæst.* I : « Certum est, ait, eos nihil habere, possidere, dare vel accipere sine licentia Superioris debere. » Idem, in cap. XXVIII III *Reg.* : « Quod si, inquit, aliquid detur alicui, ut vestis, redigatur in communem rem, et cui necessarium fuerit, præbeatur. Quod si aliquis rem sibi collatam celaverit, furti judicio condemnetur. » Et S. Basilius, in *Constit. monast.*, cap. XXXV : « Furtum, inquit, est privata possessio. » Dices, cui furatur? Respondet S. Basilius : « Societatis enim expilatio est rei cujuscumque et undecumque in privatum usum sevocatio. » Quocirca idem S. Basilius, uti refert Cassianus, lib. VII *De Inst. Renunt.*, cap. XIX, senatori cuidam, qui abdicata dignitate, mundo et opibus, monachum professus erat, ita tamen, ut nonnulla sibi reservaret, ne manibus, ut cæteri monachi, laborare cogeretur, dixit : « Et senatorem perdidisti, et monachum non fecisti. »

Refert Auctor serm. *ad Fratres in eremo*, tom. X S. Augustini (certum enim est hos sermones non esse S. Augustini), *serm.* 5, Januarium monachum reliquisse sibi secreto centum siclos, quos cum post mortem ejus fratres invenissent, injecerunt in ejus sepulcrum plangentes et dicentes : « Pecunia tua tecum sit in perditionem. Non enim licet nobis servis Dei eam collocare in victu, vel in vestitu, vel in opere monachorum, quia pretium damnationis est. »

Simile refert Cæsarius, lib. IX *Histor. memorab.*, cap. LXIV, de proprietario monacho, quem exhumantes et in agrum projicientes cum suis quinque solidis conclamaverunt : « Pecunia tua, quam clam nobis contra professionem tuam possedisti, tecum sit in æternam perditionem. » Plura his similia recenset noster Alphonsus Rodriguez, tract. *De Paupertate*, in fine. De paupertate et proprio vide S. Augustinum, *epist.* 109, et S. Basilium loco citato, et S. Bernardum, tract. *De Modo bene vivendi*, cap. XLVIII. Scholastice vero et didactice vide nostros Suarium, Lessium et Thomam Sanchium, tract. *De Voto paupertatis*.

Ex hoc loco S. Bonifacius (et post eum omnes Episcopi cum ordinantur), dum ordinaretur Episcopus Moguntinus a Gregorio II, hac formula eidem juramentum obedientiæ et fidelitatis præstitit : « Quod si (quod absit) contra hujus promissionis meæ seriem aliquid facere quolibet modo, seu ingenio vel occasione tentavero, reus inveniar æterno judicio, ultionem Ananiæ et Sapphiræ incurram, qui vobis (id est beato Petro) etiam de rebus propriis fraudem facere præsumpserunt. » Ubi videtur indicare eos esse damnatos. Rursum S. Gregorius, exemplo Ananiæ, increpat Venantium, qui ex monacho factus erat Patricius et Cancellarius Italiæ. Sic enim ad eum scribit, lib. IX, *epist.* 33 : « Ananias pecunias Deo voverat, quas post diabolica victus persuasione subtraxit; sed qua morte mulctatus est, scis. Si ergo ille mortis periculo dignus fuit, qui eos quos dederat nummos Deo abstulit, considera quanto periculo in divino judicio dignus eris, qui non nummos, sed temetipsum Deo omnipotenti, cui te sub monachali habitu devoveras, subtraxisti? » Insuper ex ruina Ananiæ discant Confessarii, non facile suis pœnitentibus permittere ut voveant, præsertim rem integram et perpetuam, nisi diu multumque eorum constantiam probarint. Potius suadeant eis vota partialia et temporaria, v. g.



ut voveant se hanc illamve eleemosynam, aut opus pium facturos, se castitatem servaturos ad mensem vel annum, quo exacto novum novi mensis et anni votum nuncupent, si prius bene cesserit. Sic enim habebunt meritum voti sine periculo sacrilegii.

7. Uxor ipsius, nesciens quod factum fuerat. — Quia, ut ait Chrysostomus, « non est ausus quispiam annuntiare quod acciderat : adeo Petrum observabant et reverebantur eique obediebant. »

8. Dixit — « Salutanti mulieri, » inquit Cajetanus. Simplicius Syrus pro *respondit*, vertit, *dixit*, ut et Noster. Sic enim Hebræi *respondere* sumunt pro dicere et ordiri sermonem.

Si tanti. — Expressit Petrus pretii quantitatem, quæ ab Anania oblata fuerat. Ita Lyranus; eam tamen tacet Lucas.

9. Quid utique convenit vobis. — Τί συνεφωνήθη ὑμῖν, id est *quid convenit inter vos? quid compacti estis?* Tigurina et Pagninus, *quid conspirastis inter vos.*

Tentare Spiritum Domini. — « Spiritus » hic *primo*, propheticus accipi potest, *q. d.* Ut quid voluistis tentare et experiri, an ego Spiritu prophetico præditus sim, sciamque occultam vestram fraudem et furtum? Esto enim ipsi non intenderent hanc tentationem, re ipsa tamen tentabant. Ita Cajetanus. *Secundo*, Spiritus hic accipi potest pro judicio, condemnatione, zelo et indignatione Domini, cui pretium oblatum suffurati erant, *q. d.* Ut quid voluistis experiri judicium, indignationem et punitionem Domini? Unde sequitur :

Ecce pedes eorum, qui sepelierunt virum tuum, ad ostium. — *q. d.* Juvenes, qui occisum tuum maritum sepelierunt, sunt ad ostium, ut pari modo efferant et sepeliant te; Spiritu enim divino video eos redeuntes a sepultura viri tui, et pedibus suis appropinquantes ostio domus hujus.

11. Et factus est timor. — « Nullus, ait Chrysostomus, ibi ingemuit, nullus ejulavit, cum divinum judicium venerarentur et discerent Deum non esse contemnendum. »

Et in omnes, — super omnes. Ita Pagninus. Ergo etiam Judæos non credentes in Christum timor hic pervasit : cogitabant enim, si Petrus fideles ita perculit et occidit, ergo etiam nos potest percellere et occidere, si eum offendamus.

12. Per manus autem Apostolorum, — hoc est, per Apostolos, quasi per instrumenta thaumaturga omnipotentiæ Dei; manus enim est organum organorum, ait Aristoteles, lib. *De Partibus animal.* Adde revera multa miracula facta esse per manus, puta benedictione, extensione, elevatione vel contactu manuum, uti Petrus, manu elevans claudum, eum sanitati restituit, cap. III, vers. 7.

In plebe — simplici, humili, credula, ideoque magis disposita ad Dei dona præ principibus superbis opulentis et incredulis. Sic etiamnum videmus Sanctos fere per miracula opitulari simplicibus, plebeiis et pauperibus, non item doctis, nobilibus et divitibus.

In porticu Salomonis, — ut ibi liberius et pluribus prædicarent. Erat enim hæc porticus in atrio Gentium, ut dixi cap. III, vers. 2, quod omnibus, etiam immundis et Gentilibus patebat aditus; cum atrium Judæorum solis Judæis mundis et incontaminatis pateret. Adde porticum hanc fuisse amplissimam, ideoque capacem tot millium jam conversorum ad Christum, qui ad Apostolos orationis, Eucharistiæ et prædicationis causa confluebant.

13. Cæterorum autem nemo. — *Primo*, aliqui sic exponunt, *q. d.* Nemo Judæorum adhuc infidelium audebat nomen dare Christo et se aggregare Ecclesiæ et Apostolis, ob metum principum Apostolos persequentium. Verum obstat quod sequitur : « Magis autem augebatur credentium in Domino multitudo. » *Secundo*, alii explicant, *q. d.* Nemo fidelium eorum qui necdum se bonis abdicaverant, audebat se sociare Apostolis : timebant enim ne in casum Ananiæ et Sapphiræ inciderent. Sed hoc parum est probabile : ex casu enim Ananiæ potius incitati sunt ad contrarium, scilicet ad liberaliter offerendum sua omnia Apostolis : hoc enim faciendo, certi erant sibi nihil mali irrogandum; non faciendo autem, dubii et meticulosi. Dico ergo sensum esse, *q. d.* Apostoli soli degebant in porticu Salomonis, nemo cæterorum audebat se iis adjungere, se iis inserere, se profiteri Apostolum, aut Apostolis familiarem, idque partim metu Magistratuum, partim ex admiratione et reverentia Apostolorum, quod ad eorum dignitatem et virtutem se assurgere posse diffiderent. Erant enim, inquit Chrysostomus, « sicut angeli ita admirabiles, » interriti ad minas et pericula, divitiis et deliciis superiores, spirantes ignem divinum, gravitate [illegible] venerabiles, affabilitate amabiles, charitate fervidi, oratione cœlestes, moribus divini. Unde sequitur : « Sed magnificabat eos populus (1). »

14. Credentium in Domino, — id est credentium Domino, scilicet Jesu Christo. Est hebraismus, puta *beth* contactus, quod Hebræi jungunt omnibus verbis quæ tactum aliquem, sive corpora-

(1) « Cæterorum autem nemo, etc. » Obscurior est hic verborum nexus, ut certi quid de sensu eorum vix possit definiri. *Cæterorum* oppositum esse potest τῷ *populus*; cæteri igitur videntur esse proceres, vel etiam divites moribus et ingenio similes Ananiæ, ut dicatur, neminem porro ausum esse lucri causa sese adjungere Christo. Ita Rosenmullerus. Ex Heinrichsii sententia, *cæteri* sunt Christiani novissime conversi, quorum nemo (id est non multi) ausus sit familiariorem cum Apostolis consuetudinem inire, quia crederent Apostolis inesse divinum quid, hominique propius accedenti noxium. Quæ interpretatio Kuinoelio nimis longe petita esse videtur; ipse vero arbitratur *cæteros* opponi Apostolis in porticu Salomonis versantibus, et significari reliquos in porticu præsentes, sive Christiani fuerint, sive Judæi : nam *factus est timor magnus*, etc., vers. 11.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS ®

lem, sive spiritualem significant. Dicunt enim tangere in manu, id est tangere manum; percutere in capite, id est percutere caput; credere in Domino, id est credere Domino. *Credere* enim significat contactum spiritualem; qui enim credit, mentem suam per fidem extendit ad eum cui credit, itaque eum spiritualiter fide sua tangit. Vide dicta *Exod.* cap. XIII, vers. 31.

15. IN PLATEAS EJICERENT, — in plateas efferrent: hoc enim est Græcum *ἐκφέρειν*, *q. d.* Tanta erat miraculorum multitudo, tanta ægrorum ad Apostolos concurrentium copia, ut eos nec ad Apostolos deferre, nec Apostoli eos domatim obire possent; quare efferebant eos in plateas, per quas transituri erant Apostoli, ut ibi ab eis curarentur. Ita Cajetan.

GRABATIS. — *Grabatum* est species lecti simplicior et vilior, qualis est pauperum et ægrorum gestatilis, dum in eo jacentes a bajulis, vel jumentis ad nosodochium portantur, vel alio transferuntur. Ita Cicero, lib. II *De Divinat.*

UT VENIENTE PETRO SALTEM UMBRA ILLIUS OBUMBRARET QUEMQUAM ILLORUM. — Mira thaumaturgia Petri: non tantum corpore, sed et umbra sola corporis, quæ res inanis est corporisque et lucis mera privatio, sanat infirmos. Ecce hic impletum illud Christi: « Qui credit in me, opera quæ ego facio et ipse faciet, et majora horum faciet. » Petrus enim fecit miracula majora quam Christus. Porro non umbra, sed corpus Petri per umbram suam contingens ægros, sanabat eos quasi instrumentum et causa instrumentaria Dei omnipotentis, vel physica, vel potius moralis. Notat Bozius, lib. XVIII *De Notis Eccl.* cap. I (idque insinuat S. Chrysostomus), τὸ « *quemquam illorum*, » censetque eo significari, quod umbra Petri tangente unum duntaxat, cæteri omnes qui illi vicini vel in eadem platea expositi erant, sanarentur, esto ab umbra Petri non contingerentur. Sequitur enim in plurali: « Et liberarentur ab infirmitatibus suis. » In hunc sensum pronus est totus hic contextus nostræ versionis Latinæ, non vero Græcus, nec Syrus; uterque enim expungit illud: « Et liberarentur ab infirmitatibus suis. » Simplicior ergo et certior sensus est, *q. d.* Certatim omnes ambiebant inserere se in umbram Petri: quotquot enim ea tangebantur, sanabantur. Sic S. Vincentius Fererius, serm. *in Parasceve*, ait quosdam censere ideo unum duntaxat latronem, qui a dextris erat Christi crucifixi, fuisse conversum, quia ipsum solum tangebat umbra Christi crucifixi. Causam dat S. Ambrosius, lib. III *Hex.*: « Hanc viriditatem gratiæ semper florentis in Christo, inquit, secula Ecclesia dicit, *Cant.* II: In umbra ejus concupivi et sedi. Hanc prærogativam doni virentis acceperunt et Apostoli, quorum nec folium unquam potuit elabi, ut eorum etiam umbra curaret ægrotos. Obumbrabat enim infirmitati corporis fides mentis, et florentia merita virtutum. »

Symbolice, Beda censet per umbram Petri significari Ecclesiæ Sacramenta (quæ quasi gratiæ sunt velamenta), quorum in præsenti vita, quæ umbratica est, et instar umbræ pertransit, contactu justificamur, itaque per ea deducimur ad res cœlestes quæ umbris hisce figurantur. Rursum S. Augustinus, serm. 29 *De Sanctis*, infert, si tantum potuit umbra Petri, quantum poterunt ejus catenæ et reliquiæ? « Si tam medicabilis, inquit, fuit obumbratio visitantis, quanto magis catena vincientis? etc.; plus enim de corpore meruerunt attrahere salubritatis ferreo pondere sacris impressa membris vincula passionis. » Rursum si hoc potuit umbra, quid poterit imago Petri? Umbra enim est naturalis imago corporis, sed inanis et evanida; imago vero est realis et stabilis. Unde ab umbra ortam esse pingendi et effigiandi artem, post Plinium docet Clemens Alexandrinus, in *Exhortat.*

Denique Petri umbra docet prælatos debere residere, ut præsentes subditis suis eos curent, obumbrent, tegant et regant. Physice Plinius, lib. XVII, cap. XII, docet corpora suam qualitatem communicare umbræ: quare magnam vim in utramque partem inesse umbræ, ideoque in arboribus serendis ejus exactam habendam esse rationem. « Umbra, inquit, juglandium gravis et noxia, etiam capiti humano, omnibusque juxta satis, etc. Ficorum levis, quamvis sparsa, ideoque inter vineas seri non vetantur. Ulmorum levis, etiam nutriens quæcumque opacat. Jucunda platani, quanquam crassa. Populo nulla, indentibus foliis. Pinguis alno, sed pascens sata. Vitis sibi sufficit, mobili folio jactatuque crebro solem umbra temperans. Omnium fere levis umbra, quorum pediculi longi. Non fastidienda hæc scientia, atque non in ultimis ponenda, quando quibusque satis umbra aut nutrix, aut noverca est. Juglandium quidem, pinorumque et picearum, et abietis, quæcumque attigere, non dubie venenum est. » Idem, lib. VIII, cap. XXX, scribit: « Umbræ hyenæ contactu canes obmutescunt. » Simili modo umbra Petri et Sanctorum salutifera est bonis, noxia malis, non vi naturali, sed divina. Allusit ergo Deus in hoc umbræ Petri miraculo, ad naturalem umbræ proprietatem jam recensitam.

16. VEXATOS (*ὀχλουμένους*, id est *turbatos, perturbatos, agitatos*) A SPIRITIBUS IMMUNDIS, — puta energumenos a dæmonibus vel possessos, vel obsessos et divexatos. Dicuntur *immundi*, quia ardent superbia, ira et odio Dei et hominum; et quia homines ad gulam, venerem omniaque peccata sollicitant. Hinc et cum apparent, non nisi in specie asinorum, hircorum, felium, porcorum similiumque fœdorum et immundorum animalium apparent.

Nota: Hic et in Evangeliis crebra fit mentio possessorum a dæmone, quos curavit Christus et Apostoli: imo crebrior quam in toto veteri Testamento; quia vigebat tempore Christi hæresis Sadducæorum, negans esse angelos et spiritus, ad hanc refutandam permisit Deus dæmoni corpora humana possidere in eisque se et vim suam ostendere, idque aliquando sine culpa, aliquando ad puniendam culpam vel obsessorum, vel parentum, præsertim gravem et lethalem; subinde tamen quoque ob venialem, uti modicam gulam, iram, acediam, quorum exempla exstant apud S. Gregorium, lib. I *Dialog.* cap. IV; Cassianum, *Collat.* VII, cap. XXVII, et alios. Simili de causa Deus nunc permittit tot sagas et magos, totque eorum maleficia, contra atheos, qui pariter negant omnem spiritum, imo omne numen. Porro, inter alias dotes et notas Ecclesiæ collatas a Christo, una eminens est, potestas ejiciendi dæmones, uti ex continua experientia Gentilibus objicit S. Justinus, dialog. *contra Tryph.*, et S. Antonius, apud S. Athanasium. Unde exorcistas ad hoc Ecclesia ordinat, ut per sacros exorcismos dæmones expellant: cum ex adverso Lutherus, anno 1545, volens ejicere dæmonem, ab eo in extremas angustias redactus sit, uti narrat ejus tunc discipulus, sed postea hostis, Staphylus in responsione *Contra Smidelinum*, et Bredembachius, lib. VII *Collat.* cap. XL, qui et cap. XLII et XLIII plura similia exempla recenset.

QUI CURABANTUR OMNES. — Verisimile est multos ex his, visis miraculis Apostolorum, credidisse in Christum, ac cum baptizarentur, vi baptismi, utpote in quo adhibetur exorcismus ad expellendum dæmonem, a dæmone liberatos esse. Id enim multis aliis contigisse narrat hic noster Lorinus: eos vero qui post baptismum corripiebantur a dæmone, vi sacramenti Confirmationis, quod suscipiebant, ab eo liberari solitos narrat Prudentius, in *Apotheosi*, et Lactantius, lib. IV, cap. XXVII.

17. QUÆ EST HÆRESIS, — id est *secta*; Tigurina, *factio*, ut patet *Act.* cap. XXIV, vers. 14.

SADDUCÆORUM. — Syrus, *qui erant ex doctrina Sadducæorum, q. d.* Pontifex cum suis, qui secta erant Sadducæi, persecuti sunt Apostolos, eo quod prædicarent resurrectionem, quam ipsi, utpote Sadducæi, pertinaciter negabant. Innuit Pontificem fuisse pariter Sadducæum, ideoque Apostolis indignatum.

REPLETI SUNT ZELO. — Pagninus, *æmulatione*; Syrus, *invidia, q. d.* Induerunt zelum suæ sectæ, puta Sadducæismi tuendi, ideoque inviderunt Apostolis eum per miracula impugnantibus, et quasi de eo triumphantibus, eosque opprimere conati sunt; sed zelus Apostolorum, utpote cœlestis et divinus, vicit et oppressit zelum terrenum et perversum Sadducæorum.

18. IN CUSTODIA PUBLICA, — *δημοσίᾳ*, id est *populari et plebeia*, in qua incarcerati tenebantur fures et latrones aliique malefici plebeii et viles, ut eo majori ignominia et dolore afficerent Apostolos, quasi aliis maleficis similes, uti in culpa, ita et in pœna. Nobiles enim ponebantur in carcere secreto honoratiore et commodiore, ait Hugo.

[19]. ANGELUS AUTEM DOMINI. — Aliqui censent fuisse S. Michaelem, cui commissa est cura Ecclesiæ, ideoque et capitis ejus, puta Pontificis, qualis erat S. Petrus. Ita Pantaleon Chartophylax in *Encomio S. Michaelis*, quod extat apud Surium 29 septembris; Sophronius, tom. II *Biblioth. S. Patrum*, in *Encomio angelorum*, et alii. Addit Arator angelum hunc venisse coruscum ingenti lumine, eoque carcerem et noctem illustrasse, alioqui enim eum videre non potuissent Apostoli.

APERIENS JANUAS CARCERIS. — Rupertus, Dionysius, Gagneius et alii censent januas revera non fuisse apertas, sed per phantasiam: angelum enim eos eduxisse e carcere portis clausis, per penetrationem dimensionum (uti Christus nascens penetravit clausum matris uterum, et resurgens penetravit lapidem quo clausum erat sepulcrum), sed ita expedite, ac si per portas carceris apertas eos eduxisset: unde eis visum fuisse quod per portas apertas egressi essent. Verum contrarium est verius, scilicet angelum revera aperuisse carcerem: angelus enim non potest facere, ut corpus unum penetret aliud: sed mox ut eos eduxit, rursum januas clausit: unde eas clausas invenerunt ministri Magistratus, vers. 23.

Moraliter, disce hic in rebus arctis maxime suis adesse Deum, tuncque suam potentiam, etiam per miraculum, in iis tuendis ostendere: itaque nemini tunc desperandum, sed potius acuendam spem in Deum, ejusque opem maxima fiducia invocandam esse, uti hic fecisse Apostolos non est dubium.

20. ITE, ET STANTES, — quasi constantes in fide et prædicatione Christi. Statio enim est symbolum et gestus constantiæ et constantium. Unde *Sap.* cap. V, vers. 1, de iis dicitur: « Stabunt justi in magna constantia adversus eos qui se angustiaverunt. » Nota hic quantam libertatem et generositatem a præconibus suis requirat Deus et angeli, ut scilicet sese opponant toti concilio, eoque invito prædicent, ejus nec minas, nec tormenta, nec mortem metuentes.

LOQUIMINI, etc., OMNIA VERBA VITÆ HUJUS. — « Vitæ, » id est instituti, puta Christianismi; *secundo*, « vitæ, » scilicet Christianæ; *tertio*, « vitæ, » scilicet æternæ: quæ nimirum viam ostendunt, ducuntque ad salutem et vitam æternam.

21. INTRAVERUNT DILUCULO IN TEMPLUM. — Syrus, *tempore pulchritudinis*. Aurora enim est pulcherrima, tum sole Oriente auricomo, tum avium cantu, tum suavi per lucem et calorem e floribus, herbis, germinibus et rore, exhalante spiritu. Scribit Plato, lib. X *De Legibus*, Græcos omnes, æque ac Barbaros sole tam oriente quam occidente adorare Deum: quocirca Clemens, lib. II *Constit.*, cap. XXIV, acriter redarguit Christianos tardius templa adeuntes, cum Gentiles et Judæi suas Synagogas diluculo frequentent; quia et Sapiens, cap. XVI, vers. 28, docet manna cœlitus



UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

ninxisse diluculo : « Ut notum omnibus esset, inquit, quoniam oportet prævenire solem ad benedictionem tuam, et ad ortum lucis te adorare. » Ita hic Apostoli dimissi e carcere, primo diluculo adeunt templum, tum orationis et gratiarum actionis, tum prædicationis causa, scientes utique Judæos auditores de more diluculo ad orationem venturos in templum.

Cum Deo evigilandum eique indormiendum.

Præclare Climacus, magnus spiritualis vitæ magister, *gradu* 25, docet quemque debere diem cum oratione incipere et finire, ut cum Deo evigilet eique indormiat : inde enim totum reliquum vel diem, vel noctem pendere, ac proinde dæmonium vespertinum vespere, matutinum vero mane nobis insidiari : « Quoties, inquit, quietis causa lectulo decubuerimus, adveniens immundus spiritus iniquas ac sordidas cogitationes, velut spicula quædam jaculatur in nos, ut cum per desidiam ad orationem non exsurgimus, neque contra illum ocyus armamur, in sordidis obdormiamus cogitationibus sordidaque videamus somnia. » Subdit deinde de matutino : « Est e spiritibus unus qui præcursor dicitur, qui nos e somno surgentes protinus excipit, primumque nostrum cogitatum inquinare nititur. Da Domino primitias diei tui. Erit enim tota ejus, qui prior occupaverit. Memorabile verbum operarius quidam optimus locutus est : Ab ipso, inquit, matutino tempore cursum totum meum diei scio. » Fideles ergo illico ut evigilant, instar volucrum et cum volucribus incipiant jubilare Deo.

Adveniens, — ad locum concilio destinatum.

Convocaverunt concilium. — Syrus, *suos socios et collegas*, puta pontifices inferiores, qui ei a consilio erant, uti modo sunt Cardinales Pontifici (1).

24. Magistratus templi, — στρατηγὸς, id est dux militum; et quasi prætor templi, ut ex Chrysostomo et Beda dixi cap. iv, vers. 1.

De illis quidnam fieret? τί ἂν γένοιτο τοῦτο, *quidnam hoc esset*; vel, *quidnam de illis factum esset?* Ita Syrus; Tigurina, *quidnam hoc sibi vellet?* Vatablus, *quomodo hoc factum esset?* An scilicet Apostoli pecunia corrupissent custodes carceris, ad eum ipsis aperiendum, an vi perfregissent carcerem, an magico præstigio ex eo evasissent, uti videtur fecisse Apollonius Thyanæus, qui Romæ a Domitiano incarceratus, subito Puteolis apparuit, teste Philostrato, lib. VIII Vitæ ejus, cap. iv. Aliter vertit [illegible]nus, *quidnam hoc futurum esset?* q. d. Ne[illegible]bant quonam res hæc evaderet, quem exitum habitura esset.

26. Adduxit illos sine vi. — Paruerunt Magistratui, sive Prætori Apostoli, etsi non tenerentur possentque ejus vim propulsare plebis sibi addictæ auxilio, ut darent exemplum Evangelicæ humilitatis patientiæ, integritatis, constantiæ et obedientiæ erga Magistratus, etiam infideles et hostiles, juxta mandatum Christi, *Matth.* cap. x, vers. 12, et *Joan.* cap. xiv, vers. 27. Nihil enim timet bona conscientia nixa Deo certaque ejus ope et præsidio, « qui tanquam volucres illos (Apostolos) semper ex ipsorum (Judæorum) manibus eripiebat, » ait S. Chrysostomus.

28. Præcipiendo præcepimus. — *q. d.* Diserte, graviter et severe sub pœnis magnis præcepimus vobis.

Et vultis inducere. — *q. d.* Vultis nobis imputare et imponere crimen homicidii, quod scilicet impie et injuste Christum verum, innocentem et sanctum occiderimus, itaque nobis afflare infamiam et periculum vitæ, tum apud plebem, tum apud Romanos rerum dominos, potentes æque ac justos scelerum vindices. Inducere enim sanguinem alicujus super alium, est eum reum facere homicidii, ejusque pœnas ab eo deposcere, scilicet ut det suum sanguinem, et vitam pro sanguine alterius quem injuste effudit. « Oblitus est, ait Beda, princeps Sacerdotum debiti, quod ipse sibi et suis imprecatus erat, dicens : Sanguis ejus super nos et super filios nostros. »

Hominis istius, — Jesu Christi, quem dedignantur nominare, vel propter ejus claritatem, inquit Glossa : quia nimirum ei invident ejusque nomen obscurare et abolere conantur; vel propter odium : quos enim odimus, nec videre, nec audire, nec nominare sustinemus.

29. Respondens autem Petrus, et Apostoli. — Lyranus censet Petrum solum locutum esse pro cæteris, ne si omnes loquerentur, esset confusio vocum, quæ intelligi nequiret. Melius Hugo, Dionysius et alii censent, Petro responsionem inchoante, alios ei succenturiatos fuisse, ac quemque responsionem confirmasse : erant enim pleni zelo et ardore, tum prædicandi et profitendi Christum, tum pro eo patiendi.

Obedire oportet Deo magis quam hominibus. — Aurea est hæc gnome, modesta et fortis, cordibus omnium insculpenda, quæ praxim exigit quotidianam et jugem in quovis loco et tempore. Ea freti Apostoli et Martyres, opposuerunt se edictis Imperatorum de adorandis idolis aliisque rebus a Deo vetitis, usque ad ignes, cruces et bestias. Ita Machabæi responderunt Antiocho mandanti ut contra legem Dei vescerentur carne porcina : « Non obedio præcepto regis, sed præcepto legis, quæ data est nobis per Moysen, » II *Machab.* cap. vii, vers. 30. Huic simile est axioma Platonis in *Phedro* : « Nulli hominum fas est discedere ab eo munere quod Deus ei imperavit. » Nam, ut idem ait in *Eutyphro* : « Illud sanctum est, quod Deo gratum est et placet. »

*Secundo*, Apostoli tacite hac sententia et [illegible]

(1) *Concilium et omnes Seniores plebis Israel*, id est, [illegible]rium et totum senatum Israeliticum. Per *senatum* intelligendi sunt quicumque e singulis tribubus ætate et prudentia ad judicandum idonei videbantur, nec Sacerdotum, nec Levitarum classi adscripti essent. Supra iv, 5, iidem vocati sunt *Seniores Israel*.



quenti perstringunt suos judices et pontifices : « Magna enim sapientia ostendunt, quod illi cum Deo pugnent, » ait S. Chrysostomus.

31. Hunc Principem et Salvatorem. — σωτῆρα, de quo S. Augustinus, lib. III *De Trinit.*, cap. x, « qui est hebraice Jesus, inquit, græce σωτὴρ, nostra autem locutione Salvator. » Sic Gentiles Antiochum cognominarunt Soterem, a salute suis allata.

Exaltavit, — a terra in cœlum per gloriosam ascensionem, ait S. Chrysostomus, sicut eumdem, vers. 30, « suscitavit » a morte per resurrectionem. Rursum exaltavit eum in terra per nostram prædicationem, dando ei nominis claritatem, eique sensim subjiciendo Judæos et Gentes, « ut in nomine Jesu omne genuflectatur, cœlestium, terrestrium et infernorum, et omnis lingua confiteatur, quia Dominus Jesus Christus in gloria est Dei Patris, » *Philip.* cap. ii, vers. 11.

Ad dandam pœnitentiam, — ut per Christum, perque Christi merita, ad ejus gloriam, daret Israeli locum modumque pœnitentiæ, et per eam remissionem peccatorum, puta justitiam et salutem : non quod justificatio nostra consistat tota in remissione peccatorum per imputatam nobis justitiam Christi, uti delirat Calvinus, negans gratiam habitualem et virtutes infusas, cujus proinde errorem damnat Concilium Tridentinum, *sess.* vi, can. 11; sed quod justificatio nostra in hac vita, potius peccatorum remissione constet quam perfectione justitiæ, ait S. Augustinus, lib. XIX *De Civ.*, cap. xxvii. Nam post peccatum originale remissum in baptismo, remittuntur nobis peccata mortalia post baptismum admissa in sacramento Pœnitentiæ; post illud crebro ex innata concupiscentia relabimur in peccata saltem venialia, pro quorum remissione quotidie oramus ex præcepto Christi, dicentes : « Dimitte nobis debita nostra, sicut et nos dimittimus debitoribus nostris. » Vide Bellarminum, lib. II *De Justificat.*, cap. iii et vi.

Porro Petrus præ aliis donis Christi et Christianismi, proponit judicibus remissionem peccatorum, quia eis objiciebat peccatum gravissimum, quod scilicet Christum occidissent; ne ergo ejus veniam desperent, asserit Deum per Christum omnia omnino peccata, etiam hoc Christicidii, eis, si pœniteant et credant in Christum, condonaturum. Nam « Christus, inquit Œcumenius, a Deo exaltatus, injuriarum obliviscitur. »

32. Et nos sumus testes horum verborum, — id est harum rerum et mysteriorum (*verbum* enim ponitur pro *re* verbo significata, per metonymiam), puta Christi resurrectionis, ascensionis et exaltationis, ac pœnitentiæ et remissionis peccatorum, a Deo in Christum credentibus promissæ. Ita Lyranus.

Et Spiritus Sanctus. — Græce καὶ τὸ πνεῦμα καὶ τὸ ἅγιον, hoc est ut Pagninus et Tigurina, *insuper autem et Spiritus Sanctus*, *q. d.* Non tantum nos testes sumus Christi, sed et Spiritus Sanctus, qui per nos intrepide eloquitur hoc de Christo testimonium, quique per nos in fidem hujus sui testimonii tot signa et miracula operatur, imo omnibus in Christum credentibus se communicat, ac proinde et vobis, licet Christicidæ sitis, se communicabit, si in Christum credatis. Porro Spiritus Sanctus non tantum dabat testimonium Christi per Apostolos, sed et per seipsum, tum quia in forma linguæ, ignis, venti, visibiliter illabebatur credentibus in baptismo; tum quia menti credentium internam suggerebat fidem, spem et amorem in Christum. Qualis quantusque testis sit Spiritus Sanctus, docet S. Cyrillus, lib. X *in Joan.*, cap. xxxiii.

33. Hæc cum audissent, dissecabantur. — Syrus, *dilacerabant se præ furore*; alii, *frendebant et stridebant dentibus*, quasi per os serram traherent. Optime Noster *dissecabantur*, quasi serra iræ et furoris per medium cor dissecti et disserrati; hoc enim est Græcum διεπρίοντο. Nam ingens dolor, livor et ira, est quasi serra mentem irati dissecans, et discerpens in mille cogitationes, motus et æstus impatientiæ et indignationis. Ex adverso Apostoli mites et fortes, inter medios hostes constituti, summa pace mentisque serenitate fruebantur. Tanti est mens sibi conscia recti et in Deum defixa.

Cogitabant, — ἐβουλεύοντο, id est *consultabant*, ut vertit Tigurina et Pagninus.

34. Pharisæus. — *Pharisæus* hebraice idem est quod *expositor, explanator*, scilicet S. Scripturæ et legis divinæ; vel *separatus ab aliis*, scilicet religione et vitæ sublimitate. Habebantur enim inter Judæos legis peritissimi et observantissimi. Unde et Paulus ante conversionem fuit Pharisæus, cap. xxiii, 6, et *Philipp.* iii, 5. Vide ibi dicta.

Gamaliel. — Fuit hic magister S. Pauli, S. Barnabæ et S. Stephani, qui postea credidit in Christum ejusque fidem publice professus est, ac relatus inter Sanctos in *Martyrol.*, die 3 augusti, una cum filio suo Abibone, ut patet ex Luciano in *Relatione* inventionis corporis S. Stephani, Nicodemi, Gamalielis et Abibonis, quam recenset Baronius. Luciano enim apparens Gamaliel, locum sepulturæ suæ et sociorum revelavit. Jam ergo occulte favebat Christo et Apostolis, imo S. Clemens, lib. I *Recogn.*, cap. ix, et ex eo Beda asserunt eum jam fuisse Christianum (licet id neget Chrysostomus), sed Apostolorum suasu fidem celasse, ut in concilio Apostolos tueri et Pontificum contra eos consilia dissipare posset, uti fecit S. Sebastianus pro Christianis apud Diocletianum. Porro Gamaliel hebraice idem est quod *retributio mea Deus*, vel *ablactatus Dei*, vel *camelus meus fortis*, inquit Pagninus in *Nominibus hebraicis*, quæ omnia Gamalieli egregie quadrant.

Honorabilis, — τίμιος, id est *in pretio habitus*. Ita Tigurina et Pagninus, idque tum ob sapientiam, tum ob virtutem morumque gravitatem.

Jussit foras ad breve homines fieri. — *q. d.*

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ®
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

Præsidi concilii suggessit, ut juberet Apostolos ad breve tempus extra concilium educi. Ita Syrus, tum ne collegis suspicionem injiceret, quod Apostolis occulte faveret, si eos in præsentia excusasset, ait S. Chrysostomus; tum ut absentes efficacius defenderet. Ita Lyranus.

35. ATTENDITE VOBIS. — Lenit furorem judicum, suadendo cunctationem maturam, *q. d.* Nolite præcipitare sententiam ex passione et ira, ne ejus vos postea, sed sero pœniteat. Ita S. Chrysostomus. Sapienter Aristoteles, lib. VI *Ethic.*, cap. IX, asserit, « celeriter quidem deliberata agenda esse, cum mora autem consulendum. »

36. EXTITIT THEODAS. — Alii *Theudas*. Alius est hic a Theuda, de quo Josephus, lib. XX *Antiq.*, cap. II, qui sub Cuspio Fado, Præside Judææ, id est anno quarto Claudii Cæsaris, prophetam se finxit, multis post hanc Gamalielis orationem annis (hæc enim dixit Gamaliel anno 34 Christi, qui fuit 18 Tiberii Cæsaris : cui deinde successit Caius Caligula, Caio Claudius). In quo falsus est Eusebius, lib. II *Histor.*, cap. XI, Beda, Dionysius et alii : nisi dicas in chronologia Theudæ errare Josephum, ac Theudam diu ante Claudium rebellionem apud Judæos concitasse, quod tamen creditu est difficile, scilicet Josephum tot annis in re ævi sui errasse; fuit enim ipse Claudio coævus. Forte Theudas Josephi fuit filius vel nepos Theudæ nostri, qui ejus rebellionem sopitam suscitare patrisque vel patrui necem vindicare conatus est, uti et hodie fieri videmus.

DICENS SE ESSE ALIQUEM. — Græca addunt μέγαν, id est *magnum*; Syrus, *dicens se esse Rab*, vel *Rabbi*, id est magnum quemdam doctorem et prophetam. Persuasum erat populo ex oraculis Prophetarum, et ex sceptro a Juda in Herodem alienigenam translato, instare tempus Messiæ, qui Judæis regnum restitueret et toti orbi imperaret. Hujus persuasionis meminit quoque Tacitus, lib. XXI, et alii. Multi ergo impostores eam occasionem arripuerunt se pro Messia venditandi, inter quos videtur fuisse hic Theodas. Audi de eo Josephum : « Apud Judæam præstigiator quidam, nomine Theodas, persuasit magnæ vulgi multitudini, ut assumptis suis facultatibus sequeretur se ad Jordanem fluvium (prophetam enim se jactabat), pollicens scissurum se verbo Jordanem fluvium, ac facilem præbiturum transitum, talique promissione multos seduxit. At Fadus misit in eos equitum turmas, qui ex improviso irruentes ex his multos interemerunt, multos vivos ceperunt, et in his ipsum Theodam, cujus caput abscissum reportavit Hierosolymam. » Sive enim unus idemque fuerit Theodas Josephi et Gamalielis hic, sive diversus, certe uterque similis fuit genii et ingenii.

CUI CONSENSIT, — ᾧ προσεκολλήθη, id est *cui agglutinatus est*; Pagninus, *cui adhæsit* (1).

37. POST HUNC EXTITIT JUDAS GALILÆUS. — Hinc rursum colligas alium fuisse Theudam nostrum, alium Josephi; hic enim fuit sub Claudio, noster sub Augusto : fuit enim ante Judam Galilæum, qui Romanis rebellare cœpit nascente Christo. Ita Origenes, lib. I *Contra Celsum*, et tract. 21 *in Matth.*, docet Theudam fuisse ante Christi nativitatem, Judam vero paulo post eam, puta in censu quem fecit Augustus nascente Christo. Sic et Lucius Dexter, in *Chronico*, anno secundo Christi, qui fuit urbis Romæ 753, hæc habet : « Tres soles apparuerunt in Hispaniis in unum collecti. Augustus Tiberium et Agrippam in filios adoptat. Judas Galilæus Judæos ad rebellandum Romanis cohortatur; » imo et Lucas hic, aut potius Gamaliel dicens : « Post hunc extitit Judas Galilæus in diebus professionis, » id est in diebus census, ut mox dicam. Alii, qui volunt eumdem esse Theudam nostrum cum illo Josephi, ideoque posteriorem Juda Galilæo, respondent *post hunc* idem esse quod *præter hunc* : Græcum enim μετὰ non semper significat ordinem temporis, sed rerum connexionem. Verum dura et contorta videtur hæc expositio : Græce enim μετὰ τοῦτον, proprie significat *post hunc*, ut vertit Noster, Tigurina, Pagninus et alii passim, non *præter hunc*. Vers. 37. — Alius Gamaliel Judas qualis?

IN DIEBUS PROFESSIONIS, — ἀπογραφῆς, id est *descriptionis*. Ita Tigurina. Syrus, *in diebus quibus homines descripti sunt in pecunia capitationis*, puta capitatim in censu. In censu enim fiebant hæc tria : *primo*, singuli profitebantur se subditos Cæsaris Augusti; *secundo*, ei solvebant censum in signum subjectionis; *tertio*, describebantur a præside in tabulis Cæsareis, ad ineundum numerum Judæorum et aliarum gentium, quæ se Cæsari subditas profitebantur, ut ex illo sciret Cæsar quantæ essent provinciarum vires, tum ad pendendum vectigal, tum ad conscribendum militem, vel etiam imponendum, ne provinciæ fretæ sua multitudine et robore, Cæsari rebellarent. Hic est census de quo Lucas, cap. II, 1 : « Exiit edictum a Cæsare Augusto, ut describeretur universus orbis. Hæc descriptio prima facta est a præside Syriæ Cyrino : et ibant omnes ut profiterentur singuli in suam civitatem. Ascendit autem et Joseph, etc. » Judas ergo, occasione accepta hujus census, cœpit concitare Judæos ad rebellandum Romanis, dicens indignum esse ut gens fidelis, et filii Abrahæ hucusque liberi, servire inciperent infideli Cæsari et Romanis. Addebat lege iis vetitum esse dare Romanis vectigal. Nam *Deuter.* XXIII, post versum 17 : « Non erit meretrix, » etc., Septuaginta addunt : « Non erit τελεσφόρος de filiabus Israel, » quod Tertullianus, lib. *De Pudicitia*, cap. IX, et S. Hieronymus, *epist.* 146, vertunt : « Non erit vectigal pendens Vectigal Judæis vetitum. Deuter. cap. XXIII, quale?

(1) Pro προσεκολλήθη, in aliis codd. legitur προσεκλίθη, *inclinatus, innixus est*, quam lectionem genuinam judicant Griesbachius, Knappius et Schottus; in aliis προσεκλήθη, *advocatus est*, quæ lectio Kuinoelio præferenda videtur.



ex filiis Israel; » τέλος enim significat *vectigal*. Verum perperam : nam hæc sententia non habetur in Hebræo textu, nec in Latino et aliis. Quare videtur addita a Septuaginta ad explicandum præcedentem legem : « Non erit meretrix de filiabus Israel, nec scortator de filiis Israel, » scilicet per meretricem et scortatorem maxime hic intelligi eos qui se suamque turpitudinem Veneri et Priapo sacrilege dedicabant, qualis fuit mater Asa, regis Juda, et effeminati, de quibus III *Reg.* XV, 12 et 23; τελεσφόρος enim non tam a τέλος, id est *vectigal*, quam a τελετή, id est *consecratio*, deducitur. Unde S. Augustinus, lib. X *De Civit.*, cap. IX, ait, hac voce teletarum significari consecrationes quasdam, quæ vere erant fallaces ritus dæmonum, in quibus scilicet meretrices et effeminati dona ac præsertim partem pretii et lucri suæ turpitudinis offerebant Veneri, vel Priapo, sicut canephoræ apud Athenienses; planeque videtur τελεσφόρος dictum de femina, non de viro. Sequitur enim, « de filiabus Israel. » Et mox : « Et non erit τελισκόμενος, id est *initiatus*, de filiis Israel. » Ubi Theodoretus, Quæst. XXVIII *in Deuter.* : « Τελεσφόρον, ait, vocat eum qui mysteriis initiat; τελισκόμενον autem eum qui initiatur, » id est consecratur Veneris aut Priapi sacerdos, aut cultor vel cultrix. Tales enim Hebraice vocabantur *kades kadesca*, quod Noster in *Deuter.* vertit *meretrix et scortator*; alibi vero *effeminati*. *Kodes* enim proprie significat sanctum et consecratum alicui numini, ut hic meretricem Veneri. Ita et S. Cyrillus, lib. XV *De Adoratione*.

Judas ergo hic fuit auctor sectæ Galilæorum, qui pro libertate sua tuenda omne vectigal et dominium Cæsaris, etiam morte proposita abnuebant. Vide Josephum, lib. XVIII *Antiq.*, cap. I, qui et lib. XX, cap. III, addit Judæ filios, Jacobum et Simonem, sub Claudio imperatore, eadem de causa crucifixos esse. Sed audi eumdem de Galilæorum, etiam puerorum, pertinacia scribentem, lib. VII *Belli*, cap. XXIX : « Omni genere tormentorum et vexatione corporum in eos excogitata, ob hoc duntaxat, ut Cæsarem dominum faterentur, nemo cessit, neque dicere velle visus est; sed omnes illa necessitate validiorem sententiam conservavere, tanquam brutis corporibus, non animis etiam cruciatus ignemque susciperent. Maxime vero puerorum ætas miraculo spectantium fuit : nec enim vel eorum quisquam commotus est, ut dominum Cæsarem nominaret, usque adeo corporum infirmitatem vis audaciæ superabat. »

Diu hæc secta inter Judæos viguit, adeoque erupit in publicum bellum, quo Judæi a Tito et Vespasiano subjecti et excisi sunt. Hac de causa Christus et Apostoli, quia sub idem tempus cœperunt docere, et quia æque ac Judas ejusque asseclæ, erant Galilæi, in hæresis eorum suspicionem apud Judæos et Romanos venerunt, ideoque ut ab ea se alienos ostenderent, passim docent jubentque ut fideles principibus, etiam infidelibus, obediant, eisque debitum honorem et tributum impendant. Vide S. Paulum toto cap. XIII *ad Rom.* Quin et Christus hac de causa voluit solvere tributum, etiamsi ad id non obligaretur, *Matth.* XVII, 27. Hinc et Scribæ tentarunt Christum, ut eum apud Pilatum accusarent, dicentes : « Licetne tributum dare Cæsari, an non? » *Matthæi* XXII, 17. Ita S. Hieronymus ibidem.

Hi sunt Galilæi quos occidit Pilatus miscendo sanguinem sacrificiis eorum, *Lucæ* XIII, 1. De iisdem agit Hegesippus, lib. II *De Excid. Hieros.*, cap. V, ubi tamen eos Samaritanos vocat. Sed respondeo origine fuisse Galilæos, secta Samaritanos, ideoque a Judæis separatos templo, religione et sacrificiis. Aut certe mixti erant ex Samaritis et Galilæis. Porro quo fine et sensu Gamaliel citet rebelliones Theudæ et Judæ, mox patebit.

AVERTIT POPULUM. — Græce additur ἱκανόν, id est *multum*. Sic et Syrus.

DISPERSI SUNT, — annihilata est eorum secta et rebellio, quia omnes vel occisi, vel dispersi sunt, *q. d.* Pari modo annihilabitur hæc Apostolorum secta, si vergat ad seditionem vel aliud scelus : eo enim detecto, præses Romanus eos comprehendet et puniet, æque ac nos Pontifices et Scribæ, qui in eorum doctrinam et mores invigilamus; sin autem eorum secta sit pia et a Deo, non possumus, nec debemus ei resistere, uti ipse subdit vers. 39. Quare non præcipitemus consilium et sententiam, sed exspectemus et videamus quonam res eorum evadent : ita in nullam partem peccabimus; nec enim a populo vel Præside negligentiæ, nec a Deo imprudentiæ et temeritatis argui poterimus. Hoc est quod subdit :

38. ET NUNC ITAQUE DICO VOBIS : DISCEDITE AB HOMINIBUS ISTIS. — Hoc est, ut Syrus, Tigurina et Pagninus, *abstinete ab hominibus istis*, *q. d.* Nolite vos miscere eorum prædicationi : uti eam non probatis, ita nec improbate : tempus, quod veritatis est magister, docebit nos an ex Deo sit, an ex spiritu humano; hactenus neminem læserunt, nec quid impii aut perversi docuerunt : non enim docent cultum idolorum, nec blasphemant Deum Israelis : ergo adhuc in eos actionem nullam habemus, nullum jus persequendi aut puniendi. « Discedite » ergo, græce ἀπόστητε, id est abscedite et desistite a vestra contra eos inquisitione, nolite eorum res et acta dijudicare, nolite eorum conciones impedire, ne si novi Prophetæ sint a Deo missi, in Deum injurii sitis, ab eoque castigemini : sin autem humano seditionis aut ostentationis spiritu agantur, ille se prodet, eosque populo contemptibiles et magistratibus reos constituet, qui proinde eos compescent et punient; itaque hoc eorum opus et consilium per seipsum dissolvetur et corruet. Vers. 38. Prudens Gamalielis consilium.

39. SI VERO EX DEO EST, NON POTERITIS (nec physice, nec etiam moraliter, *q. d.* Licite non potestis, nec debetis) DISSOLVERE ILLUD. — Unde

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ® DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

sequitur : « Ne forte et Deo repugnare inveniamini. » Poterat dicere Gamaliel : Certum est hoc Apostolorum opus esse a Deo, idque probant tot eorum miracula. Verum quia judices ab eis plane aversos, imo in eos furentes vidit, prudenter id tacuit, ne et suum in Apostolos affectum proderet, et Judæorum furorem magis concitaret, ibique et Apostolis vitæ periculum crearet. Dicit ergo conditionate : « Si vero ex Deo est (uti revera est), non poteritis dissolvere ; » ut injecto Dei metu, quasi aqua frigida, eorum furorem mitiget et restinguat, quem plane extinguere et suffocare non poterat. Simul hoc dicto innuit, ut serio et sine passione inquirant an hoc opus non sit ex Deo : si enim considerent eorum mores sanctos ac miracula, facile visuros hoc esse opus Dei, q. d. « Credite quod non poteritis dissolvere, » ait S. Chrysostomus. Esto enim Apostoli docerent novam legem novumque Testamentum, quo vetus lex et sacrificia abroganda erant, tamen id ipsum futurum esse prædictum fuerat a Prophetis. Hujus autem mutationis jam tempus adesse, multis Scripturis et miraculis probabant Apostoli.

Abutuntur hac sententia Gamalielis hæretici, dicentes, cum accusamur apud Magistratus novæ doctrinæ, respondendum eis est : Si hoc opus est ex hominibus, dissolvetur ; si ex Deo, non poteritis dissolvere illud. Sed perperam : certum enim est omnem hæresim esse hæresim, id est doctrinam falsam et pestilentem, a Deo et Ecclesia damnatam, quam proinde Magistratus statim succidere debent, ne proserpat, multosque inficiat et perdat. Notum est quantum induciæ a Carolo V coacto datæ hæreticis in Germania usque ad Concilium generale, nocuerint Ecclesiæ, hæresimque propagarint, ut illa hucusque eradicari non potuerint. « Sermo enim eorum ut cancer serpit, » II *Timoth.* II, 17. Quocirca eos statim occidi jussit Deus, *Deuter.* XIII, 5. Secus fuit hic in Apostolis ; certum enim erat Gamalieli eorum doctrinam esse sanctam et divinam. Scribis vero et judicibus idipsum si non certum, certe dubium esse debebat ob tot signa et prodigia, quæ indies de Apostolis audiebant vel videbant. In tanto autem dubio non poterant bona conscientia Apostolos damnare ; cumque ex præconcepto contra eos præjudicio et aversione non vellent eos absolvere, omnino faciendum eis erat Gamalielis consilium, scilicet : Absistite ab hominibus istis, quoniam si ex hominibus est hoc eorum opus, dissolvetur ; sin ex Deo, dissolvere non poteritis illud. Quid enim aliud suadeas homini furenti et in scelus ruenti ?

Consenserunt autem illi, — scilicet, ne Apostolos interficerent, uti paulo ante furentes cogitarant vers. 33 ; non tamen furor eorum ita restinctus fuit, quin eos flagellarent et juberent prædicatione Christi abstinere, ut sequitur.

40. Cæsis denuntiaverunt ; — flagellarunt ergo vel fustigarunt Apostolos : Syrus, *verberarunt.* Græcum δείρω significat *verberare* et *excoriare.* Fecerunt id, quia quoquo modo « suæ libidini satisfacere voluerunt, ne nihil egisse viderentur, et insipienter ea tentasse quæ ipsis impossibilia erant, » ait S. Chrysostomus. Porro S. Clemens, lib. V *Constit.*, cap. II, hujus verberationis auctores facit Caipham, Annam et Alexandrum, asseritque non semel, sed sæpius ab eis verberatos esse Apostolos. Vere S. Athanasius, epist. *ad Orthodoxos in persec.* : « Flagella pati, inquit, Christianorum est, inferre Caiphæ et Pilati. » Impletur hic oraculum, quod Apostolis prædixit Christus : « In synagogis suis flagellabunt vos, » *Matth.* X, 17. Præclare S. Nazianzenus, oratione 23 *in laudem Heronis* : « Philosophi animus ex eo quod passus est, generosior redditur, atque ut candens ferrum frigidæ aspersione, ita ipse periculis obdurescit. »

Ne loquerentur in (id est *de*) nomine Jesu, — ne de Jesu prædicarent, scilicet eum resurrexisse et esse salvatorem mundi.

41. Ibant gaudentes. — « Tam fortis, ait Chrysostomus, invictaque res est virtus ; et dum patitur, affligentes vincit. » Et mox : « Est quippe fortitudinis excellentissimus gradus, non tantum patienter et libenter, sed lætanter quoque adversas res ferre. Hoc est omne gaudium, in varias tentationes incidere, » ut ait Jacobus, cap. I, vers. 2. Additque hanc fortitudinem et lætitiam in plagis, mirabiliorem esse omnibus signis et miraculis. Cassianus, *Collat.* XII, cap. XIII, narrat Christianum quemdam a Gentilibus divexatum, cum illi petulanter rogarent : « Quid miraculi Christus vester, quem colitis, fecit ? » respondisse : « Ut his, ac majoribus, si intuleritis, non movear, nec offendar injuriis. » Vers. 41. Gaudium in tribulationibus.

Ita S. Paulus exultat passim et gloriatur in suis vinculis, plagis, flagellis, lapidationibus. Vide totum cap. XI Epist. II *ad Cor.*

Unde S. Chrysostomus, hom. 1 in II *ad Cor.* : « B. Paulus, ait, cum videret quasi nivis cumulos tentationes quotidie ingruentes, non aliter quam si in medio paradiso vixisset, gaudebat gestiebatque. » Et S. Augustinus, lib. LXXXIII, *Quæst.* II, asserit « justos etiam sequestrata spe futuræ vitæ, jucundius et lætius præ amore veritatis torqueri, quam luxuriosi præ cupiditate ebrietatis epulentur. »

Ita in craticula exultabat S. Laurentius, irridens tyrannum : « Assatum est, versa et manduca. »

Ita in equuleis et acerbissimis tormentis exultabat S. Vincentius, sua lætitia vincens et affligens Dacianum judicem et tortorem.

S. Tiburtius, prunis candentibus insistens nudis plantis, dicebat « se super rosas ambulare. »

S. Theodorus Martyr die nona novembris, toto corpore dilaceratus cantabat : « Benedicam Dominum in omni tempore. »

S. Bonifacius, 14 maii ungulis excarnificatus jubilabat : « Gratias tibi ago, Domine Jesu Christe Fili Dei. »

S. Ignatius damnatus ad leones, audiens eos rugientes in amphitheatro Romano, exultans exclamabat : « Frumentum Christi sum, dentibus bestiarum molar, ut panis mundus inveniar. »

S. Barlaam manu thure plena, igni a carnificibus ante idolum imposita, ut, si manum ab igne retraheret, thusque in ignem excuteret, videretur idolo thurificasse, manum ardentem immotam in igne continuit, psallens : « Benedictus Dominus Deus meus, qui docet manus meas ad prælium, et digitos meos ad bellum. » Ita S. Basilius, orat. in S. *Barlaam.*

Joannes Fischerus, Episcopus Roffensis, damnatus ab Henrico VIII, Angliæ rege schismatico, ad mortem, cum duceretur ad supplicium, canebat hymnum : « Te Deum laudamus. »

Idem fecit noster Campianus in tribunali damnatus, cui Scherwinus in damnatione socius succinens, in hunc mentis vocisque jubilum erupit : « Hæc dies quam fecit Dominus, exultemus et lætemur in ea. » Hoc est quod ait Jeremias, *Thren.* III, 30 : « Dabit percutienti se maxillam, saturabitur opprobriis, » quasi ea esuriens iisque se pascens et exultans. Vide ibi dicta.

Quocirca S. Saturninus durum obiens in martyrio dolorum agonem, aiebat : « Breviter patior, libenter patior ; gratias ago, nec agere sufficio. Christe, da sufferentiam. Tibi laus, tibi decus. » Ita habet ejus Vita apud Surium die 11 februarii.

Marcus Arethusius sub Juliano Apostata excarnificatus, eo quod idolum confregisset, stylis confossus, melle illitus et suspensus, ut a vespis comederetur, suos tortores irrisit dixitque eos abjectos esse et humi repere, se vero erectum et in sublimi positum. Hac constantia et alacritate eos convertit. Ita Theodoretus, lib. III cap. VI. Idem dixit nuper Martyr quidam in Anglia, ex alto suspensus.

Quoniam digni habiti sunt. — Est enim ingens Dei donum, ut docet Apostolus, *Philip.* I, 29, pati pro Christo, ac consequenter ingens est dignitas, laus et gloria. Vide dicta *Philip.* I, ac S. Cyprianum, tract. *De Exhort. martyrii*, et epistola nona *ad Martyres*, ubi eos vocat fortissimos, fidelissimos, benedictos, beatissimos. Vide et Tertullianum, lib. *ad Martyres*, ubi eos vocat pugiles veritatis, milites Christi, victores sæculi. Idem, lib. *De Anima*, cap. XXXII : « Tota paradisi clavis, inquit, tuus sanguis est, » o Martyr. Idem, lib. *De Cultu femin.*, in fine : « Stolæ, inquit, martyriorum præparantur, angelis bajulis sustinentur. » Et Clemens Alexandrinus, lib. IV *Strom.* : « Martyria, inquit, sunt gloriosæ conversationis exemplaria. »

Pro nomine Jesu. — Hæc est causa tantæ dignitatis passionum et patientiæ, scilicet quod pro nomine, honore et amore Jesu patiantur. Hoc est mel, quod omne dolorum fel dulcorat. Audi S. Augustinum, in *Soliloq.*, cap. XXII : « Tu, Domine, es dulcedo inæstimabilis, per quam omnia amara dulcorantur. Tua enim dulcedo Stephano lapides torrentis dulcoravit ; tua dulcedo craticulam beato Laurentio dulcem fecit ; pro tua dulcedine ibant Apostoli gaudentes a conspectu concilii, quoniam digni habiti sunt pro nomine tuo contumeliam pati. Ibat Andreas securus ad crucem et gaudens, quoniam ad tuam dulcedinem properabat. Hæc enim tua dulcedo ipsos Apostolorum principes sic replevit, ut pro ipsa crucis patibulum unus eligeret, alter quoque caput ferienti gladio supponere non timeret. Pro hac emenda Bartholomæus propriam pellem dedit. Pro hac quoque gustanda veneni poculum intrepidus Joannes potavit. Hanc vero ut gustavit Petrus, omnium interiorum oblitus, clamavit quasi ebrius dicens : Domine, bonum est nos hic esse, faciamus hic tria tabernacula : hic moremur, te contemplemur, quia nullo alio indigemus : sufficit nobis, Domine, videre te, sufficit, inquit, tanta dulcedine satiari. Unam enim stillam dulcedinis ille gustavit, et omnem aliam fastidivit dulcedinem. Quid putas dixisset, si magnam illam multitudinem dulcedinis divinitatis tuæ gustasset, quam abscondisti timentibus te ! Hanc tuam dulcedinem ineffabilem et illa gustaverat virgo (S. Agatha), de qua legimus quod lætissima et glorianter ibat ad carcerem, quasi ad epulas invitata. Hanc, ut reor, et ipse gustaverat, qui dicebat : Quam magna multitudo dulcedinis tuæ, Domine, quam abscondisti timentibus te ! quique monebat : Gustate et videte, quoniam suavis est Dominus. Hæc est enim illa beatitudo, Domine Deus noster, quam exspectamus daturum te nobis, pro qua tibi, Domine, continue militamus ; pro qua tibi mortificamur tota die, ut in tua vita tibi vivamus. »

Contumeliam pati. — Vere S. Hieronymus : « Non quæras gloriam, et non dolebis cum eris inglorius : qui laudem non appetit, nec contumelias sentit. » Id videre est hic in Apostolis, qui spernendo contumelias, veram gloriam adepti sunt. Quid enim gloriosius, quam pati pro Deo suaque passione Dei gloriam illustrare ? Quid gloriosius, quam vitam expendere et sanguinem profundere pro eo qui eam nobis dedit ? Quid gloriosius, quam Christo tanta et tam dura pro nobis passo vicem reddere (ut ait Tertullianus, lib. *De Resurrectione carnis*), plagas plagis, probra probris, cruorem cruori rependere ? Etsi enim illius cruor infinities majoris sit pretii quam noster, tamen noster nobis pariter maximi est pretii : nec enim habemus quid pretiosius, quod ei rependamus. Hinc illæ laureæ, illæ coronæ, illi triumphi Martyrum in Ecclesia tam militante, quam triumphante. Sanctissimi viri, ut S. Franciscus, S. Xaverius, S. Antonius de Padua, ambierunt martyrium, ideoque ad Barbaros profecti sunt ; sed Deus eos hoc dono dignatus non est : hinc Martyres, qui eo digni habiti sunt, summas



UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS ®

pro eo Deo egerunt gratias, ut patet ex Actis S. Agnetis, S. Luciæ, S. Agathæ, S. Polycarpi, S. Marci et Marcelliani et aliorum Martyrum. Quocirca S. Ignatius, fundator Societatis nostræ, Christi causa in vincula conjectus, cum ab eo quæreret Franciscus Mendosius, postea Episcopus Burgensis et Cardinalis, num dolenter ferret illum carcerem ac vincula? respondit : « An tantum malum tibi videtur carcer esse? at vero non tam multæ Salmanticæ compedes sunt, non tot catenæ, quin ego plures pro Christo cupiam. » Ita Ribadeneira, in ejus Vita, lib. I, cap. xv. Idem roganti, « Quænam esset compendiaria via ad perfectionem? » respondit : « Multa pati pro Christo, » idque assidue postulare a Deo.

Merito ergo S. Hieronymus, epist. *ad Hedibiam, Quæst.* XI : « Triumphus Dei, inquit, est passio Martyrum, et pro Christi nomine cruoris effusio, inter tormenta mira perseverantia stare, torqueri et in suis tormentis gloriari. Ideo odor disseminatur inter gentes, et subit tacita cogitatio, nisi verum esset Evangelium, nunquam id sanguine defenderent. » Id sapiebat Michael illustris in Japonia martyr anno Domini 1609. Audi ejus animos et ignes, e litteris quas e carcere ad suos scripsit : « Non possum, inquit, Dei in me beneficentiam verbis exæquare, quod pro ejus fide captus sim, nimirum ex illo die dignatam esse augustissimam illam Majestatem, et animæ et corporis mei velut adire et capere possessionem : inde in summa pace fui. Æstuabat cor meum inæstimabili desiderio, sui ad omnem Dei nutum, in prosperis et adversis, ad unguem conformandi. » Et nonnullis interjectis : « Nunc intelligo irrisiones, contemptus, fastidia, quaslibet denique injurias pro Dei amore æquo animo toleratas, omnibus regum et Imperatorum sceptris ac diadematibus esse infinitis partibus anteponenda. Quadriennio fui in carcere ita lætus et alacer, ut uno tantum die mihi fuisse videar. » Ecce hi sunt spiritus primitivæ Ecclesiæ, in novella Japonum Ecclesia recalescentes, quos suscitat instinctu Spiritus Sancti.

42. Omni autem die non cessabant. — Mirare hic tum Apostolorum fortitudinem, tum Pontificum et Magistratuum stuporem. Paulo ante cæsis denuntiaverunt, ne amplius prædicarent Christum : prædicant nihilominus ipsi ubique et publice, et tamen tacent Pontifices et Magistratus, perinde ac si elingues et enerves essent : nimirum Deus ligabat eis mentem, manum et linguam.

Circa domos, — *κατ' οἶκον, per domos, de domo in domum*; Tigurina, *domesticatim*; Pagninus, *in singulis domibus*. Ita boni Pastores non tantum suas oves pascunt et docent publice in templo sed et privatim obeuntes singulorum domos eos instruunt, consolantur, hortantur et incitant ad omne bonum.

Nota : Sub hoc tempus occasione persecutionum Judæorum, Apostoli ex impulsu Spiritus Sancti quem recenter in Pentecoste ad hoc receperant, cœperunt cogitare de implendo testamento Christi : « Euntes in mundum universum prædicate Evangelium omni creaturæ, » *Matth.* xxviii. Quocirca Lucius Dexter, Præfectus prætorio Orientis, in suo Chronico nuper edito (si tamen illud ipsum sincerum est), quod dedicavit S. Hieronymo, sicut vicissim S. Hieronymus eidem dedicavit tract. *De Scriptor. Ecclesiasticis*, de iis ita scribit : « Anno Christi trigesimo quarto (quo mortuus est, resurrexit et ascendit in cœlum), ultima die junii, sancti Dei Apostoli, triginta et octo diebus plus minus post adventum Spiritus Sancti (puta post Octavam Pentecostes), conveniunt in cœnaculo Sion (quæ domus erat Mariæ, matris Joannis, cognomento Marci), ac habito consilio sortitioneque divina, provincias mundi prædicationis gratia inter se partiuntur. Contigitque S. Jacobo, Zebedæi filio, Hispania; Joanni Asia, Matthæo Æthiopia, Thomæ India, Philippo Scythia et Gallia (forte Gallogræcia sive Galatia). Quo tempore Canones eduntur et Apostolicæ Constitutiones componuntur, ad Sacramentorum et totius Ecclesiæ œconomiam, » multo magis Symbolum Apostolorum. Unde subdit anno Christi 37, qui fuit tertius post ascensum Christi in cœlum, S. Jacobum profectum esse in Hispanias, ibique evangelizasse, de quo plura cap. viii, 1. Addit Dexter : « Sacra virgo Maria consilio, luce doctrinæ et mirabili vitæ exemplo collegio præsidet Apostolico, nihilque grave gerunt illi, quod non ejus consilio ductuque gerant. » Et mox : « Anno Christi trigesimo septimo B. Virgo, Jacobo preces fundenti Cæsaraugustæ in columna apparet in spiritu, veniente quoque Joanne Theologo. » Et paulo ante : « Jacobus primum templum, vel oratorium B. Virgini, ex ejus jussu præsentiaque super columnam Cæsaraugustæ erexit. » Et inferius ad annum Christi 86 : « Apud Messanenses celebris est memoria B. Virginis Mariæ, missa prius ab eadem dulci epistola. » Et iterum ad annum Christi 35 : « Ad quam (B. Virginem) frequens ex Hispania fiebat peregrinatio. » Hac enim de causa Christus matrem sibi superstitem esse voluit, ut quasi sui Vicaria, columen esset Ecclesiæ, doctrix Apostolorum et consolatrix fidelium. Verum de his aliis. Sane mox a Pentecoste Apostolos e Jerusalem abiisse in suas provincias, censent Gaspar Sanchez, Christophorus a Castro aliique viri eruditi; qua de re quid sentiendum videatur, dicam cap. xii.

B. Virgo doctrix Apostolorum.



# CAPUT SEXTUM.

## SYNOPSIS CAPITIS.

*Ad sedandum murmur Græcorum, Apostoli creant septem Diaconos, inter quos eminens S. Stephanus, vers. 19, disputans cum Judæis, eosque convincens, ab eis capitur, et reus violatæ legis Mosaicæ in concilio agitur.*

1. In diebus autem illis, crescente numero discipulorum, factum est murmur Græcorum adversus Hebræos, eo quod despicerentur in ministerio quotidiano viduæ eorum. 2. Convocantes autem duodecim multitudinem discipulorum, dixerunt : Non est æquum nos derelinquere verbum Dei, et ministrare mensis. 3. Considerate ergo fratres, viros ex vobis boni testimonii septem, plenos Spiritu Sancto et sapientia, quos constituamus super hoc opus. 4. Nos vero orationi et ministerio verbi instantes erimus. 5. Et placuit sermo coram omni multitudine. Et elegerunt Stephanum, virum plenum fide et Spiritu Sancto, et Philippum, et Prochorum, et Nicanorem, et Timonem, et Parmenam, et Nicolaum, advenam Antiochenum. 6. Hos statuerunt ante conspectum Apostolorum; et orantes imposuerunt eis manus. 7. Et verbum Domini crescebat, et multiplicabatur numerus discipulorum in Jerusalem valde; multa etiam turba sacerdotum obediebat fidei. 8. Stephanus autem plenus gratia et fortitudine, faciebat prodigia et signa magna in populo. 9. Surrexerunt autem quidam de Synagoga, quæ appellatur Libertinorum, et Cyrenensium, et Alexandrinorum, et eorum qui erant a Cilicia et Asia, disputantes cum Stephano; 10. et non poterant resistere sapientiæ et spiritui qui loquebatur. 11. Tunc summiserunt viros, qui dicerent se audivisse eum dicentem verba blasphemiæ in Moysen et in Deum. 12. Commoverunt itaque plebem, et seniores et Scribas; et concurrentes rapuerunt eum, et adduxerunt in concilium. 13. Et statuerunt falsos testes, qui dicerent : Homo iste non cessat loqui verba adversus locum sanctum et legem. 14. Audivimus enim eum dicentem : Quoniam Jesus Nazarenus hic destruet locum istum, et mutabit traditiones quas tradidit nobis Moyses. 15. Et intuentes eum omnes, qui sedebant in concilio, viderunt faciem ejus tanquam faciem angeli.

1. In diebus illis, — quibus incarcerati et flagellati fuerunt Apostoli, uti præcessit. Ita S. Chrysostomus. Lucius Dexter in *Chronico* tradidit Diaconos hos creatos anno Christi 34, paulo post ejus ascensum in cœlum, nutu et consilio B. Virginis : « Apostoli, inquit, septem Apostolicos Diaconos, ex Græcis omnes creant. » Eodem anno eos creatos docet Baronius, qui et ex Eusebio in Chronico addit, eodem anno Jacobum Alphæi, fratrem Domini, a S. Petro ordinatum esse Episcopum Hierosolymorum, 27. die decembris, ac sedisse annis 29.

Crescente numero. — Per persecutiones enim semper crevit crescitque Ecclesia : « Plures efficimur quoties metimur a vobis : semen est sanguis Christianorum, » ait Tertullianus, *Apolog.*, cap. ult. Tanta enim modestia, pietas, innocentia, fortitudo, charitas, tantus tormentorum et mortis contemptus, tantus ardor patiendi pro Christo, elucebat in vultu Apostolorum et Martyrum, ut Gentiles ad eorum fidem et vitam capessendam raperet. Videbant enim has dotes esse supra naturæ vires, nec ab alio quam a Deo posse aspirari. Hinc S. Hieronymus, in Vita S. Malchi : « Persecutionibus, inquit, crevit Ecclesia, martyriis coronata est. »

Factum est murmur Græcorum adversus Hebræos. — Ecce post persecutiones schismata vexant Ecclesiam, quorum causa fuit duplex. *Prima*, multitudo et turba : inter paucos stetit una anima et unum cor, inter multos multæ subintrarunt animæ et multa corda, diversa scilicet judicia, desideria, voluntates, cupiditates, quæ unionem hanc ex parte disciderunt. Idem videmus factum in Ordinibus et monasteriis, juxta illud : « Multiplicasti gentem : non magnificasti lætitiam, » *Isaiæ* ix, 3. *Secunda*, diversitas nationum : Græci enim certant cum

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ® DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

pro eo Deo egerunt gratias, ut patet ex Actis S. Agnetis, S. Luciæ, S. Agathæ, S. Polycarpi, S. Marci et Marcelliani et aliorum Martyrum. Quocirca S. Ignatius, fundator Societatis nostræ, Christi causa in vincula conjectus, cum ab eo quæreret Franciscus Mendosius, postea Episcopus Burgensis et Cardinalis, num dolenter ferret illum carcerem ac vincula? respondit : « An tantum malum tibi videtur carcer esse? at vero non tam multæ Salmanticæ compedes sunt, non tot catenæ, quin ego plures pro Christo cupiam. » Ita Ribadeneira, in ejus Vita, lib. I, cap. xv. Idem roganti, « Quænam esset compendiaria via ad perfectionem? » respondit : « Multa pati pro Christo, » idque assidue postulare a Deo.

Merito ergo S. Hieronymus, epist. *ad Hedibiam*, *Quæst.* XI : « Triumphus Dei, inquit, est passio Martyrum, et pro Christi nomine cruoris effusio, inter tormenta mira perseverantia stare, torqueri et in suis tormentis gloriari. Ideo odor disseminatur inter gentes, et subit tacita cogitatio, nisi verum esset Evangelium, nunquam id sanguine defenderent. » Id sapiebat Michael illustris in Japonia martyr anno Domini 1609. Audi ejus animos et ignes, e litteris quas e carcere ad suos scripsit : « Non possum, inquit, Dei in me beneficentiam verbis exæquare, quod pro ejus fide captus sim, nimirum ex illo die dignatam esse augustissimam illam Majestatem, et animæ et corporis mei velut adire et capere possessionem : inde in summa pace fui. Æstuabat cor meum inæstimabili desiderio, sui ad omnem Dei nutum, in prosperis et adversis, ad unguem conformandi. » Et nonnullis interjectis : « Nunc intelligo irrisiones, contemptus, fastidia, quaslibet denique injurias pro Dei amore æquo animo toleratas, omnibus regum et Imperatorum sceptris ac diadematibus esse infinitis partibus anteponenda. Quadriennio fui in carcere ita lætus et alacer, ut uno tantum die mihi fuisse videar. » Ecce hi sunt spiritus primitivæ Ecclesiæ, in novella Japonum Ecclesia recalescentes, quos suscitat instinctus Spiritus Sancti.

42. Omni autem die non cessabant. — Mirare hic tum Apostolorum fortitudinem, tum Pontificum et Magistratuum stuporem. Paulo ante cæsis denuntiaverunt, ne amplius prædicarent Christum : prædicant nihilominus ipsi ubique et publice, et tamen tacent Pontifices et Magistratus, perinde ac si elingues et enerves essent : nimirum Deus ligabat eis mentem, manum et linguam.

Circa domos, — *κατ' οἶκον, per domos, de domo in domum*; Tigurina, *domesticatim*; Pagninus, *in singulis domibus*. Ita boni Pastores non tantum suas oves pascunt et docent publice in templo sed et privatim obeuntes singulorum domos eos instruunt, consolantur, hortantur et incitant ad omne bonum.

Nota : Sub hoc tempus occasione persecutionum Judæorum, Apostoli ex impulsu Spiritus Sancti quem recenter in Pentecoste ad hoc receperant, cœperunt cogitare de implendo testamento Christi : « Euntes in mundum universum prædicate Evangelium omni creaturæ, » *Matth.* xxviii. Quocirca Lucius Dexter, Præfectus prætorio Orientis, in suo Chronico nuper edito (si tamen illud ipsum sincerum est), quod dedicavit S. Hieronymo, sicut vicissim S. Hieronymus eidem dedicavit tract. *De Scriptor. Ecclesiasticis*, de iis ita scribit : « Anno Christi trigesimo quarto (quo mortuus est, resurrexit et ascendit in cœlum), ultima die Junii, sancti Dei Apostoli, triginta et octo diebus plus minus post adventum Spiritus Sancti (puta post Octavam Pentecostes), conveniunt in cœnaculo Sion (quæ domus erat Mariæ, matris Joannis, cognomento Marci), ac habito consilio sortitioneque divina, provincias mundi prædicationis gratia inter se partiuntur. Contigitque S. Jacobo, Zebedæi filio, Hispania; Joanni Asia, Matthæo Æthiopia, Thomæ India, Philippo Scythia et Gallia (forte Gallogræcia sive Galatia). Quo tempore Canones eduntur et Apostolicæ Constitutiones componuntur, ad Sacramentorum et totius Ecclesiæ œconomiam, » multo magis Symbolum Apostolorum. Unde subdit anno Christi 37, qui fuit tertius post ascensum Christi in cœlum, S. Jacobum profectum esse in Hispanias, ibique evangelizasse, de quo plura cap. viii, 1. Addit Dexter : « Sacra virgo Maria consilio, luce doctrinæ et mirabili vitæ exemplo collegio præsidet Apostolico, nihilque grave gerunt illi, quod non ejus consilio ductuque gerant. » Et mox : « Anno Christi trigesimo septimo B. Virgo, Jacobo preces fundenti Cæsaraugustæ in columna apparet in spiritu, veniente quoque Joanne Theologo. » Et paulo ante : « Jacobus primum templum, vel oratorium B. Virgini, ex ejus jussu præsentiaque super columnam Cæsaraugustæ erexit. » Et inferius ad annum Christi 86 : « Apud Messanenses celebris est memoria B. Virginis Mariæ, missa prius ab eadem dulci epistola. » Et iterum ad annum Christi 35 : « Ad quam (B. Virginem) frequens ex Hispania fiebat peregrinatio. » Hac enim de causa Christus matrem sibi superstitem esse voluit, ut quasi sui Vicaria, cœtumen esset Ecclesiæ, doctrix Apostolorum et consolatrix fidelium. Verum de his aliàs. Sane mox a Pentecoste Apostolos e Jerusalem abiisse in suas provincias, censent Gaspar Sanchez, Christophorus a Castro aliique viri eruditi; quid de re quid sentiendum videatur, dicam cap. xii.

B. Virgo doctrix Apostolorum.



# CAPUT SEXTUM.

## SYNOPSIS CAPITIS.

*Ad sedandum murmur Græcorum, Apostoli creant septem Diaconos, inter quos eminens S. Stephanus, vers. 19, disputans cum Judæis, eosque convincens, ab eis capitur, et reus violatæ legis Mosaicæ in concilio agitur.*

1. In diebus autem illis, crescente numero discipulorum, factum est murmur Græcorum adversus Hebræos, eo quod despicerentur in ministerio quotidiano viduæ eorum. 2. Convocantes autem duodecim multitudinem discipulorum, dixerunt : Non est æquum nos derelinquere verbum Dei, et ministrare mensis. 3. Considerate ergo fratres, viros ex vobis boni testimonii septem, plenos Spiritu Sancto et sapientia, quos constituamus super hoc opus. 4. Nos vero orationi et ministerio verbi instantes erimus. 5. Et placuit sermo coram omni multitudine. Et elegerunt Stephanum, virum plenum fide et Spiritu Sancto, et Philippum, et Prochorum, et Nicanorem, et Timonem, et Parmenam, et Nicolaum, advenam Antiochenum. 6. Hos statuerunt ante conspectum Apostolorum; et orantes imposuerunt eis manus. 7. Et verbum Domini crescebat, et multiplicabatur numerus discipulorum in Jerusalem valde; multa etiam turba sacerdotum obediebat fidei. 8. Stephanus autem plenus gratia et fortitudine, faciebat prodigia et signa magna in populo. 9. Surrexerunt autem quidam de Synagoga, quæ appellatur Libertinorum, et Cyrenensium, et Alexandrinorum, et eorum qui erant a Cilicia et Asia, disputantes cum Stephano; 10. et non poterant resistere sapientiæ et spiritui qui loquebatur. 11. Tunc summiserunt viros, qui dicerent se audivisse eum dicentem verba blasphemiæ in Moysen et in Deum. 12. Commoverunt itaque plebem, et seniores et Scribas; et concurrentes rapuerunt eum, et adduxerunt in concilium. 13. Et statuerunt falsos testes, qui dicerent : Homo iste non cessat loqui verba adversus locum sanctum et legem. 14. Audivimus enim eum dicentem : Quoniam Jesus Nazarenus hic destruet locum istum, et mutabit traditiones quas tradidit nobis Moyses. 15. Et intuentes eum omnes, qui sedebant in concilio, viderunt faciem ejus tanquam faciem angeli.

1. In diebus illis, — quibus incarcerati et flagellati fuerunt Apostoli, uti præcessit. Ita S. Chrysostomus. Lucius Dexter in *Chronico* tradidit Diaconos hos creatos anno Christi 34, paulo post ejus ascensum in cœlum, nutu et consilio B. Virginis : « Apostoli, inquit, septem Apostolicos Diaconos, ex Græcis omnes creant. » Eodem anno eos creatos docet Baronius, qui et ex Eusebio in Chronico addit, eodem anno Jacobum Alphæi, fratrem Domini, a S. Petro ordinatum esse Episcopum Hierosolymorum, 7. die decembris, ac sedisse annis 29.

Crescente numero. — Per persecutiones enim semper crevit crescitque Ecclesia : « Plures efficimur quoties metimur a vobis : semen est sanguis Christianorum, » ait Tertullianus, *Apolog.*, cap. ult. Tanta enim modestia, pietas, innocentia, fortitudo, charitas, tantus tormentorum et mortis contemptus, tantus ardor patiendi pro Christo, elucebat in vultu Apostolorum et Martyrum, ut Gentiles ad eorum fidem et vitam capessendam raperet. Videbant enim has dotes esse supra naturæ vires, nec ab alio quam a Deo posse aspirari. Hinc S. Hieronymus, in Vita S. Malchi : « Persecutionibus, inquit, crevit Ecclesia, martyriis coronata est. »

Factum est murmur Græcorum adversus Hebræos. — Ecce post persecutiones schismata vexant Ecclesiam, quorum causa fuit duplex. *Prima*, multitudo et turba : inter paucos stetit una anima et unum cor, inter multos multæ subintrarunt animæ et multa corda, diversa scilicet judicia, desideria, voluntates, cupiditates, quæ unionem hanc ex parte disciderunt. Idem videmus factum in Ordinibus et monasteriis, juxta illud : « Multiplicasti gentem : non magnificasti lætitiam, » *Isaiæ* ix, 3. *Secunda*, diversitas nationum : Græci enim certant cum

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS ®

Hebræis. Solet enim quisque suam gentem præ extera amare, quin et exteram parvipendere, imo subinde aversari et odisse. Quocirca Paulus crebro fideles monet, in Christo et Ecclesia ponenda esse hæc gentium, linguarum et morum dissidia : « Non est Judæus, inquit, neque Græcus; non est servus, neque liber; non est masculus, neque femina. Omnes enim vos unum estis in Christo Jesu, » *Galat.* III, 28 (1).

GRÆCORUM, — Ἑλληνιστῶν, id est *Græcistarum*, sive *Græcizantium*, puta Judæorum, qui extra Judæam in Græcia nati, aut in ea diu versati, Græca utebantur lingua Græcisque moribus. Hi enim non Ἕλληνες, id est Græci, sed Ἑλληνισταί, id est *Græcistæ*, vocabantur. Hebræos enim colonias in Græciam, ut Lacedemona, et in Ioniam duxisse, tradit Josephus, lib. XII *Antiq.*, cap. V; et lib. XIV, cap. IX; et lib. XVI, cap. IV. Nam Gentiles nondum videntur admissi fuisse ad Ecclesiam et Christianismum : primus enim ad eam admissus videtur fuisse Cornelius, de quo cap. X. Contrarium tamen censet Glossa et alii, qui per Græcos accipiunt Gentiles : aliquos enim Gentiles mixtos Judæis, probabile est audita prædicatione Petri, ad Christum esse conversos, de quo plura, cap. X. Notat Bozius, *De Signis Eccles.*, lib. XIX, cap. III, Græcos, uti primi murmurarunt, ita primos schisma fecisse et discessisse ab Ecclesia utpote in novitates et factiones proclives : quanquam Græci hic, sive Græcizantes, vocentur non solum illi qui e Græcia, sed etiam qui ex Cilicia, Parthia, Media aliave quavis Gentilium regione venerant : nam post tempora Alexandri Magni et Antiochi, Judæi omnes Gentiles vocabant Græcos. Unde Apostolus, *Roman.* I, 16, et alibi, opponit Judæum Græco, id est Gentili.

HEBRÆOS, — qui in Judæa nati Hebraice, sed corrupte, hoc est Syriace, loquebantur.

Ministerium activum et passivum. EO QUOD DESPICERENTUR IN MINISTERIO QUOTIDIANO VIDUÆ EORUM. — Quis hic despectus? quod ministerium? *Primo*, Rabanus censet Græcas mulieres ab Hebræis deputatas ad viliora ministeria nimioque labore oppressas. *Secundo*, S. Chrysostomus et Beda censent Græcas viduas quasi rudiores repulsas fuisse ab Hebræis a ministrando, ut rarius ministrarent quam Hebrææ. *Tertio*, Œcumenius, quem sequuntur Gagneius et Cajetanus, ministerium hoc non active, ut Beda, sed passive accipit, quo scilicet illis dividebantur et ministrabantur necessaria ad victum, *q. d.* Male alebantur viduæ Græcorum. Omnes hi sensus probabiles et connexi sunt. Viduis enim competebat ministerium non tantum passivum, sed et activum proprie dictum : ipsæ enim, utpote seniores matres familias, ministrabant et dividebant aliis necessaria. Nam in earum locum ad hoc ministerium ordinati sunt Diaconi. Apostoli enim murmuri occursuri, active dicunt : « Non est æquum nos ministrare mensis, » ideoque creant Diaconos, qui loco viduarum iis ministrent. A viduis ergo totum murmur proserpit ad viros : feminæ enim, uti minus habent judicii quam viri, ita magis privatis ducuntur affectibus. Origo ergo murmuris videtur fuisse hæc, quod viduæ Hebrææ, eo quod Hebrææ essent, arrogarent sibi honoratiora et locupletiora ministeria, præsertim distribuendi cibos et vestes, ut patebit vers. 3, viliora vero et tenuiora relegarent ad Græcas. Rursum, quod in distributione ciborum et vestium, magis favere plusque dare viderentur Hebræis, quam Græcis.

Æqualitas origo concordiæ. Moraliter : hinc disce, in omni republica et communitate, pacis et concordiæ causam esse æqualitatem, si videlicet omnes pari jure et modo tractentur; murmuris vero et discordiæ causam esse inæqualitatem, si alii aliis dominari, vel plus habere velint. Ita videmus in monasteriis, ubi hæc æqualitas exacte servatur, perfectam esse pacem et disciplinam : ubi vero non, utramque languere et interire.

2. NON EST ÆQUUM (Tigurina, *non est commendabile*; Pagninus, *non est placitum* Deo et hominibus; Syrus, *non est res pulchra*; alii, *non est conveniens* : omnia hæc significat ἀρεστόν) NOS DERELINQUERE VERBUM DEI (docere et prædicare) ET MINISTRARE MENSIS. — *q. d.* Nostrum est pascere animas vestras cibo spirituali, puta verbi Dei : ergo par est ut non distineamur cura pascendi corpora vestra cibo corporali : aliis ergo minus occupatis eam demandemus. Hinc patet « ministerium, » in quo despiciebantur viduæ Græcorum, ideoque murmurabant, fuisse « ministrare mensis, » puta curare ea quæ ad cibum et potum vitæque sustentationem pertinent. Ubi nota mensas has partim fuisse sacras, partim profanas et communes. Primo enim hi primi fideles celebrabant Eucharistiam, deinde agapen, id est convivium commune omnium fidelium in signum charitatis : et ad utrumque ministerium deputati, imo ordinati sunt Diaconi, de quo mox plura. A ministerio enim nuncupati sunt græce Diaconi, id est ministri.

Notent hic Episcopi et Prælati, procurationem rerum suarum temporalium aliis demandare, sibi vero Ecclesiæ regimen et prædicationem competere. Id cognoscebant S. Basilius, S. Nazianzenus, S. Augustinus, qui ne quidem de rebus suis temporalibus loqui, aut earum rationes audire sustinebant, ut patet in eorum Vita, ac præsertim S. Augustini, apud Possidonium, cap. XXIV. Vide S. Bernardum, lib. IV *De Consid.* cap. IX.

3. BONI TESTIMONII, — μαρτυρουμένους, id est, ut Vatablus, *bono testimonio probatos* : Tigurina, *spectatæ probitatis*, quibus scilicet populus præbeat testimonium prudentiæ, fidei et probæ vitæ, puta qui sint bonæ famæ. Sic S. Leo, *epist.* 87, cap. I, in Episcoporum electione requirit « vota civium, testimonia populorum, honoratorum arbitrium, electionem clericorum. » Testimonium ergo ad populum spectat, electio ad Clericos, ordinatio ad Episcopos. Refert Sophronius, vel potius Joannes Moschus, in *Prato Spirit.*, cap. CXLIX, hunc S. Leonem ad sepulcrum S. Petri in oratione pervigilasse, ac peccatorum suorum veniam postulasse, eique S. Petrum respondisse : « Oravi pro te, et dimissa sunt tibi peccata tua; præterquam impositio manuum : hoc solum abs te requiretur, sive bene, sive fortasse male egeris. » Videant ergo Episcopi, quales ordinent, eosque diligenter prius examinent et perscrutentur.

Diaconi septem. Cur? SEPTEM, — ad instar septem angelorum : sicut enim illi Deo quasi primarii ministri assistunt et ministrant, ita hi septem Diaconi assistebant et ministrabant S. Jacobo cæterisque Apostolis. Vide dicta *Apocal.* I, 4. Ergo delegerunt septem Diaconos in Ecclesia militante, ut illi responderent totidem Diaconis, id est ministris Dei, in Ecclesia triumphante. Utraque enim hæc Ecclesia est una et eadem, una alteri connexa est et subordinata. Horum ad instar Romæ constituti sunt olim septem Diaconi vocati Regionarii, a septem urbis regionibus, quibus a Fabiano Pontifice, ut habet ejus Vita, præpositi fuerunt. Evaristus quoque Pontifex septem Diaconos sanxit, qui Episcopum concionantem custodirent. In Concilio Romano II, sub Sylvestro, statuitur, *can.* 6, ut Diaconi Cardinales in urbe sint septem. Idem sanxerunt aliæ Ecclesiæ, ut patet in Concilio Aquisgranensi, cap. VII. Sed crescente fidelium numero, hic Diaconorum numerus pariter laxatus et amplificatus est.

PLENOS SPIRITU SANCTO, — tum ad patienter ferendum ac sedandum oblocutiones et murmura viduarum et orphanorum, ut vult Œcumenius; tum ad alia Diaconorum munia, de quibus mox, rite obeundum.

QUOS CONSTITUAMUS SUPER HOC OPUS. — Hinc S. Chrysostomus, Œcumenius, Beda et Mariana censent hos septem Diaconos constitutos fuisse duntaxat mensarum præfectos, non autem ordinationem aliquam sacram adeptos : itaque diversos eos fuisse a nostris Diaconis, qui ordinantur ad ministerium Eucharistiæ et Ecclesiæ. Ulterius progrediuntur hæretici, quin et e Catholicis Durandus, in IV, *Dist.* XXIV, *Quæst.* II, qui absolute negat Diaconatum esse Sacramentum : solum enim Sacerdotium esse Ordinis sacramentum. Durando consentit Cajetanus, tom. I, *tract.* 11. Et scribens in hunc locum Actorum, negat Diaconos fuisse ministros altaris. Idem habet spurius Canon sextæ Synodo affixus, cap. X, apud Theodorum Balsamum. Verum dico utrumque esse falsum; etsi enim non sit de fide (eo quod nec in Scriptura expressum, nec ab Ecclesia definitum sit), tamen communis sententia Patrum et Doctorum est, Diaconatum esse Sacramentum, eoque his initiatos septem hosce primos Diaconos.

Id ita esse patet *primo*, quia hi septem Diaconi ordinati sunt per impositionem manuum, id est simili ritu quo Episcopi et Presbyteri : ergo sicut illi, sic et Diaconi suscipiunt sacramentum Ordinis.

*Secundo*, quia in Diaconos hic non alii electi sunt, nisi qui a populo haberent probitatis testimonium, plenique essent Spiritu Sancto et sapientia : hæc autem non requiruntur ad ministerium mensarum, quod antea obierant communes viduæ, sed ad sacram ordinationem. Hinc rursum eosdem ordinaverunt prævia oratione, uti fieri solet in ordinatione Sacerdotum.

*Tertio*, quia S. Stephanus paulo post ordinationem cœpit prædicare Evangelium, idque tanta vi spiritus et gratiæ, quam in ordinatione acceperat, ut nemo Judæorum ei posset resistere.

*Quarto*, quia S. Paulus semper conjungit Diaconos cum Episcopis, sub quibus comprehendit et Sacerdotes, ab eisque magnam sanctitatem et perfectionem exigit. Insuper Ephesi, Philippis et Cretæ eos instituit, ubi tamen non erat vita, nec mensa fidelium communis, ac proinde non erant ibi mensarum præfecti : ergo Diaconi illidem aliud et altius habebant ministerium. Vide I *Timoth.* cap. III, vers. 2; *ad Titum*, cap. I, vers. 6; *Philipp.* I, 1.

*Quinto*, quia Diaconi in absentia Sacerdotum possunt baptizare, Eucharistiam ministrare, reconciliare pœnitentes publicos, prædicare, etc., ut patet ex Conc. Nicæno, cap. XIV; S. Cypriano, lib. III, *epist.* 17; S. Gregorio, lib. IV, *epist.* 88; Conc. Valensi II, cap. II, et ex Vita S. Vincentii Martyris et Diaconi, qui jussu Episcopi prædicabat : imo olim ordinarie Diaconi sanguinem Domini populo ministrabant, ut patet ex actis S. Laurentii, et ex S. Cypriano, serm. 5 *De Lapsis*, et ex S. Justino, *Apolog.* II, et ex Concil. Carthag. lib. IV, cap. XXXVIII. Ergo sicut ad hæc ordinantur Sacerdotes gratiamque ad hæc rite obeunda recipiunt, ita et Diaconi.

*Sexto*, Diaconatus semel susceptus amitti aut iterari nequit; ergo imprimit characterem : ergo est Sacramentum.

*Septimo*, Diaconatus ex Apostolorum instituto habet annexum cælibatum, ut docet Concilium Carthag., lib. II, cap. II. Idem sancitum est in Con-

(1) *Discipuli*, μαθηταί, sunt omnes ii, qui postea nominati sunt Christiani; *Hebræi* vocantur ii qui ex Judæis Christi doctrinam amplexi erant, ut τὰ ἔθνη Christiani antea Gentiles. Judæi autem sic distinguebantur : *Judæi Palæstinenses*, seu *Hebræi* proprie dicti, et διασπορὰ Ἑλλήνων, qui hic *Hellenistæ* sive *Græcienses* vocantur, religione quidem Judæi, sed inter Græcos educati, linguæque eorum et dogmatum periti : quæ nomina in primordiis Christianismi retinebantur. Jam vero inter Judæos in Palæstina viventes, et Hellenistas erant odia, tum propter diversitatem sermonis, quoniam hi lingua græca, non sancta, utebantur, et versionem Alexandrinam in synagogis suis prælegebant; tum etiam, quia extra sanctam terram, inter paganos homines, ergo inter impuros vivebant; et quodammodo Græcorum mores imitabantur. Hinc inter Judæos Palæstinenses et Hellenistas, etiam Christianos factos, exorta est dissensio.

cilio Ancyrano, cap. IX vel X; Agathensi, sub Symmacho; Arelatensi II, cap. II; Arausicano I, cap. XXII; a Syricio, epist. *ad Episc. African.*, cap. II; S. Leone, *epist.* 95; et aliis : ergo est Ordo sacer.

*Octavo*, quia Diaconis ex officio competit solemnis recitatio vel decantatio Evangelii, oratio cum Pontifice, cura silentii et pacis in Ecclesia, ut ait S. Clemens, lib. II *Constit.*, cap. VI, cura vasorum sacrorum et thesauri Ecclesiæ, eleemosynarum distributio; quæ sane postulant ministrum sacrum et sacratum.

*Nono*, id convincitur ex Patribus. S. Dionysius Diaconos quasi Ordinis sacri ponit in sua *Eccles. Hierarch.*, cap. II et sequent., utique, inter alia, eos panem sanctum et calicem benedictionis, id est consecrationis Eucharistiæ, imponere altari. S. Ignatius, epist. *ad Heronem Diaconum*, qui ipsi in Episcopatu Antiocheno successit : « Nihil, ait, sine Episcopis facito : sacerdotes enim sunt, tu vero sacerdotum minister; baptizant, sacrificant, eligunt, manus imponunt; tu vero illis ministras, ut S. Stephanus Jacobo. » Idem, epist. *ad Trallianos* : « Oportet et Diaconos, mysteriorum Christi ministros, per omnia placere : nec enim ciborum et potuum ministri sunt (nota), sed Ecclesiæ Dei ministratores. » Et inferius : « Quid vero Diaconi, quam imitatores Angelicarum virtutum? qui purum et inculpatum ministerium illis (Sacerdotibus) exhibent, uti S. Stephanus B. Jacobo, Timotheus et Linus Paulo, Anacletus et Clemens Petro : qui igitur his non obedit, atheus prorsus et impius est. » Idem tradit S. Cyprianus, lib. III, *epist.* 9; docet hos Diaconos ab Apostolis ordinatos esse ad hoc, « ut haberent Episcopatus sui et Ecclesiæ ministros. » S. Polycarpus, epist. *ad Smyrnenses*, asserit Diaconos esse ministros non hominum, sed Christi.

Porro septem hosce primos Diaconos sacrum Diaconatus Ordinem suscepisse docet S. Dionysius, *Eccles. Hierarch.*, cap. V; Cyprianus, epist. *ad Rogatianum*; S. Augustinus, serm. 4 *De Sanctis*; Arator, Baronius, Salmeron et passim alii hic. Quin et S. Clemens, lib. VIII *Constit.*, cap. XVII et XVIII, tradit Episcopum ordinare Diaconum imponendo ei manus et certis precibus, quibus postulat ei dari plenitudinem Spiritus Sancti, sicut eo impletus est S. Stephanus. Et S. Hieronymus, *epist.* I, asseverat Nicolaum, unum e septem hisce Diaconis, ministrasse calicem Domini. Concilium Aquisgranense, cap. VII, docet Diaconos in Ecclesia ordinari ad instar septem horum primorum Diaconorum quos repræsentarunt Levitæ in veteri Testamento : imo Ecclesia in Diaconorum ordinatione orat, ut digni existant gradu et ordine, quo in septenario numero Apostoli Stephanum cum sociis elegerunt. Quocirca Concilium Neocæsar., *can.* 14, asserit Diaconos ab Apostolis institutos regulam esse Diaconorum. Insuper Diaconi, uti juvenes ætate, vigore et spiritu, sustinuerunt pondus Ecclesiæ, præsertim in persecutione, in eaque robore et alacritate corporis et animi Pontifices superarunt, totique Ecclesiæ exemplum constantiæ et exemplar martyrii dederunt, uti fecit S. Laurentius, tempore S. Sixti Pontificis; Vincentius, tempore Valerii, Episcopi Cæsaraugustani; S. Cyriacus, Largus, Smaragdus, etc., tempore S. Marcelli, sub Diocletiano, quibus omnibus præivit et præluxit hic S. Stephanus quasi eorum primicerius et choragus.

Dices : S. Anacletus, *epist.* 2; S. Cyprianus, lib. III, *epist.* 9, et Damasus, *epist.* 3, asserunt Diaconos non a Christo, sed ab Apostolis esse institutos : ergo Diaconatus non est Sacramentum; omnia enim Sacramenta a Christo, non ab Apostolis, sunt instituta, uti definit Concilium Tridentinum, *sess.* VII, cap. I.

Respondeo, hos Patres tantum velle dicere quod Christus nullos ordinarit Diaconos, sicut ordinavit Episcopos et Presbyteros : inde tamen non sequitur Christum non instituisse Diaconatus sacramentum, sed tantum ejus executionem commisisse Apostolis. Pari modo Christus nullum confirmavit, et tamen instituit Confirmationis sacramentum, jussitque Apostolis et Episcopis ut illud administrarent.

Dices *secundo* : Diaconi hic instituuntur occasione murmuris, et mensis duntaxat præficiuntur : ergo non fuerunt ordinati ad aliud sacrum ministerium.

Respondeo *primo*, occasionem instituendi hosce Diaconos fuisse murmur de mensis, inde tamen non sequi eos duntaxat præfectos fuisse mensis. Nam Apostoli hac occasione usi, executi sunt præceptum Christi de creandis Diaconis, eisque demandandi omnia officia a Christo sancita, tam spiritualia, quam corporalia, quale erat mensarum et eleemosynarum distributio. Ita Innocentius III, lib. III *De Myster. Missæ*, cap. V et LVI.

Respondeo *secundo*, mensas has fuisse sacras, nimirum celebrationis Eucharistiæ; et post eam, agapes, sive convivii communis in signum charitatis. Primi enim Christiani quotidie communicabant, et post communionem simul cœnabant, ut patet I *Cor.* XI, 21. Unde non sumebant cibum corporalem, nisi prius sumpsissent sacrum. Diaconi ergo instituti sunt, ut ministrarent tum sacerdoti in mensa, hoc est altari Eucharistiæ, quam constat omnino esse sacram; tum populo in mensa agapes, quæ, licet corporalis esset, erat tamen spiritualis quoque et sacra; tum quia erat appendix et quasi clausula ac consummatio Eucharistiæ; tum quia mensa hæc benedicebatur a sacerdote sacrificante; tum quia instituebatur communis, in symbolum amoris et charitatis; tum denique quia instruebatur ex bonis fidelium Deo oblatis et dicatis, quæ proinde jam erant ecclesiastica et sacra, non laica et profana. Ergo



Diaconi utrique mensæ ministrantes, obibant ministerium non profanum, sed sacrum; ad quod proinde rite obeundum exigebatur peculiaris Dei gratia, quæ eis dabatur in impositione manuum Apostolorum, puta in ordinatione.

Diaconorum officia. Denique præter officia Diaconorum jam recensita, eorum erat, *primo*, circumspicere omnia
Primum. quæ in Ecclesia fiebant eaque referre ad Episcopum. Unde S. Clemens, lib. III *Constit.*, cap. XIX, Diaconum vocat « animam et sensum, » puta
Secundum. oculum, auditum, os et cor « Episcopi. » *Secundo*, ex Diaconis eligebantur Apocrisiarii, id est nuntii et legati Sedis Apostolicæ, ut patet ex
Tertium. S. Gregorio, lib. XI, *epist.* 43. *Tertio*, Diaconorum erat obire carceres, et Confessores futurosque Martyres consolari, animare, alere omnique ope spirituali et corporali adjuvare, ut patet ex
Quartum. S. Cypriano, lib. III, *epist.* 15. *Quarto*, eorum erat gestare et curare sacras reliquias, ut patet ex Victore Uticensi, lib. IV *Persecut. Wandal.* Plura eorum officia recenset S. Clemens, lib. III *Constit.*, cap. XIX, quæ et enumerantur in De-
Quintum. creto, distinct. 93, cap. *Diaconi Ecclesiæ*. Idem Clemens, lib. II *Constit.*, cap. LXI : « Diaconus, inquit, loca videat, ut quilibet ingrediens (in ecclesiam) in suum locum concedat, ac præter decorem ne sedeat. Attendat ne quis murmuret,
Sextum. neve conniveat, vel nutet. » Et mox : « Diaconi absoluta oratione; alii oblationi Eucharistiæ sint
Septimum. intenti, ministrantes corpori Domini; alii turbas videant quietemque illis imperent. Dicat autem qui
Octavum. assistit Pontifici Diaconus, populo : Ne quis contra aliquem, ne quis in hypocrisi, » scilicet accedat ad S. Eucharistiam. Idem, lib. VIII, cap. VII et IX,
Nonum. tradit Diaconum solitum emittere ex Missa energumenos et catechumenos stato tempore, uti finita Missa omnes fideles dimittit, dicens : « Ite
Decimum. missa est. » Ac cap. XIII, ait Diaconum solitum indicere preces populo pro Episcopis, Presbyteris, viduis, virginibus, orphanis, catechumenis omnique statu Ecclesiæ.

Porro recte notat Baronius, anno Christi 34, hos septem Diaconos non ita præfectos fuisse mensis ut (quod ministrorum mensarum est) cæteris accumbentibus, ipsi quæ ad cibum potumque pertinebant, illuc inferrent; sed quod ea quæ cuique essent opus, eleemosynas dividendo, curarent : quod usu retentum esse S. Leo, in serm. *De S. Laurentio*, testatur dum de eo ait : « Non solum ministerio Sacramentorum, sed etiam dispensatione Ecclesiasticæ substantiæ præeminebat. » Idem patet ex Actis S. Sisinnii, Cyriaci, Largi et Smaragdi, Diaconorum, qui Christianis ad lutum et lateres in thermis Diocletiani damnatis eleemosynas fidelium distribuebant. Sic et Titus Diaconus pecunias pauperibus dispertiens, occisus martyr occubuit, teste Prospero in *Chronico*, anno Domini 429. Idem de Diaconis tradunt S. Ambrosius, lib. *De Offic.*, cap. ult., et S. Hieronymus, *in Ezech.*, cap. XLVIII. Adeo vero erat Diaconis commissa cura rerum Ecclesiæ, ut adversus Episcopos eas dilapidantes se constanter erigerent, uti fecit Honoratus, Archidiaconus Ecclesiæ Salonitanæ, teste S. Gregorio, lib. II, *epist.* 13.

Hinc et Romæ aliisque in locis, ubi Romana Ecclesia latifundia possidebat, diaconiæ erectæ erant, in quibus eleemosynæ a Diacono, rectore diaconiæ, et fructuum ex latifundiis collectorum dispensatore distribui solebant, uti passim in epistolis docet S. Gregorius; quæ diaconiæ etiamnum Romæ extant, priscumque nomen retinent. Romæ ante S. Gregorium diaconiæ æque ac Diaconi Cardinales erant septem, sed ejus tempore duplicatus est numerus creatique quatuordecim, juxta totidem regiones vel vicos in quos urbs erat distributa, ut quæcumque regio suum haberet Diaconum Cardinalem, qui sub se alios habebat Diaconos, per quos pauperibus omnibus regionis sibi commissæ eleemosynas distribuebat. His quatuordecim Gregorius III Pontifex adjecit alios quatuor, ut universim essent octodecim, teste Onuphrio in ejus Vita. Atque hæc est origo octodecim Cardinalium Diaconorum, qui olim in collegio Cardinalium visebantur : in quo ante Leonem X numerabantur quinquaginta duo Cardinales. Auxit hunc numerum Leo X, et sequentes Pontifices. Quare ne vagus et nimius esset Cardinalium numerus, Sixtus V, in bulla quæ incipit : *Vetus illa*, sanxit ut universim essent septuaginta, juxta numerum septuaginta seniorum quos Deus addidit Mosi in regimine populi, *Num.* XI, 16. Idem, in Const. *Postquam*, quæ est 50, statuit ut inter septuaginta Cardinales, quatuordecim sint Diaconi, quot fuerunt tempore S. Gregorii; sex Episcopi, cæteri Presbyteri. Itaque Diaconorum primi et principes erant Archidiaconi, qui Romæ appellabantur Diaconi Cardinales, uti colligitur ex Concilio Romano II, cap. VII. Cardinales enim in tres classes sive ordines distributi sunt : alii enim sunt Cardinales Episcopi, alii Cardinales Presbyteri, alii Cardinales Diaconi; et ad hos omnes, eosque solos spectat electio Papæ, utpote qui ejus sunt familiares et consiliarii : quæ consuetudo cœpit anno Domini 1059, si credimus Sigonio, lib. IX *De Regno Italiæ*; qui et lib. III, docet sancitum esse a Stephano III Pontifice, anno Domini 779, ne quis aliunde quam ex Cardinalium numero Pontifex eligatur.

4. NOS VERO ORATIONI. — Nota hic primum Apostolorum officium fuisse orare pro se et tota Ecclesia, atque in oratione hauriebant a Deo ea quæ erant docturi et prædicaturi. Idem imitentur Episcopi, Prælati, Doctores et Concionatores, « ut quieti contemplantes sorbeant, quod occupati erga proximos loquentes refundant, » ait S. Gregorius, lib. VI *Moral.*, cap. XVII, vel juxta aliam editionem, XXV. Nisi enim Spiritus Sanctus eorum corda accendat linguamque imbuat et

Vers. 4. Primum Apostoli munus est oratio. Cur?

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ® DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

regat, ut eo modo dicant quod congruit auditoribus ad feriendum eorum corda, nihil efficient, ut docet S. Augustinus, lib. IV *De Doctrina Christ.*, cap. XV. Unde S. Prosper, lib. I *De Vita contempl.*, cap. XXIII : « Lacrymas, inquit, quas vult a suis auditoribus fundi, ipse primitus fundat, et siccos compunctione sui cordis accendat. » Ita faciebant Cherubini, qui « ibant (ad homines) et revertebantur (per contemplationem ad Deum) in similitudinem fulguris coruscantis, » *Ezech.* I. Sic erunt « quasi flumina, quæ ad locum unde exeunt per contemplationis secretum, per publicam operationis seu prædicationis instantiam revertuntur, » ait S. Gregorius, hom. 5 *in Ezechiel.* Præclare S. Bernardus, *epist.* 201 : « Nunc, inquit, manent tria, verbum, exemplum, oratio : major autem horum oratio : ea namque operi et voci gratiam et efficaciam promeretur. »

3. ELEGERUNT STEPHANUM. — Electio hæc non fuit ordinatio, nec institutio aut creatio Diaconorum. Hæc enim spectabat ad Apostolos, non ad populum; sed oblatio et præsentatio, *q. d.* Populus ex omnibus discipulis selegit Stephanum cum sociis, quasi cæteris aptiores ad hoc munus, eosque auctorandos et ordinandos obtulit Apostolis, si illi eorum electionem probassent. Sic hodie principes laici, qui habent jus patronatus beneficiorum, seligunt aliquem quem præsentant Episcopo, ut is ei beneficium conferat, eumque Canonicum vel Pastorem, etc., creet et instituat. Porro S. Epiphanius, *hæresi* 21, censet hos Diaconos electos esse e numero 72 discipulorum Christi. Sed S. Augustinus, serm. 94 *De Diversis*, dubitat an Stephanus ad Christum conversus sit post ejus ascensionem.

*Stephani etymon.* STEPHANUM. — « Stephanus » Græcum est nomen significans *coronam*, a *στέφω*, id est *corono* : licet Beda censeat esse Hebræum, et significare *regula vestra*, quia primus martyrium obiit cæterisque Martyribus exemplar patiendi et moriendi pro Christo dedit : sed non video a qua radice hebræa vel etymo. Unde Pagninus et alii passim censent *Stephanus*, uti et cætera horum Diaconorum nomina esse Græca. Unde videtur quod ipsi, licet genere essent Hebræi, patria tamen fuerint Græci. Elegerunt ergo Græcos, non Hebræos, ut magis satisfacerent murmuri Græcorum, Græcos Diaconos præponendo mensis et eleemosynis. Ita Lucius Dexter in *Chronico*, anno Christi 34, diserte asserit omnes hos Diaconos fuisse Græcos. Favet quod multorum sententia sit, S. Stephanum fuisse cognatum S. Pauli : Paulus autem erat Cilix, puta Tarsensis : Græcus enim hic idem est quod inter Gentiles natus vel educatus.

Nota : Primus et quasi princeps Diaconorum fuit S. Stephanus. Ille enim cæteris eminebat plenitudine gratiæ, fidei et spiritus, item vi disputandi et efficacia prædicandi. Hinc et primus pro Christo certamen obiit factusque est Protomartyr. Unde Lucianus, epistola *De inventione S. Stephani*, vocat eum primicerium aliorum et Archidiaconum. Damascenus, lib. IV *De Fide*, cap. XVI, vocat eum primum Diaconum, id est ministrum Christi : ibidem vocat eum Apostolum. Et S. Augustinus, serm. 94 *De Diversis*, ait quod inter Diaconos erat « primus, ut inter Apostolos Petrus. » Et Nicetas apud Metaphrasten : « Erat, inquit, inter Apostolos Apostolus, Propheta inter Prophetas, Doctor inter Doctores. » Addit S. Augustinus, serm. 2 *De Sanctis*, S. Stephanum fuisse juvenem speciosum, ac virginem : unde et faciem habuit angeli, vers. 15. Damascenus asserit eum præstanti fuisse indole, in eaque Spiritum Sanctum gratiæ radios fulgentiores effecisse. S. Hieronymus, lib. I *Contra Jovinian.*, et Nyssenus, orat. *De S. Stephano*, negant eum gratia inferiorem fuisse Apostolis : nam officio, puta Diaconatu, constat fuisse iis inferiorem. S. Augustinus, serm. 5 *De Sanctis*, ait eum eminuisse castitate : « In hac re, inquit, quod præpositus est feminis (viduis), testimonium meruit sincerissimæ castitatis. » Et *serm.* 6 : « Stephano martyri et pulcritudo erat corporis, et flos ætatis, et eloquentia sermocinantis, et sapientia sanctissimæ mentis, et operatio divinitatis. »

PLENUM FIDE. — *Primo*, « fide » Christiana : unde eam propugnavit usque ad mortem. *Secundo*, « fide, » id est fidelitate : hæc enim maxime in dispensatore eleemosynarum requiritur. *Tertio*, « fide, » id est sapientia Christiana : hæc enim requiritur in diaconatu et dispensatione rerum Ecclesiæ. *Quarto*, « fide, » id est fiducia in Deum, quod necessaria subministraret ad alendum tot viduas et pauperes. *Quinto*, « fide, » id est robore fidei, ad superandum non tantum murmura pauperum, sed et lapides ac tormenta Judæorum. *Sexto*, « fide, » id est excellentia fidei tanta, ut etiam miracula patraret, quæ est fides miraculorum, eadem cum fide Catholica, sed excellens, et annexam habens ingentem fiduciam in Deum, v. g. patrandi hic et nunc miraculum, uti dixi in Evangeliis. *Fides multiplex.*

ET SPIRITU SANCTO, — puta septem donis Spiritus Sancti, omnibusque virtutibus et gratiis, tum gratum facientibus, tum gratis datis, ac præsertim charitate et zelo. Unde Nicetas, apud Metaphrasten, ait de S. Stephano, « quod magis ardebat charitate, quam omnes Sancti sui temporis, » puta fideles cæteri : excipiuntur enim Apostoli, qui plenitudine Spiritus, uti et apostolatu, cæteris antecellebant.

PHILIPPUM. — Hic, utpote Diaconus, alius est a Philippo Apostolo. Hic tamen ab Eusebio, lib. III *Hist.*, cap. ult.; Tertulliano, lib. *De Baptismo*, cap. VIII; Isidoro Pelusiota, lib. I, *epist.* 147 et sequent., vocatur *Apostolus*, non quod unus fuerit e duodecim Apostolis, uti nonnulli falso opinati sunt, sed *Apostolus*, id est vir Apostolicus. Unde idem, cap. XXI, vers. 8, vocatur *Philippus quis?*



*Evangelista*, quia scilicet instar Apostoli Evangelium prædicavit, ut patebit cap. VIII. Habuit quatuor filias Prophetissas, cap. XXI, vers. 9. De eo sic legimus in *Romano Martyrol.*, die 6 junii : « Cæsareæ in Palæstina natalis B. Philippi, qui fuit unus de septem primis Diaconis. Hic signis et prodigiis clarus Samariam ad fidem Christi convertit, et Candacis, Æthiopum reginæ, eunuchum baptizavit, ac demum apud Cæsaream requievit : juxta quem tres virgines ejus filiæ Prophetissæ tumulatæ jacent : nam quarta filia ejus, plena Spiritu Sancto, Ephesi occubuit. » Adhuc tempore S. Hieronymi, Cæsareæ ædicula Philippi, et cellulæ filiarum integræ permanebant, quas omnes S. Paula profectura Hierosolymam invisit, ut idem scribit, epist. 27 *ad Eustochium*.

PROCHORUM. — Hic inter sanctos relatus extat in *Martyrolog. Roman.*, die 9 aprilis, ubi sic dicitur : « Antiochiæ S. Prochori, qui fuit unus de septem primis Diaconis, et fide ac miraculis clarus martyrio coronatus est. » Extat tom. VII *Biblioth. SS. Patrum*, Vita S. Joannis scripta a Prochoro, sed multa eo indigna et fabulosa continet. Quare auctor, ut sibi fidem conciliaret, Prochori nomine mentitus est. Cæteroqui veteres testantur Prochorum scripsisse Acta S. Joannis, inter quos Lucius Dexter, in *Chronico*, ad annum Domini 94, ita loquitur : « Prochorus scripsit res gestas S. Joannis, unus ex septem Diaconis. » Sed hic Prochorus deperiit, nec hactenus comparuit.

NICANOREM. — De hoc ita legimus in *Martyrol. Roman.*, die 10 januarii : « In Cypro B. Nicanoris Diaconi de septem primis, qui gratia fidei et virtute admirandus gloriosissime coronatus est. »

*Timon.* TIMONEM. — De hoc die 19 aprilis, in *Romano Martyrolog.*, hæc habentur : « Natalis S. Timonis Diaconi de septem primis, qui primo apud Beræam Doctor resedit, ac deinde verbum Domini disseminans venit Corinthum, ibique a Judæis et Græcis (ut traditur) flammis injectus; sed nihil læsus, demum cruci affixus martyrium suum implevit. »

PARMENAM. — De hoc 23 januarii *Martyrologium Roman.* scribit : « Philippis in Macedonia S. Parmenæ, qui fuit unus de septem primis Diaconis. Hic traditus gratiæ Dei, injunctum sibi a fratribus officium prædicationis plena fide consummans, sub Trajano martyrii gloriam est adeptus. »

NICOLAUM. — Hic fuit causa et auctor, ut tradunt Irenæus, lib. I, cap. XXVII; Epiphanius, *hæresi* 25; Tertullianus, lib. *De Præscript.* cap. XLVI, et alii, vel certe occasio, ut voluut alii, hæresis Nicolaitarum, quæ docet licere fornicari, de qua dixi *Apoc.* cap. II, vers. 6 et 15; vide ibi dicta. Nicolaum enim ab hac turpitudine et hæresi excusat Clemens Alexandrinus, lib. III *Strom.*, cap. III; Eusebius, lib. III *Histor.*, cap. XXIII; Augustinus, lib. *De Hæres.*, cap. V, Baronius et alii : ob hoc dubium, solus e septem Diaconis Nicolaus non est ascriptus Sanctorum catalogo in *Martyrolog.*

ADVENAM, — *προσήλυτον*, id est *proselytum*. Erat ergo hic Nicolaus gentilis, sed conversus ad judaismum, talis enim græce vocabatur proselytus, latine advena.

ANTIOCHENUM, — oriundum Antiochia.

6. ORANTES. — Sub oratione comprehendit sacrificium Eucharistiæ, uti indicat S. Clemens, lib. VIII *Constit.*, cap. ult. Unde etiamnum non nisi in sacrificio ordinantur Diaconi. Addit S. Chrysostomus jejunium, cujus expressa fit mentio in Ordinatione Sauli et Barnabæ, cap. XIII, vers. 3. Unde etiamnum Ecclesia ordinationi semper præmittit publicum et solemne jejunium.

IMPOSUERUNT EIS MANUS. — Hinc patet Diaconatum esse Ordinem et ordinationem sacram. Imponere enim manus apud Apostolos est ordinare. Unde ordinatio a Græcis vocatur *χειροτονία*, id est *manuum impositio*. Ergo hi Diaconi præcipue non sunt ordinati ad ministrandum mensis (ad hoc enim non requiritur ordinatio solemnis, uti patet in œconomis aliisque mensarum ministris), sed ad ministrandum Ecclesiæ et Apostolis in Missa, concione aliisque ministeriis sacris, ut patet ex usu et traditione totius antiquitatis. *Secundo*, hinc videtur quod impositio manuum non sit quid accidentale, sed materia essentialis sacramenti Ordinis, uti recte contra D. Soto docet Bellarminus, lib. I *De Ordinat.*, cap. IX. Immo hic non poterat esse alia materia : nam liber Evangeliorum, qui nunc datur Diaconis in ordinatione, estque materia Ordinis diaconatus, ut definit Concilium Florentinum in Bulla unionis, tunc necdum extabat, quia necdum scriptus erat. Hinc S. Paulus, I *Tim.* cap. IV, vers. 14, et alibi, docet per impositionem manus dari gratiam : idque visibili signo columbæ, aut simili ostendit Deus in ordinatione S. Chrysostomi et aliorum SS. Episcoporum. Et Concilium Tridentinum, sess. XXIII, cap. IV, docet dari gratiam quando Episcopus super ordinandum (utique manus imponendo) dicit : « Accipe Spiritum Sanctum. » Causa est, quod impositio manus repræsentet illapsum Spiritus Sancti, ejusque obumbrationem et plenitudinem, quæ requiritur in iis qui ordinantur, ideoque postulatur et datur in ordinatione, ut scilicet Spiritus eum roboret, illuminet, dirigat in omnibus suis ministeriis, quæ commune Ecclesiæ bonum spectant. Ita ex S. Dionysio Amalarius, lib. I *De Eccles. Officiis*, cap. I, vers. 12. *Impositio manuum est de essentia Ordinis.*

Mystice, significatur ordinandum offerri Deo quasi victimam et holocaustum : huic enim in lege veteri manus imponebatur juxta legem, *Levit.* cap. I, vers. 4, ut moneantur ordinandi se quasi victimas debere seipsos suaque omnia consecrare et expendere ad Dei obsequium et cultum. Plura de impositione manuum in ordinatione dixi I *Timoth.* cap. IV, vers. 14.

Porro viduæ hæ amotæ a mensis et cedentes Diaconis, aliis minoribus officiis deputatæ sunt,

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

Diaconissæ tria habebant munia. fuitque Diaconissæ, quarum tria erant munia præcipua : *primum*, nudare feminas ad baptismum et sacram unctionem; *secundum*, custodire portas feminarum feminisque præesse in templo; *tertium*, tempore persecutionis, ab Episcopo vel Parocho mittebantur ad fideles, præsertim in carcere, juvandos et animandos. Vide dicta I *Tim.* cap. v, vers. 9.

Vers. 7. 7. Et verbum Domini crescebat, — in numero, æque ac in fide et opere credentium, ait Glossa : quia Apostoli liberati cura mensarum, magis totosque se dabant orationi et prædicationi, sicut crescente agricolatione, irrigatione et cura agricolæ, crescit seges in agro. Alludit ad parabolam seminis et seminantis, cui a Christo comparatur verbum Dei, *Marc.* cap. iv, vers. 26.

Multa etiam turba sacerdotum, — communium et minorum (hi enim vocantur turba), non summorum et principum, uti videtur velle S. Chrysostomus, qui et miratur hic Spiritus Sancti gratiam, et Christi clementiam, quod eos qui paulo ante blasphemarant Christum in cruce dicentes : « Alios salvos fecit, seipsum salvum facere nequit, » perduxerit ad fidem et salutem.

Obediebat fidei. — Syrus, *auscultabat*, id est assentiebatur *fidei*, puta credebat in Christum. Ad fidem magis requiritur voluntatis pia inclinatio, quam intellectus propensio; res enim fidei sunt obscuræ et supra rationis captum. Unde ad eas credendas pia voluntas movet intellectum, hic cæcutientem, eumque subjicit et quasi captivat in obsequium fidei, ut ait Apostolus II *Cor.* cap. x, vers. 5.

Tropologice, obedit fidei Christianus, qui facit ea quæ fides facienda dictat et jubet, qui scilicet juste, pie et sobrie vivit : pie Deo, sobrie sibi, juste proximo; cujus proinde vita fidei respondet, et mores professione adæquantur : sic enim vivit ut credit.

8. Plenus gratia. — Syrus, טבותא *tabuta*, id est bonitate. Græca nunc habent πίστεως, id est *fide*, de qua dixi vers. 5.

Et fortitudine. — Lyranus, *gratiam*, multa heroica operandi; *fortitudinem*, multa dura patiendi accipit. Verum dico, per *gratiam*, quodlibet charisma et virtutes omnes, utpote gratiæ comites et quasi filias (hæ enim omnes sunt gratiæ, quia gratis a Deo infusæ), intelligi, ac consequenter ipsam quoque *fortitudinem*; sed quia in ea excelluit S. Stephanus, hinc ait, *et fortitudine, q. d.* Plenus erat omni gratia, sed maxime fortitudine, tum ad agendum, præsertim ad intrepide prædicandum, disputandum et convincendum Judæos; tum ad offerendum se minis, periculis, tormentis, lapidationi et martyrio; tum ad patrandum signa et prodigia, quibus suam fidem et doctrinam de Christo confirmabat, uti sequitur.

Nota hic vim et effectum Sacramenti ordinationis; nam ante eam, nec gratia plenus fuit Stephanus, nec prædicavit, nec miracula patravit; post eam vero, imo per eam, omnia hæc præstitit, uti advertit S. Chrysostomus.

9. De Synagoga. — Non quod una omnium sequentium fuerit Synagoga, ut vult Cajetanus, sed « de Synagoga, » id est de Synagogis. Est enallage numeri. Judæi enim Alexandrini suam habebant synagogam Hierosolymis, suam Cyrenenses, suam Cilices, etc. : ita Chrysostomus; perinde ac Romæ Germani suum habent collegium, Angli suum, Scoti suum, Maronitæ suum, Græci suum. Sicut enim nunc Roma, ita tunc Jerusalem erat metropolis fidei, religionis et sapientiæ, ad quam proinde Judæi sparsi per orbem mittebant suos filios, ut lege et sapientia Dei imbuerentur et ad hoc variarum nationum collegia, quas synagogas vocabant, erant instituta.

Quæ appellatur Libertinorum, — id est filiorum qui prognati erant ex parentibus in servitutem a Pompeio aliisque Romam aliove abductis, sed libertate donatis. Ita S. Chrysostomus, Beda, Cajetanus et alii. Hi enim, utpote e servili genere prognati, videntur a cæteris, quasi liberis rejecti, ideoque peculiarem constituisse synagogam. Alii *Libertinos* censent vocari oriundos ex Libya. Ita Œcumenius, Glossa, Gagneius, Hugo et Lyranus. Unde nonnulli suspicantur corrupte legi *Libertinorum*, pro *Libyrtinorum*, vel potius *Libystinorum*, *q. d.* Libyes, qui inter Cyrenaicam et Ægyptum habitant, quique suam habebant in Jerusalem synagogam, quæ a gente et regione vocabatur Libystinorum. Verum omnia exemplaria Græca et Latina habent *Libertinorum*, non *Libystinorum*. Quare prior expositio est verior, quæ confirmatur ex eo quod Romæ Judæi vocabantur *Libertini*, qui libertate donati in Transtiberina regione habitabant; de iis enim ita scribit Philo in *Legatione ad Caium*, sub medium : « Non passus fuisset Augustus trans Tiberim bonam urbis partem teneri a Judæis, quorum plerique erant Libertini : quippe qui belli jure in potestatem redacti, ab heris suis manumissi fuerant, permissi ritu majorum vivere : hos sciebat suas habere proseuchas, in quibus suos cœtus facerent, præsertim sabbatis [1].

Cyrenensium. — Cyrene alia erat in Syria, alia in Media, alia in Africa. De tertia hic agi censent Chrysostomus, Œcumenius, Gagneius : quia Cyrenenses hic junguntur Alexandrinis, qui pariter sunt Afri. Sic ergo fama Stephani tres orbis partes pervagata est. Disputavit enim cum Libertinis Romanis, qui sunt in Europa; cum Cilicibus, qui sunt in Asia; cum Cyrenensibus et Alexandrinis, qui sunt in Africa.

Alexandrinorum, — qui oriundi erant Alexandria, metropoli Ægypti, de quo dixi *Nahum* cap. iii, vers. 8.

(1) Vide Sepp, opere cui titulus in versione Gall. : *La Vie de N.-S. Jésus-Christ*, tom. II, p. 219 et seqq.



Eorum qui erant a Cilicia, — quæ hodie Caramania dicitur, ut patet ex *Theatro orbis* Ortelii, in Turcia. Ex hac synagoga videtur fuisse S. Paulus, æque ac S. Stephanus, utpote Pauli consobrinus, ut censet Sanchez, Salmeron et alii. Fuit enim S. Paulus Cilix, puta Tarsensis; ideoque S. Stephano, usque ad verba et verbera, ipsamque mortem se opposuit, ut patet cap. vii. Erat enim ipse ardenti ingenio, et zelator legis veteris, ideoque cum collegis suis in Stephanum, utpote cognatum suum, et ejusdem secum scholæ ac synagogæ, quasi in Apostatam acrius insurrexit. Fratrum enim, et consanguineorum, ac collegarum odia sunt acerbissima; amor enim acuit iras.

Et Asia, — Minori, quæ Ciliciæ adjacet : ea nunc vulgo Turcia vocatur. Hinc disce quanta fuerit gratia, virtus, efficacia, sapientia, prodigia, fulgor S. Stephani, quæ omnium in se synagogarum oculos convertit, animosque et linguas armavit, utpote gloriæ ipsius invidentium.

10. Et non poterant resistere sapientiæ — divinæ qua plenus erat S. Stephanus. Hac enim eos convincebat, et ex sanctis Scripturis aliisque notis et signis demonstrabat Jesum Christum esse Messiam orbisque Salvatorem.

Et Spiritui, qui loquebatur. — Legit Interpres, ὃ ἐλάλει; jam legunt ᾧ ἐλάλει, id est *quo*, vel *per quem loquebatur*. Glossa addit, *cum omni fiducia et sine timore*. Ecce in Stephano impletur illa promissio Christi : « Non enim vos estis qui loquimini, sed Spiritus Patris vestri, qui loquitur in vobis, » *Matth.* cap. x, vers. 20. Et : « Ego dabo vobis os et sapientiam cui non poterunt resistere, et contradicere omnes adversarii vestri, » *Luc.* cap. xxi, vers. 15.

11. Tunc submiserunt, — ὑπέβαλον, id est, ait Tigurina, *subornarunt*; Pagninus, *clam acceperunt viros qui dicerent*, etc.

Verba blasphemiæ; — Βλασφημία Græce idem est quod δυσφημία, id est mala fama ab alio sparsa, vituperium, calumnia, maledicentia : sed usu ecclesiastico significat injuriam, sive probrum jactatum in Deum et Sanctos, uti hic in Mosen ejusque legem. Hanc enim accusationem intentant S. Stephano, eum scilicet dixisse contra

Crimen objectum S. Stephano. Mosen, quod lex Mosis a Christo jam abolita sit, ideoque non fuerit ex Deo; ac consequenter quod Moses mentitus sit, cum dixit eam esse divinam foreque æternam : contra Deum vero eum blasphemasse, eo quod dixisset Deum velle per Christum abolere legem veterem, quasi illa non fuisset data a Deo vero et sempiterno, quodque Deus finxerit se Mosi eam dedisse, falsoque promiserit eam fore perpetuam.

Notat S. Augustinus, serm. 93 *De Sanctis*, hosce falsos testes eamdem pene calumniam impingere S. Stephano, quam paulo ante Scribæ impegerant Christo. Nam falsum hoc suum testimonium explicantes vers. 13, dicunt : « Homo iste non cessat loqui adversus locum sanctum et legem; audivimus enim eum dicentem, quoniam Jesus Nazarenus hic destruet locum istum, et mutabit traditiones quas tradidit nobis Moses. Contra Christum vero dixerunt : Hic dixit : Possum destruere templum Dei, et post triduum reædificare illud, » *Matth.* cap. xxvi, vers. 60.

Rursum notat S. Augustinus, hanc eorum accusationem verum fuisse oraculum, perinde ac fuit sententia Caiphæ contra Christum, *Joan.* xi, 50. Porro eos mentiri et calumniari S. Stephanum patet, quia Stephanus nihil dixerat contra locum sanctum, id est contra templum, vel Jerusalem, quæ erat civitas sancta, neque contra legem : nam et Christus de se dixerat : « Non veni solvere legem, sed adimplere, » imo perficere, *Matth.* v, 17; neque dixerat quod Jesus destrueret templum, vel Jerusalem; aut quod mutaret traditiones, τὰ ἔθη, id est ritus, cæremonias, cultum, legesque et instituta a Mose tradita. Et esto id dixisset, si legem mutare erat crimen, non Stephanum id vaticinantem, sed Jesum id facientem invadere debebant. Unde exclamat S. Gregorius Nazianzenus, orat. *De S. Stephano* : « O injustam audientium sententiam! Quoniam, inquiunt, Jesus mutavit leges, lapidetur Stephanus. » Summa ergo accusationis et criminis quod Stephano intentant, est hæc : Stephanus dixit quod lex nostra in evangelium sit transitura, judaismus in christianismum, Moses in Christum, qui est Dei Filius : ergo blasphemavit legem nostram et Deum, dando ejus divinitatem Jesu Christo, quem scimus fuisse merum hominem. Verum dicunt in sua sententia, puta in sua perfidia et judaismo, et vere hæc prædicabat Stephanus, et sic vere coram concilio Judaico eum capitis reum agebant, uti Christum reum egerant : sed alia immiscent falsa : impingunt enim Stephano multa quæ ipse non dixerat, uti jam dixi. Porro alludunt ad id quod dixerat Christus, templum cum urbe vastandum a Romanis, *Luc.* xix, 44. Sed de suo mendaciter addunt, id facturum esse Jesum, cum id non dixerit Jesus (multo minus Stephanus), sed potius dixerit id facturas esse Gentes, puta Romanos. Denique martyr est Stephanus, quia pro prædicatione Christi et Evangelii occubuit : in illud enim transituram legem veterem, Moses et Prophetæ prædixerant; sed hæc eorum oracula intelligere nolebant, et etiamnum nolunt Judæi.

15. Viderunt faciem ejus tanquam faciem angeli. — Erat Stephanus naturali specie vultuque speciosissimus, ait S. Augustinus, serm. 6 *De Sanctis*; sed supra naturam hic ei addita fuit pulchritudo. Facies enim angeli significat eximium quid, augustum et cœleste in vultu, puta speciem et majestatem angelicam. Patet id ex illo Esther, cap. xv, 16, ad Assuerum regem : « Vidi, inquit, te, Domine, quasi angelum Dei, et conturbatum est cor meum præ timore gloriæ tuæ. Valde enim mirabilis es, Domine, et facies tua plena est gratiarum. »

Facies Stephani angelica ob fulgorem, cur? Causa Prima.

Contulit ergo Deus Stephano novum mirumque splendorem, et quasi radios corporis gloriosi, quales contulit Mosi, *Exodi* XXXIV, 1, et S. Antonio, S. Francisco nostroque S. Ignatio. Unde S. Augustinus, serm. 99 *De Diversis*, ait, « Faciem Stephani radiasse instar solis ; » idque *primo*, ut exterior fulgor vultus indicaret internum fulgorem et pulchritudinem mentis. Nam, ut ait S. Hilarius Arelatensis, hom. *De S. Stephano*, « abundantia cordis transierat in decus corporis, et in faciei pulchritudinem candor splendorque animi exundabat, ac abscondita pectoris ornamenta speculum frontis irradiabant, atque cum haberet in se Spiritum Sanctum, os præ se gestabat angelicum. *Secundo*, quia S. Stephanus in moribus et doctrina, puta in disputando et prædicando æmulabatur puritatem, innocentiam, libertatem, fortitudinem, sapientiam, zelum et sanctitatem angelicam : quare in amico et æmulo angelorum Evangelica similitudo apparuit, ait S. Augustinus, serm. 6 *De Sanctis*. *Tertio*, ut gloria sui corporis resurrectionem Christi jam factam, et nostram futuram incredulis repræsentaret ; utpote de qua cum Judæis disputaverat, et quam ægre audiebant, præsertim Sadducæi. Unde S. Augustinus, loco jam citato, ait quod S. Stephanus « ad confusionem illorum, revelata facie speculans in cœlum gloriam Filii Dei, resurrectionis annuntiabat Sacramentum. » *Quarto*, S. Hilarius Arelatensis, *hom.* jam citata : « Facies, ait, Stephani assumpsit speciem resurgentis ; adversariis ad pœnam peccati, et tormentum invidiæ, et exprobrationem impietatis, et testimonium criminis. » Judæis ergo facies Stephani visa est formidabilis, Christianis vero amabilis et admirabilis. *Quinto*, quia S. Stephanus jam erat quasi candidatus martyrii, et triumphi gloriæque cœlestis : unde ejus prælusores quosdam radios evibrabat. Hinc quasi mox evolaturus in cœlum exclamabat : « Ecce video cœlos apertos, et Jesum stantem a dextris virtutis Dei. » Stupeant ergo omnes in vultu Stephani gloriam triumphantis, ait Petrus Damianus, serm. *De S. Stephano*. Hinc et Tertullianus, lib. *De Resurrect. carnis*, cap. LV, ait S. Stephanum, instar Christi in transfiguratione, angelicum fastigium induisse.

Allegorice : Doctoribus novi Testamenti, qualis erat S. Stephanus, dictum est a Christo : « Vos estis lux mundi, » *Matth.* V, 14. Hinc et Christi, utpote Doctoris mundi, facies resplenduit quasi sol, *Matth.* XVII, 2. Nam, ut ait Apostolus, II *Corinth.* III, 9 : « Si ministratio damnationis (id est legis Mosaicæ, quæ minatur mortem et damnationem) gloria est ; multo magis ministerium justitiæ (in Evangelio) abundat in gloria. »

Anagogice : « Qui docti fuerint, fulgebunt quasi splendor firmamenti, et qui ad justitiam erudiunt multos, quasi stellæ in perpetuas æternitates, » *Daniel.* cap. XII, 3.

Tropologice : Impiorum mens et facies nigrescit ut olla, piorum serena est et nitescit ut jubar auroræ ; mentis enim decus vel dedecus in vultu emicat. Unde Chaldæus, *Cantic.* I, vers. 5, paraphrastice hæc addit : « Quando Israelitæ fecerunt vitulum, denigratæ sunt facies eorum sicut Æthiopum, qui habitant in tabernaculis Cedar ; et quando egerunt pœnitentiam, et dimissum iis fuit peccatum, multiplicatus est splendor gloriæ vultus eorum sicut vultus angelorum. » Denique S. Chrysostomus, commentans in cap. VII, vers. 55, censet, Stephanum faciem angelicam induisse ex conspectu gloriæ Dei et Christi ; ait enim, vers. 55 : « Ecce video cœlos apertos, et Jesum stantem a dextris Dei. » Hanc enim visionem eum ab initio habuisse, sed prudenter tacuisse, ne Judæos hoc spectro offenderet. Sic Mosi ex aspectu et consortio Dei afflati sunt radii, et quasi cornua lucis, *Exodi* XXXIV, vers. 29. Deus enim quasi sol lucidissimus suis suam lucem afflat : nam facies angelica Stephani maxime sita erat in radiis lucis et splendore angelico. Idem sentit S. Augustinus, serm. 6 *De S. Stephano* : « Stephanus, ait, revelata facie speculabatur in cœlum gloriam Dei Filii, ideo videbant vultum ejus Judæi tanquam vultum angeli Dei. Et nunc tantummodo, beate martyr Stephane, terram despice, cœlum conspice ; et pontificem sperne, Patrem attende. » Atque hæc videtur propria et litteralis causa fuisse faciei angelicæ in S. Stephano. Simili modo Christus in transfiguratione radios sui splendoris et gloriæ afflavit Mosi et Eliæ, qui pariter visi sunt in gloria et majestate, ut ait Lucas, *Evang.* cap. IX, 31.

Addit S. Chrysostomus, ob hunc angelicum faciei decorem Judæos, licet hostes Stephani infensissimos, permisisse tamen diutius eum libere concionari, ut tanto decore oculos pascerent. Verum in sua perfidia pertinaces, hoc splendore interius non illuminati, sed magis excæcati obduruerunt, ideoque ejus faciem æque ac doctrinam obscurare et lapidibus opprimere satagerunt.

Angelicorum hominum exempla.

Simili modo S. Joannes Baptista castitate, vita, sermone, zelo, vultu fuit angelicus, ideoque a Christo vocatus est angelus, *Matth.* XI, 10.

Malachias propheta a moribus, prædicatione et suaviloquentia vocatus est Malachias, id est angelus Domini ; imo Origenes eum, æque ac Joannem Baptistam, censuit fuisse vere angelum, non hominem, uti dixi initio Malachiæ.

S. Cæcilia familiariter cum angelo virginitatis suæ custode conversans, puritatem, alacritatem, efficaciam, gratiam speciemque induit angelicam : unde et Valerianum sponsum, ejusque fratrem Tiburtium, ac 400 alios ad Christum convertit. Quocirca in officio Ecclesiastico de ea canit Ecclesia : « O beata Cæcilia, quæ duos fratres convertisti, Almachium judicem superasti, Urbanum Episcopum in vultu angelico demonstrasti.

S. Basilius gravitate, devotione, ordine hierarchico, vultuque angelico perculit Valentem Imperatorem, eumque sævientem contra Catholicos compescuit, et pene exanimavit. Nam, ut refert S. Gregorius Nazianzenus, orat. *De Laudibus S. Basilii*, cum Valens multis satellitibus stipatus, in festo Epiphaniæ templum ingressus, « audivit psalmodiam instar tonitrui personantem, plebisque pelagus vidit, omnemque ordinem et concinnitatem, angelicam potius quam humanam ; atque ipsum Basilium ante populum recto corpore stantem, nec oculis, nec animo, perinde ac si nihil novi contigisset, ullam in partem se moventem, sed Deo et altari affixum ; eos autem a quibus cingebatur, cum timore quodam ac reverentia stantes : humanum quidquam passus est, atque oculorum vertigine ac tenebris totus impletur, *etc.* Ita enim titubare cœpit, ut, nisi quispiam ex Sacrarii ministris vacillantem supposita manu retinuisset, misere utique et luctuose prolapsurus fuerit. » Subdit eum tanta sapientia et gratia cum Valente prolocutum, ut Dei voces esse viderentur, quibus proinde Valentis iras flexit et sedavit. Addit Amphilochius, in Vita S. Basilii, eum dum sacrificaret, ab Eubulo visum clarissimo lumine ac angelis circumdari.

Ita S. Zosymas, cum audisset vitam angelicam S. Mariæ Ægyptiacæ, eamque vidisset supra flumen Jordanis ambulantem, ac in oratione raptam in aerem, rediens et requirens eam, orans dicebat : « Ostende mihi, Domine, absconditum thesaurum, quem mihi, peccatori, manifestare dignatus es. Ostende mihi, obsecro, Domine, in corpore angelum, cui totus comparari indignus est mundus, » uti ipse refert in ejus Vita. Vere enim Anastasius Nicænus ad Antiochum, *Quæst.* XXX, angelum ita definit : « Quid est angelus? Est vivum rationale, hymnisonum immortale. »

S. Thomas Aquinas ab innocentia et castitate baptismali, quam per omnem vitam conservavit, ut nunquam stimulum carnis senserit ab eo tempore, quo angeli lumbos ejus cingulo castitatis accinxerunt ; insuper ab intellectus, sapientiæ et doctrinæ eminentia, nuncupatus est Doctor Angelicus.

S. Mechtildis, ait Engelhardus in ejus Vita, cap. V, « silentium tantum indixerat sibi, ut mutam crederes : si vero loqueretur, cum angelo te conferre putares ; » quæ proinde, cum quadam vice ei inadvertenter verbum otiosum excidisset, illud diu multis lacrymis et voluntariis pœnis castigavit. Silentium ergo angelicum nos docet cum angelis, et ab angelis cum hominibus angelice loqui. Unde et de S. Thoma Aquinate, quem condiscipuli ob juge silentium « bovem mutum » appellabant, dixit Albertus Magnus ejus magister : « Hic bos mutus brevi tantam dabit vocem, ut eam audiat totus orbis, » imo omnia sæcula eam quasi angelicam admirentur.

Noster B. Aloysius Gonzaga virginitate, modestia, mansuetudine, blandiloquio, verecundia, oratione, contemplatione, vultu erat angelicus : unde a matre Comitissa Castillionensi non aliter vocabatur, quam « meus angelus. » Quia et Auditores Rotæ in processu Canonizationis ejusdem, ipsi « Angelici » titulum ultro et motu proprio dederunt.



# CAPUT SEPTIMUM.

## SYNOPSIS CAPITIS.

*Stephanus suam causam agens, docte et fuse perorat in concilio, atque exordiens refricat historias Abrahæ, Isaac, Jacob, Mosis et Prophetarum, qui prænuntiarunt Christum, quibus uti restiterunt prisci Judæi, multosque ex eis occiderunt, ita nunc posteros eorum persequi Christum ejusque discipulos, libere proclamat. Unde ingenti zelo, libertate ac spiritu, vers. 51, in illos detonat :* Dura, *inquit*, cervice, et incircumcisis cordibus et auribus, vos semper Spiritui Sancto resistitis : sicut patres vestri, ita et vos, *vocatque proditores et homicidas Christi. Quocirca illi stridentes et furentes rapiunt eum ac lapidibus obruunt : ille vero interritus, oculis in cœlum intentis, videns gloriam Dei et Jesum :* Domine Jesu, *inquit*, suscipe spiritum meum.

1. Dixit autem princeps Sacerdotum : Si hæc ita se habent? 2. Qui ait : Viri fratres, et patres, audite : Deus gloriæ apparuit patri nostro Abrahæ cum esset in Mesopotamia, prius quam moraretur in Charan, et dixit ad illum : 3. Exi de terra tua, et de cognatione tua, et veni in terram quam monstravero tibi. 4. Tunc exiit de terra Chaldæorum et habitavit in Charan. Et inde, postquam mortuus est pater ejus, transtulit illum in terram istam in qua nunc vos habitatis. 5. Et non dedit illi hæreditatem in ea, nec passum pedis;

Facies Stephani angelica ab fulgorem, cur? Causa Prima.

Contulit ergo Deus Stephano novum mirumque splendorem, et quasi radios corporis gloriosi, quales contulit Mosi, *Exodi* XXXIV, 1, et S. Antonio, S. Francisco nostroque S. Ignatio. Unde S. Augustinus, serm. 99 *De Diversis*, ait, « Faciem Stephani radiasse instar solis ; » idque *primo*, ut exterior fulgor vultus indicaret internum fulgorem et pulchritudinem mentis. Nam, ut ait S. Hilarius Arelatensis, hom. *De S. Stephano*, « abundantia cordis transierat in decus corporis, et in faciei pulchritudinem candor splendorque animi exundabat, ac abscondita pectoris ornamenta speculum frontis irradiabant, atque cum haberet in se Spiritum Sanctum, os præ se gestabat angelicum. *Secundo*, quia S. Stephanus in moribus et doctrina, puta in disputando et prædicando æmulabatur puritatem, innocentiam, libertatem, fortitudinem, sapientiam, zelum et sanctitatem angelicam : quare in amico et æmulo angelorum Evangelica similitudo apparuit, ait S. Augustinus, serm. 6 *De Sanctis*. *Tertio*, ut gloria sui corporis resurrectionem Christi jam factam, et nostram futuram incredulis repræsentaret ; utpote de qua cum Judæis disputaverat, et quam ægre audiebant, præsertim Sadducæi. Unde S. Augustinus, loco jam citato, ait quod S. Stephanus « ad confusionem illorum, revelata facie speculans in cœlum gloriam Filii Dei, resurrectionis annuntiabat Sacramentum. » *Quarto*, S. Hilarius Arelatensis, *hom.* jam citata : « Facies, ait, Stephani assumpsit speciem resurgentis, adversariis ad pœnam peccati, et tormentum invidiæ, et exprobrationem impietatis, et testimonium criminis. » Judæis ergo facies Stephani visa est formidabilis, Christianis vero amabilis et admirabilis. *Quinto*, quia S. Stephanus jam erat quasi candidatus martyrii, et triumphi gloriæque cœlestis : unde ejus prælusires quosdam radios evibrabat. Hinc quasi mox evolaturus in cœlum exclamabat : « Ecce video cœlos apertos, et Jesum stantem a dextris virtutis Dei. » Stupeant ergo omnes in vultu Stephani gloriam triumphantis, ait Petrus Damianus, serm. *De S. Stephano*. Hinc et Tertullianus, lib. *De Resurrect. carnis*, cap. LV, ait S. Stephanum, instar Christi in transfiguratione, angelicum fastigium induisse.

Allegorice : Doctoribus novi Testamenti, qualis erat S. Stephanus, dictum est a Christo : « Vos estis lux mundi, » *Matth.* V, 14. Hinc et Christi, utpote Doctoris mundi, facies resplenduit quasi sol, *Matth.* XVII, 2. Nam, ut ait Apostolus, II *Corinth.* III, 9 : « Si ministratio damnationis (id est legis Mosaicæ, quæ minatur mortem et damnationem) gloria est ; multo magis ministerium justitiæ (in Evangelio) abundat in gloria. »

Anagogice : « Qui docti fuerint, fulgebunt quasi splendor firmamenti, et qui ad justitiam erudiunt multos, quasi stellæ in perpetuas æternitates, » *Daniel.* cap. XII, 3.

Tropologice : Impiorum mens et facies nigrescit ut olla, piorum serena est et nitescit ut jubar auroræ ; mentis enim decus vel dedecus in vultu emicat. Unde Chaldæus, *Cantic.* I, vers. 5, paraphrastice hæc addit : « Quando Israelitæ fecerunt vitulum, denigratæ sunt facies eorum sicut Æthiopum, qui habitant in tabernaculis Cedar ; et quando egerunt pœnitentiam, et dimissum iis fuit peccatum, multiplicatus est splendor gloriæ vultus eorum sicut vultus angelorum. » Denique S. Chrysostomus, commentans in cap. VII, vers. 55, censet, Stephanum faciem angelicam induisse ex conspectu gloriæ Dei et Christi ; ait enim, vers. 55 : « Ecce video cœlos apertos, et Jesum stantem a dextris Dei. » Hanc enim visionem eum ab initio habuisse, sed prudenter tacuisse, ne Judæos hoc spectro offenderet. Sic Mosi ex aspectu et consortio Dei afflati sunt radii, et quasi cornua lucis, *Exodi* XXXIV, vers. 29. Deus enim quasi sol lucidissimus suis suam lucem afflat : nam facies angelica Stephani maxime sita erat in radiis lucis et splendore angelico. Idem sentit S. Augustinus, serm. 6 *De S. Stephano* : « Stephanus, ait, revelata facie speculabatur in cœlum gloriam Dei Filii, ideo videbant vultum ejus Judæi tanquam vultum angeli Dei. Et nunc tantummodo, beate martyr Stephane, terram despice, cœlum conspice ; et pontificem sperne, Patrem attende. » Atque hæc videtur propria et litteralis causa fuisse faciei angelicæ in S. Stephano. Simili modo Christus in transfiguratione radios sui splendoris et gloriæ afflavit Mosi et Eliæ, qui pariter visi sunt in gloria et majestate, ut ait Lucas, *Evang.* cap. IX, 31.

Addit S. Chrysostomus, ob hunc angelicum faciei decorem Judæos, licet hostes Stephani infensissimos, permisisse tamen diutius eum libere concionari, ut tanto decore oculos pascerent. Verum in sua perfidia pertinaces, hoc splendore interius non illuminati, sed magis excæcati obduruerunt, ideoque ejus faciem æque ac doctrinam obscurare et lapidibus opprimere satagerunt.

Angelicarum hominum exempla.

Simili modo S. Joannes Baptista castitate, vita, sermone, zelo, vultu fuit angelicus, ideoque a Christo vocatus est angelus, *Matth.* XI, 20.

Malachias propheta a moribus, prædicatione et suaviloquentia vocatus est Malachias, id est angelus Domini ; imo Origenes eum, æque ac Joannem Baptistam, censuit fuisse vere angelum, non hominem, uti dixi initio Malachiæ.

S. Cæcilia familiariter cum angelo virginitatis suæ custode conversans, puritatem, alacritatem, efficaciam, gratiam speciemque induit angelicam : unde et Valerianum sponsum, ejusque fratrem Tiburtium, ac 400 alios ad Christum convertit. Quocirca in officio Ecclesiastico de ea canit Ecclesia : « O beata Cæcilia, quæ duos fratres convertisti, Almachium judicem superasti, Urbanum Episcopum in vultu angelico demonstrasti. »

S. Basilius gravitate, devotione, ordine hierarchico, vultuque angelico perculit Valentem Imperatorem, eumque sævientem contra Catholicos compescuit, et pene exanimavit. Nam, ut refert S. Gregorius Nazianzenus, orat. *De Laudibus S. Basilii*, cum Valens multis satellitibus stipatus, in festo Epiphaniæ templum ingressus, « audivit psalmodiam instar tonitrui personantem, plebisque pelagus vidit, omnemque ordinem et concinnitatem, angelicam potius quam humanam ; atque ipsum Basilium ante populum recto corpore stantem, nec oculis, nec animo, perinde ac si nihil novi contigisset, ullam in partem se moventem, sed Deo et altari affixum ; eos autem a quibus cingebatur, cum timore quodam ac reverentia stantes : humanum quidquam passus est, atque oculorum vertigine ac tenebris totus impletur, etc. Ita enim titubare cœpit, ut, nisi quispiam ex Sacrarii ministris vacillantem supposita manu retinuisset, misere utique et luctuose prolapsurus fuerit. » Subdit eum tanta sapientia et gratia cum Valente prolocutum, ut Dei voces esse viderentur, quibus proinde Valentis iras flexit et sedavit. Addit Amphilochius, in Vita S. Basilii, eum dum sacrificaret, ab Eubulo visum clarissimo lumine ac angelis circumdari.



Ita S. Zosymas, cum audisset vitam angelicam S. Mariæ Ægyptiacæ, eamque vidisset supra flumen Jordanis ambulantem, ac in oratione raptam in aerem, rediens et requirens eam, orans dicebat : « Ostende mihi, Domine, absconditum thesaurum, quem mihi, peccatori, manifestare dignatus es. Ostende mihi, obsecro, Domine, in corpore angelum, cui totus comparari indignus est mundus, » uti ipse refert in ejus Vita. Vere enim Anastasius Nicænus ad Antiochum, *Quæst.* XXX, angelum ita definit : « Quid est angelus ? Est vivum rationale, hymnisonum immortale. »

S. Thomas Aquinas ab innocentia et castitate baptismali, quam per omnem vitam conservavit, ut nunquam stimulum carnis senserit ab eo tempore, quo angeli lumbos ejus cingulo castitatis accinxerunt ; insuper ab intellectus, sapientiæ et doctrinæ eminentia, nuncupatus est Doctor Angelicus.

S. Mechtildis, ait Engelhardus in ejus Vita, cap. V, « silentium tantum indixerat sibi, ut mutam crederes : si vero loqueretur, cum angelo te conferre putares ; » quæ proinde, cum quadam vice ei inadvertenter verbum otiosum excidisset, illud diu multis lacrymis et voluntariis pœnis castigavit. Silentium ergo angelicum nos docet cum angelis, et ab angelis cum hominibus angelice loqui. Unde et de S. Thoma Aquinate, quem condiscipuli ob juge silentium « bovem mutum » appellabant, dixit Albertus Magnus ejus magister : « Hic bos mutus brevi tantam dabit vocem, ut eam audiat totus orbis, » imo omnia sæcula eam quasi angelicam admirentur.

Noster B. Aloysius Gonzaga virginitate, modestia, mansuetudine, blandiloquio, verecundia, oratione, contemplatione, vultu erat angelicus : unde a matre Comitissa Castillionensi non aliter vocabatur, quam « meus angelus. » Quin et Auditores Rotæ in processu Canonizationis ejusdem, ipsi « Angelici » titulum ultro et motu proprio dederunt.

# CAPUT SEPTIMUM.

## SYNOPSIS CAPITIS.

*Stephanus suam causam agens, docte et fuse perorat in concilio, altèque exordiens refricat historias Abrahæ, Isaac, Jacob, Mosis et Prophetarum, qui prænuntiarunt Christum, quibus uti restiterunt prisci Judæi, multosque ex eis occiderunt, ita nunc posteros eorum persequi Christum ejusque discipulos, libere proclamat. Unde ingenti zelo, libertate ac spiritu, vers. 51, in illos detonat :* Dura, *inquit*, cervice, et incircumcisis cordibus et auribus, vos semper Spiritui Sancto resistitis : sicut patres vestri, ita et vos, *vocatque proditores et homicidas Christi. Quocirca illi stridentes et furentes rapiunt eum ac lapidibus obruunt : ille vero interritus, oculis in cœlum intentis, videns gloriam Dei et Jesum :* Domine Jesu, *inquit*, suscipe spiritum meum.

1. Dixit autem princeps Sacerdotum : Si hæc ita se habent ? 2. Qui ait : Viri fratres, et patres, audite : Deus gloriæ apparuit patri nostro Abrahæ cum esset in Mesopotamia, prius quam moraretur in Charan, et dixit ad illum : 3. Exi de terra tua, et de cognatione tua, et veni in terram quam monstravero tibi. 4. Tunc exiit de terra Chaldæorum et habitavit in Charan. Et inde, postquam mortuus est pater ejus, transtulit illum in terram istam in qua nunc vos habitatis. 5. Et non dedit illi hæreditatem in ea, nec passum pedis ;

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

sed repromisit dare illi eam in possessionem, et semini ejus post ipsum, cum non haberet filium. 6. Locutus est autem ei Deus : Quia erit semen ejus accola in terra aliena, et servituti eos subjicient, et male tractabunt eos annis quadringentis; 7. et gentem cui servierint, judicabo ego, dixit Dominus, et post hæc exibunt et servient mihi in loco isto. 8. Et dedit illi testamentum circumcisionis; et sic genuit Isaac, et circumcidit eum die octavo; et Isaac Jacob, et Jacob duodecim Patriarchas. 9. Et Patriarchæ æmulantes, Joseph vendiderunt in Ægyptum, et erat Deus cum eo; 10. et eripuit eum ex omnibus tribulationibus ejus, et dedit ei gratiam et sapientiam in conspectu Pharaonis, regis Ægypti, et constituit eum Præpositum super Ægyptum et super omnem domum suam. 11. Venit autem fames in universam Ægyptum et Chanaan, et tribulatio magna; et non inveniebant cibos patres nostri. 12. Cum audisset autem Jacob esse frumentum in Ægypto, misit patres nostros primum; 13. et in secundo cognitus est Joseph a fratribus suis, et manifestatum est Pharaoni genus ejus. 14. Mittens autem Joseph accersivit Jacob patrem suum, et omnem cognationem suam in animabus septuaginta quinque. 15. Et descendit Jacob in Ægyptum, et defunctus est ipse et patres nostri. 16. Et translati sunt in Sichem, et positi sunt in sepulcro, quod emit Abraham pretio argenti a filiis Hemor, filii Sichem. 17. Cum autem appropinquaret tempus promissionis, quam confessus erat Deus Abrahæ, crevit populus et multiplicatus est in Ægypto; 18. quoadusque surrexit alius rex in Ægypto, qui non sciebat Joseph. 19. Hic circumveniens genus nostrum, afflixit patres nostros, ut exponerent infantes suos ne vivificarentur. 20. Eodem tempore natus est Moyses, et fuit gratus Deo, qui nutritus est tribus mensibus in domo patris sui. 21. Exposito autem illo, sustulit eum filia Pharaonis, et nutrivit eum sibi in filium. 22. Et eruditus est Moyses omni sapientia Ægyptiorum, et erat potens in verbis et in operibus suis. 23. Cum autem impleretur ei quadraginta annorum tempus, ascendit in cor ejus ut visitaret fratres suos filios Israel. 24. Et cum vidisset quemdam injuriam patientem, vindicavit illum, et fecit ultionem ei qui injuriam sustinebat, percusso Ægyptio. 25. Existimabat autem intelligere fratres, quoniam Deus per manum ipsius daret salutem illis; at illi non intellexerunt. 26. Sequenti vero die apparuit illis litigantibus; et reconciliabat eos in pace, dicens : Viri, fratres estis, ut quid nocetis alterutrum? 27. Qui autem injuriam faciebat proximo, repulit eum dicens : Quis te constituit principem et judicem super nos? 28. numquid interficere me tu vis, quemadmodum interfecisti heri Ægyptium? 29. Fugit autem Moyses in verbo isto, et factus est advena in terra Madian, ubi generavit filios duos. 30. Et expletis annis quadraginta, apparuit illi in deserto montis Sina angelus in igne flammæ rubi. 31. Moyses autem videns, admiratus est visum, et accedente illo ut consideraret, facta est ad eum vox Domini, dicens : 32. Ego sum Deus patrum tuorum, Deus Abraham, Deus Isaac, et Deus Jacob. Tremefactus autem Moyses, non audebat considerare. 33. Dixit autem illi Dominus : Solve calceamentum pedum tuorum; locus enim in quo stas, terra sancta est. 34. Videns vidi afflictionem populi mei, qui est in Ægypto, et gemitum eorum audivi, et descendi liberare eos. Et nunc veni, et mittam te in Ægyptum. 35. Hunc Moysen, quem negaverunt, dicentes : Quis te constituit principem et judicem? Hunc Deus principem et redemptorem misit, cum manu angeli, qui apparuit illi in rubo. 36. Hic eduxit illos, faciens prodigia et signa in terra Ægypti, et in Rubro mari, et in deserto annis quadraginta. 37. Hic est Moyses, qui dixit filiis Israel : Prophetam suscitabit vobis Deus de fratribus vestris, tanquam me, ipsum audietis. 38. Hic est, qui fuit in Ecclesia in solitudine cum angelo, qui loquebatur ei in monte Sina, et cum patribus nostris : qui accepit verba vitæ dare nobis. 39. Cui noluerunt obedire patres nostri; sed repulerunt et aversi sunt cordibus suis in Ægyptum, 40. dicentes ad Aaron : Fac nobis deos, qui præ



cedant nos; Moyses enim hic, qui eduxit nos de terra Ægypti, nescimus quid factum sit ei. 41. Et vitulum fecerunt in diebus illis, et obtulerunt hostiam simulacro, et lætabantur in operibus manuum suarum. 42. Convertit autem Deus, et tradidit eos servire militiæ cœli, sicut scriptum est in libro Prophetarum : Numquid victimas et hostias obtulistis mihi annis quadraginta in deserto, domus Israel? 43. Et suscepistis tabernaculum Moloch, et sidus dei vestri Rempham, figuras quas fecistis, adorare eas. Et transferam vos trans Babylonem. 44. Tabernaculum testimonii fuit cum patribus nostris in deserto, sicut disposuit illis Deus, loquens ad Moysen, ut faceret illud secundum formam quam viderat. 45. Quod et induxerunt, suscipientes patres nostri cum Jesu in possessionem gentium, quas expulit Deus a facie patrum nostrorum, usque in diebus David, 46. qui invenit gratiam ante Deum, et petiit ut inveniret tabernaculum Deo Jacob. 47. Salomon autem ædificavit illi domum. 48. Sed non Excelsus in manufactis habitat, sicut Propheta dicit : 49 Cœlum mihi sedes est, terra autem scabellum pedum meorum. Quam domum ædificabitis mihi, dicit Dominus, aut quis locus requietionis meæ est? 50. Nonne manus mea fecit hæc omnia? 51. Dura cervice et incircumcisi cordibus et auribus, vos semper Spiritui Sancto resistitis, sicut patres vestri, ita et vos. 52. Quem Prophetarum non sunt persecuti patres vestri? Et occiderunt eos qui prænuntiabant de adventu Justi, cujus vos nunc proditores et homicidæ fuistis; 53. quia accepistis legem in dispositione angelorum, et non custodistis. 54. Audientes autem hæc dissecabantur cordibus suis, et stridebant dentibus in eum. 55. Cum autem esset plenus Spiritu Sancto, intendens in cœlum, vidit gloriam Dei, et Jesum stantem a dextris Dei. Et ait : Ecce video cœlos apertos, et Filium hominis stantem a dextris Dei. 56. Exclamantes autem voce magna continuerunt aures suas, et impetum fecerunt unanimiter in eum. 57. Et ejicientes eum extra civitatem lapidabant : et testes deposuerunt vestimenta sua secus pedes adolescentis, qui vocabatur Saulus. 58. Et lapidabant Stephanum invocantem et dicentem : Domine Jesu, suscipe spiritum meum. 59. Positis autem genibus, clamavit voce magna, dicens : Domine, ne statuas illis hoc peccatum. Et cum hoc dixisset, obdormivit in Domino. Saulus autem erat consentiens neci ejus.

Nota : Historiæ pleræque quæ hoc capite recenset S. Stephanus, petitæ sunt ex Genesi et Exodi, ubi eas explicui : quæ ergo ibi dixi, hic non repetam. Porro in multis Stephanus videtur repugnare Genesi. Septem enim hic occurrunt antilogiæ, partim in Genesi solutæ, partim hic breviter solvendæ (1).

*Septem antilogiæ Stephani et Mosis.*

2. Viri fratres et patres. — « Fratres » vocat sibi æquales et coævos; « patres » vero, seniores, pontifices et judices coram quibus causam suam agebat in concilio. Ita Lyranus et Hugo.

Deus gloriæ, — scilicet origo, fons et causa, hoc est, Deus gloriosissimus, cui competit omnis honor et gloria, eaque divina et immensa; qui-

(1) Quum non integram Stephani orationem habeamus, sed tantum particulam ejus, et fere nihil nisi introductionem, mirum non est magnam deprehendi opinionum diversitatem in constituendo hujus orationis consilio. Præcipuas recentiorum interpretum sententias examinavit Kuinoelius, *Commentar. in Acta*, ad h. l. Ipse autem de Stephani consilio satis probabiliter disserit hoc modo : « Postulerunt de blasphemia Stephanum, quod dixisset, Jesum templum esse destructurum, atque ordinatos a Mose ritus aboliturum. Ad has criminationes Stephanus ita respondit, ut ex historia Israelitarum ea seligeret, quæ ad causam suam defendendam facerent. Atque hoc dicendi genere usus est, ut eo attentiores auditores contineret : Judæi enim pergratum erat, data quavis occasione, populi fata repetere, et providentiæ atque amoris documenta a Deo ipsorum majoribus data recensere. Hinc etiam immiscet nonnulla ex historia populi deprompta, quæ non propius ad rem pertinent. Hoc imprimis demonstrari volebat, ritus a Mose præscriptos Deum quidem habere auctorem, sed Judæos sola legum ritualium observatione Deo non probari, etiam templum destrui posse, et destructum iri, ut olim fuerit, si non ad meliorem frugem redirent (Addi potest, Stephanum etiam ostendere voluisse, ipsos Judæorum proceres, qui pro Dei et Mosis auctoritate acriter pugnare sibi videantur, utriusque esse contemptores, quum neque Mosis legibus, neque Deo, qui leges tradidit, pareant). Volebat præterea etiam haud dubie, hac data occasione, ostendere Jesum a synedrio repudiatum Messiam esse habendum, ejusque doctrinam amplectendam. Quum in eo esset ut fata populi Israelitici ab ipso enarrata in rem suam transferret, ad supplicium rapiebatur. Quodsi orationis filum pertexere potuisset, in altera orationis parte, opinor, ostendisset vanam esse spem et fiduciam, quam Judæi in circumcisione, reliquisque ritibus et templo ponerent, quum Abrahamus, antequam circumcisus

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ® DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

que angelis et hominibus omnem gloriam, quam habent, communicat. Notat S. Chrysostomus id dicere S. Stephanum contra Judæos, putantes gloriam Dei alligatam esse templo et legi ipsorum, *q. d.* Deus ante legem et templum fuit Deus gloriæ, suamque gloriam ostendit Abrahæ et patribus vestris, quos divites, victoriosos, felices, gloriosos effecit : ergo pari modo potest suam gloriam nunc avocare a templo et lege vestra, eamque transferre in Christum et Ecclesiam. Vide quæ de Dei gloria et glorificatione dixi *Rom.* XI, 33, et *Isaiæ* VI, 3, et *Apocal.* IV, 8.

APPARUIT PATRI NOSTRO ABRAHÆ. — Incipit ab Abraham, quia is Judæorum, hoc est fidelium et Synagogæ, fuit primus pater et patriarcha, primusque promissionem explicitam accepit de Christo ex se nasciture.

Accusarant Judæi Stephanum quod locutus esset contra eorum Deum, legem, templum, Mosen et Prophetas. Refellit id Stephanus, honorifice loquendo de Deo Abrahæ, ac vocando eum Deum gloriæ; deque ipso Abraham, vocando eum patrem nostrum, ac de lege, templo, Mose et Prophetis. Ostenditque Judæos potius iis obloqui et resistere, dum Christum a Deo, Mose et Prophetis promissum, ac in lege et victimis templi adumbratum, ejusque discipulos persequuntur, *q. d.* Accusatis me quasi blasphemum, eo quod Christum præponam Mosi et Prophetis, afferamque eum esse Dei Filium et redemptorem mundi. At vero idipsum credidit Abraham, Moses et Prophetæ, qui et idipsum prædixerunt. Imitamini ergo patrem vestrum Abraham, legislatorem Mosen vestrosque Prophetas, ac in Christum jam natum credite, sicuti ipsi in Christum nasciturum crediderunt, eumque vobis prædixerunt et promiserunt : alioqui non ego, sed vos a fide Abrahæ, Mosis et Prophetarum degeneres, iis adversos et hostes vos ostendetis. Ita S. Augustinus, serm. 93 *De Diversis.*

IN MESOPOTAMIA. — Est hic prima antilogia. Videtur enim Stephanus hic pugnare cum Mose, *Genes.* XII, 1, juncto cum *Genes.* XI, 31, ubi dicitur quod Abraham vocatus et eductus sit de Ur Chaldæorum.

Respondeo, S. Stephanum « Mesopotamiam » hoc loco late accipere, pro omni regione quæ est trans Euphratem; opponit enim eam terræ Chanaan Judæis promissæ, quæ se extendebat usque ad Euphratem; hic enim ejus limes statuitur a Deo, *Deuter.* XI, 24. Quare sub *Mesopotamia*, comprehendit hic Chaldæam. Id ita esse patet ex vers. 4, ubi ait : « Tunc exiit de terra Chaldæorum. » Porro quomodo *Genes.* XII, 4, dicatur Abraham egressus de Haran, ibidem explicui : eo enim pertinet.

CHARAN. — *Charan*, sive *Haran* sunt Charræ, quæ fuit urbs Parthorum, sita in finibus Mesopotamiæ versus terram Chanaan, juxta quam cæsus est M. Crassus a Parthis, de quo Lucanus, lib. I *De Bello civili :*

> Assyrias Latio maculavit sanguine Charras.

Vers. 3. 3. EXI DE TERRA. — Præclare S. Hieronymus, qui Stridonem et Dalmatiam patriam suam deserens, per orbem discendi causa peregrinatus, tandem in Bethlehem consedit et conquievit, epist. *ad Paulinum :* « Credenti, ait, totus mundus divitiarum est, et facile contemnit omnia, qui se semper cogitat esse moriturum. » Et Poeta : *Sanctis patria est cœlum, terra exilium.*

> Omne solum forti patria est, ut piscibus æquor.

Hinc Socrates dicebat se esse cosmopolitam, id est civem mundi. Et ex Platone Plotinus, apud S. Augustinum, lib. IX *De Civit.*, cap. VI : « Fugiendum est, ait, ad clarissimam patriam; et ibi pater, et ibi omnia : quæ igitur classis, aut fuga? Similem Deo fieri. Si ergo Deo tanto similior, quanto fit quisque propinquior, nulla est ab illo tanta longinquitas, quanta ejus dissimilitudo. » Sumus enim ab æterno ab eo conscripti cives Sanctorum et domestici Dei, quasi ejus filii et hæredes, cohæredes autem Christi : patria ergo nobis est cœlum, terra vero exilium. Hicque fuit communis Abrahæ et Sanctorum omnium sensus, uti multis ostendi, *Hebr.* XI, 9.

4. TRANSTULIT, — μετῴκισεν, id est *habitare fecit;* S. Augustinus, lib. XVI *De Civit.*, cap. XVI, legit *collocavit;* Syrus, *mutavit;* scilicet Abrahæ domum, sedem et habitationem transtulit ex Haran in Chanaan.

IN QUA VOS NUNC HABITATIS, — non ego, quia terram et omnia terrena cum Apostolis reliqui, et vicinus morti ad cœlum propero. Ita Glossa.

5. ET NON DEDIT ILLI HÆREDITATEM IN EA, NEC PASSUM PEDIS. — Græcum βῆμα, *primo* significat *vestigium*, ut vertit Syrus, Pagninus et Tigurina. *Secundo*, *passum*, ut patet ex Plutarcho in Demetrio; passus autem est mensura quinque pedum : hos enim efficit distensio et divaricatio unius pedis ab altero, *q. d.* Ne minimam quidem terræ mensuram dedit illi. Est hic secunda antilogia. Nam, *Genes.* XXIII, 9, Abraham in Chanaan emit et possedit speluncam duplicem, ad sepulturam Saræ et suorum. Respondeo : *primo*, illam non dedit ei Deus, sed pretio suo eam sibi comparavit Abraham. Ita S. Augustinus, Quæst. LVI *in Genes.* *Secundo*, non possedit illam quasi hæreditatem, scilicet ut vivus eam quasi prædium coleret vel

esset, Deo probatus fuerit, et luculenta favoris ac benevolentiæ Dei documenta acceperit, multi vero ex circumcisis Deo non placuerint, et diu ante templum exstructum Deus in gentem Israeliticam multa et insignia beneficia contulerit; se ergo non contumeliose in Deum et Mosem locutum esse, quum professus sit, a circumcisione et templi cultu non pendere Dei favorem, templum destrui posse et destructum iri, ni resipiscerent, si porro mores majorum imitarentur, qui ingrati Mosen repudiassent, eorumque exemplo Jesum Messiam, a Mose annuntiatum, rejicerent. » Hæc fere Kuinoelius.



incoleret, sed ut sepulturam, in qua mortuus quiesceret. Sepulcrum enim non est hæreditas nec domus, vel ager vivorum, sed potius crypta subterranea mortuorum. Ita Glossa.

CUM NON HABERET FILIUM. — Hoc auget promissionem Dei et fidem Abrahæ. Deus enim promisit Chanaan Abrahæ, id est posteris ejus, cum tamen nondum haberet filium, sed ipse esset senex, et uxor ejus Sara sterilis; atque Abraham promittenti Deo credidit, quia credebat Deum esse omnipotentem, atque senibus et sterilibus posse restituere vim generativam, idque hic juxta promissa facturum, uti de facto fecit, cum iis dedit virtutem generandi Isaac, qui cum posteris, Deo dante, futurus erat hæres Chananææ.

Vers. 6. 6. QUIA ERIT SEMEN EJUS ACCOLA IN TERRA ALIENA. — Pro *accola* græce est πάροικος, id est advena, peregrinus, in terra aliena, non incola et civis in propria, *q. d.* Posteri tui, o Abraham, erunt peregrini in Chanaan (uti exprimunt Septuaginta, *Exod.* XII, 40) et in Ægypto, ibique Ægyptii cogent eos servire sibi per annos quadringentos.

Tertia. ANNIS QUADRINGENTIS. — Est hic tertia antilogia. Nam, *Exod.* XII, 41, et *Galat.* III, 17, numerantur anni 430, et ita hic legendum censent Rabanus, S. Thomas, Cajetanus et Glossa. Respondeo, a vocatione Abrahæ quæ facta est anno vitæ ejus 75, fuisse annos 430, hic vero eos computari a nativitate Isaac, qui natus est Abrahamo post 25 annos, puta anno vitæ ejus centesimo. Inde enim usque ad exitum Hebræorum ex servitute Ægyptiaca, fluxerunt anni 405 præcise, qui hic vocantur quadringenti, numero et computu rotundo, omissis quinque, qui hunc computum excedunt. Scriptura enim sæpe ponit numeros integros et rotundos, præsertim centenarios, etiamsi pauculi iis desint vel supersint. Sic enim dicimus nos vidisse centum milites, etiamsi duo vel tres huic numero desint. Sensus enim est : vidi centum, id est circiter centum, plus minus centum. Pari modo hi anni præcise numerantur quadringenti infra, cap. XIII, 20, et *Gen.* XV, 13. Vide ibi dicta.

7. JUDICABO, — id est condemnabo, ulciscar et puniam : ita Vatablus. Deus enim occidit Pharaonem et Ægyptios oppressores Hebræorum, mergendo eos in mari Rubro; Chananæos vero mactavit in præliis per Josue.

EXIBUNT, — de Ægypto in Chanaan, quam eis promisi.

8. ET DEDIT ILLI TESTAMENTUM CIRCUMCISIONIS. — « Testamentum, » id est fœdus vel pactum : Deus enim conditionem fœderis inter se et Abraham ejusque posteros initi, voluit esse circumcisionem, promittens se Abrahæ et posterorum fore Deum, provisorem et protectorem, si ipsi ex ejus voluntate et lege se circumciderent, ac vicissim eum colerent, non idola. Vide dicta *Genes.* XVII, 7 et sequent.

9. ÆMULANTES, — invidentes. Ita Tigurina.

JOSEPH VENDIDERUNT. — Meminit Joseph, quia is expressus præ cæteris fuit typus Christi venditi, capti et afflicti a Judæis, idque tacite hic eis insinuat et objicit S. Stephanus.

ET ERAT DEUS CUM EO, — educens eum e carcere, sublimans in principem Ægypti, omniaque ejus opera secundans et prosperans, uti mox explicat S. Stephanus. Vide *Sapient.* cap. X, 13 et 14.

13. ET IN SECUNDO, — scilicet adventu fratrum Joseph in Ægyptum; Syrus, *in secunda vice;* Tigurina et Pagninus, *cumque iterum misisset eos.*

14. IN ANIMABUS SEPTUAGINTA QUINQUE. — « Animabus, » id est hominibus, puta filiis et nepotibus ex Jacob prognatis. In his enim stabat tota cognatio, id est prosapia et posteritas Jacob. Est synecdoche.

Est hic quarta antilogia. Nam *Gen.* XLVI, 26, numerantur tantum 70, et non 75. Respondeo, fuisse 70. Sed Septuaginta, quos sequitur S. Stephanus, numerant 75, quia annumerant filios et nepotes Joseph natos in Ægypto, ut dixi *Gen.* cap. LXVI, vers. 26 (1).

16. ET TRANSLATI SUNT IN SICHEM. — « Sichem, » sive *Sichar*, urbs erat Samariæ præcipua, quæ post *Mabartha*, teste Josepho, lib. V *Belli.*, cap. IV, vel ut ait Plinius, lib. V, cap. XIII, *Mamortha* dicta est, deinde *Flavia Cæsarea* a Flavio Domitiano, qui eo coloniam deduxit; denique *Neapolis* est appellata, nunc *Naplos* dicitur, in qua natus est S. Justinus Philosophus et Martyr, S. Stephani in fide propugnanda æmulus : unde gloriosum illius ad instar, pro ea martyrium obiit anno ætatis circiter 50, Christi 168, ut habet Chronicon Alexandri, licet Baronius id consignet anno Christi 165.

Est hic quinta antilogia. Nam Abraham, Isaac et Jacob sepulti sunt in Hebron, ut patet *Gen.* XXV, 9, et L, 13. Respondeo, Abraham, Isaac et Jacob sepultos esse in Hebron, duodecim vero Patriarchas qui fuerunt filii Jacob, sepultos esse in Sichem. Ita S. Hieronymus, in *Epitaphio S. Paulæ.* Aut certe hi quoque primum ex Ægypto translati et sepulti sunt in Sichem, inde in Hebron, uti diserte docet Josephus, lib. II *Antiq.*, cap. IV, ubi asserit omnes, excepto Joseph, sepultos esse in Hebron. Josephum quasi gnarum et fidum suæ gentis historicum, sequuntur Magister, *Hist. Schol.*, Dionysius et Gagneius, atque idipsum hic significat Stephanus, cum subdit : « Et positi sunt in sepulcro quod emit Abraham, » utique in Hebron, ut patet *Genes.* XXIII, non in Sichem.

(1) « Probabillima ratio nostrum locum cum illo Genesis conciliandi est hæc : Alexandrinos (quos Stephanus secutus est) Jacobi posteris quinque filios Manassis et Ephraimi, in Ægypto natos, ex I *Paralip.* VII, 14, addidisse. Notandum est etiam hoc, Judæos habuisse traditiones vel ore vel scriptis propagatas, quas Alexandrini, Josephus interdum, Philo plerumque secuti sunt. Non igitur est mirum, Stephanum, Hellenistam, adsuetum versioni Alexandrinæ, cum illis Alexandrinis locutum esse. » Ita apposite Rosenmullerus.

Et positi sunt in sepulcro, quod emit Abraham pretio argenti a filiis Hemor, filii Sichem. — Est hic sexta antilogia, eaque maxime implicata et difficillima : nam Abraham sepulcrum emit ab Ephron, filio Seor, *Genes.* XXIII, 16, non a filiis Hemor, filii Sichem. Ab illis enim partem agri in Sichem emit Jacob, non Abraham, *Genes.* cap. XXXIII, vers. 19.

Respondent *primo*, Beda, Rabanus et ex iis Melchior Canus, in fine lib. II *De Locis Theolog.*, S. Stephanum totum alteri rei, puta causæ suæ de Christo, intentum, hic lapsum esse memoria, et pro Jacob nominasse Abraham : confudisse enim duas emptiones, et commiscuisse in unam, scilicet priorem Abrahæ, de qua *Genes.* XXIII, 16, et alteram Jacob, de qua *Genes.* XXXIII, 19. Verum quis hoc credat de S. Stephano, qui plenus erat fide et Spiritu Sancto, imo in quo loquebatur Spiritus Sanctus : præsertim cum ipse hic publice coram doctissimis Rabbinis, suis adversariis, concionaretur tractaretque controversiam de Christo, æque ac causam suæ religionis et fidei, vitæque et necis? Erat enim jam martyrii cœlique candidatus, viditque gloriam Dei. Minus improbabile est quod censent alii, nomen Abrahæ pro Jacob hic irrepsisse, æque ac nomen Jeremiæ irrepsisse *Matth.* XXVII, 9, multi viri docti autumant. Si enim pro *Abraham* ponas *Jacob*, aut ex puncto *Abraham* repetas nomen *Jacob*, quod paulo ante præcessit, tota sententia plane fluit, nec ullum ingerit scrupulum. Ita Eugubinus et Lipomanus in *Catena*, *Genes.* XXXIII; ac Andreas Masius in cap. ultim. *Josue*, vers. 32. Verum omnia exemplaria Græca, Latina et Syria constanter habent *Abraham* non *Jacob*; nec ullus veterum pro *Abraham* legit *Jacob*, nec est quidquam quod ad ita legendum cogat; sunt enim alii hæc loca conciliandi modi, iique magis probabiles et expediti.

Unde, *secundo*, respondet Vatablus, Sanchez et alii, *Abraham* patronymice sumi, ut idem sit quod Abrahamides, puta Abrahæ filius, scilicet Jacob : aut q. d. Abraham, qui primus et famosissimus fuit parens Israelitarum, ac hæres terræ promissæ a Deo institutus, emit suis hunc agrum, non per se, sed per nepotem suum Jacob, *Genes.* XXXIII. Sic Christus vocatur *Israel*, id est Israelitides, sive Israelis filius, *Isaiæ*, cap. XLIX, vers. 3 : « Servus meus es tu Israel. » Idem vocatur *David*, id est Davidides, sive Davidis filius, *Ezech.* cap. XXIV, vers. 23 : « Suscitabo super eos servum meum David. Ego autem ero eis in Deum, et servus meus princeps in medio eorum. » Idem vocatur *Salomon*, in titulo *Psal.* LXXI, id est Salomonides. Sic Trojanus vocatur *Tros*, a Troe parente, *Æneid.* VI :

> Tros Anchisiade, facilis descensus Averni.

Et lib. I :

> Tros Tyriusve mihi nullo discrimine agetur.

Idem vocatur *Dardanus*, id est Dardanides, puta Dardani soboles, *Æneid.* IV :

> Hauriat hunc oculis ignem crudelis ab alto
> Dardanus.

Sic Trojani vocantur *Teucri*, a Teucro progenitore : Græci vocantur *Danai*, a Danao, rege Argivorum. Sic Romani a Romulo, ab Horatio, lib. IV *Carm.*, vocantur *gens Romula*. Verum hæ phrases conveniuntur Poetis et Prophetis, non vero Historicis, qualis est hic S. Stephanus.

*Tertio*, Cajetanus et alii censent esse hyperbaton; verba enim sic esse ordinanda : « Et translati sunt a filiis Sichem patres nostri filii Jacob, et positi sunt a filiis Sichem, filii Hemor in sepulcro, quod emit Abraham pretio argenti in Hebron. » Causamque dat, quod Sichimitæ, memores cladis acceptæ a Simeon et Levi, filiis Jacob, non passi sint eorum corpora apud se manere in Sichem, ideoque ea transtulerunt in Hebron. Verum hoc fictitium videtur : potius enim insepulta abjecissent : et hyperbaton illud durum et contortum apparet. Adde, Cajetanus mutat genealogiæ seriem. Ait enim : « a filiis Sichem, filii Hemor, » cum textus ex adverso habeat : « a filiis Hemor, filii Sichem. »

*Quarto*, Gagnæius respondet eumdem agrum in Sichem prius emptum fuisse ab Abraham, etiamsi id non narretur in Genesi, eumque abalienatum, rursus emptum esse a Jacob post 117 annos, cum ex Mesopotamia rediit in Chanaan. Sed et hoc sine fundamento asseritur.

*Quinta*, ergo et verisimillime, S. Gregorius, lib. VII, *epist.* 55, Lyranus, Lorinus et alii hic, ac fuse Pererius, in *Genes.* XXIII, num. 46 et sequentibus, censent hic sermonem esse de emptione speluncæ facta ab Abraham *Genes.* XXIV, non agri facta a Jacob *Genes.* XXXIII, 19. Probatur id *primo*, quia « Abraham » diserte habent omnes codices, non « Jacob. » *Secundo*, quia S. Stephanus loquitur de emptione sepulcri; hoc autem pro Sara uxore defuncta emit Abraham, non Jacob : Jacob enim emit agrum ad altare, non ad sepulcrum. *Tertio*, quia S. Stephanus ait sepulcrum hoc emptum esse pretio argenti, scilicet quadringentis siclis argenti, de quibus dicit Ephron venditor sepulcri ad Abraham emptorem, « illud est pretium inter me et te, » *Genes.* XXIV, 15. Jacob autem emit agrum non pretio argenti, sed centum agnis, ut dicitur *Genes.* XIII. Denique Hemor ille Jacobi, dicitur fuisse pater Sichem; hic vero Abrahæ, dicitur fuisse filius Sichem; Quare diversus ab eo fuit, esto idem habuerit nomen. Sed ad hoc responderi posset, Hemoris patrem, æque ac filium vocatum fuisse Sichem : unde Græce est τοῦ Συχέμ, quod tam patrem, quam filium Sichem significat. Quinta genuina.

Dices : Abraham sepulcrum emit ab Ephron, filio Seor, non a filiis Hemor, filii Sichem.

Respondeo, Ephronis patrem fuisse binomium : vocatus enim est Seor, vocatus est et Hemor. Hebræi enim multi fuerunt binomii, ut patet, si nomina quæ initio lib. I *Paralip.* recensentur, conferas cum iis quæ ponuntur in Genesi. Porro Hemor fuit filius Sichem, non illius, a cujus filiis emit agrum Jacob, sed eo longe antiquioris. Hemor autem multos habuit filios, inter quos major et primogenitus videtur fuisse Ephron, qui nomine cæterorum fratrum sepulcrum vendidit Abrahæ.

Dices *secundo*, quomodo verum est quod ait Stephanus : Jacob et Patres nostri translati sunt in Sichem, et positi in sepulcro Abrahæ? hoc enim erat in Hebron, non in Sichem : nec Jacob ex Ægypto translatus est in Sichem, sed in Hebron, *Genes.* L, 13.

Respondi paulo ante dupliciter : *Primo*, Jacob cum Isaac et Abraham, sepultum esse in Hebron, Jacobi vero filios in Sichem. Est synecdoche : partialiter enim hæc explicanda sunt; quia S. Stephanus concise loquitur, et paucis multa conglomerat et perstringit. Cum ergo ait « Patres nostri, » intelligit non tantum Jacobi filios, sed et parentes, scilicet Abraham et Isaac, quos nominavit vers. 8, ubi genealogiam eorum descripsit, non mortem, nec sepulturam. Utramque ergo hic generalim consignat, dicens eos defunctos et positos in sepulcro quod emit Abraham, puta juxta Hebron. *Secundo*, duodecim Jacobi filii primo translati sunt in Sichem, deinde in Hebron, uti ex Josepho et aliis asserui. Nec id negat S. Hieronymus in *Epitaphio S. Paulæ*. Ibi enim tantum dicit duodecim Patriarcharum sepulcra adhuc sua ætate ostendi solita in Sichem : quia enim ibi primo sepulti sunt, hinc sepulcra eorum ibidem manserunt, et religiose a posteris asservata et frequentata sunt; esto ipsi deinde ex Sichem in Hebron translati sint, uti asserere videtur hic S. Stephanus (1).

Paulo aliter respondet Pererius, nimirum, cum S. Stephanus nominat Jacob et patres nostros, solum intelligere Jacobi filios, non parentes : filios autem sepultos esse in Sichem, Jacobum vero in Hebron; ut sit enallage numeri, *positi*, pro *positus*; sicut discipuli dicuntur apud *Matth.*, cap. XXVI, vers. 8, murmurasse contra Magdalenam effundentem unguentum super caput Christi, cum solus Judas murmurarit, ut ait Joannes, cap. XII, vers. 4. Verum hæc enallage hoc loco duriuscula est, præcedit enim : « Et translati sunt in Sichem, » quod in plurali accipiendum esse, omnes consentiunt. Ergo et id quod ei copulatur, scilicet : « Et positi sunt in sepulcro quod emit Abraham, » in plurali ut sonat accipiendum videtur, non in singulari de solo Jacob.

17. Quam confessus, — id est *professus erat*, ut legunt nonnulli codices, hoc est promiserat cum jurejurando. Syrus, *quam pollicitus erat cum juramento*. Græca enim jam habent ὤμοσεν, id est *juraverat*. Ita Tigurina. Forte Interpres noster legit ὡμολόγησεν, id est *confessus*, *professus erat*.

18. Non sciebat, — ignorabat quanta beneficia Joseph Hebræus contulisset Ægypto, ideoque ab Hebræis aversus eos affligebat.

19. Hic circumveniens genus nostrum, — κατασοφισάμενος, id est *sophismatibus implicans*, *dolosis artibus quasi retibus capiens*; Syrus, *dolum componens*. *Exodi* I, 10, Hebr. est נתחכמה לו *nithchakema lo*, id est sapientiores simus eo : quod Noster clare vertit, *sapienter*, id est astute, *opprimamus eum*. Neque enim Ægyptii Hebræos manifeste opprimere audebant, aut poterant, cum nullam hujusce rei causam haberent. Porro doli hi et fraudes Pharaonis narrantur *Exodi*, I, scilicet : *primo*, quod vectigalibus et laboribus intritis eos afflixerit; *secundo*, quod obstetricibus mandarit, ut infantes eorum masculos in partu clam occiderent; *tertio*, quod jusserit, ut jam natos in flumen projicerent.

Ut exponerent infantes suos. — *q. d.* Pharao coegit patres nostros exponere infantes suos, dum per ministros suos ita perscrutabatur domos Hebræorum, ad rapiendum et mergendum infantes eorum, ut Hebræi eos non possent domi abscondere, sed cogerentur eos in agris, vel ripis fluminum exponere, uti a matre expositus est Moses, *Exod.* II, 3. Alium sensum dat Syrus, qui Græcum αὐτῶν vertit *eorum*, non *suos*, ut Noster. Sic enim habet : « Mandavit ut essent abjecti filii eorum ne viverent, » *q. d.* Præcepit Pharao suis Ægyptiis, ut filios Hebræorum abjicerent in flumen ibique eos mergerent et occiderent. Utraque versio est commoda et vera. Utrumque enim fecit Pharao, et Græcum ἔκθετα, tam expositos, quam ejectos et projectos, scilicet in flumen, significat.

Ne vivificarentur. — Refert hoc ad Pharaonem, non ad patres infantium, *q. d.* Coegit Pharao Patres nostros exponere suos infantes, ne vivificarentur, id est vivi servarentur, sed expositi, vel fame morerentur, vel a lupis et feris devorarentur, vel reperti a ministris suis submergerentur. Græce est εἰς τὸ μὴ ζωογονεῖσθαι, id est *ne vitales essent*, *ne vivi gignerentur*, vel *producerentur* : quia antequam nascerentur, ab eo morte erant damnati, et paulo post nativitatem occidendi.

20. Moyses fuit gratus Deo. — Græcum ἀστεῖος significat *elegantem*, ut vertit Noster, *Exod.* II, 2, *urbanum, festivum* : sed quia additur τῷ θεῷ, hinc hoc loco idem est quod χαρίεις, vel εὔχαρις, id est *gratiosus*, *gratus*, *charus Deo*, *q. d.* Moses infans adeo erat

(1) « Hæ difficultates, ait Kuinoelius ad h. l., meo quidem judicio, commodissime solvuntur, si *translati sunt* et *positi sunt* referuntur tantum ad verba *patres nostri*, et vocabulum *Abraham* tanquam spurium e textu ejicitur, ut adeo verba reddenda sint : Translati sunt Sychemum, et conditi in sepulcro, quod emptum erat (ὠνήσατο impersonaliter sumpto) argenti pretio a filiis Hemoris, patris Sichemi. » Qua tamen interpretatione secatur magis quam solvitur nodus.

elegans, decorus et gratiosus, ut tam Deum, quam homines in sui amorem alliceret : elegantia enim corporis præter solitum Mosi a Deo indita, effectus et indicium erat elegantiæ, quæ animæ erat ab eodem indita et indenda. Unde Syrus vertit, *fuit dilectus Deo.* Sic et S. Chrysostomus et Œcumenius, qui tamen *secundo*, ἀστεῖος vertit, *irreprehensibilis. Tertio*, recentior quidam sic interpretatur : « Moses erat elegans Deo, id est insigniter elegans, eximie pulcher : » quæ enim Deo pulchra sunt, eximia sint oportet. Sic in Scriptura vocantur « cedri Dei, montes Dei, » id est cedri et montes excelsissimi. Hinc Deus Mosen diligens, cum a submersione et morte, in vita mirabiliter servavit, eumque suis donis et gratiis cumulavit, ac tandem ducem populi sui creavit, qui per plagas et portenta admiranda Israelem educeret ex Ægypto. Aliter Cajetanus, *q. d.* « Fuit Moses Deo acceptus, non ex propriis meritis, sed ex Dei bonitate, tanquam æternaliter prædestinatus, eique ad plurima bona opera agenda præordinatus. » Ostendit hic Stephanus se Mosis non esse hostem, ut objiciebant Judæi, sed amicum et encomiasten.

Allegorice, Moses elegans fuit typus Christi, qui fuit « speciosus forma præ filiis hominum, » *Psalm.* XLIV, 3, quia corpus perfectissimum habuit, utpote formatum et organizatum a Spiritu Sancto, ut index esset animæ ipsius elegantissimæ, pulcherrimæ. Divinitas enim velut sol resplendebat per humanitatem Christi, eique suam pulchritudinem afflabat. Vide Abulensem, *Paradoxo* 1, et Nicephorus, lib. I *Histor.*, cap. ult., ubi Christi formam et figuram describit.

Vere auctor Panegyrici ad Constantinum : « Natura ipsa, ait, magnis mentibus domicilia corporum digna metatur. » Et S. Ambrosius, lib. II *De Virgin.* : « Corporis, ait, species simulacrum est mentis figuraque probitatis. » Simile dat Maximus Tyrius, *serm.* 10 : « Ut ante sol exoriens, inquit, præmittit fulgorem, qui cacumina montium illustret, uberioris lucis spe ; ita splendescenti animo præfulget in superficie corporis decor, spem afferens multo melioris. » Id patet in Salomone, *Sap.* VII, 11 ; Davide, I *Reg.* XVI, 12 ; Iosepho, *Genes.* XXXVI, 6 ; Judith, X, 4. Porro splendidum est mendacium Plinii, lib. XXX, cap. I, Mosen magnum fuisse socium Jannis (qui fuit magus Pharaonis, contra Mosen decertans), imo magicæ factionis apud Judæos auctorem. Sic et alii Historici Gentiles de Mose et Judæis, utpote sibi invisis, miras narrant fabulas et calumnias. Reliqua quæ de Mose hic recenset Stephanus, explicui *Exod.* II, et sequent.

25. Existimabat autem. — Stephanus tacite perstringit Judæos et judices suos, *q. d.* Patres vestri in figura non cognoverunt nec receperunt Mosen missum sibi a Deo Salvatorem : sic nec vos Christum Mose adumbratum et a me prædicatum agnoscere aut recipere vultis ; idque clarius significat et inculcat vers. 35 : « Hunc Mosen quem negaverunt, » etc.

29. In verbo isto, — ad verbum istud, quia videbat propalatam esse suam cædem, quam putabat occultam.

34. Descendi. — « Descensus Dei, ait S. Augustinus, lib. XVI *De Civit.*, cap. v, significat aliquid in terra fieri præter usitatum naturæ cursum. » Descendere igitur dicitur Deus, non quasi de loco supero ad inferum se transferat, cum sit ubique ; sed ἀνθρωποπαθῶς, cum in terra insigne quid operatur, præsertim circa ultionem impiorum, vel protectionem piorum, uti hic descendit ad liberandum Hebræos de tyrannide Pharaonis, et ad Pharaonem cum suis perdendum. Sic descendisse dicitur Deus ad fabricam et fabros turris Babel, cum opus disturbavit per linguarum confusionem, *Genes.* XI, 5. Sic descendit in Sodomam, et protinus secuta est urbis et Pentapolis conflagratio, *Genes.* XVIII, 21. Sic descendit in montem Sina, cum in eo legem dedit Mosi et Hebræis, *Exod.* XIX, 20.

35. Quem negaverunt, — uti vos negatis Christum Mosis antitypum ; sed sicut iis invitis Deus Mosen constituit « principem et redemptorem ; » Græce λυτρωτήν, id est *liberatorem*, scilicet populi sui ex Ægyptia servitute : ita et Christum nunc vobis invitis constituit principem et redemptorem mundi.

Cum manu angeli, — id est per manum, puta per opem, operam et ministerium, sive ductum angeli : nam « manus » significat tum potentiam, tum causam mediam et executricem. Manus enim omnium artium et operum est administra, ait Cicero.

37. Hic est Moyses, qui dixit filiis Israel : Prophetam suscitabit vobis Deus, — puta Christum, Prophetarum principem. Ecce hic est scopus dictorum de Mose a S. Stephano, nimirum ut ostendat Mosen prophetasse de Christo, ac proinde se non adversari Mosi, sed potius consentire dum Christum prædicat : Judæos potius adversantes Christo, adversari quoque Mosi, Christi præcursori.

38. Hic est qui fuit in Ecclesia, — puta in populi fidelis cœtu et congregatione, cui ipse præerat.

Verba vitæ, — Decalogum aliasque Dei leges, quarum observatione ad vitam beatam et æternam in cœlis ingredimur.

39. Aversi sunt cordibus suis in Ægyptum, — scilicet redire volentes. Aliter Vatablus, *q. d.* Desiderio Ægypti flagrarunt : est hebraismus.

41. Et vitulum fecerunt. — Recte : hoc enim est ἐμοσχοποίησαν ; Syrus vero pro α legens ε, scilicet ἐμοσχοποίησε, vertit in singulari, *et vitulum fecit*, scilicet Aaron. Aaronem id fecisse, non magos Ægyptios, ut vult Lippomanus, patet *Exod.* XXXII, 2 et 3. Certum est ergo Aaronem hic graviter peccasse, quia debebat potius morti se exponere, quam furenti populo idolum fabricare. Ita Cyrillus Hierosolymitanus, *Catechesi* II. Metus tamen mortis, et « furor » populi qui eum coegit fabricare vitulum, effecit ut hoc ejus peccatum minus esset : coactio enim et metus minuunt voluntarium quod requiritur ad culpam et peccatum. Et hoc tantum volunt S. Ambrosius, *epist.* 32, Theodoretus, Lyranus, Abulensis, Hugo et alii, in *Exod.* XXXII, dum Aaronem excusare conantur.

Nota Deum permisisse duos summos Pontifices, unum veteris, alterum novi Testamenti, labi in re tam gravi, qualis erat idololatria et negatio Christi, scilicet S. Petrum et Aaronem, ut doceret eos et posteros compati lapsibus subditorum.

Et lætabantur in operibus manuum suarum, — puta in idolo, scilicet vitulo quem fabricarunt, circum illum quasi Deum choros et choreas agendo, cantando, convivando, etc.

42. Convertit autem Deus. — ἔστρεψε, quod Vatablus vertit, *avertit se ab eis Deus* ; Pagninus, *convertit se* ; alii, *retraxit se ab eis.* Melius Noster vertit active, *convertit* : στρέφω enim idem est quod *flecto, converto, inflecto*, *q. d.* Deus videns Judæos continue sibi rebelles, *convertit et tradidit eos servire militiæ cœli*, id est adorare solem, lunam et astra : convertit, inquam, et tradidit eos, non positive impellendo, sed permissive et occasionaliter, nimirum deserendo eos sua ope et gratia, atque occasiones objiciendo, idque in pœnam rebellionis et præcedentium peccatorum ipsorum : nimirum omnes gentes vicinas, quæ idola astraque colebant, ditando et prosperando, quæ proinde Judæos ad idolorum cultum provocarunt, spe similis prosperitatis rerumque abundantiæ (1). Quem modum plenius explicui, can. 36 et 37 in Prophetas Majores.

In libro Prophetarum. — *Amos*, cap. 5, vers. 22, cujus verba, quæ hic recitat Stephanus, ibidem explicavi : hic ergo ea non repetam, nec actum agam.

43. Moloch. — *Meloch, Melech*, vel *Melchom*, id est *rex eorum*, est Saturnus, vel Jupiter, vel sol, qui in militia cœli eminet et effulget ut rex. *Rempham* est Lucifer, sive stella Veneris : hanc enim etiamnum colunt Saraceni et Turcæ nomine *Cubar* ; unde adorantes exclamant : *Alla ova Cubar*, hoc est, *Deus et Venus* ; quod ipsum memorat Constantinus Imperator, lib. *De Administr. Imp.*, ad Romanum filium, cap. XIV. Vide dicta *Amos*, cap. V, vers. 25 (2).

(1) Aliter etiam sensu activo ἔστρεψε intelligi posset, subintelligendo αὐτούς : Convertit animos eorum ab una idololatria ad aliam, atque ad cultum sideribus præstandum pronos reddidit. Mihi quidem eorum præplacet sententia, qui verbum ἔστρεψε accipiunt, pro ἀπέστρεψε, et subaudiunt ἑαυτόν, quæ ellipsis frequentissima est, vel τὸ πρόσωπον αὐτοῦ. Dicitur autem Deus se, vel *faciem suam avertere* ab iis quibus infensus est.

(2) *Suscepistis tabernaculum Moloch*, id est, sursum tulistis, cum pompa quadam et processionis ritu gestastis et circumtulistis.





44. Tabernaculum testimonii. — id est fœderis : dicitur *testimonii*, quia continebat arcam in qua erat lex sive tabulæ legis, quæ vocatur *testimonium*, quia Judæis testabatur voluntatem Dei, quid scilicet eis præciperet, quidque ab eis exigeret Deus. Tabernaculi fabricam vide *Exod.* cap. XXVI, vers. 1.

Ut faceret illud secundum formam quam viderat. — Deus ideam tabernaculi Mosi ostendit in Sina, ut juxta eam illud fabricaret. Hoc est enim quod ei ait : « Inspice, et fac secundum exemplar quod tibi in monte monstratum est, » *Exod.* cap. XXV, vers. 40.

45. Quod et induxerunt. — *q. d.* Patres nostri tabernaculum cum arca, duce Jesu, id est Josue, induxerunt in Chanaan, quæ erat *possessio gentium*, id est Chananæorum quos Josue ea expulit. Arca enim præibat castra, et in arca Deus quasi residens, pro Hebræis pugnans cædebat Chananæos, *Josue* III, 14.

Usque in diebus David, — id est, ut habent Græca et Syriaca, *usque ad dies David*, *q. d.* Tabernaculum Mosis duravit usque ad tempora Davidis : nam David per Salomonem, vice Tabernaculi exigui et mobilis, stabile et augustum ædificavit templum. Ita Lyranus, Glossa et alii. Unde explicans subdit :

46. Qui invenit gratiam ante Deum (puta gratus, dilectus et e toto Israele in regem electus fuit a Deo), et petiit ut inveniret tabernaculum Deo Jacob, — cum nimirum « juravit Domino, et votum vovit Deo Jacob : Si introiero (id est quod non introibo) in tabernaculum domus meæ, etc., donec inveniam locum Domino, tabernaculum Deo Jacob, » locum scilicet, in quo Deo templum (in quo tabernaculum Mosis includam) erigam, *Psal.* CXXXI, vers. 2 et seq. Hoc autem videtur vovisse David in plaga qua Deus per angelum percussit populum, ob eum a Davide numeratum, II *Reg.* XXIV, 1. Tunc ergo, ut Deum sibi populoque infensum placaret, vovit se non introiturum domum suam donec Deus ei revelaret locum quem petebat, nimirum in quo ei ædificaret templum ad solemnem perennemque cultum, supplicationes et sacrificia. Unde Deus tunc per Gad prophetam revelavit ei se velle coli in Moria monte, super quem conspexerat angelum gladium vibrantem in populum. Quocirca David illico in eodem Deo sacrificium obtulit, emitque aream Ornam Jebusæi cæteraque omnia ad fabricandum in ea templum opportuna comparavit. Ita tradunt Hebræi.

Deo Jacob. — Quem scilicet coluit Jacob, qui alio nomine dictus est *Israel*, omnesque ejus posteri, puta Israelitæ : quique vicissim se Jacobo et Israelitis jugiter Deum, id est patrem, protectorem et benefactorem eximium exhibuit, cum multi ex posteris Abrahæ, puta Ismaelitæ, et ex posteris Isaac, puta Idumæi, Deum non coluerint, nec vicissim ab eo pro populo suo habiti sint.

Dei enim Ecclesia, sive populus fidelis, duntaxat erat domus Jacob, id est populus Israel.

47. DOMUM, — templum. Hoc enim est domus Dei apud homines.

48. SED NON EXCELSUS IN MANUFACTIS HABITAT. — *q. d.* Deus proprie non eget, nec habitat in domibus, puta templis manu fabrorum ædificatis et factis; ipse enim est עֶלְיוֹן *Elion*, id est Excelsus et Altissimus, qui non tantum terram, sed et cælos omnes sua majestate et gloria, æque ac situ et immensitate transcendit, ideoque ubique est, et ubique latria colendus. Notat Stephanus Judæos, qui Deum templo suo delectari eique quasi affixum putabant, unde putabant se esse invictos: Deum enim nunquam passurum domum suam capi et possideri a Chaldæis. Hinc Jeremiæ, cap. VII, templi excidium prædicenti, acclamabant: « Templum Domini, Templum Domini, Templum Domini est. » Dicit ergo Stephanus: Ne insolescatis vestro templo ejusque ritibus judaicis, quasi illi perpetuo futuri sint; neve despiciatis Christum et Ecclesiam, quasi adhuc carentem templo. Nam suo tempore non unum, ut vos, sed plurima et augustissima toto orbe habebit templa. Deus enim proprie non habitat in templo, ut vos putatis; sed formaliter habitat in seipso suaque divinitate, immensitate; participative vero et effective per operationem habitat in toto mundo, præsertim vero in mentibus fidelibus et sanctis, quales nunc habent Christiani, non Judæi.

SICUT PROPHETA DICIT. — Isaias, cap. LXVI, ubi hæc ejus verba explicui.

49. QUIS LOCUS REQUIETIONIS MEÆ. — *q. d.* Ego habito et quiesco in meipso, qui antequam mundum crearem per æterna secula in meipso habitavi et quievi: nulla ergo mihi a vobis, o Judæi, ædificari potest domus et templum, nisi ad hoc tantum, ut in illo a vobis colar, vos exaudiam, vobis adsim et prosim: vobis, inquam, non mihi.

51. DURA CERVICE, — ut eam cum mente flectatis Deo Christoque ejus, *q. d.* Duri, cervicosi, inflexibiles, pervicaces estis in resistendo Christo et Evangelio.

*Cur Stephanus hic acer in Judæos? Causæ [illegible].*

Quæres, cur Stephanus, hucusque lenis et mansuetus, nunc subito acer tonet et fulminet in Judæos? Respondet *primo*, Œcumenius, quia videbat illos non advertere animum his quæ dicebantur, sed persistere in sua pertinacia et perfidia persequendi Christum et Christianos, ipsumque Stephanum occidendi. Duros ergo dure increpat, juxta præceptum Apostoli *ad Tit.* I, 13. Forte etiam eos intuitus, vidit magis a se aversos, magisque in vultu et gestu accendi eorum odia et iras, eo quod sæpius taxasset patres eorum quasi Mosis rebelles, ac dixisset Deum non egere, nec habitare in templo Hierosolymitano. Jure ergo eorum duritiem increpat et contundit agens cum eis quasi desperatis.

*Secundo*, ut ostenderet zelum in Christum Christique fidem, insectando Judæorum incredulitatem et perfidiam. Unde S. Augustinus, serm. 1 *De Sanctis*, docet S. Stephanum hic significare se perfecto odio odisse non Judæos, sed Judæorum pervicaciam.

*Tertio*, ut declararet libertatem et fortitudinem Evangelici, imo Apostolici spiritus. *Tertia.*

*Quarto*, quia ambiebat et anhelabat ad martyrium, quod exterius videbat sibi a Judæis parari, et interius a Deo sentiebat se ad id agi et incitari. *Quarta.*

Tropologice, S. Fulgentius, serm. *De S. Stephano*, docet S. Stephanum dare hic formam concionatoribus et Prælatis, ut vitia subditorum acriter insectentur, et tamen apud Deum pro eis intercedant: hanc enim esse perfectam charitatem: « Ita ut ideo, ait, in oratione quam postea pro eis fudit, audiri meruerit lenitas ejus, quia sine charitate non fuit in correctione severitas; et Ecclesiasticum dispensatorem erudierit, ut ad corrigendum cujuslibet peccati errorem, non desit in ore correptio, et ad Deum pro eo supplex effundatur oratio: ut qui malum fecit, per increpationem de malis operibus confundatur, et per orationem apud Deum adjuvetur. » Æque acris objurgatio, *Isaiæ* I et X; *Jer.* XXII et XXIII, *Ezech.* et aliorum Prophetarum correptio non tantum populi, sed et principum regumque Juda. Similis fuit Machabæorum in Antiochum, II *Mach.* VII, S. Laurentii in Valerianum, S. Vincentii in Dacianum, S. Sebastiani in Diocletianum, aliorumque Martyrum in tyrannos libertas, fortitudo, zelus et increpatio. Pulchre S. Augustinus, serm. 1 *De Sanctis*: « Eia, ait, S. Stephane, dic aliquid Judæis, ut incipias lapidari, et possis coronari; jaculare verba, et excipe saxa. Dic aliquid de incircumcisis cordibus, et morieris lapidibus. *Tropol.*

ET INCIRCUMCISIS CORDIBUS ET AURIBUS. — *q. d.* Vos estis rebelles et obstinati, qui cor et aures infidelitatis pellicula obductas habetis, ut credere non possitis, quia illam circumcidere et auferre non vultis. Hinc Constantinus Imperator rebellibus Judæis jussit amputari auriculas, uti tradit S. Chrysostomus, hom. 2 *Contra Judæos*. In hujus rei symbolum S. Petrus Malcho, contra Christum præ cæteris insolescenti, amputavit auriculam dextram, ut repræsentaret Judæos perdituros aurem dextram, qua spiritualia et cœlestia Christi dogmata capiant, nec nisi sinistra aure Dei et Mosis mandata percepturos, qua videlicet res temporales tantum curent, ut ait S. Ambrosius, in cap. XXII *Lucæ*, donec Christus in fine mundi per Eliam eis aurem dextram restituat, ut nunc omnis Israel salvus fiat.

52. JUSTI, — Christi. Hic enim antonomastice vocatur *justus*, quia ita eminenter justus est, ut omnes in se credentes justificet. Unde a Daniele, cap. IX, vers. 24, vocatur « Sanctus Sanctorum et justitia sempiterna. » Vide *Isai.* XLV, 8, et *Jerem.* cap. XXIII et sequent.

CUJUS VOS NUNC PRODITORES ET HOMICIDÆ FUISTIS. — Quia per Judam eum prodidistis, ejusque proditioni consensistis, imo eam pecunia emistis. Rursum prodidistis eum Pilato, postulantes eum occidi et crucifigi.



*Vers. 53. Dispositio angelorum in dando lege, quæ?*

53. IN DISPOSITIONE ANGELORUM. — Græcum διαταγή significat *dispositionem, ordinationem, præceptum*: διατάττω enim significat *collocare, disponere, in ordinem componere, edicere, mandare.* Unde Syrus, Tigurina et Vatablus vertunt: *Per præcepta et mandata Angelorum.* Angelus enim vice Dei quasi legatus, proclamans legem ex Sina, jubebat eam omniaque ejus præcepta servari. Verum Noster melius vertit, *in dispositione Angelorum*, id est: *primo*, ministerio Angelorum; *secundo*, proprie *in dispositione*, quia Angeli recto ordine legem disponentes, tradiderunt Mosi. Nam primo, *Exod.* XX, tradiderunt legem naturalem, puta Decalogum: inde cap. XXI, vers. 22, tradiderunt leges judiciales; denique cap. XXV et seq., tradiderunt leges cæremoniales. Rursum Angeli ita disposuerunt legem Mosaicam, ut media esset inter legem naturæ, quasi ea perfectior, et legem Evangelii, quasi ad eam, utpote perfectiorem, se suosque dirigens et ducens.

*Tertio, dispositio* hæc complectitur omnes dispositiones (Græce enim est διαταγάς, in plurali) et prodigia quæ, quasi pompa, vel antecesserunt, vel comitata, vel secuta sunt legem, puta quod Angeli jusserint populo, ut se præpararet ad accipiendum legem per purificationem et sanctificationem, id est lotionem vestium et abstinentiam ab uxoribus; Mosi vero, ut ascenderet in Sina montem; quod Angeli daturi legem descenderint in Sina cum igne, fumo et terræ motu; quod voce tubali Decalogum ex Sina proclamarint, etc., quæ narrantur *Exod.* XIX. Hæc enim pompa optime disposita, vocatur hic *dispositio*: per eam enim populo rudi significabatur legis et legislatoris dignitas, terror, potentia et magnificentia, ut eam religiose observarent, nec violare auderent.

*Quarto, dispositio* significat distributionem legum in tres classes, quæ plene et perfecte quoquoversum disponebant, formabant et componebant vitam moresque Hebræorum. *Prima* enim classis erat Decalogi et legis naturalis, quæ recte eos in se componebat, ut actus eorum tum interni, tum externi essent conformes rectæ rationi et legi æternæ. *Secunda* erat legum cæremonialium, quibus rite et sancte colerent Deum, eique debitum honorem exhiberent. *Tertia* erat legum judicialium, quibus disponebantur ut recte se gererent erga proximos, eisque sua jura et debita tribuerent.

Mystice et anagogice, hæc dispositio significabat eos qui legem servarent, se disponere ad vitam statumque Angelorum, ut inter Angelos cœlestes quasi Angeli terrestres angelice vivant Deoque serviant, et post hanc vitam inter eorum ordines et hierarchias pro meritis disponantur et referantur. Ita Œcumenius: « Christi, ait, proditores et occisores dicit, quod eorum essent participes qui ipsum crucifixerunt, idque cum legem accepissent ordinationes habentem, quæ facerent eos qui ipsam opere complerent, Angelis similem servare politiam. »

ANGELORUM. — S. Chrysostomus Ambrosiaster, Euthymius, Theophylactus, S. Thomas et alii commentantes in *Galat.* III, 19, per angelos accipiunt Dei nuntios, puta Mosen, Aaronem et Josue. Verum simplicius illi ipsi, et alii passim veros accipiunt angelos. Idem docet S. Paulus, *Galat.* III, 19, et *Hebr.* II, 2. Angeli enim sunt administratorii spiritus a Deo in ministerium missi, ut ait Apostolus, *Hebr.* I. Porro dicit angelos in plurali, quia etsi unus fuerit primarius angelus, v. g. S. Michael, qui nomine Dei decalogum proclamavit in Sina, is tamen honoris causa multos alios inferiores angelos habuit asseclas, qui ignem, fumum, terræ motum, tonitrua cæteraque prodigia partitis inter se operis excitarunt.

Porro S. Stephanus legem veterem vocat *Angelorum*, non Mosis: *Primo*, ut ostendat quanti eam faciat et refellat calumniam Judæorum, qui eum quasi contemptorem et hostem legis Mosaicæ accusabant. *Secundo*, ut arguat Judæorum ingratitudinem et inobedientiam, qui legem angelicam, utpote a Deo per angelos datam, non custodierint; nec Christum in lege adumbratum et prædictum receperint. Blasphemiam ergo legis contemptæ, quam adversarii ipsi objecerant, in ipsosmet retorquet.

Tropologice: verius arguas Christianos, qui legem Evangelicam, quæ non per angelos, sed per ipsum Dei Filium, ea de causa incarnatum, data est, non observant, qui proinde graves ipsi pœnas dabunt, uti minatur Apostolus, *Hebr.* II, 2, et XII, 25.

54. DISSECABANTUR, — διεπρίοντο, id est *disserrabantur*, serra scilicet iræ, angoris et indignationis. Vide dicta cap. V, 33. Notat S. Chrysostomus angoris Judæorum causam fuisse, quod vellent occidere Stephanum, nec tamen ad id justam causam invenirent. Stephanus enim legem laudarat, sed ipsos violatæ legis accusarat: furunt ergo et strident frendentque in eum dentibus, quod verum dixerit, ipsosque acriter taxarit, nec tamen honestum se de eo vindicandi titulum captare queant. Esto enim eum, ut in suos maledicum calumniari, ejicere aut flagellare possent; non tamen occidere, quod volebant. Pulchre S. Augustinus, serm. 6 *De Sanctis*: « Super martyrem Stephanum, inquit, dentibus colubrinis stridebant, quem quasi serpentem in corde habebant. »

55. CUM AUTEM ESSET PLENUS SPIRITU SANCTO (Syrus, *plenus fide et Spiritu sanctitatis*) INTENDENS IN CŒLUM. — Significatur hic nova plenitudo, puta novus illapsus et impulsus Spiritus Sancti roborans Stephanum contra furorem Judæorum,

animosusque ad instans martyrium. Unde movit eum, ut deserens terram et terrena omnia, utpote vilia et exilia, oculos mentis et corporis intenderet figeretque (hoc enim est ἀτενίσας) in cœlum, quasi candidatus gloriæ, eo anhelans et suspirans : ita Lyranus et Glossa ; simul e cœlo opem et robur postulans, ad instantem martyrii agonem fortiter obeundum. Censet S. Chrysostomus S. Stephanum ab initio suæ concionis vidisse cœlum apertum et gloriam Dei Christique, indeque faciem ejus visam lumine cœlesti radiantem instar angeli; sed in initio tacuisse, ne Judæos tam insolito nuntio offenderet et a se averteret.

Moraliter : Petrus Damianus, serm. De S. Stephano, notat Spiritum Sanctum docere oculos intendere in cœlum : « Quia, inquit, qui Spiritu divinitatis afflatur, conculcatis terrestribus, cœlestibus inhiat et æternis : » ubi enim est oculus, ibi et cor et amor. Ex adverso mundani terram intuentur, quia terrenis inhiant : qui de terra est, terra loquitur. Rursum, pii in tribulationibus in cœlum aspiciunt dicuntque cum Davide : « Levavi oculos meos in montes, unde veniet auxilium mihi, » Psal. cxx, 1. Mundani ad humana auxilia respiciunt eaque conquirunt : ideoque justo Dei judicio ea non inveniunt. Vide dicta cap. i, vers. 9 et 11. Causa fortitudinis est intentio in cœlum. Unde Plato, in Cratylo : « ἀνδρεία, inquit, id est fortitudo, dicitur quasi ἄνω ῥεῖν, id est sursum fluens : quia fortitudinis est malis obviis obniti, sursumque ferri. » Qui id facit, est ἀνήρ, id est vir, et ἄρρην, id est mas, non femina. Unde idem in Apologia Socratis, eum injuste damnatum ad mortem, eo quod deos plures negaret, unicumque duntaxat esse assereret, ita se consolantem lætoque animo morientem inducit, ut dicat : « Nihil unquam bono viro quidquam mali evenire posse, nec vivo, nec mortuo ; neque unquam ejus res a diis negligi. Nec sane meæ res istæ fortuito contigerunt, sed hoc mihi certum perspicuumque est, mihi et mori, et negotiis adeo liberari melius esse atque condicibilius. Illic versabor cum Orpheo, Musæo, Hesiodo, Homero, cum Minoe, Rhadamanto, cum Ajace et aliis injuste damnatis, uti ego injuste damnor. »

Vidit gloriam Dei. — *Primo*, aliqui censent Stephanum vidisse Dei essentiam. Ita aliqui apud Lyranum. Favet Gregorius, Nyssenus, orat. *De S. Stephano*, dum ait : « eum vidisse ipsum lumen in lumine Dei, plena mentis comprehensione, atque Deum et Trinitatem. » Et Hilarius Arelat., hom. *De S. Stephano*, asserit eum jam tunc accepisse præmium, et vidisse Deum ; et quod sperabatur desideriis, oculis ejus demonstratum, et spem in re, spiritu adhuc intra carnem militante, perfectam. Et S. Augustinus, *serm.* 96, affirmat « eum vidisse revelata facie Patrem, Filium et Spiritum Sanctum. » Et *serm.* 99 : « Vidisse Deum, ac Trinitatem ipsam et divinitatem. » Verum, Exod. xxxiii, 11, et II Cor. xi, ostendi nec Mosen nec Paulum in raptu, nec quem alium in hac vita vidisse Dei essentiam.

*Secundo*, alii censent Stephanum vidisse Deum Deique gloriam, non in se, sed in imagine aliqua, puta in phantasmate a Deo in phantasia ejus efformato repræsentatam, quomodo Isaias, cap. vi, vidit Deitatem et Trinitatem per schema quoddam corporeum, uti ibidem dixi. Unde Beda, *Retract. in Acta*, ait Stephanum futuræ vitæ gaudia in hac adhuc vita, cum divinitus sublimatus esset, esse speculatum eo modo quo Paulus cum raptus est ad tertium cœlum.

*Tertio*, Dionysius Carthusianus censet hanc Stephani visionem non fuisse imaginariam, sed pure intellectualem in apice mentis, qualis solet esse contemplantium et exstaticorum, per splendidissimam quamdam irradiationem increatæ lucis æternæ.

*Quarto* et simplicius, Ca[illegible] censent Stephanum vidisse gloriam Dei, id est claritatem quamdam corporalem eximiam et augustam, ita ut Dei præsentiam testaretur et præ se ferret : hanc enim vidit Stephanus oculis corporeis, dum eos in cœlum intendit; æque ac iisdem vidit Jesum stantem a dextris virtutis Dei : nulla enim est qualitas, quæ nobis Majestatem et gloriam Dei magis repræsentet, quam lux, claritas et fulgor insolitus. Et sic Moses et Hebræi sæpe dicuntur vidisse gloriam Dei, quia viderunt cœlestem quamdam lucem et splendorem, quæ Dei Majestatem repræsentaret. Sic *Exod.* xxiv, 17, dicitur : « Erat autem species gloriæ Domini quasi ignis ardens. » Similia sunt, *Num.* xiv, 10; et III *Reg.* viii, 10, et alibi. Et sic Apostoli in transfiguratione viderunt gloriam Christi, quia resplenduit facies ejus sicut sol, *Matth.* xvii.

Porro, cum oculis corporis S. Stephani elevati sunt a Deo pariter oculi phantasiæ et mentis, ut sublimius cœli empyrei Deique gloriam, quasi ejus jam candidatus, contemplaretur, uti dixerunt auctores secundæ et tertiæ sententiæ. Unde Petrus Damianus, serm. *De S. Stephano* : « Si, ait, vidit oculis corporalibus, certum est hunc omne hominum genus disparitate gloriæ prætervolasse, et pennis fidei et virtutum incorporeis, etsi non comprehendisse, apprehendisse tamen luminibus. » Et hoc tantum videntur voluisse S. Augustinus, Hilarius et Nyssenus citati pro prima sententia : dum enim dicunt Stephanum vidisse Deum, intellige non in essentia sua, sed in imagine vel specie sua, partim corporea, qualis est lux et claritas ; partim incorporea, qualis est phantasma et visio mentalis.

Et Jesum stantem a dextris Dei. — Sic lege cum Romanis et Græcis : ergo dele τῆς virtutis, quod nonnulli interserunt. « Dei, » id est gloriæ, sive lucis augustæ, quæ Deum repræsentabat, uti paulo ante dixi. Porro Christus dicitur stare a dextris Dei Patris, non quasi ei non sit consubstantialis qua Deus est, sed qua homo Verbo



unitus, eo sensu quem dedi *Colos.* iii, 1. Ubi et addidi Christum dici sedere a dextris Dei, ad significandam ejus regiam Majestatem, dominium

Cur? Primo. et potestatem judiciariam : stare vero, *primo*, quia hic situs est naturalis corporis valentis et gloriosi. Ita S. Chrysostomus, Œcumenius, Beda et S. Gregorius, hom. 29 *in Evang.*, et S. Augustinus, Quæst. LXXXVIII inter *Quæst. novi Testa-*

Secundo. *menti*. *Secundo*, stat quasi miles et dux, cum, et pro Stephano pugnaturus contra Judæos. Unde Petrus Damianus, orat. *De S. Stephano* : « Christus, ait, cum Patre stante stabat, et cum bellante bellabat, nec minor erat illo, » ut suum juvaret et propugnaret athletam. » Et S. Ambrosius, in *Psal.* lxi, ait Stephanum interritum inter hostes et saxa stetisse, quia immobilis fide immobilem Christum vidit, illique se totum animo obtutuque affixit. Addit S. Augustinus, serm. 98 *De Diversis*, Stephanum vidisse quoque angelos, quasi milites Christum ducem suum sequentes, et pro se quasi commilitone suo decertantes. Ferunt Alexandrum Magnum prandere solitum ad tibias, cumque tibicines, mutato tono delicioso, bellicum intonarent, subito arrectum sine sensu corripuisse lanceam ; quod evidens erat indicium pugnacis animi et virtutis imperatoriæ. Longe verius Christus in cœlo empyreo deliciis affluens, suorum fidelium rebus et luctis ita intendit, ut simul ac increpuerit luctantium clamor, illico a deliciis assurgat ad arma. Stat ergo hic armatus omnipotentia sua, ut Stephanum Judæis insuperabilem reddat. Ita stetit astititque S. Antonio certanti contra dæmones, uti scribit S. Athanasius in ejus Vita. *Tertio*, stat Christus quasi advocatus et quasi sacerdos Stephanum in martyrio, quasi victimam et holocaustum suavissimum Patri oblaturus, ait S. Ambrosius, lib. III *De Fide*, cap. ult. *Quarto*, stat quasi agonotheta, ut animam Stephani victoris cum triumpho excipiat, eique bravium victoriæ consignet, ac juxta nomen, corona gloriæ eum coronet. Ita S. Ambrosius, *epist.* 82.

Porro Stephanus naturali oculorum acie pertingere non poterat ad cœlum empyreum, ibique videre Jesum in sua forma et quantitate, cum nullas stellas quæ sunt in firmamento, ac consequenter longe inferiores cœlo empyreo, videre non possimus, quæ tamen non tantum corpore Jesu, sed toto terræ globo longe sunt majores. Ergo vi divina confortatus et elevatus fuit ejus oculus et visus, ut Jesum integrum in sua specie et figura in cœlo, imo super cœlum empyreum stantem clare, distincte et perfecte videret.

Symbolice : S. Augustinus, *Quæst.* LXXXVIII super novum Testamentum, docet Christum stare ut Stephano stanti, patienti et reo, ipse quoque stans, quasi patiens et reus compatiatur. Quærit enim Augustinus, cur Christus ante triumphos visus sit Isaiæ, cap. vi, sedens, Stephano autem post triumphos stans ? ac respondet : « Quoniam tunc, inquit, in pace erat causa divinitatis ejus; in Stephano autem Salvatoris causa vim patiebatur, ideo sedente judice Deo stans apparuit, quasi qui causam diceret. Omnis enim qui causam dicit, stet necesse est. At quia bona causa ejus est, ad dexteram judicis stabat. » Hæc Augustinus. Allusit ad veterem romanum morem, quo non tantum rei stantes causam dicebant, sed et parentes, cognati, amici cum illis simul stabant sordidati, intonsa barba et capillis, ac si ipsi cum reo rei essent : ejus enim sortem in se suscipiebant. Ita enim hic Christum Stephano causam suam agenti compati, assistere et quasi reum cum reo stare, ut ejus litem agat et peragat. Sic Deus visus est Mosi in rubo ardenti, *Exod.* iii, ut significaret se ipsi et Hebræis in Ægypto afflictis, et quasi in rubo ardenti constitutis condolere, et re ipsa compati, eamdemque cum ipsis sortem et conditionem subire, ut eos consolaretur, juvaret et liberaret.

*Secundo*, stat Christus, ut insigne et jucundum hoc Stephani spectaculum et certamen spectet, eoque se oblectet. Nam, ut ait Apostolus, I *Cor* iv, 9 : « Spectaculum (Græce *theatrum*, scilicet quo quasi damnati ad bestias, ignes, saxa, etc., spectamur) facti sumus mundo, et angelis, et hominibus. » Unde Nyssenus, orat. *De S. Stephano*, ait ad ejus hoc spectaculum præsentes fuisse omnes angelos. Et Petrus Damianus de eodem : « Curramus, ait, ad spectaculum, ad quod currit qui exultat ut gigas ad currendam viam. »

Ecce video cœlos apertos. — Stephanus primus post Christum vidit cœlos apertos ; vidit et introivit, ut canit Ecclesia : sed ante eum, in Christi baptismo, aperti sunt cœli, eosque apertos vidit non solus Christus, sed omnis astantium turba, æque ac columbam inde descendentem in Christum, quæ erat index Spiritus Sancti : ac vocem inde in eumdem a Patre delapsam audivit : « Hic est Filius meus dilectus, in quo mihi complacui, ipsum audite. » Quæ omnia non imaginaria, sed sensibilia fuerunt, et realiter contige- Cœli aperti Christo in baptismo ob tres causas.
runt, idque *primo*, ad hoc, ut vox e cœlo labens Christi dignitatem Joanne ipsum baptizante majorem significaret; *secundo*, ut cœlum Christo et per Christum omnibus aperiri monstraretur, ait ibidem S. Chrysostomus; *tertio*, ut vis baptismi cœlestis indicaretur, nimirum, per illum gratiam cœlestem dari, quæ nobis cœlos aperiat et in eos inducat, ideoque per baptismum nos ad cœlestem vitam et ad cœlestia dona et bona vocari. Ita S. Thomas, III *part.*, *Quæst.* XXXIX, art. 5.

Quæres : Quomodo cœli solidi aperiri potue- Quomodo cœli aperti? Prima sententia
runt? Respondeo : Aliqui imaginantur eos vere fuisse apertos, quasi realiter eorum soliditas divisa et discissa sit. Verum hæc est vulgi rudis crassaque imaginatio : hoc enim naturaliter est impossibile, supernaturaliter superfluum.

*Secundo*, alii censent per fulgura et fulgetra Secunda

crebro a Deo immissa, visum fuisse hominibus ætherem dividi et aperiri : unde vox quasi tonitruum erupit : « Hic est Filius meus, etc. » Favet, *Psal.* XXVIII, 3 et 6, in sensu allegorico : idque ad hoc, ut per hæc terribilia populus excitaretur ad intuendam hanc cœli aperturam, et audiendam vocem in Christum illapsam, juxta illud *Ps.* LXXVI : « Illuxerunt coruscationes tuæ orbi terræ. » Sic ait Silius Italicus : « Ruptoque polo, micat igneus æther, » id est fulgurat. Et Statius : « Abrupta tremiscunt fulgura, et attritus subita face rumpitur æther. » Ita Prado in *Ezechiel*. I, 1.

*Tertio*, alii censent cœlos realiter non fuisse apertos, sed per visionem intellectualem, vel imaginariam S. Stephano aliisque inditam, uti Ezechieli, I, 1, per visionem aperti sunt cœli. Ita Auctor Imperfecti *in Matth.* cap. III, et S. Thomas loco citato. Verum quia in baptismo Christi vox fuit realis, æque ac columba ; et Stephanus realiter oculis corporeis vidit Christum in cœlis apertis : hinc

*Quarto*, alii melius censent in baptismo Christi visum fuisse verum quemdam hiatum, hoc est speciem aperturæ sensibilis in suprema aeris regione, ex qua vox illa de cœlo labi videbatur cum columba. Porro hiatus hic hoc modo factus est : fecit Deus partes aeris extremas et supremas densiores et lucidiores, ita ut ad illas terminari posset intuentium visus : aerem autem interjectum fecit manere rariorem, ita ut de more non videretur : hoc enim modo videbatur hominibus in aere esse hiatus, vacuum et apertura. Ita Suarez, *III part.*, *Quæst.* XXXIX, art. 5 ; Euthymius, Jansenius et alii *in Matth.* cap. III. Tales hiatus quasi spectra sæpe apparent in aere, de quibus Aristoteles et Philosophi in *Meteoris*. Verum quia Stephanus hic non tantum aerem, sed et cœlos omnes apertos vidit usque ad convexam superficiem cœli empyrei, ubi vidit Jesum : hinc

*Quinto* et genuine, dico cœlos hic dici et fuisse non scissos, sed apertos, id est patentes ; quia nimirum oculus ejus per Dei concursum supernaturalem elevatus, cœlos omnes quasi patentes penetravit, et porrectus fuit usque ad cœlum empyreum, ut in eo clare perspiceret Dei gloriam et Jesum a dextris Dei. Sic enim nos per aerem apertum videmus remota, puta solem, lunam, astra ; ita Stephanus per cœlos apertos, id est patentes et perspicuos, vidit gloriam Dei et Christi : ad hoc enim duntaxat ei aperti sunt cœli. Porro hoc magnæ puritatis et fervoris Stephani fuit indicium. Ait enim : « Video cœlos apertos, » *q. d.* Non timeo vestras, o Judæi, minas, nec mortem ; quia video cœlum apertum, ut me in suum civem ad gloriam æternam suscipiat. *Secundo*, his verbis invitavit eos ad pœnitentiam, *q. d.* Cœlum æterni gaudii, salutis et felicitatis apertum est ; videte, ut accurratis et introeatis antequam claudatur, juxta illud : « Dum lucem habetis, credite in lucem, ut filii lucis sitis, » *Joan.* XII. Et : « Dum tempus habemus, operemur bonum, » *Galat.* VI. Quod si tempus pœnitentiæ neglexeritis, scitote Deum e cœlo aspicere vestra scelera, eumque fore judicem et vindicem, ut e cœlo in gehennam et tartara vos deturbet et præcipitet. Ita Moneta, celebris Bononiæ Doctor, ad capessendum S. Dominici institutum permotus est cujusdam ex eo concionatoris, hæc verba S. Stephani explicantis, voce, dicentisque : « Ecce nunc cœli aperti sunt volentibus introire ; sed mox in æternum claudentur iis qui hoc vitæ et bene agendi tempus neglexerint, » uti narrant *Chronica ordinis S. Dominici*, part. I, lib. II, cap. XXXVII.

ET FILIUM HOMINIS, — id est Christum, qui antonomastice vocatur « homo, » quia homo Deus. Quærit S. Augustinus, serm. 5 *De Sanctis*, cur S. Stephanus Christum vocarit « Filium hominis, » et non potius Filium Dei, qui dignior est titulus ? ac respondet : Quia Judæi confitebantur Filium Dei, sed negabant Filium hominis, id est incarnationem Verbi : « Ut, ait, ad confutandam Judæorum incredulitatem, ille martyri ostenderetur in cœlo, qui a perfidis negabatur in mundo : et illi testimonium cœlestis veritas daret, cui fidem terrena impietas derogaret. » Porro solum Stephanum vidisse Jesum et gloriam Dei docet S. Augustinus, serm. 92 *De Diversis* : « Soli, ait, apparebat ; et alii non videbant, sed invidebant ; » innuitque Judæos vidisse in fronte Stephani crucem, quasi ea signatus esset tanquam signo *thau*, *Ezech.* IX. Crux enim est signum Christi et Christianorum. Censent nonnulli Christum exiliisse de cœlo, ac propius accessisse, ut seipsum commode Stephano videndum exhiberet. Verum contrarium videtur verius, scilicet eum suo loco mansisse in cœlo empyreo, ibique visum a Stephano : *Primo*, quia Stephanus vidit Jesum stantem juxta gloriam Dei, id est juxta Deum Patrem ; gloriam autem suam Pater beatis ostendit in cœlo empyreo. *Secundo*, quia vidit non cœlum, sed cœlos apertos, omnes scilicet, ait Petrus Damianus, serm. *De S. Stephano* : ergo et empyreum, ut scilicet ibi videret stantem Christum. *Tertio*, quia Stephanus vidit locum Beatorum, in quem jam vocabatur per martyrium, in quo præsidet Jesus.

Solus Stephanus vidit Jesum.

In cœlo empyreo cur ?

*Dices* : Naturaliter oculus hominis aciem suam nequit porrigere tam alte et remote. Respondi jam et dixi supernaturaliter a Deo elevatam, et eo usque extensam fuisse aciem visumque Stephani.

Quæres : Cur id dicit Stephanus Judæis, qui Jesum non videbant, nec eum a Stephano videri credebant ? Respondeo : Id dicit partim ex ardenti amore in Jesum, ac desiderio eo fruendi, *q. d.* Video Jesum amorem meum, me invitantem : ad eum anhelo et propero ; quare non curo, imo desidero vestra saxa, ut per illa transeam et transvolem ad meum Jesum. Ita S. Augustinus, serm. 94 *De Diversis* : « Non tacuit Stephanus quem vidit, ut perveniret ad eum quem vidit ;



ideo festinabat mori pro illo, ut viveret cum illo, » inquit idem, serm. 95. *Secundo*, id dicit ex ingenti fiducia, zelo et fortitudine, quasi dicat : Non contra me mortalem pugnatis, o Judæi, sed contra Jesum et Deum immortalem, qui e cœlis vos vestraque scelera prospicit, ibique stat ut vos judicet et puniat, si in scelere persistatis. Ita S. Augustinus, serm. 98 *De Diversis*. *Tertio*, id dicit, ut eos invitet ad pœnitentiam, *q. d.* Jesus stat a dextris Dei, tanquam advocatus peccatorum et pœnitentium : pœnitentiam ergo agite, ut per eum veniam et misericordiam consequamini. *Quarto*, ut resurrectionis Christi, quam Judæi pernegabant, non tantum auritum, sed et oculatum testem se esse ostendat, qui postmodum multos credituros sciebat, qui ejus patientiam, sanctitatem, vultum angelicum et martyrium vidissent.

56. EXCLAMANTES AUTEM VOCE MAGNA CONTINUERUNT AURES SUAS. — Græce, κράξαντες, id est horribili voce corvorum more crocitantes, ait Petrus Damianus, orat. *De S. Stephano*. Nam, ut ait Ecclesiasticus, XXVII, 15 : « Loquela multum jurans (multo magis blasphemans) horripilationem capiti statuet, et irreverentia ipsius obturatio aurium. » Horrende ergo clamant, quasi qui horrendam audierint Stephani blasphemiam, quod scilicet viderit cœlos apertos, et gloriam Dei, et Jesum stantem a dextris Dei, quem ipsi pro malefico habebant, et ut maleficum crucifixerant. Unde continent aures, ne blasphemiam audiant. « Aures clauserunt et ad lapides cucurrerunt, » ait S. Augustinus, serm. 1 *De Sanctis*. Ergo exclamant quasi inclamantes Deum, ut tantam blasphemiam vindicet, et e cœlo sideret. Ita Glossa. Addit S. Augustinus, serm. 98 *De Diversis*, eos exclamasse contra Jesum, quem Stephanus exaltabat, eumque blasphemasse. Hinc et prætermisso ordine juris, Stephanum necdum a Concilio damnatum, furentes rapiunt ad necem : licet Cajetanus asserat id eos fecisse cum Pilati præsidis consensu.

Vers. 57. Extra civitatem rapitur tribus de causis.

57. EJICIENTES EUM EXTRA CIVITATEM. — Ne illam sua blasphemia contaminaret, juxta edictum Domini, *Num.* XXIV, 14. Ita Judæi censebant, sed revera extra civitatem ejiciebatur, quasi advena mundi, et non habens hic manentem civitatem : futuram enim tota mente quærebat. *Secundo*, quia Jerusalem impia non erat digna tam sancto martyre, æque ac mundus non est dignus vita et morte justorum. *Tertio*, ut similis in hoc, uti et in cæteris esset Christo, qui extra Jerusalem passus est, ut nos eligeret et vocaret de mundo ad cœlum : « Exeamus igitur ad eum extra castra, improperium ejus portantes, » *Hebr.* XIII, 12 et 13. Vide ibi dicta.

LAPIDABANT, — quasi blasphemum. Sic blasphemus tempore Mosis, jussu Dei extra castra a toto populo, in criminis execrationem, lapidatus est, *Num.* XXIV, 14. Hinc et Judæi dicunt Christo : « De bono opere non lapidamus te, sed de blasphemia, » quod scilicet diceret se esse Deum et Dei Filium, *Joan.* X, 33. Porro S. Stephanus lapidatus est in valle Josaphat, quæ inter montem Oliveti et Jerusalem interjacet, juxta torrentem Cedron ; quia juxta aquas magnas solet esse lapidum copia : ubi etiamnum locus sanguine S. Stephani consecratus, magna veneratione colitur. Unde portam Jerusalem quæ ad hanc vallem vergit et ducit, peregrini et Christiani Hierosolymæ degentes, vocant portam S. Stephani. Id Lucianus in *Descriptione inventionis S. Stephani*, se accepisse ait ex revelatione Gamalielis. Idem tradit Beda, Borchardus, Ceverius, Ausingus, Adrichomius, Zwallardus, et alii in *Descriptione Terræ Sanctæ* (et ex iis noster Villalpando, tom. II in *Ezech.*, part. I, lib. III, cap. VII, pag. 101), e quibus addit noster Lorinus (quod et peregrini asseverant, idemque mihi Romæ asseveravit R. P. Melchior ab Helmont Antuerpiensis, Franciscanus, qui quater Hierosolymam est peregrinatus, ibique diu habitavit, qui et addidit signa et effigiem capitis et scapularum S. Stephani lapidi, dum expirans retrorsum caderet, impressa, etiamnum in eo ostendi, seque illa vidisse) ibidem ostendi lapidem, in quo B. Virgo cum S. Joanne pro Stephano, toto lapidationis tempore preces fuderit. Ergo S. Stephanus suam martyrii coronam debet B. Virgini, æque ac S. Paulus suam conversionem, quam moriens pariter impetravit ei S. Stephanus. Insuper eodem in loco in quo lapidatus est S. Stephanus, Eudoxia Augusta ingentem basilicam exædificavit, uti testatur Evagrius, lib. 1 *Histor.*, cap. XII, et Nicephorus lib. XIV, cap. LVI. Addit Beda, lib. *De Locis sanctis*, cap. III, quod Christiani Hierosolymis religiose asservarent petram super quam Judæi lapidarunt S. Stephanum.

B. Virgo orat pro Stephano.

Præclare S. Augustinus, serm. 2 *De Sanctis* : « In ipso, ait, juventutis flore, decorem ætatis suæ sanguine purpuravit ; » videtur enim fuisse circiter 34 annorum : tot enim erat ejus cognatus, coævus et condiscipulus Saulus, ut mox dicam. Tam ergo Saulus, quam Stephanus, fuit coævus Christo. « Stephanus græce, latine corona appellatur. Jam coronæ nomen habebat et ideo palma martyrii suo nomine præferebat. » Idem, serm. 5 : « Cum, ait, S. Stephanus Diaconus ab Apostolis ordinatus sit, Apostolos ipsos beata ac triumphali morte præcessit ; ac sic qui erat inferior ordine, primus factus est passione ; et qui erat discipulus gradu, magister cœpit esse martyrio, complens illud Psaltis : Quid retribuam Domino pro omnibus quæ retribuit mihi ? Retribuere enim voluit primus Stephanus Martyr Domino, quod cum omni humano genere accepit a Domino. Mortem enim quam Salvator dignatus est pro omnibus pati, hanc ille primus reddidit Salvatori. » Eodem enim anno 34, quo Christus passus est 25 martii, Stephanus creatus est Diaconus post Pentecosten, ac paucis post mensibus martyrium obiit. S. Antoninus, I part. *Hist.*, tit. VI, cap. II, § 4, et Ant-

chonius in *Descript. Terræ Sanctæ*, pag. 273, censent eum obiisse die tertia augusti, feria quarta. Verum errant, diem inventionis cum die mortis commutantes : corpus enim ejus inventum est die tertia augusti. Unde Baronius et alii passim censent eum obiisse die 26 decembris : tunc enim Ecclesia ejus diem natalem felicitatis æternæ celebrat, nimirum postridie nativitatis Christi. Idem testantur omnia *Martyrologia*, et Patres in hom. *De S. Stephano*. Ideo enim Christus natus est in terra, ut Stephanus nasceretur et coronaretur in cœlo, ut docet S. Fulgentius, serm. *De S. Stephano*. Addit Beda in *Martyr.*, et ex eo Baronius postridie necis et triumphi S. Stephani, puta die 27 decembris, eodem anno Christi 34, S. Jacobum, fratrem Domini, creatum esse Episcopum Hierosolymorum, ibique sedisse annis 29 : irrepsit ergo error in *Chronicon Glycæ*, qui lib. III *Annal.*, ex Hippolyto ; et Nicephori lib. II, cap. III, qui ex Evodio scribunt S. Stephanum anno septimo post Christum occubuisse : pro *anno septimo* enim ponendum est *mense septimo*.

Lapidatus est Stephanus die 26 Decemb., anno Christi 34.

Tropologice : Nyssenus, tract. *De Beatitud.*, docet S. Stephanum initiasse illam Christi beatitudinem : « Beati qui persecutionem patiuntur propter justitiam, quoniam ipsorum est regnum cœlorum. Idcirco, ait, magnus ille Stephanus gaudet lapidibus undique petitus, ac veluti suavem quemdam rorem, crebros lapidum ictus in modum floccorum nivis incidentium, corpore cupide excipit ; ac benedictionibus nefarios homicidas prosequitur, etc.; currenti ei per confessionem, quod sperabatur, ostenditur cœlum apertum. » Idem, orat. *De S. Stephano* : « Per omnia, ait, magnitudine animi atque indolis excellebat, iræ quidem lenitatem, minis vero despicientiam, mortis terrori vitæ contemptum, odio dilectionem, malevolentiæ benevolentiam, calumniæ veritatis prædicationem opponens. » Et inferius : « Nam orbe lapides undique conjicientium, quasi corona cinctus, ita accepit id quod agebatur, quasi corona victoriæ præmium in manibus adversariorum necteretur. » Hinc pro corona lapidum ferientium, accepit coronam lapidum pretiosorum, juxta illud : « Posuisti in capite ejus coronam de lapide pretioso. » *Psal.* XX, 4 ; et S. Augustinus, serm. 94 *De Diversis* : « Quando, ait, B. Stephanus pro Christo primus sanguinem fudit, quasi corona processit de cœlo, ut eam sumerent sequentes in præmio, qui præcedentis pietatem imitarentur in prælio. Impleverunt postmodum terram crebro martyria. Quicumque postea sanguinem pro Christi confessione fuderunt, imposuerunt coronam illam capiti suo, et eam securitatis integram servaverunt. »

Exemplis S. Stephani.

Symbolice ibidem S. Augustinus, et serm. 92 : « Ad lapides, ait, currebant, duri ad duros ; et petris lapidabatur, qui pro petra, qui Christus est, moriebatur ; et a lapideis, qui legem acceperant in lapideis tabulis. »

Denique S. Augustinus, serm. 31 et 32 *De Diversis*, scribit lapidem qui cubitum S. Stephani ferierat, a quodam viro pio, qui lapidationi ejus præsens fuerat, delatum Anconam, Italiæ urbem, multis miraculis claruisse : nimirum decebat ut lapis cubitalis in urbe cubitali poneretur eamque tueretur : Ancona enim dicitur ab ἀγκών, id est cubitus, « quia in ipso flectentis se oræ cubito sita est, » ait Plinius, lib. III, cap. XIII. Hujus lapidis accepti festivitatem a priscis temporibus celebrant die 3 augusti, in quem postea diem incidit inventio S. Stephani, quam proinde eodem die recolit Ecclesia.

ET TESTES DEPOSUERUNT VESTIMENTA SUA. — Syrus, *ipsorum*, non Stephani, ut ait S. Bernardinus, serm. *De S. Stephano*, dicens per contactum vestium S. Stephani, æque ac per ejus preces, Saulum fuisse conversum : « vestimenta, » scilicet extima, qualia sunt pallia, ut expeditius lapides vibrarent : hæc enim significat vox Græca ἱμάτια.

SECUS PEDES ADOLESCENTIS, QUI VOCABATUR SAULUS. — Saulus lapidationis fuit dux et choragus, quia indigne ferebat Stephanum, cognatum et condiscipulum suum, a se suaque lege et schola defecisse ; insuper eloquentia, sapientia et miraculis, ab eo jam Christiano se superari invidebat ; quare lapidationis fuit incentor, ideoque non contentus se solo illum lapidare, omnium lapidantium vestes servans, per omnes eum lapidabat. « Ab ipso, ait S. Augustinus, serm. 1 *De Sanctis*, omnium lapidantium vestimenta servabantur, ut tanquam in manibus omnium ipse lapidare videretur. » Idem confitetur Saulus jam factus Paulus, cap. XXII, vers. 20 : « Et cum funderetur sanguis Stephani testis tui, ego astabam (græce, ἐφεστὼς, id est *superstabam*, hoc est præeram) et consentiebam, et custodiebam vestimenta interficientium illum. » Unde S. Fulgentius, serm. *De S. Stephano*, ait eum occisum lapidibus Pauli.

Porro Saulus vocatur *adolescens*, græce νεανίας, id est juvenis, aut vir juvenili audacia et robore præditus, quia erat 34 annorum. Nam post totidem annos, occisus est a Nerone anno regni ejus 13, cum universim esset 68 annorum, ut tradit S. Chrysostomus, hom. *De Principibus Apostolorum*, tom. V. Sic Pythagoras adolescentiam extendebat ab anno vigesimo ætatis usque ad quadragesimum. Unde et Cicero, lib. *De Senect.*, adolescentiam extendit usque ad senectutem : « Qui enim citius, ait, adolescentiæ senectus, quam pueritiæ adolescentia obrepit. » Idem, *orat.* 23, Isocratem nunc virum vocat, nunc adolescentem : « Adolescens, ait, etiam nunc, o Phædre, Isocrates est ; sed quid de illo augurer, libet dicere. » Et paulo post : « Inest enim natura philosophiæ in hujus viri mente quædam. » Hæc de adolescente Socrates apud Ciceronem auguratur. Alioqui a physicis et medicis adolescens proprie quis dicitur a fine pueritiæ, scilicet ab anno 12 usque ad 25, quamdiu scilicet homo crescit in longitudine : cum enim percrevit, adultus vocatur.



59. DOMINE JESU, SUSCIPE SPIRITUM MEUM, — ut eum victorem, quasi agonotheta sistas Deo Patri, corona gloriæ decorandum, *q. d.* ait S. Augustinus, *serm.* 93 : « Tibi vixi, tibi morior : quia adjuvisti me, vicit quem suscipis : accipe spiritum meum de manu eorum qui oderunt tuum. » Et *serm.* 51 : « Fecisti me victorem, recipe me in triumphum : illi persequuntur, tu suscipe ; illi ejiciunt, tu intromitte : dic spiritui meo, intra in gaudium Domini tui. » Hinc multi censent Christum suorum servorum et servarum animas statim a morte excipere, easque quasi fructus laborum suorum Deo Patri offerre. Nota hic optimam moriendi formam. *Primo*, non de corpore, sed de spiritu curam gerit : contrarium faciunt impii. *Secundo*, fidem profitetur, Jesum vocans Dominum, scilicet creatorem, redemptorem et salvatorem suum totiusque mundi. *Tertio*, spem in eum defigens, ipsum invocat, meritis suis diffidens : hinc vocat eum Jesum, qui scilicet velit et possit eum salvare. *Quarto*, per amorem ei animam spiritumque resignat.

Jesus suorum excipit animas. Modus recte moriendi.

Quocirca Christus resignatum sibi a suis spiritum excipit : ac qua homo peragit particulare ejus judicium, in quo eumdem cœlo adjudicat beatque, ac cum triumpho in cœlum traducit ; sin adhuc aliquid purgandum habeat, ad Purgatorium, ut expietur, transmittit. Porro hæc facit vel per se, vel potius per angelos. Nam si per se id faceret, cum singulis horis, et sæpe momentis, plurimi per orbem moriantur, deberet Christus singulis momentis ad singulos morientes e cœlis descendere, imo cum eodem momento multi in variis locis moriantur, deberet simul ad varia loca descendere, seque multoties replicare. Quare Barthol. Sibylla, in *Speculo peregrini*, Quæst. decade 1, cap. II, *Quæst.* IX, censet Christum hoc particulare judicium cujusque committere angelo custodi ejusdem, ut is deinde eum pro meritis vel ad cœlum, vel ad Purgatorium, vel ad infernum deducat, aut dæmoni deducendum tradat. Hoc enim ad angeli custodiam pertinere videtur, ejusque esse finis et clausula. Alii censent hoc judicium ab ipso Christo, manente in cœlo empyreo, fieri per mentalem Christi locutionem ; sicut angelus ad angelum, licet remotissimum, mentaliter loquitur, ut dixi *Zachar.* XII, 10. Judicium vero universale in fine mundi per se peraget Christus ; unde ad illud omnibus Angelis et Sanctis comitatus, e cœlo gloriosus descendet, *Matth.* cap. XXV, vers. 31. Nonnullis tamen illustrioribus Sanctis morientibus Christus per se apparuit, eorumque animas excepit. Audi exempla selecta.

S. Pantaleon Martyr in ligno suspensus, ferreis laniatus ungulis, lampadibus ustulatus, oculis in cœlum intentis orans, vidit Christum in habitu Hermolai sui magistri, qui eum ad martyrium animabat : « Ego enim, ait, tecum sum in omnibus, quæ propter me pateris, » uti habet Vita ejus apud Surium die 27 julii.

S. Menæ Martyri cum oculi effoderentur, evelleretur lingua, caro dilaceraretur, apparuit Christus atque omnia ipsi membra restituit et sanavit, hortatusque est ad constantiam, promittendo ei præsentem suam opem et auxilium, uti habet ejus Vita apud Surium die 11 novembris.

S. Barbaræ in carcere apparuit Christus, suoque splendore carcerem illustravit, ac plagas sanavit, animando eam ad instans martyrium, pollicens præsentem suam opem.

S. Elizabetha, Hungarorum regis filia, oculis in cœlum intentis vidit Christum ab eoque audivit ; « Bono animo esto, filia, ego tecum sum. » Cui illa : « Ita Domine, tu mecum, et ego tecum. » Eidem post vitam multis annis religiose transactam Christus apparuit, dixitque : « Veni, sponsa, cœlesti thalamo potire. »

S. Tarsilla, amita S. Gregorii, ut ipse refert lib. IV *Dialog.*, cap. XVI, moriens, « sursum respiciens Jesum venientem vidit, et cum magna animadversione cœpit circumstantibus clamare dicens : Recedite, recedite, Jesus venit. Cumque in eum intenderet quem videbat, sancta illa anima e corpore est egressa. Tantaque subito fragrantia miri odoris aspersa est, ut ipsa quoque suavitas ostenderet, illuc Auctorem suavitatis venisse. »

Sic S. Dionysio Areopagitæ crucifixo, in carcere apparuit Christus insolita luce coruscus, eumque ad ultimum martyrii agonem constanter obeundum animavit.

S. Antonius de Padua agens animam cecinit : « O gloriosa Domina, excelsa super sidera, » etc. ; deinde sublatis oculis, eos in cœlum fixe intendit. Rogatus, quidnam aspiceret ? « Video, inquit, Dominum meum, » ac mox feliciter in Domino obdormivit anno Christi 1231.

S. Eligius, Episcopus Noviomensis, moriens oculis in cœlum intentis : « Nunc dimittis, ait, servum tuum, Domine, secundum verbum tuum in pace. In manus tuas commendo spiritum meum. Tu scis quia semper spes mea fuit in tua misericordia, et fides mea in tua credulitate permansit. Et nunc quoque in confessione sancti tui nominis, extremum Christi anhelitum meum efflabo. Suscipe ergo me secundum magnam misericordiam tuam. »

S. Arnulpho, Suessionis Episcopo, e vivis migrante, cella contremuit : contremiscente Everolpho presbytero : « Ne paveas, ait, dilecte frater ; sunt enim hæc omnia divinæ majestatis signa. » Et mox iterato terræ motu : « Sub prima, ait, quassatione B. Petrus Apostolus ad me venit, significans mihi peccata remissa et vitæ januam patere. Aderat Beatorum frequens cœtus laudes divinas continenter modulantium. Sub altera quassatione cum multis angelicis spiritibus S. Michael me invisit, pollicens se duce me ad beatam vitam ingressurum. Tertia concussione adfuit Domina

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ®
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

nostra, vere misericordiæ mater : multis stipata S. Virginum agminibus, benignissima me voce certiorem faciens de anima mea inter Assumptionis ejus gaudia in cœlos transferenda. » Quare in festo Assumptionis B. Virginis expirans, ab ipsa assumptus est in cœlum.

S. Nicolaus Tolentinas sex totis ante obitum mensibus, paulo ante nocturnas preces singulis noctibus suavissimum angelorum concentum audivit, qui illi prægustum futuræ vitæ præbebat. Unde ipse ingeminabat : « Cupio dissolvi et esse cum Christo. » Jamque in extremo spiritu gestiens et exultans, rogatus causam, attonitus rei magnitudine, vixque præ gaudio sui compos, respondit : « Dominus meus, Jesus Christus, S. Matri suæ et Augustino Patri nostro innixus, dicit mihi : Euge, serve bone et fidelis, intra in gaudium Domini tui ; » in quibus verbis expiravit. Ita habet ejus et cæterorum Vita apud Surium et alios.

60. Positis autem genibus, — ut genuflexione ostenderet summam curam, dolorem, compassionem et compunctionem, ut ea Saulo sævienti et Judæis obstinatis veniam impetraret, ait S. Chrysostomus, orat. 2 *De Parasceve*. Nota : S. Stephanus pro se oravit stans, pro hostibus vero genu flexit. Causam dat S. Augustinus respondens in persona Stephani, serm. 2 *De Sanctis* : « Pro me stans oravi, quia pro me qui recte Deo servivi, orando et impetrando non laboravi : quia qui pro justo orat, non laborat, ideo pro se stans oravit. Ventum est ut oraret pro Judæis, pro interfectoribus Christi, pro interfectoribus Sanctorum, pro lapidatoribus suis, attendit tam multum et magnam esse impietatem ipsorum, quæ difficile donari posset, genu flexit, et ait : Domine, ne statuas illis hoc peccatum. »

Clamavit voce magna, — quantum vires illo articulo deficientes ferebant : nam cum hac voce expiravit ; alioqui miraculi speciem habet, quod in morte quis clamet, uti miraculum fuit in Christo, quod expirans clamarit : « Pater, in manus tuas commendo spiritum meum. » S. Augustinus, serm. 99 *De Diversis*, addit Stephanum clamori miscuisse lacrymas, ideoque efficax fuit ejus oratio.

Domine, ne statuas illis hoc peccatum. — Non orat Stephanus, ut Deus peccatum, puta homicidium Judæorum, non æstimet peccatum, nec homicidium ; hoc enim est impossibile Deoque injurium, quia tribuit ei perversum de peccato judicium, ut scilicet judicet peccatum non esse peccatum : sed « ne statuas, » id est ne statis fixisque oculis illud intuearis, *q. d.* Ne quæso firmiter et perenniter coram te hoc scelus maneat, sed cito ab eo oculos averte illudque condona, convertendo meos lapidatores ad pœnitentiam. *Secundo*, ne statuas culpam eorum ad pœnam, hoc est, noli eos punire obduratione et morte æterna, quam merentur ; sed pœnam cum culpa eis remitte. Stant enim fixe ante Deum peccata, quasi vindictam petentia : statuuntur quasi maleficiorum statuæ marmoreæ, cum peccator in iis obfirmatur, obduratur et moritur ; ita ut maneant irremissa, ut plectantur igne æterno. Ex adverso de bonis Cornelii operibus dicitur cap. x, vers. 4 : « Orationes tuæ et eleemosynæ tuæ ascenderunt in memoriam in conspectu Dei. » Græcum ἵστημι multa significat, nimirum *sistere, statuere, firmare, finire, erigere, appendere, ponderare* ; et omnibus his modis hic accipi potest, *q. d.* Ne sistas, ne firmes, ne finias hoc eorum peccatum, ne scilicet sinas eos in illo finire vitam, et damnari ; ne eriges in statuam et monumentum eorum malitiam et vindictam, ne appendas, ne ponderes in rigida tuæ justitiæ lance hoc scelus, sed excusa quasi commissum per passionem et ignorantiam, ut eis clemens veniam concedas.

Stephanus imitatur Christum, quem stantem in cœlis intuebatur, ait Nyssenus, qui in cruce pro suis crucifixoribus oravit : « Pater, ignosce illis, quia nesciunt quid faciunt. » « Putas, ait S. Augustinus, serm. 94 *De Diversis*, verba ista audivit Paulus ? audivit subsannans, sed irrisit. » Hilarius Arelatensis, serm. *De S. Stephano*, dicit, « nescisse Stephanum iis irasci, per quos sibi videret aulam regni cœlestis aperiri, per quos æternis sæculis intelligeret consecrari ; et sic ex oleastro novum ramum cœpisse inferri, ut olivam veterem nollet abscindi. »

Arma Stephani fuit charitas.

Notat S. Fulgentius, serm. *De S. Stephano*, arma quibus contra Judæos pugnavit Stephanus, et vicit, fuisse charitatem, præsertim erga suos hostes et lapidatores : « Per charitatem Dei, ait, sævientibus Judæis non cessit ; per charitatem proximi, pro lapidantibus intercessit. Per charitatem arguebat errantes, ut corrigerentur ; per charitatem pro lapidantibus orabat, ne punirentur. Charitatis virtute subnixus, vicit Saulum crudeliter sævientem, et quem habebat in terra persecutorem, in cœlo meruit habere consortem. » Sane ardentissima fuit hæc Stephani charitas, quæ furorem ardentissimum Sauli et Judæorum vicit et superavit. Voluit enim Deus in Stephano quasi in Protomartyre, cæteris omnibus martyribus secuturis dare illustre fortitudinis, patientiæ, innocentiæ et cæterarum virtutum exemplar, ac præsertim charitatis, qua tortores suos converterent, uti fecit S. Paulus, S. Jacobus et passim alii Martyres.

Notat *secundo*, S. Augustinus, serm. 1 *De Sanctis*, efficaciam orationis S. Stephani : « Si S. Stephanus, ait, non orasset, Ecclesia Paulum non haberet : sed ideo erectus est Paulus, quia in terra inclinatus exauditus est Stephanus. Et *serm.* 5, docet longe amplius Stephanum planxisse scelus hostium, quam suos dolores, ideoque pro illis tam impense et ferventer orasse : « Plus, ait, dolebat illorum peccata, quam sua vulnera ; plus illorum impietatem, quam suam mortem. Et recte plus : in illorum quippe impietate erant multa quæ plangi potuissent, in illius autem



morte non erat quod debuisset doleri. Illorum impietatem mors sequebatur æterna, hujus autem mortem vita perpetua. »

Oratio pro hostibus efficacissima. Cur ?

Nota *tertio*, efficacissimam esse orationem ardentem, quæ funditur pro inimicis, qualis fuit hæc Stephani : tum quia ipsa est actus difficillimæ et eminentissimæ charitatis ; tum quia eam Deus nobis consuluit, imo imperavit, *Matth.* v, 44 ; tum quia injuria hæc proprie tangit hominem. Si ergo is læsus, jus et actionem suam contra lædentem remittat, imo oret ut et Deus remittat, cogit quasi Deum ad remittendum : Deus enim homine longe clementior est, et videri vult. Quocirca hæc Stephani oratio impetravit et quasi peperit Paulum, eumque fecit Apostolorum orbisque doctorem. Quocirca Cardinalis Vitriaco, in *Vita S. Mariæ Oigniacensis*, lib. II, cap. xi, scribit eam in extasi cognovisse S. Stephanum S. Pauli decollati animam excepisse, et Deo obtulisse : « Dicebat, ait Vitriaco, cum de B. Stephano Protomartyre caneret, quem paradisi rosarium appellabat, illi sub mortem oranti, Dominum pro munere dedisse S. Paulum : et S. Paulo peracto martyrio e corpore excedente, S. Stephanum adfuisse, ejusque spiritum obtulisse Domino, atque dixisse : Domine, hoc ingenti et singulari munere tu me donasti ; ego vero multiplici fructu auctum tibi illud reddo. »

S. Stephanus excepit animam Pauli.

Oratio ergo pro inimicis apud Deum est potentissima, eumque pene cogit ad parcendum inimico ; quia pure fit ad gloriam Dei, itaque e mera puraque charitate proficiscitur : nullus enim hic se miscet amor sui, vel amor naturæ ; quia contra naturam sua benevolentia et beneficentia tendit in hostes naturæ, quibus a Deo ignosci et benefieri optat et orat, ut Deus per hoc glorificetur ; uti revera hæc summa est Dei gloria, puta clementia divina, qua ex inimicis suis et nostris facit amicos, imo filios et hæredes suos ; quam proinde poscenti concedit Deus, qui gloriæ divinæ est zelotes magis quam nos, uti par est, justum et sanctum.

Probabiliter opinatur Œcumenius, non solum Saulum, sed et plures alios lapidatores Stephani, per has ejus preces veniam, gratiam et salutem esse adeptos. Hinc denique S. Stephanus singularis potensque est patronus et advocatus eorum qui suos inimicos æque ac homines sceleratos et obduratos, uti sunt Judæi, convertere satagunt, uti multis experientiis constat ; id enim ipse suo zelo, exemplo et martyrio meruit : eum ergo invocent.

S. Stephanus patronus orantium pro hostibus et obduratis.

Exempla.

Narrat Baronius, anno Christi 418, ex Severo, Episcopo Majoricæ insulæ, reliquiis S. Stephani Majonam (quæ urbs est in Majorica) illatis, omnes Judæos, quorum numerus erat 540, per miraculum fuisse conversos, cum nimirum viderent suis saxis, quæ quotidie jaciebant in Christianos reliquias gestantes et comitantes, neminem lædi ; et Dei vindicta ignem cœlitus in synagogam suam immitti. Simile est quod scribit S. Augustinus, lib. XXII *De Civit.*, cap. viii, Martialem, virum honoratum, a gentilismo ad Christianismum, cui antea semper restiterat, a genero et filia fuisse conversum per invocationem S. Stephani, perque flores ex altari S. Stephani desumptos, et capiti Martialis, cum æger decumberet, suppositos ; adeo ut deinceps perpatim in ore haberet ultima S. Stephani verba : « Christe, accipe spiritum meum. »

Et cum hoc dixisset, obdormivit in Domino. — Quasi mori et quiescere nequiret, nisi prius hostibus bene precatus, veniam a Deo impetrasset. Nota : S. Paulus Christianos morientes vocat dormientes, I *Cor.* xv, et I *Thessal.* v, quia eorum mors non tam mors est, quam somnus, ob spem brevi futuræ resurrectionis, interim anima transeunte ad requiem et gloriam æternam, ut in visione et fruitione Dei felix et beata conquiescat, dicatque cum Psalte, *Psal.* iii : « In pace in idipsum dormiam et requiescam. » Ubi S. Augustinus : « O in pace ! inquit, o in idipsum ! o dormiam et requiescam ! » Hinc fidelium pius est mos, ut aliquo e suis moriente non dicant : Talis mortuus est, sed : Obdormivit in Domino. « Felix somnus, ait Petrus Damianus, orat. *De S. Stephano*, cum requie, requies cum voluptate, voluptas cum æternitate. » Nam ut dicitur *Psal.* cxxvi, 2, cum dederit dilectis suis somnum, ecce hæreditas Domini. » Et Apoc. cap. xiv, vers. 13 : « Beati mortui, qui in Domino, » id est in Domini fide, gratia et sinu, quasi viva ejus membra, « moriuntur. » Vide ibi dicta.

Hic fuit finis, hic triumphus, hæc coronis et corona primi Christi athletæ, S. Stephani, quem S. Augustinus, Nyssenus, Fulgentius, Emissenus, Chrysologus, Bernardus, Nicetas et alii suis homiliis prosecuti, miris encomiis celebrarunt.

Miracula post mortem per sacra ejus lipsana et reliquias patrata magna et multa recenset S. Augustinus, lib. XXII *De Civit.*, cap. viii, et hom. 7 *De Sanctis*, et Prosperus, lib. *De Prædict. dimidii temp.*, cap. vi ; Gregorius Turonensis, lib. I *Hist.*, cap. xxxi ; Gennadius, Nicetas et alii plures. Porro jam inde ab ejus obitu, tanto in honore et cultu apud omnes fideles fuit, ut S. Clemens, lib. VIII *Constit.*, cap. xxxiii, scribat Apostolos sanxisse, ut quotannis dies martyrii ejus publice festus celebretur. Unde sanctus Martialis, Apostolorum discipulus, altare S. Stephano in Gallia dedicavit, uti ipse testatur in epist. *ad Burdegal.* ; cujus exemplum secutæ multæ aliæ Gallicanæ Ecclesiæ nomine et titulo S. Stephani magnifica templa et basilicas erexerunt. Primus Hungarorum Rex et Martyr S. Stephanus, a S. Stephano et nomen, et regnum, et martyrii lauream est adeptus, uti habet ejus Vita 25 augusti.

Festum S. Stephani sancitum ab Apostolis.

Denique S. Dorotheus, in *Synopsi*, asserit eodem die cum Stephano occisum esse a Judæis Nicanorem Diaconum, et insuper duo Christia-

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS ®

norum millia. De Nicanore idem tradit S. Hippolytus, lib. *De 72 Discipulis*. Verum *Martyrologium Romanum* 10 januarii asserit Nicanorem in Cypro esse occisum. Idem habet *Menologium Græcorum* 28 julii, quod et addit, id contigisse sub Vespasiano.

Ito nunc, S. Stephane, ito pugil Christi, ito ad Jesum tuum, pro cujus fide et amore tantum agonem obiisti. Jesus te exspectat ut coronet, qui spectavit ut vinceres. Bonum certamen certasti, cursum consummasti, fidem servasti, accipe coronam gloriæ. Ito, Martyr fortissime, in domum fortium Dei. Ito, Virgo castissime, in supernum montem Sion; sequere cum choris S. Virginum Agnum quocumque ierit, canta cum eis Canticum novum, imo illud cæteris præcine. Ito, Christi Evangelista et præco, in aulam cœlestem Christi. Ille victorem et felicem tuum spiritum excipiet. Ille tibi saxa in gemmas convertet; pro corona saxorum imponet capiti tuo coronam carbunculorum, adamantum, smaragdorum. Ille ab oculis tuis lacrymas, a vultu sudorem, a corpore cruorem omnem absterget : ille Deo Patri victorem te sistet, ut pro modico agonis tempore æterni regni diadema accipias. Ito, Protomartyr, cæteris iter in cœlum præi, viam ad triumphum sterne, sequentur te ut ducem toto orbe per omnia futura sæcula, innumera Martyrum agmina. Paucis horis fortiter luctando teipsum meritis, Apostolos gaudio, fideles exemplo, Ecclesiam gloria, orbem fama, angelos exultatione, cœlum civibus, paradisum Martyribus implesti et condecorasti. Eia! ex alto nos respice, ut tui certaminis vestigia fortiter sequi, itaque gloriæ tuæ bravium consequi mereamur. Amen.

# CAPUT OCTAVUM.

## SYNOPSIS CAPITIS.

*A morte Stephani oritur gravis Ecclesiæ persecutio; unde fideles disperguntur, et Samariam convertunt, in quaque Simonem Magum : sed illa volens emere potestatem dandi Spiritum Sanctum a S. Petro increpatur. Denique, vers. 26, Eunuchus Candacis reginæ a Philippo baptizatur.*

1. Facta est autem in illa die persecutio magna in Ecclesia, quæ erat Hierosolymis, et omnes dispersi sunt per regiones Judææ et Samariæ, præter Apostolos. 2. Curaverunt autem Stephanum viri timorati, et fecerunt planctum magnum super eum. 3. Saulus autem devastabat Ecclesiam, per domos intrans, et trahens viros ac mulieres tradebat in custodiam. 4. Igitur qui dispersi erant, pertransibant, evangelizantes verbum Dei. 5. Philippus autem descendens in civitatem Samariæ, prædicabat illis Christum. 6. Intendebant autem turbæ his quæ a Philippo dicebantur, unanimiter audientes, et videntes signa quæ faciebat. 7. Multi enim eorum qui habebant spiritus immundos, clamantes voce magna exibant. 8. Multi autem paralytici et claudi curati sunt. 9. Factum est ergo gaudium magnum in illa civitate. Vir autem quidam nomine Simon, qui ante fuerat in civitate Magus, seducens gentem Samariæ, dicens se esse aliquem magnum : 10. cui auscultabant omnes a minimo usque ad maximum, dicentes : Hic est virtus Dei, quæ vocatur magna. 11. Attendebant autem eum, propter quod multo tempore magiis suis dementasset eos. 12. Cum vero credidissent Philippo evangelizanti de regno Dei, in nomine Jesu Christi baptizabantur viri ac mulieres. 13. Tunc Simon et ipse credidit; et cum baptizatus esset, adhærebat Philippo. Videns etiam signa et virtutes maximas fieri, stupens admirabatur. 14. Cum autem audissent Apostoli, qui erant Hierosolymis, quod recepisset Samaria verbum Dei, miserunt ad eos Petrum et Joannem. 15. Qui cum venissent, oraverunt pro ipsis ut acciperent Spiritum Sanctum : 16. nondum enim in quemquam illorum venerat, sed baptizati tantum erant in nomine Domini Jesu. 17. Tunc imponebant manus super illos, et accipiebant Spiritum Sanctum. 18. Cum vidisset autem Simon, quia per impositionem manus Apostolorum daretur Spiritus Sanctus, obtulit eis pecuniam, 19. dicens : Date et mihi hanc potestatem, ut cuicumque imposuero manus, accipiat Spiritum Sanctum. Petrus autem dixit ad eum : 20. Pecunia tua tecum sit in perditionem; quoniam donum



Dei existimasti pecunia possideri. 21. Non est tibi pars, neque sors in sermone isto; cor enim tuum non est rectum coram Deo. 22. Pœnitentiam itaque age ab hac nequitia tua, et roga Deum, si forte remittatur tibi hæc cogitatio cordis tui. 23. In felle enim amaritudinis et obligatione iniquitatis video te esse. 24. Respondens autem Simon, dixit : Precamini vos pro me ad Dominum, ut nihil veniat super me horum quæ dixistis. 25. Et illi quidem testificati et locuti verbum Domini, redibant Hierosolymam, et multis regionibus Samaritanorum evangelizabant. 26. Angelus autem Domini locutus est ad Philippum, dicens : Surge, et vade contra meridianum, ad viam quæ descendit ab Jerusalem in Gazam : hæc est deserta. 27. Et surgens abiit. Et ecce vir Æthiops, eunuchus, potens Candacis reginæ Æthiopum, qui erat super omnes gazas ejus, venerat adorare in Jerusalem; 28. et revertebatur sedens super currum suum, legensque Isaiam prophetam. 29. Dixit autem Spiritus Philippo : Accede, et adjunge te ad currum istum. 30. Accurrens autem Philippus, audivit eum legentem Isaiam prophetam, et dixit : Putasne intelligis quæ legis? 31. Qui ait : Et quomodo possum, si non aliquis ostenderit mihi? Rogavitque Philippum ut ascenderet, et sederet secum. 32. Locus autem Scripturæ quam legebat, erat hic : Tanquam ovis ad occisionem ductus est, et sicut agnus coram tondente se, sine voce, sic non aperuit os suum. 33. In humilitate judicium ejus sublatum est. Generationem ejus quis enarrabit, quoniam tolletur de terra vita ejus? 34. Respondens autem Eunuchus Philippo, dixit : Obsecro te, de quo Propheta dicit hoc? de se, an de alio aliquo? 35. Aperiens autem Philippus os suum, et incipiens a scriptura ista, evangelizavit illi Jesum. 36. Et dum irent per viam, venerunt ad quamdam aquam, et ait Eunuchus : Ecce aqua, quid prohibet me baptizari? 37. Dixit autem Philippus : Si credis ex toto corde, licet. Et respondens ait : Credo Filium Dei esse Jesum Christum. 38. Et jussit stare currum; et descenderunt uterque in aquam, Philippus et Eunuchus, et baptizavit eum. 39. Cum autem ascendissent de aqua, Spiritus Domini rapuit Philippum, et amplius non vidit eum Eunuchus. Ibat autem per viam suam gaudens. 40. Philippus autem inventus est in Azoto, et pertransiens evangelizabat civitatibus cunctis, donec veniret Cæsaream.

1. FACTA EST AUTEM IN ILLA DIE (id est illo tempore, est synecdoche) PERSECUTIO MAGNA IN ECCLESIA (1), — ἐπὶ τὴν ἐκκλησίαν, id est *in Ecclesiam, contra Ecclesiam*. Ita Tigurina. Dorotheus tradit cum Stephano occisos esse bis mille Christianos, uti paulo ante dixi. Certe plures tunc occisos indicat Paulus, *Act.* XXVI, 20, dicens : « Et cum occiderentur, ego detuli sententiam. » Hæc ergo fuit prima generalis Ecclesiæ persecutio, quam moverunt Judæi hostes ejus exinde, et deinceps semper infensissimi. Ita Eusebius, in *Chronico*.

S. Magdalena quando appulit Massiliam? Multi censent hoc tempore S. Magdalenam, cum sorore S. Martha, fratre Lazaro, Maximino, Marcella et Josepho ab Arimathia (qui deinde in Britanniam trajiciens, ibi evangelizans Christum in pace quievit) a Judæis navi sine velis et remis impositos, Dei ductu Massiliam appulisse, ibique Christi fidem propagasse. Ita ex Actis S. Magdalenæ, et Historia Vaticana Baronius, tom. I *Annal.*, et in *Martyrol.* 22 julii, licet Lucius Dexter in *Chronico* tradat tardius id contigisse, scilicet anno Christi 48, qui et subjungit : « Anno Christi 48, Maria Magdalena miraculis clara, mirifice divinis laudibus et contemplationi dedita, in Galliam migrat. » Sic et alii plures scribunt eam grandævam, octogesimo ætatis suæ anno e vita migrasse. Postquam enim apostolatu perfuncta Massilienses ad Christum convertit, instinctu Dei secessit in montem, futura sæculis omnibus pœnitentiæ et contemplationis exemplar; ibi per triginta annos vitam angelicam in orationibus et lacrymis egit. Hoc enim ei denuntiarat S. Michael Archangelus dicens : « Deus quem tantum, o Magdalena, concupiscis, et semper habes, te vult hunc locum lacrymis irrigare profusis, ut futuris sæculis exemplum pœnitentiæ perpetuo fias. » Ac iterum angelus, qui ad Purgatorii loca eam deduxerat, reponens ipsam ad crucem in Bauma, edixit, et prædixit : « Quanto tempore tuus ac noster amor Jesus, in terris te propter evixit, tanto tu quoque in hac spelunca moraberis; » uti ipsa apparens Eliæ anachoretæ Baumam suam incolenti narra-

(1) Optime procederet narrationis ordo, si versus 1 insereretur inter 2 et 3 : ideoque quidam librarii culpa hunc vers. hoc loco poni suspicantur.

norum millia. De Nicanore idem tradit S. Hippolytus, lib. *De 72 Discipulis*. Verum *Martyrologium Romanum* 10 januarii asserit Nicanorem in Cypro esse occisum. Idem habet *Menologium Græcorum* 28 julii, quod et addit, id contigisse sub Vespasiano.

Ito nunc, S. Stephane, ito pugil Christi, ito ad Jesum tuum, pro cujus fide et amore tantum agonem obiisti. Jesus te exspectat ut coronet, qui spectavit ut vinceres. Bonum certamen certasti, cursum consummasti, fidem servasti, accipe coronam gloriæ. Ito, Martyr fortissime, in domum fortium Dei. Ito, Virgo castissime, in supernum montem Sion; sequere cum choris S. Virginum Agnum quocumque ierit, canta cum eis Canticum novum, imo illud cæteris præcine. Ito, Christi Evangelista et præco, in aulam cœlestem Christi. Ille victorem et felicem tuum spiritum excipiet. Ille tibi saxa in gemmas convertet; pro corona saxorum imponet capiti tuo coronam carbunculorum, adamantum, smaragdorum. Ille ab oculis tuis lacrymas, a vultu sudorem, a corpore cruorem omnem absterget: ille Deo Patri victorem te sistet, ut pro modico agonis tempore æterni regni diadema accipias. Ito, Protomartyr, cæteris iter in cœlum præi, viam ad triumphum sterne, sequentur te ut ducem toto orbe per omnia futura sæcula, innumera Martyrum agmina. Paucis horis fortiter luctando teipsum meritis, Apostolos gaudio, fideles exemplo, Ecclesiam gloria, orbem fama, angelos exultatione, cœlum civibus, paradisum Martyribus implesti et condecorasti. Eia! ex alto nos respice, ut tui certaminis vestigia fortiter sequi, itaque gloriæ tuæ bravium consequi mereamur. Amen.

# CAPUT OCTAVUM.

## SYNOPSIS CAPITIS.

*A morte Stephani oritur gravis Ecclesiæ persecutio; unde fideles disperguntur, et Samariam convertunt, in eaque Simonem Magum: sed ille volens emere potestatem dandi Spiritum Sanctum a S. Petro increpatur. Denique, vers. 26, Eunuchus Candacis reginæ a Philippo baptizatur.*

1. Facta est autem in illa die persecutio magna in Ecclesia, quæ erat Hierosolymis, et omnes dispersi sunt per regiones Judææ et Samariæ, præter Apostolos. 2. Curaverunt autem Stephanum viri timorati, et fecerunt planctum magnum super eum. 3. Saulus autem devastabat Ecclesiam, per domos intrans, et trahens viros ac mulieres tradebat in custodiam. 4. Igitur qui dispersi erant, pertransibant, evangelizantes verbum Dei. 5. Philippus autem descendens in civitatem Samariæ, prædicabat illis Christum. 6. Intendebant autem turbæ his quæ a Philippo dicebantur, unanimiter audientes, et videntes signa quæ faciebat. 7. Multi enim eorum qui habebant spiritus immundos, clamantes voce magna exibant. 8. Multi autem paralytici et claudi curati sunt. 9. Factum est ergo gaudium magnum in illa civitate. Vir autem quidam nomine Simon, qui ante fuerat in civitate Magus, seducens gentem Samariæ, dicens se esse aliquem magnum: 10. cui auscultabant omnes a minimo usque ad maximum, dicentes: Hic est virtus Dei, quæ vocatur magna. 11. Attendebant autem eum, propter quod multo tempore magiis suis dementasset eos. 12. Cum vero credidissent Philippo evangelizanti de regno Dei, in nomine Jesu Christi baptizabantur viri ac mulieres. 13. Tunc Simon et ipse credidit; et cum baptizatus esset, adhærebat Philippo. Videns etiam signa et virtutes maximas fieri, stupens admirabatur. 14. Cum autem audissent Apostoli, qui erant Hierosolymis, quod recepisset Samaria verbum Dei, miserunt ad eos Petrum et Joannem. 15. Qui cum venissent, oraverunt pro ipsis ut acciperent Spiritum Sanctum: 16. nondum enim in quemquam illorum venerat, sed baptizati tantum erant in nomine Domini Jesu. 17. Tunc imponebant manus super illos, et accipiebant Spiritum Sanctum. 18. Cum vidisset autem Simon, quia per impositionem manus Apostolorum daretur Spiritus Sanctus, obtulit eis pecuniam, 19. dicens: Date et mihi hanc potestatem, ut cuicumque imposuero manus, accipiat Spiritum Sanctum. Petrus autem dixit ad eum: 20. Pecunia tua tecum sit in perditionem; quoniam donum



Dei existimasti pecunia possideri. 21. Non est tibi pars, neque sors in sermone isto; cor enim tuum non est rectum coram Deo. 22. Pœnitentiam itaque age ab hac nequitia tua, et roga Deum, si forte remittatur tibi hæc cogitatio cordis tui. 23. In felle enim amaritudinis et obligatione iniquitatis video te esse. 24. Respondens autem Simon, dixit: Precamini vos pro me ad Dominum, ut nihil veniat super me horum quæ dixistis. 25. Et illi quidem testificati et locuti verbum Domini, redibant Hierosolymam, et multis regionibus Samaritanorum evangelizabant. 26. Angelus autem Domini locutus est ad Philippum, dicens: Surge, et vade contra meridianum, ad viam quæ descendit ab Jerusalem in Gazam: hæc est deserta. 27. Et surgens abiit. Et ecce vir Æthiops, eunuchus, potens Candacis reginæ Æthiopum, qui erat super omnes gazas ejus, venerat adorare in Jerusalem; 28. et revertebatur sedens super currum suum, legensque Isaiam prophetam. 29. Dixit autem Spiritus Philippo: Accede, et adjunge te ad currum istum. 30. Accurrens autem Philippus, audivit eum legentem Isaiam prophetam, et dixit: Putasne intelligis quæ legis? 31. Qui ait: Et quomodo possum, si non aliquis ostenderit mihi? Rogavitque Philippum ut ascenderet, et sederet secum. 32. Locus autem Scripturæ quam legebat, erat hic: Tanquam ovis ad occisionem ductus est, et sicut agnus coram tondente se, sine voce, sic non aperuit os suum. 33. In humilitate judicium ejus sublatum est. Generationem ejus quis enarrabit, quoniam tolletur de terra vita ejus? 34. Respondens autem Eunuchus Philippo, dixit: Obsecro te, de quo Propheta dicit hoc? de se, an de alio aliquo? 35. Aperiens autem Philippus os suum, et incipiens a scriptura ista, evangelizavit illi Jesum. 36. Et dum irent per viam, venerunt ad quamdam aquam, et ait Eunuchus: Ecce aqua, quid prohibet me baptizari? 37. Dixit autem Philippus: Si credis ex toto corde, licet. Et respondens ait: Credo Filium Dei esse Jesum Christum. 38. Et jussit stare currum; et descenderunt uterque in aquam, Philippus et Eunuchus, et baptizavit eum. 39. Cum autem ascendissent de aqua, Spiritus Domini rapuit Philippum, et amplius non vidit eum Eunuchus. Ibat autem per viam suam gaudens. 40. Philippus autem inventus est in Azoto, et pertransiens evangelizabat civitatibus cunctis, donec veniret Cæsaream.

1. FACTA EST AUTEM IN ILLA DIE (id est illo tempore, est synecdoche) PERSECUTIO MAGNA IN ECCLESIA (1), — ἐπὶ τὴν ἐκκλησίαν, id est *in Ecclesiam*, *contra Ecclesiam*. Ita Tigurina. Dorotheus tradit cum Stephano occisos esse bis mille Christianos, uti paulo ante dixi. Certe plures tunc occisos indicat Paulus, *Act.* XXVI, 20, dicens: « Et cum occiderentur, ego detuli sententiam. » Hæc ergo fuit prima generalis Ecclesiæ persecutio, quam moverunt Judæi hostes ejus exinde, et deinceps semper infensissimi. Ita Eusebius, in *Chronico*.

S. Magdalena quando appulit Massiliam? Multi censent hoc tempore S. Magdalenam, cum sorore S. Martha, fratre Lazaro, Maximino, Marcella et Josepho ab Arimathia (qui deinde in Britanniam trajiciens, ibi evangelizans Christum in pace quievit) a Judæis navi sine velis et remis impositos, Dei ductu Massiliam appulisse, ibique Christi fidem propagasse. Ita ex Actis S. Magdalenæ, et Historia Vaticana Baronius, tom. I *Annal.*, et in *Martyrol.* 22 julii, licet Lucius Dexter in *Chronico* tradat tardius id contigisse, scilicet anno Christi 48, qui et subjungit: « Anno Christi 48, Maria Magdalena miraculis clara, mirifice divinis laudibus et contemplationi dedita, in Galliam migrat. » Sic et alii plures scribunt eam grandævam, octogesimo ætatis suæ anno e vita migrasse. Postquam enim apostolatu perfuncta Massilienses ad Christum convertit, instinctu Dei secessit in montem, futura sæculis omnibus pœnitentiæ et contemplationis exemplar; ibi per triginta annos vitam angelicam in orationibus et lacrymis egit. Hoc enim ei denuntiarat S. Michael Archangelus dicens: « Deus quem tantum, o Magdalena, concupiscis, et semper habes, te vult hunc locum lacrymis irrigare profusis, ut futuris sæculis exemplum pœnitentiæ perpetuo fias. » Ac iterum angelus, qui ad Purgatorii loca eam deduxerat, reponens ipsam ad crucem in Bauma, edixit, ac prædixit: « Quanto tempore tuus ac noster amor Jesus, in terris te propter evixit, tanto tu quoque in hac spelunca moraberis; » uti ipsa apparens Eliæ anachoretæ Baumam suam incolenti narra-

(1) Optime procederet narrationis ordo, si versus 1 insereretur inter 2 et 3: ideoque quidam librarii culpa hunc vers. hoc loco poni suspicantur.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

vit, teste Doctore Sylvestro Prierate apud Surium, die 22 julii. Sane Judæi præ cæteris Magdalenæ, ejusque familiæ infensi, ob eximium ejus in Christum amorem, et ob mirum dolorem, quem in morte Christi cruci astans ostenderat, in eam virus odii sui illico evomuisse videntur. »

Et omnes dispersi sunt per regiones Judææ. — « Omnes, » scilicet fideles, qui erant de Ecclesia de qua præcessit : non ergo soli seniores dispersi sunt, ut videtur velle Eusebius, lib. II *Hist.*, cap. I, sed et cæteri; nonnulli tamen qui potentes habebant amicos, vel in latebras sese abdebant, aut periculis et carceri se offerebant, remanserunt. « Omnes » ergo intellige commode, qui scilicet facile fugere poterant, q. d. Plerique, permulti *dispersi sunt*, Græce διεσπάρησαν, id est « disseminati sunt, quasi seminantes frumenta ad panem supercœlestem conficiendum; universumque orbem peragrantes, vivificæ doctrinæ virtutes, efficaciasque disseminarunt, » ait S. Athanasius, hom. *De Fermento*.

Ecce quantum bonum ex malo elicit Deus, quantam ex persecutione Ecclesiæ dilatationem, et Gentium conversionem : ita « crescit adversis agitata virtus. » Unde Nyssenus, hom. *De S. Stephano*, docet persecutionem S. Stephani Evangelium per orbem evulgasse. Ob ejus enim cædem discipuli per alias regiones dispersi, eas converterunt : et S. Stephanus e cœlo earum conversionem suis precibus impetravit, ac præcipue ut S. Paulus conversus orbem evangelizando obiret. Sic enim impiorum conatibus, quibus opera Dei impedire conantur, Deus opera sua promovet et exsequitur, uti ostendi cap. IV, 28. *Primo* ergo dispersi sunt « per regiones Judææ et Samariæ; » sed mox inde longe ulterius se sparserunt. Testis est Lucas, cap. XI, 19 : « Et illi quidem, ait, qui dispersi fuerant a tribulatione, quæ facta fuerat sub Stephano, perambulaverunt usque Phœnicem et Cyprum, et Antiochiam. » Quare Antiochiæ, crescente fidelium numero, primum discipuli cognominati sunt Christiani : idem ait, vers. 26. Unde Baronius conjectat dispersorum numerum fuisse ad quindecim millia, additque illos ipsos esse quibus S. Petrus et Jacobus suas epistolas inscribunt, dicentes : « Advenis dispersionis Ponti, Galatiæ, etc.; » vel : « Duodecim tribubus quæ sunt in dispersione, salutem. »

Astipulatur Lucius Dexter, in *Chronico*, quod dedicat S. Hieronymo (illi enim fuit coævus); sic enim habet : « Anno Christi 35, occiso lapidibus Stephano, magna persecutio Hierosolymis et confiniis exoritur : plusquam quindecim mille viri, qui prædicantibus Apostolis in Christum crediderant, fugantur. Alii ad Asiam, nonnulli ad Europam veniunt. Ex his plusquam quingenti nave Cypro educti, ad portum Carthaginensem Hispaniæ pertingunt : divisi per Hispanias, mortem Christi resurrectionemque denuntiant, et Mariæ vitam, ad quam frequens ex Hispania fiebat peregrinatio; totamque provinciam undique mirificis et inauditis nuntiis complent. Ex his primi a beato Jacobo eliguntur urbium Pontifices et Pastores. Dubium an omnes Judæi fuerint. Hispani præcipue Judæi mittunt legatos ad Apostolos, ut quam primum aliquis eorum veniat ad eos, qui de rebus recensitis de Christo eos verius et uberius doceat. » Unde mox addit, ad eos profectum S. Jacobum anno 37 Christi, qui fuit tertius ab ejus ascensu in cœlum : « S. Jacobus, ait, Apostolus, Zebedæi filius, peragratis urbibus Hispaniæ, multisque erectis Ecclesiis et Episcopis creatis ex advenis, Petrum Bracaræ reliquit Episcopum; ac primum oratorium B. Virgini, ejus jussu præsentiaque super columnam Cæsaraugustæ erexit. » Idem tamen Dexter paulo post addit plerosque alios Apostolos tardius discessisse in provincias quæ sibi obtigerant, nimirum anno Christi 41. Sic enim ait : « Ex Hispania rediens Jacobus, Galliam invisit, et Britanniam, et Venetiarum oppida, ubi prædicat, ac Hierosolymam revertitur, de rebus gravissimis consulturus B. Virginem et Petrum. Jacobus interest profectioni ad prædicandum nonnullorum Apostolorum; scilicet Matthiæ, Thomæ, Andreæ, Philippi, Bartholomæi, Simonis, Judæ et Matthæi, qui Deo duce profecti sunt hoc anno, cum eodem anno scripsisset is Evangelium. Eodem anno Joannes Theologus, comitante B. Virgine, Ephesum proficiscitur. » Additque anno sequenti, qui fuit Christi 42, Jacobum redeuntem Hierosolymam, ibidem ab Herode fuisse occisum.

Porro constat Apostolos in hac persecutione S. Stephani non fuisse dispersos. Ait enim Lucas, « præter Apostolos. » Ex quo merito Beda hic refellit Pseudo Melitonem, libro *De Obitu B. Virginis*, qui asserit anno secundo a Christi ascensione Apostolos dispersos, profectos esse in suas provincias. Dei enim consilio et protectione manserunt Apostoli Hierosolymæ, ut inibi Ecclesiam a Christo et a se inchoatam fundarent et firmarent, ne Judæi eam a se dispersam et eversam criminarentur; sed potius ipsa ibidem Synagogæ succederet, eamque sepeliret. Hinc rursum nonnullis parum probabile videtur, quod aliqui apud Baronium, in *Martyrol.*, 25 julii, censent in hac dispersione S. Jacobum profectum esse in Hispaniam, ibique Hispanis non Gentilibus, sed Judæis duntaxat, evangelizasse : fuit enim et ipse unus ex Apostolis, quos Lucas ait non fuisse dispersos. Nisi dicas unum Jacobum hic excipi. Sane Verulis in Italia valde colitur S. Maria Salome, mater S. Jacobi, quam ferunt Hierosolymis tunc eo profugisse, et labore ætateque fractam ibidem in Domino pie obdormivisse; ita Baronius et Ribadeneira in Vita S. Jacobi. Sed de hoc plura dicam cap. XII.

2. Curaverunt autem Stephanum. — Syrus, *positum in arca sepelierunt*. Græcum συγκομίζω significat *curare, gestare, portare*, estque subinde verbum



funerale, significans *mortuum efferre et sepelire*. Quocirca Noster uti generalius, ita planius vertit, *curaverunt*. Curare enim funus et corpus defuncti, est illud abluere, componere, ungere, vestire, loculo imponere, efferre, sepelire, justa persolvere, omnemque funeris pompam adornare. Porro Græcum συνεκόμισαν, id est *curaverunt una*, vel *pariter*, ut vertunt Pagninus et Tigurina, significat viros timoratos unanimi consensu, collatisque operis funus composuisse. Minus recte Cajetanus interpretatur, una cum persecutione eos funus S. Stephani curasse. Alii vertunt, *comportarunt, simul extulerunt*, uti videmus funera multis simul succollantibus efferri.

Viri timorati, — εὐλαβεῖς, id est *pii, religiosi*. Ita Pagninus et Tigurina. Nam « timor Dei » in Scriptura, idem est quod pietas, religio et cultus Dei : et « timere Deum, » est eum pie venerari et colere. Horum dux fuit Gamaliel : nam ut ipse revelavit Luciano, qui idipsum scribit in *Invent. S. Stephani*, Judæi corpus Stephani abjecerunt in agrum, ut a feris et volucribus voraretur; quocirca per diem et noctem ibi mansit insepultum, et a feris avibusque Dei nutu intactum; sed Gamaliel nocte sequenti misit viros fideles et religiosos, qui illud occulte ad villam suam deferrent, quæ ex nomine suo dicebatur Caphargamala, viginti passuum millibus distans a Jerusalem, ibique eum posuit in monumento novo, faciens ei planctum 70 diebus.

Nota hic proprium piorum opus esse sepelire mortuos, a quo in Scriptura laudatur Tobias, et incolæ Jabes Galaad sepelientes Saulem, II *Reg.* II, 4. Celebratur in *Martyrolog.* die 8 decembris S. Eutychianus Pontifex, quod suis manibus sepelierat 342 martyres. Idem de martyribus sanxit Pius I Pontifex et Martyr anno Domini 166, epist. 2 *ad Justum, Viennensem Episcopum*, quæ exstat tomo I *Biblioth. SS. Patrum* : « Cura, ait, S. Martyrum corpora, sicut membra Dei, quemadmodum curaverunt Apostoli Stephanum. » Additque : « Carceres Sanctorum visita, ne aliquis tepescat in fide. Martyria sancta Spiritu Sancto probа. Ut perseverent in fide, eis incitator insiste. Plebs universa tua sanctitate protegatur. Revelatum mihi esse scias, collega beatissime, citius me finem hujus vitæ esse facturum : » sequenti enim anno martyrio est coronatus.

Planctus quid? Resp. Primo. Fecerunt planctum magnum super eum. — Syrus, *planxerunt eum vehementer*. Quæres, quis et qualis hic planctus? Respondeo *primo*, fuisse luctum et lacrymas. « Quis enim, ait Chrysostomus, non plorasset, videns illum mansuetum agnum lapidari et jacere mortuum? » Plangunt enim pii suos mortuos, non quasi omnino perierint, ut mundani faciunt, qui extincto corpore de salute actum esse credunt, quos redarguit Apostolus, I *Thess.* IV, 1; sed ex amore et charitatis affectu, quia eorum præsentia, ope et consolatione vident se destitutos. Plangunt Stephanum, ait Œcumenius, quod se tanto profectu, tanto patrono, tanta doctrina, tantisque signis privatos conspicerent. Sic Martha et Magdalena planxerunt Lazarum, quin et Christus ipse, *Joan.* XI. Sic Joseph planxit Jacob, *Gen.* L, Israelitæ Mosen, *Deuter.* cap. ult., et Josue, cap. ult. Hoc est quod Sapiens monet, *Eccli.* XXII, 10 : « Super mortuum plora, defecit enim lux ejus, etc. Modicum plora super mortuum, quoniam requievit, etc. Luctus mortui septem diebus : fatui autem et impii, omnes dies vitæ illorum. » Quare nullo modo mortuis compati, nec mœrere, misanthropon est, Timonicum et ferinum : nimium autem dolere, muliebre et Ethnicum; moderate lugere, humanum est et pium. Porro Judæi in luctu funebri plangebant non tantum voce lugubri et lacrymis, sed et gestibus, complodendo manus, stringendo brachia, tundendo pectus, etc. Et hoc proprie significat Græcum κοπετός, a κόπτω, id est *pulso, ferio*. Hinc adhibebant tibicines, qui triste carmen modulantes, cierent planctum et ejulatum, ut patet *Matth.* IX, 23.

*Secundo*, planctus hic significat funebrem pompam, puta atras vestes (in funere enim omnia erant furva; unde et funus nomen accepit, ait Festus), aromata et unguenta, quibus corpus ungebant : thurificationem, lugentium catervas, tædas funebres, exequias, eleemosynarum distributionem in pauperes, convivium funebre, etc.; ad hæc, orationes et sacrificia pro defuncto. Sed his non eguit Stephanus, utpote martyr : « Quoniam injuriam facit martyri, qui orat pro martyre, cujus nos debemus orationibus commendari, » ait S. Augustinus, tract. 84 *in Joan.* « Sic planctus magnus et fortis totius Ægypti pro Jacob : non longas imperabat Ægyptus lacrymas, sed funeris monstrabat ornatum, » ait S. Hieronymus *ad Paulam*, consolans eam de obitu filiæ Blesillæ, ubi et addit : « Grandis in suos pietas, hoc est effusæ nimium lacrymæ, impietas in Deum est. »

*Tertio*, planctus hic significat processionem cum accensis cereis, psalmodiam et hymnodiam, tum cleri, tum populi in funere, etiam Sanctorum, adhiberi solitam. Unde tradit Nicetas, orat. *de Martyr. et Invent. S. Stephani*, Apostolos ipsos cum frequentia fidelium, in psalmis et hymnis transtulisse et sepelivisse Stephanum, facientes planctum magnum per quadraginta dies. Sic et S. Hieronymus, epist. 53 *ad Riparium*, scribit Apostolos curam corpori Stephani impendisse; funus enim hoc erat non fidelis cujuslibet, sed martyris, ejusque primi et illustrissimi. Planctus ergo hic significat pompam religiosam, sed gloriosam, martyris triumpho debitam et impensam. Quocirca merito urget hunc locum S. Hieronymus pro cultu SS. Reliquiarum *Contra Vigilantium*, epist. jam citata : « Ergo, ait, martyrum immundæ sunt reliquiæ? Et quid passi sunt Apostoli, ut immundum Stephani corpus tanta funeris ambitione præcederent, ut facerent ei planctum magnum, ut eorum luctus in nostrum gaudium ver

teretur ? » Ad planctus hujus pompam pertinet martyrium, id est martyris tumulus et monumentum, ad quod orationis causa convenire solent fideles.

Ita in Actis S. Laurentii, qui S. Stephano fuit compar et consimilis, tum diaconatu, tum fortitudine et zelo, tum martyrii gloria, legimus, eo in craticula animam Deo exhalante, convenisse S. Justinum sacerdotem, Hippolytum aliosque fideles, præsertim pauperes, in quos opes Ecclesiæ jussu S. Xisti Pontificis distribuerat, eumque planxisse lacrymando, ac funebri et solemni pompa corpus ejus efferendo in agrum Veranum, ibique tumulum honorificum ei erigendo, juxta quem omnes constiterunt tribus diebus in jejuniis, vigiliis nocturnis et orationibus, poscentes ejus ope beneficia sibi dari a Domino Deo : quibus exactis, S. Justinus Missam celebravit, in qua omnes communicarunt; itaque eos dimisit, ne a persecutoribus comprehenderentur, eo quod rumor hujus conventus et pompæ jam percrebesceret.

Similes fuerunt planctus et pompæ funebres aliorum martyrum, uti videre est in eorum *Actis*. Denique huc pertinet memoria et celebritas annua S. Stephani et S. Martyrum, ab Apostolis fidelibus indicta et sancita, teste S. Clemente, lib. VIII *Constit.*, cap. XXXIII. Similia leges de S. Polycarpo et Martyribus Lugdunensibus, apud Eusebium, lib. V *Hist.*, cap. XV, et lib. V, cap. I et seq. Hæc nota contra hæreticos, pro cultu Sanctorum et reliquiarum eorumdem. Caute quoque hic legendus Cajetanus, qui funus hoc et planctum Stephani mere Judaicum fuisse putat. Hoc enim ex *Actis* liquet esse falsum.

Mos priscus sepulturæ Christianorum. Rursum, ex hoc loco recte Baronius tradit originem ritumque funeris Christianorum : « Exemplo, ait, Apostolorum, laudabilis in Ecclesia Dei, in curandis defunctorum corporibus consuetudo permansit, ut eadem in primis aromatibus condirentur; unde Tertullianus : Si Arabiæ queruntur, sciant Sabæi pluris et carius suas merces Christianis sepeliendis profligari, quam diis fumigandis. Gregorius Nyssenus hæc in funere Meletii : Sindones mundæ, et panni serici, unguentorum et aromatum largitas, liberalitas mulieris ornatæ et honestæ, etc. Gregorius Nazianzenus non sine myrrha Cæsarium fratrem sepelivit. De qua etiam consuetudine pristina Prudentius agit his versibus :

Candore nitentia claro
Prætendere lintea mos est,
Aspersaque myrrha Sabæo
Corpus medicamine servat.

Et in fine :

Nos tuta fovebimus ossa
Violis ac fronde frequenti,
Titulumque et frigida saxa

Rursum vero accensis cereis, cantu prosequi pompam funeris apud Christianos antiquo usu receptum esse, multis habetur testatum exemplis; ut quod habet Pontius Diaconus de funere S. Cypriani martyris his verbis : « Inde cum cereis et scholaribus in area cujusdam Candidi procuratoris magno triumpho sepultum est. » Quod insuper Gregorius Nyssenus factum tradidit in funere Meletii, cum ait : « Quomodo utrimque quasi ignei omnes continentibus facibus, tractu continuo perpetuoque fluentes, quoad oculi longissime prospicere solent, porrigebantur. » Gregorius Nazianzenus de matre sua in funere Cæsarii filii gestante faces, hæc habet : « Cum multiplici hymnorum cantu deducitur, celebrique pompa ad martyrum sedem affertur, sanctisque parentum manibus honoratur, matre accensas faces gestante. » Eadem plane habet cum agit de funere Constantii, in orat. 1 *Adversus Julianum Apostatam*. Hoc etiam idem qui supra Gregorius Nyssenus, cum meminit de funere S. Macrinæ sororis, testatur. Idipsum Eusebius in funere Constantini; sed et Hieronymus de funere S. Paulæ, hæc ait : « Translata Episcoporum manibus, et cervicem feretro subjicientibus, cum alii Pontifices cereos lampadesque, alii choros psallentium ducerent, in medio ecclesiæ speluncæ Salvatoris est posita. » Athanasius eadem feliciter et explicat et probat, cum ait : « Si quis diem obierit, licet in aere ponatur inhumatus, ne omiseris oleum et ceram, [illegible] vocato Christo Deo ad sepulcrum accendere : accepta enim Deo sunt, plurimamque secum referunt retributionem : oleum et cera holocaustum est; incruentæ vero hostiæ oblatio, propitiatio est. » Quid vero Chrysostomus ? « Quid, ait, ardentes, quæso, lampades sibi volunt? nonne tanquam athletas eos comitamur? Quid autem hymni? nonne glorificamus Deum, et illi gratias agimus, quia jam defunctum coronavit, et ab incertitudine sublatum penes se retinet? » Idemque alias laudatissimam Christianorum consuetudinem in celebrandis exequiis defunctorum sæpe commendat. Incenso etiam thure, defunctos honorari consuevisse, idque prætermisisse piaculum grande existimatum esse, satis declarant *Acta* sacrosanctæ Synodi Chalcedonensis : ubi recitatur libellus accusationis adversus Dioscorum, oblatus ab Ischyrione Diacono, quo inter alia datur crimini, quod ejus avaritia factum sit, ut in funere Peristeriæ, piissimæ feminæ, quæ sua legaverat sanctis locis, oblatio incensi (quantum ad ipsum pertinuit) fuerit prætermissa.

Porro, post annos 380, puta anno Christi 415, qui fuit Innocentii I Pontificis 14, Honorii Imperatoris 21, inventæ sunt reliquiæ S. Stephani, per revelationem Gamalielis apparentis Luciano presbytero, qui rem gestam fuse perscripsit, ex eoque Beda, Marcellinus, Gennadius, Nicephorus et Baronius, anno jam nominato. Addit Lucianus : « Joannes Episcopus Hierosolymorum (cui quasi



Episcopo loci in quo erat sepulcrum, jusserat Gamaliel Luciano demandare translationem corporis S. Stephani sepulti) assumpsit secum duos alios Episcopos, Eleutherium de Sebaste, et Eleutherium de Jericho, et venerunt ad locum. Qui cum aperuissent domini Stephani thecam, statim terræ motus factus est, et tanta suavitas et fragrantia odoris inde egressa est, quantam nullus hominum se meminit vel audivisse, vel sensisse; ita ut putaremus nos in amœnitate paradisi esse positos. Multitudo namque populi aderat nobiscum, inter quos erant plurimi infirmi variis languoribus. Et ipsa hora mox de odore suavitatis ejus septuaginta tres animæ curatæ sunt : ab aliis fugati dæmones; aliorum fons restinctus est sanguinis; alii strumis et furunculis liberati; alii a stringio sanati, alii a tertianis et quartanis; alios febris reliquit, alios morbus regius; alii a cephalea curati et hemicrania; nonnulli a viscerum occulto dolore liberati; et multas alias curationes senserunt homines, quas enumerare longum. Exosculantes sacras reliquias iterum clauserunt. Et tunc cum psalmis et hymnis portaverunt reliquias B. Stephani in sanctam ecclesiam Sion, ubi et Archidiaconus fuerat ordinatus, etc. Tunc jugis et infinita siccitas erat; sed eadem hora pluvia magna descendit, et abundanter inebriata est terra. » Hæc Lucianus. Meminit ejusdem S. Augustinus, serm. 31 *De Diversis* : « Latuit, inquit, tanto tempore corpus ejus : processit quando Deus voluit, illuminavit terras, tanta miracula fecit : mortuus vivos facit mortuos, quia nec mortuus. » Idem enim S. Augustinus, lib. XXII *De Civit.*, cap. VIII, narrat, per reliquias S. Stephani, sex mortuos revocatos ad vitam. Nam Paulus Orosius peregrinatus in Terram Sanctam, incidens in tempus inventionis S. Stephani, reliquias ejus detulit in Africam ad S. Augustinum, qui per varias Ecclesias eas dispertitus est. Partem alteram detulit Orosius secum in Minoricam, insulam tertiam, et in suam Hispaniam : inde in Lusitaniam fuere distributæ et Franciam, ubi multis claruere miraculis, teste Gregorio Turonensi, lib. *De Gloria Martyr.*, cap. XXXIII, et lib. I *Histor.*, cap. XXXI. Ita Stephanus vita functus, quasi primarius Ecclesiæ Diaconus, more majorum ex eminenti suggestu Evangelium, quod omnes credant, etiamnum populo decantat, fidemque Catholicam et Apostolicam præconio nuntiat, eamdemque sequentibus signis obsignat. Nimirum sanguis ejus instar Abelis clamat apud Deum, postulans misericordiam : idem clamat apud homines, prædicans fidem orthodoxam.

S. Stephanus honoratur Pulcheriæ. Rursum anno Domini 439, qui fuit Theodosii Junioris Imperatoris 32, Eudoxia ejus uxor, peregrinata Hierosolymam, inde reliquias S. Stephani secum detulit Constantinopolim, easque in martyrio, id est templo, S. Laurentii martyris collocavit. Ita ex Marcellino et aliis Baronius, qui et addit ex Cedreno : « Cum reliquiæ dexteræ manus S. Stephani essent Chalcedonem perlatæ, ea ipsa nocte Pulcheria Augusta (soror Theodosii Imperatoris) S. Stephanum vidit sibi dicentem : En impetrasti quod precibus tuis petebas, et ego Chalcedonem veni. Itaque ipsa, assumpto fratre obviam sacris reliquiis profecta est, iisque in palatium illatis, munificum templum B. Stephano condidit, in eoque reliquias deposuit. » Hic verum illud quod de Christo et Christi asseclis prædixit Isaias, cap. XI, vers. 10 : « Erit sepulcrum ejus gloriosum. » Et Psaltes, *Psal.* CXXXVIII : « Nimis honorati sunt amici tui Deus. »

Porro reliquiæ S. Stephani Romam translatæ, in monumento S. Laurentii collocatæ, nobile archidiaconorum martyrumque par, quasi geminos, eosque lucidissimos Ecclesiæ oculos, urbi orbique dederunt. Ita tabulis sacris in *Martyrol.* consignatum est die 7 maii, ubi sic legimus : « Translatio corporis S. Stephani Protomartyris, quod, Pelagio summo Pontifice, a Constantinopoli ad urbem allatum, atque in sepulcro S. Laurentii martyris in agro Verano positum, ibidem magna piorum religione colitur. » Ferunt S. Laurentii corpus, veniente S. Stephano, per miraculum se commovisse, ac adventanti hospiti locum cessisse, illumque intra suum loculum recepisse. Cedit et locum dat Laurentius. Ita refert Pompeius Ugonius in *Station. Roman.*, stat. 19; Petrus de Natal., lib. IV, cap. XIII, et alii, quos citat et sequitur Octavius Pancirolius in *Thesauris Romæ*, secundæ editionis, agens de templo S. Laurentii extra muros. Estque hæc fidelium Romæ traditio.

Quid mirum? S. Stephanus toto orbe tot coruscavit miraculis, ut S. Augustinus, lib. XXII *De Civit.*, cap. VIII, multis recensitis, tandem multitudine victus, reliquis recensendis supersedeat. « Si enim, inquit, miracula sanitatum, ut alia taceam, modo velim scribere, quæ per hunc Martyrem, id est gloriosissimum Stephanum, facta sunt in Colonia Calamensi et in nostra, plurimi conficiendi sunt libri; nec tamen omnia colligi poterunt. » Continuum vero et perenne S. Stephani miraculum est, quod sanguis ejus concretus in vitrea ampulla ex Africa Neapolim a S. Gaudioso Episcopo delatus, et nunc in ecclesia S. Gaudiosi repositus, quoties inter Missarum solemnia in altari exponitur, liquescit fluitque, ac si recens effusus esset. Testes oculati sunt cives Neapolitani.

Denique Christianis Hierosolymam invadentibus S. Stephanus eamdem tradidisse videtur. Nam, ut narrat Gulielmus Tyrius, lib. VIII *Belli sacri*, cap. XVI et sequent., cum Christiani oppugnatione urbis defatigati recederent, et dilaberentur, « Ecce rebus desperatis adfuit virtus divina. Nam de monte Oliveti miles quidam (forte S. Stephanus, aut angelus ab eo missus), qui tamen postea non comparuit, splendidum et refulgentem ventilando clypeum, signum dabat nostris legionibus ut redirent in idipsum et congressum iterarent.

Accessit oraculum viri sancti, qui habitans in monte Oliveti, prædixerat urbem illo die capiendam. » Quo signo exhilaratus dux Godefridus Bullonius, primus cum fratre Eustachio in mœnia conscendit, quem alii secuti, illico ejus jussu effregerunt portam S. Stephani, quæ monti Oliveti obversa est, ac per eam totum in urbem induxerunt Christianorum exercitum. Itaque a Godefrido et Christianis capta est Hierosolyma anno Christi 1099, die 15 julii, feria sexta, qua olim Christus moriens ibidem de morte hostibusque omnibus triumpharat, ut hanc Christianis de infidelibus pareret dareque victoriam.

Ecce quantam gloriam in cœlo et in terra, labore et fervore septem mensium (tot enim circiter fluxerunt ab ejus diaconatu, usque ad diem vigesimum sextum decembris quo martyrium obiit) consecutus est S. Stephanus. « Consummatus in brevi explevit tempora multa. » Vere dixit ille : « Præstat mori ut leonem, quam vivere ut asinum : » præstat paucis annis vivere in fervore et efficacia heroicorum operum, quam multis in tepore, vel torpore. Christus tribus duntaxat annis evangelizans, fundavit Ecclesiam per omnia sæcula duraturam. Totidem annis prædicans S. Joannes Baptista in spiritu vehementi, contrivit naves Tharsis, puta tumida et dura Judæorum corda, ac gloriam eximiam adeptus est. S. Xaverius undecim annis apostolatu in India perfunctus, quot quantasque gentes fide imbuit? quanta patravit mira et miracula? quantum nomen et decus æternum sibi peperit? Gaspar Barzæus, septennio Goæ et Armuziæ exacto, quanta patravit? quantos labores exantlavit? quot infideles ad fidem, quot fideles ad pietatem et sanctitatem traduxit? stupet qui legit Vitam ejus scriptam a P. Nicolao Trigautio. Ex adverso quam multi Sancti initio fervidi, longitudine temporis refrixerunt, imo ceciderunt et dederunt maculam in gloriam suam, uti dedit Salomon, Tertullianus, Origenes, etc.

3. SAULUS AUTEM DEVASTABAT. — Ecce Benjamin, puta Paulus oriundus e Benjamin, quasi lupus rapax sævit et furit in gregem Domini, adeo ut non tantum viros, sed et mulieres Christianas domatim perscrutetur trahatque in carceres ad tormenta et mortem, uti ipse conversus confitetur cap. XXII, vers. 4. Quod enim nos habemus *per domos*, græce est, κατὰ τοὺς οἴκους, quod Tigurina vertit, *domesticatim*; Paguinus, *per singulas domos* : scrutabatur ergo singulas domos et angulos, ut Christianos persecutionem fugientes et latebras quærentes reperiret et raperet ad vincula, perinde ac faciunt modo prætores et lictores Catholicorum in Anglia.

4. QUI DISPERSI ERANT, PERTRANSIBANT, EVANGELIZANTES. — Ecce quam provide pieque primi illi fideles, Dei instinctu, bona sua vendiderunt pretiumque ad pedes Apostolorum deposuerunt, cap. IV, vers. 34 : alioqui enim illa in hac persecutione diripuissent Judæi; ac fideles occupati ut ea tutarentur, venderent vel conservarent, non fuissent expediti ad fugam, ut dispersi evangelizarent aliis gentibus. Nunc autem iis venditis, expedite fugiunt et evangelizant, dicuntque illud Biantis : « Omnia mea mecum porto. »

5. PHILIPPUS, — non Apostolus, ut vult Polycrates apud Eusebium, lib. V *Histor.*, cap. XXIV : Apostoli enim manserunt Hierosolymis, uti Lucas dixit vers. 1; sed Diaconus, cap. VI, vers. 5, primus a S. Stephano ejusque hæres, ait Glossa. Unde non potuit imponere manus Samaritis; sed ad hoc, vers. 14, mittuntur apostoli Petrus et Joannes. Hic tamen Philippus, licet Diaconus, vocatur subinde Apostolus, ut a Tertulliano, lib. *De Baptismo*, cap. VIII; S. Augustino, lib. I *De Doctrina Christiana*, in Procemio, et aliis, quia circumibat regiones evangelizando. Sic et Paulus, Barnabas aliique similes vocantur Apostoli, etiamsi non fuerint e numero duodecim Apostolorum. Porro ex hac evangelizatione, quam Philippus primus fecit in Samaria, Evangelistæ nomen accepit, cap. XXI, vers. 8; ita Baronius.

DESCENDENS. — Jerusalem enim altiori loco sita erat, quam Samaria.

IN CIVITATEM SAMARIÆ, — hoc est in Samariam civitatem, quæ erat metropolis provinciæ Samariæ, æque ac regni Israel, sive decem tribuum, ac proinde illi nomen suum dedit. Distat a Jerusalem sedecim leucis : sita erat in monte Someron, a quo et nomen accepit : uti et mons a suo possessore Semer., III *Reg.* XVI, 24. Postea in honorem Augusti Cæsaris, cui illam dedicavit Herodes Ascalonita, sive Infanticida, appellata est Σεβαστή, id est *Augusta* : fuit enim in fabricis murorum, domorum, palatiorum, æque ac opibus et deliciis magnifica et superba. In hac sepulti sunt Elisæus et Abdias prophetæ, item Joannes Baptista, ad quorum sepulcra cum pervenisset S. Paula, multis intremuit consternata mirabilibus. Nam videbat dæmones variis rugire cruciatibus, et ante sepulcra Sanctorum homines energumenos ululare more luporum, vocibus latrare canum, fremere leonum, sibilare serpentum, mugire taurorum, alios rotare caput et post tergum terram vertice tangere, ait S. Hieronymus in *Epitaphio S. Paulæ*, et in *Abdiæ* cap. I.

PRÆDICABAT ILLIS CHRISTUM. — Præcepit Christus ut se vivo non prædicarent Gentibus, nec Samaritis, *Matth.* X, 5; sed iturus in cœlum permisit, imo præcepit iis prædicari Evangelium, *Actor.* I, 8. Primi ergo post Judæos fidem Christi suscepere Samaritæ, quia et ipsi inter Judæos generali nomine censebantur, etsi ab eis in fide et religione, uti regno, ita et schismate essent divisi a Jeroboam, primo eorum rege, subducente se suosque a Roboam, filio Salomonis. Unde et Christus vivens in transitu, biduo eis prædicaverat multosque converterat, *Joan.* cap. IV, 40. Missum fuisse Philippum Samariam prædicatum



ab Apostolis, tradit S. Cyprianus, epist. 37 *ad Jubaianum*.

6. INTENDEBANT, — non tantum audiendo, sed et credendo. Ita Syrus, et patet ex sequent.

7. MULTI ENIM EORUM QUI HABEBANT SPIRITUS IMMUNDOS. — Ita lege cum Romanis, id est multi spiritus habentium spiritus, hoc est, multi spiritus dæmoniacorum, sive energumenorum, clamantes exibant, scilicet ex dæmoniacis, sive energumenis. Adjectivum ergo *multi* non refert substantivum *homines* habentes spiritus, puta energumenos, sed *spiritus*, quod sequitur; hoc ergo hic subauditur, et repetendum est. Nec enim spiritus ex seipso, sed ex energumeno egreditur. Noster legit πολλὰ, videlicet πνεύματα, id est *multi spiritus* in nominativo; jam legunt πολλῶν, in genitivo, id est *multorum*, quod clarius se nonnulli vertere putant hoc modo : *Multorum enim habentium spiritus immundi clamantes exibant.* Unde Pagninus et Tigurina vertunt : *Spiritus enim immundi e multis, qui illis tenebantur, exibant.* Sed sensus omnium eodem redit. Est hebraismus : Hebræi enim sæpe rei magis quam verbis intenti, verbum aliquod ex iis quæ præcedunt vel sequuntur, intelligendum relinquunt.

9. SIMON, QUI ANTE FUERAT (et etiamnum erat, ut mox patebit, sed exterius simulabat se velle converti fierique Christianum) IN CIVITATE MAGUS. — Græce, μαγεύων, id est *magiam exercens*, *magica patrans opera*, *magicas præstigias ostentans et seducens*. Est hendiadys, *q. d.* Magicis suis artibus erat seducens multos. Græce est, ἐξιστῶν τὸ ἔθνος, id est *obstupefaciens et quasi in extasin rapiens vulgus*. Noster, vers. 11, vertit, *dementans*.

DICENS SE ESSE ALIQUEM MAGNUM, — puta Prophetam, vel angelum, aut semideum, imo Deum et Dei Filium. Unde S. Hieronymus, in cap. XIV *S. Matthæi*, ait Simonem hunc in tantam proru-pisse superbiam, ut diceret : « Ego sum sermo Dei, ego sum speciosus, ego paracletus, ego omnipotens, ego omnia Dei. » Et S. Augustinus, lib. *De Hæres.*, cap. I, ait eum se vocasse Christum et Jovem, id est Messiam Judæorum et Deum Gentium, ut ab utroque haberetur Deus. Addit S. Augustinus : « Dixerat, inquit, se in monte Sina legem Moysi in persona Patris dedisse Judæis; tempore Tiberii in Filii persona putative apparuisse; postea se in linguis igneis Spiritum Sanctum super Apostolos venisse; Christum autem nec venisse, nec a Judæis quidquam pertulisse. » Ubi adverte quædam ex his dixisse post auditum Evangelium et susceptum baptismum. Nam ante illud nesciebat, utpote Judæus et Samarita, imo nec audierat nomen Paracleti, aut Verbi vel sermonis Dei; sed utrumque didicerat a Philippo et Apostolis evangelizantibus, a quibus baptizatus, factus est apostata et hæreticus, imo hæresiarcha, isque omnium qui post Christum exstiterunt, primus. Unde a S. Ignatio, epist. *ad Trallianos*, vocatur « primogenitus Satanæ; » ac a S. Augustino, Epiphanio, Philastrio et aliis qui scribunt de hæresibus, inter hæresiarchas primo loco collocatur. Illo ergo Mago, qui cum dæmone rem habebat, duce et chorago gloriantur Lutherus, Calvinus cæterique hæresiarchæ, qui pariter dæmones, partim visibiliter, partim invisibiliter familiares habuerunt, ab eoque sua dogmata hauserunt, uti ostendi I *Timoth.* cap. IV, 1. Hinc et a priscis hæreticis, Simonis assectis, puta Marco, Menandro, Basilide, Carpocratianis, Gnosticis, cultam fuisse magiam, testatur S. Irenæus, lib. 1, cap. VIII; Epiphanius, *Contra Gnosticos*; Tertullianus, lib. *De Præscript.*, æque ac a modernis nostris eadem laudatur et defenditur. Sane Lutherus, hæresum hujus ævi pater et princeps, lib. *De Missa angulari*, saxonice scripto, palam profitetur sibi notum et familiarem esse malum spiritum, seque cum eo plus quam modium salis comedisse. Idem refert Jacobus Lingæus in Vita Lutheri.

Rursum nota hic superbiam esse fontem hæresis; hæc enim Simonem impulit ut talia et tanta de se jactaret, seque faceret Deum. Eadem impulit cæteros hæresiarchas ad commiscendum novos errores, ut eorum haberentur inventores, in eosque post se ducerent discipulorum agmina. Proprium ergo signum et quasi stigma hæretici est superbia; æque ac orthodoxi, præsertim doctoris, est humilitas. Hic enim sequitur S. Petrum et Paulum, qui fuerunt humillimi, imo Christum qui « cum in forma Dei esset, non rapinam arbitratus est esse se æqualem Deo, » id est non rapuit divinitatem, uti fecit Simon; « sed semetipsum exinanivit in similitudinem hominum factus, et habitu inventus ut homo, » *Philipp.* II, 7. Denique vide hic odium diaboli in Christum et Ecclesiam, et ex adverso Christi virtutem omnia ejus tela superantem. Diabolus enim hostes Christo suscitavit, Annam, Caipham, Scribas et Pharisæos : æmulos vero, Theodam in Judæa, Judam Galilæum in Galilæa, Simonem hunc in Samaria, Apollonium Thyanæum in Asia; sed hos omnes supplantavit sua sapientia, sanctitate et miraculis Christus ejusque Apostoli. Idem respiciet vir sanctus et zelosus qui magna molitur, cogitet se diabolum totumque infernum ad duellum provocasse : virtutis enim comes est invidia, tum diaboli, tum hominum malevolorum. Ubi recte advertit Baronius dæmonem esse simiam Christi. Sicut enim Christus primum Apostolorum suorum creavit Simonem, quem deinde vocavit Petrum, ita diabolus primum ei antagonistam, suum pseudoapostolum opposuit Simonem Magum, ideoque Simon Petrus a Christo et Apostolis destinatus est Samariam, ut Simonem Magum profligaret.

Symbolice : Simon Magus, puta superbus et insipiens, se jactat esse aliquem, cum sit nullus et nihil. Ex adverso humilis et sapiens dicit se esse nullum et nihil, cum per Deum sit omnia. Sapuit

hoc prudens Ulysses, qui vocando se Nullum, Cyclopum manus evasit. Nam, ut narrat Homerus, *Odyss.* IX, Ulysses cum sociis captus a Polyphemo Cyclope, petensque ab eo gratiam libere redeundi in patriam, rogatus a Polyphemo « quod ejus esset nomen? » respondit : Οὖτις, id est *Nullus* vocor. Cui Polyphemus : « Ego, inquit, Nullum sociorum suorum ultimum comedam, alios vero prius : hoc nostrum munus habeto. » Ulysses ergo Polyphemum inebriavit ebriumque excæcavit. Evigilans ille exclamat advocatque alios Cyclopes dicens : « Adjuvate, Nullus me per dolum excæcavit. » Cui illi : « Si nullus tibi soli existendi vim affert, morbum magni Jovis non est evitare, » q. d. Si nullus hominum, sed Jupiter te ferit, nolumus contra Jovem pugnare, ut tibi opem feramus. Ita evasit Ulysses tectus pelle arietis. Simili modo humilis Cyclopum, id est dæmonum, manus evadit. Unde S. Antonius, cum vidisset totum mundum usque ad cœlum plenum laqueis dæmonum, et anxius rogaret, « Quis hos laqueos evadet? » audivit, « Humilitas. » Ita S. Athanasius, in ejus Vita.

10. HIC EST VIRTUS DEI, QUÆ VOCATUR MAGNA. — Tigurina, *iste est potentia Dei illa magna*, q. d. Simon est Dei potentia, non qualis qualis, sed maxima et sublimissima. Unde Theodoretus, lib. I *De Fabulis hæret.*, asserit Simonem se vocasse infinitam potentiam, id est Deum omnipotentem. Et Clemens Romanus, lib. II *Recog.*, « Excelsam virtutem supra creatorem Deum. » Audi Tertullianum, lib. *De Præscript.*, cap. XLVI : « Simon Magus, inquit, ausus est summam se dicere virtutem, id est summum Deum : mundum autem ab angelis suis institutum, etc. Post hunc Menander, discipulus ipsius, similiter Magus, eadem dicens quæ Simon ipse : quidquid se Simon dixerat, hoc se Menander esse dicebat, negans habere posse quemquam salutem, nisi in nomine suo baptizatus fuisset. » Et Irenæum, lib. IX, cap. XX : « Hic (Simon Magus) a multis quasi Deus glorificatus est, et docuit semetipsum esse, qui inter Judæos quidem quasi Filius Dei apparuerit in Samaria, quasi Pater descenderit, in reliquis vero Gentibus quasi Spiritus Sanctus adventarit. Esse autem se sublimissimam virtutem, hoc est, eum qui sit super omnia Pater. Hic Selenem quamdam secum circumducebat, dicens hanc esse primam mentis ejus conceptionem, per quam initio mente concepit Angelos facere et Archangelos, » etc.

Vide hic ingenium hæresiarcharum, nimirum quam carnales sint et mulierosi. Pergit Irenæus de Simone docente, « Cum angeli moderarentur mundum, eo quod unusquisque eorum concupisceret principatum, se venisse ad rerum emendationem, et descendisse transfiguratum et assimulatum virtutibus, et potestatibus, et angelis, ut et in hominibus homo appareret, cum non esset homo, et passum in Judæa putatum, cum non esset passus. Prophetas autem e mundi fabricatoribus angelis inspiratos, dixisse prophetias : quapropter nec ulterius curarent eos hi, qui in eum et Selenem ejus spem habeant, et ut liberos agere quæ velint : secundum enim illius gratiam salvari homines, sed non secundum opera justa. » Hæc fecit post susceptum baptismum, seque pro Christo ipso substituit. Hunc fastum didicit Simon a patre suo diabolo, de quo S. Antonius apud S. Athanasium : « Vidi, inquit, aliquando diabolum excelsum corpore, qui se Dei virtutem et providentiam ausus est dicere, et ait ad me : Quid vis ut a me tibi donetur, Antoni? At ego sputum vi maxima in os ejus ingeminans, totum me Christi nomine armatum in eum ingessi : et statim ille procerus aspectu inter medias manus exolevit. »

11. PROPTER QUOD, — id est eo quod, propterea quod : patet ex Græco.

12. DE REGNO DEI. — *Regnum Dei* est Ecclesia tum militans, in qua Deus per gratiam regnat in fidelibus; tum triumphans, in qua Deus in iisdem regnat per gloriam. Utrumque prædicavit Philippus et Apostoli.

IN NOMINE JESU CHRISTI BAPTIZABANTUR. — Ita Romana, q. d. Baptizabantur baptismo, non Joannis, non Pharisæorum, sed Christi, in quo inter ceteras personas S. Trinitatis, invocatur nomen Filii Dei, puta Jesu Christi. Vide dicta cap. II, vers. 38.

Aliter hæc legunt et dispungunt Græci codices moderni, nimirum : *Cum vero credidissent Philippo evangelizanti de regno Dei et de nomine Jesu Christi, baptizabantur* : ita Tigurina, Pagninus et alii. Sic quoque accipi et dispungi potest nostra versio Latina, si ante *baptizabantur* ponas comma. Tunc enim erit sensus, q. d. Cum credidissent Philippo evangelizanti de regno Dei, scilicet illud acquirendum esse in nomine, id est per fidem et invocationem nominis Jesu Christi, baptizabantur.

13. CREDIDIT, — ἐπίστευσε, id est simulavit se credere, tum ne a suis discipulis Philippo credentibus desereretur, tum ut potestatem loquendi variis linguis et faciendi miracula acciperet, sicut videbat eam accepisse Philippum et fideles in baptismo. Audi Eusebium, lib. II *Hist.*, cap. I : « Simon calide se in Christi religionem insinuavit, et usque eo fidem in Christum veteratorie simulavit, quoad baptismatis lavacro tinctus est, » additque idem suo adhuc tempore factitari solitum ab ejus assectis Simonianis. Hinc S. Augustinus, tract. 6 *in Joannem*, ait quod Simon ut corvus ingressus sit in Ecclesiam. Idem censent S. Hieronymus, scribens in cap. XVI *Ezech.*; Irenæus, lib. I, cap. XX; S. Gregorius, in *Psal.* IV pœnitentiali; Ambrosius, lib. II *De Pœnit.*, cap. IV; Cyrillus Hierosolymitanus, *Catech.* 3; Chrysostomus, hom. 60 *ad Populum*, qui ait Simonem accessisse ad fidem et Ecclesiam, sicut Judas in ultima cœna accessit ad Eucharistiam.



Nota : Scriptura sæpe loquitur more hominum, iis enim se accommodat : homines autem judicant et loquuntur de rebus et personis prout exterius apparent, interiora enim et arcana cordis perspicere nequeunt. Sic ergo Simon hic dicitur credidisse, quia exterius profitebatur se credere; esto id fingeret, et revera interius in corde non crederet.

VIRTUTES, — δυνάμεις, id est opera potentia et miraculosa. Vide dicta cap. II, vers. 22.

ADMIRABATUR, — tum quia majora faciebat Philippus, quam ipse Simon; tum quia miracula Philippi vera erant et realia, Simonis autem pleraque erant præstigiæ, quibus oculis hominum illudebat, ut videretur facere quod revera non faciebat; tum denique quia videbat in baptismo Philippi visibiliter in baptizatos descendere Spiritum Sanctum in specie ignis, linguarum, etc. Quod sane uti novum et divinum, summe erat stupendum et reverendum. Quid enim mirabilius, quid majoris dignationis, quid optabilius, quam Deum omnipotentem in hominem descendere, in eo inhabitare, loqui, operari?

14. MISERUNT. — Mittitur hic Petrus, non tanquam minor, cui jubeatur; sed ut caput et superior, qui rogatur, ut hoc iter tam sanctum et arduum, ad Dei gloriam et Ecclesiæ propagationem, capessat, quomodo respublica rogat regem, ut proficiscatur ad legationem maximi momenti : ut cum S. Leo Pontifex, ut votis fidelium satisfaceret, profectus est ad Attilam, ejusque furorem a Romana Ecclesia avertit. Sic Pater misit Filium in mundum, et cum eo misit Spiritum Sanctum in Pentecoste; esto omnes tres personæ in divinis, auctoritate et gloria sint pares. Unde Cajetanus : « Petrum, inquit, Apostoli mittunt, non imperio, sed fraterna charitate ac impulsione, ut multi fratres mittunt quandoque majorem; et capitulares mittunt Episcopum ad Papam, vel Cæsarem. » Porro mittitur Petrus potius quam alius, tum ut quasi pastor Ecclesiæ in eam gentem externam recipiat; tum ut quasi caput omnium, Samaritas uniat Judæis, a quibus ante implacabili schismate dissidebant; tum ut se opponat Simoni Mago et primo hæresiarchæ futuro.

15. ORAVERUNT PRO IPSIS, — ut scilicet ipsi congrue se disponerent ad sacramentum Confirmationis, utque in eo super eos visibiliter descenderet Spiritus Sanctus.

UT ACCIPERENT SPIRITUM SANCTUM, — puta plenitudinem Spiritus Sancti, per signum visibile, de quo mox : alioqui enim jam in baptismo invisibiliter acceperant Spiritum Sanctum, per gratiam sanctificantem. Unde sequitur :

16. NONDUM ENIM IN QUEMQUAM ILLORUM VENERAT. — Græce ἐπιπεπτωκός, id est *erat illapsus*, puta per signum visibile : licet enim Spiritus Sanctus visibiliter illapsus sit in baptismo super primos credentes, ad primas conciones S. Petri, cap. II, vers. 41, et cap. IV, vers. 4, atque in Cornelium ejusque familiam, mox ut credidit ante baptismum, cap. X, vers. 44, tamen id non fuit baptismo proprium, ideoque rarum, ac forte concessum duntaxat S. Petro ob primatus apicem. Unde nec hic in baptismo Samaritarum, nec vers. 38 in baptismo Eunuchi, nec alibi legimus in baptismo visibiliter datum fuisse Spiritum Sanctum; sed id reservatum est sacramento Confirmationis, utpote in qua confertur robur et plenitudo Spiritus Sancti, ad libere profitendum et prædicandum fidem Christi, ut patet vers. seq., et cap. XIX, vers. 5 et 6.

In [illegible] datur Spiritus Sanctus.

Notat Epiphanius, lib. I, *hæres.* 9, Samaritarum hæresim fuisse non esse Spiritum Sanctum, itaque eo mitti Petrum, ut eam evellat, non tam argumentis, quam reipsa per Confirmationis sacramentum, visibiliter conferendo eis Spiritum Sanctum.

17. TUNC IMPONEBANT MANUS SUPER ILLOS, — conferendo illis sacramentum Confirmationis. Ita passim Doctores contra Calvinum, qui negat Confirmationem esse Sacramentum, atque hanc manus impositionem fuisse meram orandi pro aliquo cæremoniam. Vide Bellarminum de hoc Sacramento. Et patet : quia per hanc manus impositionem accipiebant Spiritum Sanctum, qui est effectus Sacramenti.

Vers. 17. Est Sacramentum.

Nota hic *primo*, solius Episcopi esse conferre hoc Sacramentum. Unde Philippus Diaconus id non poterat, sed ad hoc vocavit Episcopos, puta Petrum et Joannem. Ita definit Concilium Florentinum in formula unionis Armenorum; et Tridentinum, *sessione* VII, can. 3. In necessitate tamen Summus Pontifex potest presbyterum auctorare facereque ministrum sacramenti Confirmationis, uti S. Gregorium fecisse legimus, lib. IV, *epist.* 33. Vide Franciscum Suarez. *De Sacram. Confirm.*

Ejus minister est Episcopus.

Porro in tribus Sacramentis imponitur manus, scilicet in Ordine, Pœnitentia et Confirmatione; de qua hic agi patet ex eo quod conferebatur recens baptizatis.

Nota *secundo* : Dubium est an Petrus et Joannes hic adhibuerint chrisma, an vero per solam manus impositionem contulerint hoc Sacramentum. Utrumlibet est probabile : nonnulli Doctores propendent in hoc quod non adhibuerint chrisma, dispensante in hoc Deo, eo quod tunc loco chrismatis esse ipsum visibile signum, per quod illabebatur in confirmandos Spiritus Sanctus. Ita S. Thomas, Bonaventura, Scotus, Durandus, Gabriel, Richardus, Paludanus et Soto, in IV, dist. VII, Suarez et alii. Favere videtur Concilium Florentinum, dum ait sacramentum Confirmationis successisse loco manus impositionis Apostolicæ.

Verum longe probabilius est, imo quasi certum, nunquam Apostolos hoc Sacramentum sine chrismate exhibuisse, ut docet Hugo de S. Victore, lib. II *De Sacram.*, part. VII, § 2, et Waldensis, tom. II, cap. CXIII. Et probatur *primo*, quia in ceteris Sacramentis non habuerunt istam libertatem.

Apostoli adhibuisse chrisma.

Probatur Primo.

neque alia Sacramenta sine sua ordinata materia administraverunt. *Secundo*, quia nullus veterum dicit illos hoc Sacramentum vario modo administrasse, nempe nunc per solam manus impositionem, nunc per chrismatis unctionem, cum tamen multi dicant illos usos fuisse chrismate, ut S. Dionysius, cap. IV *Eccl. Hier.*; Clemens Romanus, lib. VII *Constit. Apostolic.*, cap. XLIV; Fabianus Papa, *epist.* 2, denique ipse S. Thomas, III *part.*, *Quæst.* LXXII, art. 2. *Tertio*, quia sub nomine impositionis manuum commodissime simul comprehendimus unctionem, etiamsi non exprimatur, ut docent Hugo et Waldensis supra. Nam qui inungit, manus imponit; quia *manus imponere* phrasi hebraica significat tangere. Unde Marci III, 2, cum quidam petiissent a Domino, ut lunatico manus imponeret, ipse id fecit digito tangens linguam ejus et aures. Vide Pagninum in verbum סמך *samach*, quod significat ungere, imponere, confirmare, fulcire, stabilire, seu tangere ad fulciendum. Sic dicitur, *Sap.* VIII, 12 : « Manus ori suo imponent, » id est apponent. *Quarto*, quia Patres qui uno loco dicunt Spiritum Sanctum dari manus impositione, iidem alio loco dicunt dari unctione chrismatis; tanquam hæc duo pro eodem habentes, vel alterum in altero per compendium intelligentes, ut patet in testimonio Tertulliani mox citando, ubi meminit unctionis, signationis et manus impositionis. Idem autem, lib. I *Contra Marcionem*, solum exprimit unctionem; Cyprianus, *epistola* 70, solum meminit unctionis; *epist.* autem 72, vocat manuum impositionem; et tamen idem significat. Accedit, quod Apostoli facile potuerint habere oleum et balsamum, utpote quod in Judæa nascitur illique est proprium : ex oleo autem et balsamo conficitur chrisma. Cur ergo illud a Christo sancitum omisissent, ubi nulla urgebat causa vel necessitas? Secus est de libro Evangeliorum : hunc enim adhibere non potuerunt in ordinatione primorum Diaconorum, eo quod ille necdum esset conscriptus. *Quinto*, quia Patres, quando dicunt solos Episcopos dare Spiritum Sanctum per unctionem chrismatis, id probant ex hoc loco *Act.* VIII et XIX, ubi soli Apostoli manus imponebant : ergo aperte significant in illa manus impositione fuisse comprehensam chrismatis unctionem. Vide Cyprianum, *epist.* 73; Innocentium, *epist.* 1, et Damascenum, *epist.* 4. *Sexto*, quia familiare est Scripturæ res multas conjungi solitas per compendium perstringere, una tantum expressa, ut, *Act.* VIII et XIX, dicit Lucas Apostolos baptizasse in nomine Christi, relinquens nobis alias personas cointelligendas; *Act.* VIII, dicit Eunuchum a Philippo baptizatum, cum dixisset : « Credo Filium Dei esse Jesum; » tamen non est dubitandum quin de aliis multis fuerit interrogatus Eunuchus.

Dices : Concilium Florentinum, in *Instruct. Armen.*, dicit, loco impositionis manuum Apostolorum, dari nunc in Ecclesia Confirmationem; et Innocentius III, cap. *Cum venisset*, tit. *De S. Unctione*, dicit per frontis chrismationem designari manus impositionem Apostolorum. Respondeo, non distinguunt isti ritum a ritu, sed tantum modum loquendi a modo loquendi : nam solum volunt dicere idipsum quod Apostoli faciebant, cum dicebantur manus imponere, nunc facere Episcopos, cum dicuntur confirmare : quod enim tunc vocabatur manus impositio, nunc vocatur Confirmatio; quanquam sit idem prorsus Sacramentum. Quod hoc velint dicere clarissimum est, si loca inspiciantur : alioquin dicerent tempore Apostolorum non fuisse sacramentum Confirmationis.

Et accipiebant Spiritum Sanctum. — Nam sacramento Confirmationis datur plenitudo gratiæ acceptæ in baptismo. Unde S. Cyprianus, epist. 73 *ad Jubaianum*, illud vocat « signaculum Dominicum quo Christiani consummentur; » ut qui antea erant fideles, jam fiant milites, athletæ et pugiles Christi. Et S. Melchiades, epist. *ad Episcop. Hisp.* : « In Baptismo, inquit, regeneramur ad vitam, in Confirmatione armamur ad pugnam. » Et S. Urbanus, in *Epist. Decret.* : « Omnes, inquit, fideles per manuum impositionem Episcoporum, Spiritum Sanctum post baptismum accipere debent, ut pleni Christiani inveniantur. » Quocirca S. Cornelius Pontifex, epist. *ad Fabianum Antioch.*, apud Eusebium, lib. VI *Hist.*, cap. XXXIII, agens de Novato : « Non fuit, inquit, signaculo chrismatis consummatus; unde nec Spiritum Sanctum potuit promereri. » Et S. Dionysius, *Eccl. Hier.*, cap. II, p. 3 : « Perficiens, ait, illa unctio facit perfectum. » Pulchre vero Tertullianus, lib. *De Resur. carnis*, cap. VIII, paucis totum Sacramenti hujus ritum, puta unctionem, signum crucis et manus impositionem perstringit : « Caro, inquit, ungitur, ut anima consecretur; caro signatur, ut anima muniatur; caro manus impositione adumbratur, ut anima Spiritu illuminetur. »

*In Confirmatione datur Spiritus Sanctus, Quomodo? Resp. Primo.*

In sacramento Confirmationis datur Spiritus Sanctus : *Primo*, quia datur augmentum gratiæ acceptæ in baptismo, ac consequenter virtutum omnium. Unde Eusebius Emissenus (vel quisquis est Auctor, certe priscus est et gravis), hom. *De Pentecoste* : « Spiritus Sanctus, inquit, qui super aquas baptismi salutifero descendit illapsu, in fonte plenitudinem tribuit ad innocentiam, in Confirmatione augmentum præstat ad gratiam. »

*Secundo.*

*Secundo*, quia datur in eo plenitudo septem donorum Spiritus Sancti, ac præsertim ingens robur ad luctandum cum diabolo. Audi S. Cyprianum (vel quisquis est Auctor), tract. *De Cardinal. Christi operibus* : « Hujus unctionis beneficio, et sapientia nobis, et intellectus divinitus datur, consilium et fortitudo cœlitus illabitur; scientia, et pietas, et timor inspirationibus supernis infunditur. Hoc oleo uncti cum spiritualibus nequitiis colluctamur. » Unde forma sacramenti Confirmationis est hæc : « Consigno te signo crucis et



confirmo te chrismate salutis, in nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti. » Quocirca in historiis legimus sæpe energumenos in susceptione hujus Sacramenti a dæmone fuisse liberatos. Idipsum quoque testatur Nazianzenus, orat. *in Julian.*; Lactant., lib. IV, cap. XXVII; Prudentius, in *Apotheosi*. Quin et S. Bernardus, in Vita S. Malachiæ, sic scribit de ejus præceptore, Malcho Episcopo : « Puerum mente captum ex his quos lunaticos vocant, inter confirmandum sacra unctione curavit. » Ex adverso Eusebius, lib. VI *Hist.*, cap. XXXV, vel juxta aliam editionem, XXXIV, scribit Novatum rejicientem hoc Sacramentum a dæmone fuisse correptum; et cum esset presbyter, in persecutione præ metu negasse se esse presbyterum. Rursum Gregorius Turonensis, lib. I *De Gloria Martyr.*, cap. XLI, narrat artes magicas, per præsentiam cujusdam Christiani qui chrismate confirmatus erat, fuisse irritatas et discussas.

*Tertio*, datur animus et fortitudo ad intrepide profitendam fidem, præsertim in persecutione et martyrio. Unde ejus virtute Martyres de tyrannis, tormentis et morte triumpharunt : qua de re inter alia illustre est exemplum Aproniani, qui, cum esset commentariensis, et Sisinnium Diaconum præsidi examinandum sisteret, vocem e cœlo audivit : « Venite, benedicti Patris mei, percipite regnum quod vobis paratum est a constitutione mundi; » qua voce conversus, a Sisinnio baptizatus, et a Marcello Papa confirmatus, ad martyrium vocatus, fortiter ejus agonem obiit, uti habent ejus acta apud Surium 16 januarii. S. Bonifacius, Germanorum apostolus in Frisia, dum a se baptizatos Confirmationis sacramento munire parat, a Frisiis trucidatus, ejus fidem prior ipse eo confirmatus, suo sanguine confirmavit. Ita habet ejus Vita apud Surium die 5 junii.

*Quarto*, sæpe Deus per hoc Sacramentum patravit miracula, quæ sunt opera Spiritus Sancti et gratiæ gratis datæ. Præter ea quæ jam recensui, S. Rembertus, secundus Bremensis Archiepiscopus, ante annos 800, cum in Sueciam profectus esset et ibi Pontificali more sacro chrismate cæcum inunxisset, illi visum restituit. Ita habet ejus Vita apud Surium 4 februarii.

Sic et Faro, Meldensis Episcopus, puerum cæcum confirmans illuminavit, ut habet ejus Vita apud Surium 5 octobris.

Memorabile est quod scribit Optatus Milevitanus, lib. II *Contra Donatistas*, nimirum ampullam sacri chrismatis a Donatistis impie violatam, et per fenestram præcipitatam, ab angelis fuisse exceptam, ne frangeretur aut læderetur.

Fideles ergo mature curent suos filios confirmari, ut hæc Spiritus Sancti dona percipiant; Episcopi vicissim diligentes sint, ut illud suis impertiant, illoque suas, imo Christi oves obsignent et confirment. Celebre est exemplum S. Maurilii, Episcopi Andegavensis, qui vocatus ad quemdam puerum moribundum confirmandum, paululum tardans reperit puerum jam defunctum. Quare hanc suam, ut ipse dicebat, negligentiam multis annis luxit, ac relicto episcopatu, secreto fugiens longam et molestam peregrinationem suscepit, uti refert Venantius Fortunatus in ejus Vita.

18. Cum vidisset. — Recte hinc infert S. Chrysostomus visibili signo, puta ignis, linguarum ignearum; columbæ, aut quo simili tunc in fideles confirmatos descendisse Spiritum Sanctum : unde et visibiles, id est sensibiles, ejus affectus emanabant, ut quod loquerentur variis linguis, quod prophetarent, quod jubilarent, psallerent, concionarentur supra captum hominum, quasi enthusiasmo Spiritus Sancti acti et impulsi. Quocirca Simon Magus pecunia voluit idipsum emere ab Apostolis, scilicet ut non tantum ipse reciperet Spiritum Sanctum, sed ut et aliis quoque eumdem communicare, imo vendere posset, longe utique majori tum pecuniæ, tum honoris et gloriæ pretio. Ita Œcumenius et S. Cyprianus, serm. *De Jejunio et Tentatione.* Multi enim ingens ei dedissent pretium, si per impositionem manus conferendo Spiritum Sanctum, contulisset pariter ipsis donum loquendi variis linguis, revelandi arcana et futura, explicandi S. Scripturam (hæc enim multi ambiunt magnique æstimant), uti faciebant Apostoli.

Hinc sequitur Simonem saltem implicite (forte etiam explicite) ambivisse et voluisse emere Episcopatum : quia solorum Episcoporum est imponere manus, et hac impositione conferre Spiritum Sanctum in sacramento Confirmationis et Ordinis; hanc autem potestatem conferendi Spiritum Sanctum emere volebat Simon. Rursum cupiebat superbus Simon inter suos Samaritas excellere et eminere quasi propheta et vir divinus, uti hactenus per magicas artes excelluerat. Quare videtur voluisse a S. Petro creari Hierarcha et Episcopus Samariæ; unde ab eo hodie qui emunt episcopatus et beneficia, vocantur Simoniani vel Simoniaci. Ita Bellarminus, lib. IV *De Notis Eccl.*, cap. XIII : « Constat, ait, ex *Act.* VIII, Simonem Episcopalem auctoritatem ambivisse, et data pecunia emere voluisse : ubi vero exclusus fuit, hæresim novam excogitasse, ut qui in Ecclesia non poterat, saltem extra eam principatum gereret. » Simili enim modo Arius, Valentinus, Marcion, Montanus, Novatianus, Lutherus cæterique hæresiarchæ, quia ab episcopatu, similive officio et gradu, quem ambiebant, repulsi sunt, nova dogmata et hæreses adinvenerunt, novasque cathedras extra Ecclesiam sibi erexerunt, uti ostendam II *Petr.* II.

En tibi primum post promulgatum Evangelium (nam ante illud simoniaci fuerunt, Balaam, pretio volens vendere sua oracula, benedictiones et maledictiones, *Num.* XXII, 7; et Esau, vendens jus primogenituræ, eique annexum sacerdotium, fratri Jacobo, *Hebr.* XII, 16; et Giezi, a Naaman

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ® DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

exigens pretium miraculosæ curationis a lepra, IV Reg. v, 20; et Jason, emens ab Antiocho pontificatum, II Mach. iv, 8, æque ac Annas Caiphas, eumdem redimentes a Romanis), simoniæ parentam : en primum sacrilegum Spiritus Sancti institorem, Simonem Magum. Tradit S. Clemens, lib. VI Const., cap. vii, diaboli consilium fuisse per Simonem Apostolos, « pecunia delinitos et captos, dono Dei privare, sicut Adamum post degustatum cibum interdictum, promissa immortalitate privarat. » Recte notat Tharasius, I, Quæst. I, cap. Eos qui, pejorem esse simoniam hæresi Macedonianorum : « Illi enim, inquit, creaturam, et servum Dei Patris et Filii, Spiritum Sanctum delirando fatentur; isti vero eumdem Spiritum efficiunt suum servum, » imo quasi pecus et peculium a se emptum, quod aliis divendere ad libitum possint.

Quocirca simonia proprie est peccatum contra Spiritum Sanctum. Hinc refert Petrus Damianus, epist. 5, cap. vii, simoniacum quemdam scelus suum parvi pendentem, jussum pronuntiare doxologiam SS. Trinitatis : « Gloria Patri, et Filio, et Spiritui Sancto, » nequivisse dicere, « Et Spiritui Sancto; » sed tantum, « Gloria Patri, et Filio, » etiamsi secundo et tertio idem iterando, conatus fuisset addere, « Et Spiritui Sancto, » sed frustra. Nam, ut subjicit Damianus : « Merito Spiritum Sanctum dum emit, amisit, ut qui exclusus erat ab anima, procul etiam consequenter esset a lingua. »

Simoniacus non [illegible] nomen Spiritus Sancti.

Porro Urbanus II Pontifex, anno Domini 1090, ut grassantem illo sæculo simoniæ pestem reprimeret, contra eam scripsit epistolam decretalem ad Lucium, præpositum S. Juventii apud Ticinum, qua inter alia docet, simoniam esse emere vel vendere beneficium Ecclesiasticum, aut alium rem sacram, eo quod Simon idem hic fecerit. Audi eum : « Objicitur utrum vendere Ecclesiasticam rem, simoniacum sit? Hoc simoniacum esse patenter colligitur ex hoc quod beatus Petrus Apostolus ait Simoni : Pecunia tua tecum sit in perditionem, quia donum Dei existimasti pecunia possideri. Donum quippe Dei est Spiritus Sanctus, et donum Dei est res ipsius Ecclesiæ oblata. Et si bene advertis, Simon Magus qui ficte ad finem accessit, non Spiritum Sanctum propter Spiritum Sanctum quo ipse indignus erat (quoniam scriptum est : Spiritus Sanctus disciplinæ effugiet fictum), sed ideo quantum in ipso est emere voluit, ut ex venditione signorum, quæ per eumdem fiebant, multiplicatam pecuniam quam obtulerat, lucraretur. Nec Apostolus emptionem Spiritus Sancti, quam bene noverat fieri non posse, sed ambitionem talis quæstus, id est avaritiam, quæ est idolorum servitus, in eodem Simone exhorruit, et maledictionis jaculo perculit. Quisquis itaque res Ecclesiasticas, quæ Dei dona sunt, quoniam a Deo fidelibus, et a fidelibus Deo donantur, quæque ab eodem gratis accipiuntur, et ideo gratis dari debent, propter sua lucra vendit vel emit, cum eodem Simone donum Dei pecunia possideri existimat, etc., cum principalis intentio Simonis fuerit, sola pecuniæ avaritia, id est idololatria, ut ait Apostolus Paulus. »

Hinc rursum Henricus II Imperator, anno Domini 1047, ob simoniæ labem a Spiritu Sancto desertus, professus est se toto triduo dæmones infestos vidisse, flammam in se per fistulam jaculantes adeo pertinacem, ut noster ignis in comparatione illius jocus putetur, et nihil calere; sed liberatum fuisse a juvene semiustulato, scilicet a S. Laurentio, cujus ecclesiam restauraverat. Ita ex Wilhelmo Malmesburiensi et Matthæo Westmonasteriensi refert Baronius, tom. XI, anno Christi 1047.

20. Pecunia tua tecum sit in perditionem. — Maledicit hic Petrus Simoni, ex zelo justitiæ, non vindictæ, tanquam judex vindexque sceleris, puta simoniæ, ad cæterorum exemplum et terrorem. Ex charitate ergo id fecit, et studio religionis, ut primi Christiani discerent quantum esset Simonis et Simoniæ flagitium, q. d. Pereas et damneris, o sacrilege, cum tuis nummis sacrilegis. Justam enim in scelus profert sententiam, eique debitam pœnam irrogat; subaudi : Nisi pœnitentiam agas, teque emendes. Unde paulo post ad illam eum hortatur, dicens : « Pœnitentiam itaque age. » Magis ergo minando, quam feriendo id dicit, q. d. Dignus es qui pereas morte præsenti et æterna : minor tibi, et ex parte Dei denuntio, te periturum iturumque in gehennam, nisi ab hoc crimine resipiscas. Alioqui enim, si absoluta et efficax fuisset hæc Petri sententia, non autem comminatoria, utique subito occidisset Simonem, eumque trusisset in tartara, uti occidit Ananiam et Sapphiram, cap. v, qui tamen longe minus peccaverant quam Simon. Sed voluit Deus servari Simonem ad majores S. Petri cum eo Romæ coram Nerone agones et triumphos.

Addunt Beda et Glossa hæc verba Petri non tam esse imprecationem, quam prophetiam et prædictionem, quod scilicet Simon in hoc suo scelero aliisque esset periturus et damnandus; esto ex officio suo hortetur eum ad pœnitentiam, vers. 22. Sic maledicit Psaltes impiis ex eodem zelo, Psal. lxviii : « Deleantur de libro viventium. » Sic et iisdem maledicit Christus, non minando, sed feriendo in die judicii, dicendo : « Ite, maledicti, in ignem æternum. » Porro maledicit Petrus non tantum Simoni, sed et ejus pecuniæ, non qua pecunia est : sic enim est Dei creatura, et consequenter res bona; sed quatenus pretium erat simoniæ et sceleris materia. Sic enim pecunia hæc erat impia et sacrilega, dignaque perire, æque ac impius et sacrilegus ejus nundinator Simon. Unde S. Hieronymus, in cap. iii Michææ : « Oblatam, inquit, pecuniam cum offerente damnavit. » Et S. Chrysostomus sic explicat, q. d. « Peccatum tuum sit in perditionem. » Et S. Bernardus, epist. 287, citatis hisce Petri verbis, exclamans ait : « O vox tonitrui, o vox magnificentiæ et virtutis, ad cujus terrorem confundantur et convertantur retrorsum omnes qui oderunt Sion! » Vide de maledictione et quomodo creaturæ maledicere liceat, disserentem S. Thomam, II II, Quæst. lxxi.



Narrat Baronius, anno Christi 1047 (quo sæculo ob tres pseudopontifices valide grassata est simonia; cui proinde præ aliis valide se opposuit B. Petrus Damianus), ex Desiderio, Abbate Cassinensi, episcopum quemdam Galliæ a Leone IX Pontifice a sacris suspensum, furtim data pecunia a Cancellario Leonis absolutionem et restitutionem officii Episcopalis impetrasse. Intellecta fraude Leo, vocato presbytero qui pecuniam nomine Episcopi dederat, ait : « Pecunia tua tecum sit in perditionem, quia donum Dei furtim tentasti pecuniis possidere. » Cujus sermonem divina mox ultio est secuta, ita ut amissa mente ab illa die usque nunc, inquit Auctor, ubique vagabundus incedat, nec ulla domus, vel claustra, ultra duos dies vel tres eum retinere valeat.

Quoniam donum Dei. — Nomen proprium Spiritui Sancto est quod sit donum, quia ipse est donum primum increatum et notionale : procedit enim a Patre et Filio quasi amor utriusque : amor autem est primum optimumque donantis donum, quo gaudet ille cui donatur, et a quo cætera dona largiter profluunt, eoque largius quo major est amor. Ita ex S. Augustino S. Thomas, I part., Quæst. XXXVIII, art. ult., ibique Scholastici ad unum omnes. Simon ergo volebat emere Spiritum Sanctum, ut eum aliis venderet, puta dona et gratias Spiritus Sancti, non tam gratum facientes, quam gratis datas : hæ enim ostentationem, gloriam et quæstum apud homines pariunt; quales sunt, loqui linguis, prophetare, morbos curare, etc. Ita Urbanus II, cujus verba paulo ante recitavi.

21. Non est tibi pars, neque sors in sermone isto, — id est in re ista; Tigurina vertit, in hoc negotio, puta in receptione et donatione Spiritus Sancti. Est metonymia. Sermo enim ponitur pro re, quam suo sermone expresserat Simon, æque ac Petrus. Syrus legit, non est tibi pars, nec sors in fide ista; Clemens, lib. VI Constit., cap. vii : « Non est tibi pars in sermone hoc, neque sors in fide hac. » Sic quoque legunt S. Augustinus, tract. 6 in Joan., et Ambrosius, lib. II De Pœnit., cap. iv, q. d. Tu non habes fidem veram Christi, sed fingis te eam habere, ac proinde Christianæ religionis et Ecclesiæ non es particeps, atque consequenter Spiritus Sancti non es capax.

Rursum Vatablus proprie accipit sermonem pro prædicatione, q. d. Prædicatio nostra nihil ad te pertinet : neque enim es ex eorum numero, qui revera credunt; vel, non es dignus qui admittaris in consortium Evangelistarum, quorum est conferre Spiritum Sanctum.

Addunt aliqui S. Petrum hac voce Simonem expulisse ex Ecclesia, ideoque Jure Canonico simoniacos excommunicari. Ita Turrianus, in lib. I Constit., cap. xi. Quin et S. Petrus, in Canon. Apost., can. 28 : « Si quis, ait, Presbyter, etc., per pecuniam hanc obtinuerit dignitatem, etc., a communione modis omnibus abscindatur, sicut Simon Magus a me Petro abscissus est. » Memorabile est quod scribit S. Hieronymus, in Vita S. Hilarionis, nimirum eum, cum plurimos miraculose curaret, nihil unquam ab eis oblatum gratitudinis erga voluisse recipere, illudque Christi obtendisse : « Gratis accepistis, gratis date. » Cumque Orionus, vir primarius, quem a legione dæmonum liberaverat, veniret ad eum quasi gratiam redditurus, dona afferens, dixit ei Sanctus : « Non legisti quid Giezi, quid Simon passi sint, quorum alter accepit pretium, alter obtulit, ut ille venderet gratiam Spiritus Sancti, hic mercaretur? Cumque Orionus flens diceret : Accipe, et da pauperibus, respondit : Tu melius potes tua distribuere, qui per urbes ambulas, et nosti pauperes : ego qui mea reliqui, cur aliena appetam? Tristi autem et in terra jacenti : Noli, inquit, contristari, fili : quod facio, pro me et pro te facio. Si enim hæc accepero, et ego offendam Deum, et ad te legio revertetur. » Disce hic quam Deus velit sua gratis dari, Sanctosque, præsertim thaumaturgos, ab avaritia esse puros et ab acceptione munerum esse liberos.

Cor enim tuum non est rectum coram Deo, — quia distortum per avaritiam et ambitionem, et fictum per hypocrisin.

22. Si forte remittatur. — Dices : Ergone dubitat Petrus num Simoni, si vere pœniteat, remittendum sit peccatum? Respondeo : Nequaquam. Vers. 22.
Nam primo, τὸ forte non est dubitantis, sed potius expletiva confirmantis particula : Græce enim est ἄρα, quod non tantum forte, sed et utique, sane, profecto significat, estque sæpe expletiva particula apud Homerum, ut notat Gaza, lib. II Grammat. Forte est vox confirmantis.
Sic Christus ait, Matth. xi, 23 : « Si in Sodomis factæ fuissent virtutes quæ factæ sunt in te (o Capharnaum), forte mansissent usque in hanc diem; » ubi τὸ forte, non est dubitantis (sciebat enim determinate Christus, quid in hoc casu futurum fuisset), sed confirmantis : Græce enim est ἄν, id est utique. Pluribus exemplis id demonstrat S. Ambrosius, lib. II De Pœnit., cap. iv et v, ubi docet nullum esse tam grave peccatum, quod pœnitentia non deleat. Secundo, τὸ forte significat dubium eventum et effectum remissionis, ex dubia causa : licet enim certum esset quod Simon, si ageret pœnitentiam, veniam consequeretur, tamen quia anceps et incertum erat an esset acturus pœnitentiam, hinc pariter anceps et incertum erat an veniam consequeretur. Liberi enim erat arbitrii, ex eoque libere poterat pœnitere, vel non pœnitere; ac videtur Petrus per τὸ forte hic innuere, quod non esset acturus pœnitentiam, ac proinde

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS ®

veniam non consecuturus, uti revera non egit, nec consecutus est. Sic *forte* Latini usurpant in rebus quæ evenerunt, sed incerta de causa: *forte* enim idem est quod contingenter, casu et velut per sortem. Sic Terentius in *Andria*: « Forte, inquit, aspicio militem, aggredior hominem. » Et Livius, lib. I: « Forte evenit. » Et infra: « Forte ita acciderat. *Tertio*, τὸ *forte* significat fortuitam remissionem non culpæ, si pœniteat, sed pœnæ, v. g. mortis temporalis: Deus enim sæpe pœnitentibus, licet condonet culpam, non tamen condonat pœnam, ut patuit in Davide pœnitente, II *Reg.* XII, 14: « Non morieris, verumtamen, etc., filius qui natus est tibi, morte morietur. » Simile fuit in Ninivitis, quibus intonabat Jonas: « Adhuc quadraginta dies, et Ninive subvertetur: » egerunt enim pœnitentiam, etsi non essent certi se per eam evasuros excidium. Unde S. Augustinus, in *Psal.* L, 8: « Ninivitæ, inquit, de incerto egerunt pœnitentiam, et certam misericordiam invenerunt. »

COGITATIO. — ἐπίνοια, id est *consilium, conceptus, excogitatio, machinatio*; Syrus, *dolus*.

Vers. 23. Fel quadruplex. 23. IN FELLE ENIM AMARITUDINIS, — id est in felle amarissimo. Jam *primo*, per hoc *fel* accipi potest ira et invidia: iræ enim sedes et materia est fel, *q. d.* Video te vehementer iratum esse amaro et invido corde, eo quod videas te a tuis despici, tuosque discipulos a te ad nos transire: invides ergo nobis excellentiam, tum gratiarum, tum auctoritatis et æstimationis. Ita Vatablus.

*Secundo*, per *fel* hoc accipi potest hypocrisis. Sicut enim fel colore est simile melli, sed sapore dissimillimum, ita hypocritæ os habent melleum, sed felleum cor, *q. d.* Tu simulas bonitatem, et ambis columbam fellis expertem, id est Spiritum Sanctum suavissimum, ejusque dona; at intus plenus es malitia et impietate: os ergo habes melleum et columbinum, sed cor felleum et serpentinum.

*Tertio*, per *fel* accipi potest simonia: hoc enim fuit proprium Simonis peccatum. Simonia enim vocatur fel, quia ipsa est sacrilegium felleum, id est pessimum et amarissimum. Porro Simon videtur non tantum voluisse emere et vendere Spiritum Sanctum, sed et pertinaciter sensisse hoc esse licitum, quæ est hæresis. Fuit ergo ipse hæreticus, ut habetur I, *Quæst.* V, can. *Petrus*. Hæresis ergo est fel amaritudinis.

*Quarto*, *fel* significat quodlibet peccatum, quod amaricat conscientiam, et exacerbat Deum ac Spiritum Sanctum, qui totus suavis est et melleus. Hinc in Scriptura peccatores dicuntur Deum suis peccatis exacerbare, amaricare, potare felle et aceto, ut patet *Psal.* LXVIII, 22; *Osee* XII, 14, et *Deuter.* XXXII, 32, et maxime *Deuter.* XXIX, 18: « Ne forte, etc., sit inter vos radix germinans fel et amaritudinem, » quo hic alludit S. Petrus. Hujus rei symbolo Judæi fellei Christo in cruce propinarunt fel et myrrham, *Matth.* XXVII, 34.

Peccator ergo habet cor felleum, id est pessime affectum erga Deum, erga legem, erga virtutem et honestatem, hæc enim omnia odit.

Nota: Pro *fel*, locis citatis hebr. est ראש *ros*, quod tam toxicum, quam fel significat. Peccatum ergo est fel et toxicum: *primo*, occidens ipsam animam quæ peccat; nam « anima quæ peccaverit, ipsa morietur, » *Ezech.* XVIII, 20; *secundo*, Deo et hominibus noxium, invisum et exosum, adeoque est Deicidium et Christicidium. Si enim veneno, vel telo aliquo perimi et occidi posset Deus, non alio quam peccato occideretur, uti de facto eodem occisus est Christus. Hinc vicissim Deus peccatis et peccatoribus erga se felleis, est felleus, eisque fel iræ et vindictæ suæ propinat, juxta illud *Job* XX, 14: « Panis ejus in utero illius vertetur in fel aspidum. » Et *Jerem.* VIII, 14: « Potum dedit nobis aquam fellis. » Et cap. XXIII, 15: « Cibabo eos absinthio, et potabo eos felle. » Et *Thren.* III, 5: « Circumdedit me felle et labore. » Hoc fel gehennæ longe amarius est omni felle terræ, quod ejus respectu pictum tantum est et fictum. Cogitent hoc sal gulosi et peccatores, qui hic cupiditatis suæ exiguum mel sorbent, dicantque: Tanti pœnitere non emo, non ita demens ero, ut modico melle æternum et amarissimum fel mihi accersam.

Denique pro *in felle amaritudinis*, Græce est, εἰς χολὴν πικρίας, id est *in fel acerbitatis video te esse*: *in fel*, id est in felle, ut vertit Noster. Sæpe enim εἰς ponitur pro ἐν, utrumque enim respondet Hebræo *beth*, id est *in*; nisi subaudias τρέχοντα, id est *currentem*, vel *ruentem*. Unde noster Lorinus suspicatur Petrum per revelationem Dei vidisse et cognovisse Simonem fore reprobum et addicendum pœnis æternis, utpote in quas hoc suo scelerum felle sponte rueret, quæque sunt fel omnis amaritudinis. Unde et subdit:

ET OBLIGATIONE INIQUITATIS. — Græce εἰς σύνδεσμον, id est *in colligatione*, *q. d.* Video te multis peccatis, quasi funibus et catenis, undique colligatum esse. Syrus, *in vinculis iniquitatis te esse video*. Significat Simonem multis peccatis obstrictum, in iisque obstinatum esse; scilicet immersum esse superbiæ, avaritiæ, invidiæ, magiæ, hypocrisi, simoniæ, sacrilegio, etc. Talibus intonat Isaias, cap. V, 18: « Væ, qui trahitis iniquitatem in funiculis vanitatis, et quasi vinculum plaustri peccatum. » Vide ibi dicta. Ecce quam acri censura simonia in suo auctore, Simone, a S. Petro perstricta est et damnata: quam proinde concionatores in ejus asseclas, puta simoniacos, pari ratione et jure intorqueant. Denique noster Mariana, per *felle* et *obligatione iniquitatis*, accipit pœnam, non culpam, *q. d.* Video te felli et obligationi, id est gravi supplicio et vinculis, destinari: quia enim irretitus es peccatis, hinc video quod te maneant fel et supplicium.

24. PRECAMINI. — Simon fingit se pœnitere, ut pœnam evadat; timebat enim ne morte mulctaretur, uti Ananias mulctatus erat ab eodem Petro, quem in signis terribilem et thaumaturgum videbat et metuebat. Nam post discessum Apostolorum multos Samaritanos seduxit et a fide Christi avertit, uti indicat Irenæus, lib. I, cap. XX. Refert S. Clemens, lib. VI *Constit.*, cap. VII, S. Petrum rursum cum Simone Cæsareæ congressum, eum disputando convicisse, ac ad fugam in Italiam coegisse. Inde ergo proficiscens Petrum prævenit, et Neronem circumvenit, cui ob suas præstigias in admiratione fuit, adeo ut illi in insula Tiberina, ubi nunc est templum S. Bartholomæi, statua posita fuerit hoc titulo: « Simoni Deo sancto, » teste Eusebio, lib. II *Hist.*, cap. XIII. Sed tandem certans cum S. Petro, et volans per aera, ejus precibus dejectus et ad saxum afflictus, crura confregit, teste Epiphanio, *Hæres.* 22. Qua de causa Nero, ægre ferens suas in Simone curiosas delicias sibi ereptas, S. Petrum cum S. Paulo morte damnavit, uti habent ejus Acta (1).



25. ET ILLI QUIDEM TESTIFICATI, — διαμαρτυράμενοι, id est suo testimonio confirmantes ea quæ de Christo prædicata fuerant a Philippo, dicendo se eadem vidisse et audisse a Christo, esseque testes non tantum auritos, sed et oculatos. Sic in judicio et tribunali διαμαρτυρεῖν, dicebatur is qui affirmabat et testificabatur quiddam, non in sua, sed in aliena causa, in qua exceptionem intendens liti se offerebat, quo facto litem suam faciebat testificando, qui si mendacii convinceretur, ψευδομαρτυριῶν, id est falsi testimonii, crimine damnabatur, ait Budæus in *Comment.*

ET MULTIS REGIONIBUS. — Græce, κώμας, id est *oppidis, villis, castellis*; Syrus, *pagis*; Pagninus, *vicis*; nec enim in Samaria erant multæ regiones, id est provinciæ; sed ipsa unica erat regio integra, sive provincia. Apostolicum ergo est evangelizando obire pagos et villas, et rusticos docere res fidei et salutis. Id enim fecerunt hic S. Petrus et Joannes, imo Christus, dicens: « Pauperes evangelizantur, » uti recte advertit S. Chrysostomus.

26. VADE CONTRA MERIDIANUM. — Vade versus meridiem, ita Tigurina et Pagninus. Samaria enim, unde veniebat Philippus, erat ad septentrionem Gazæ.

HÆC EST DESERTA. — « Hæc, » scilicet non via, ut vertit Syrus; sed urbs Gaza. Addit hoc Lucas ad distinctionem. Duplex enim fuit Gaza: una in Perside, ita dicta, quod in ea, utpote munitissima, Cambyses omnes suas opes congesserat, ait Curtius, lib. XIII; altera Philistinorum, quæ plane eversa et vastata fuit ab Alexandro Magno, teste Curtio, lib. IV, ideoque vocatur *Deserta*. Ita Beda, Hugo, Cajetanus, Gagneius et alii (1). Perperam ergo Beza putat τὸ *hæc est deserta* irrepsisse in textum, esseque delendum: unam enim tantum esse Gazam, scilicet quintam Satrapiam Philistinorum, quæ nunquam plane fuerit deleta, ut dici possit deserta. Hoc enim falsum est. Audi Adrichomium in *Descript. Terræ Sanctæ*, in *Gaza*: Alexander Magnus statim atque Tyrum expugnavit, Gazam post bimestrem obsidionem occupans, in sempiternum vertit tumulum: unde ob id deserta appellatur. Nova vero Gaza non longe a veteri ædificata, tempore Machabæorum, Josephi et Hieronymi magnopere floruit: unde juxta eam vixit S. Hilarion; sicut olim et Samson in Gaza veteri mirum sui roboris decus, vivens, auferendo ejus portas, et moriens collisione columnarum domum cum tribus hominum millibus evertens et occidens, ostendit, *Judic.* XVI, 21 et 29. Quæ, qualis, et quanta fuerit Gaza, dixi *Jerem.* XLVII, 1.

27. ÆTHIOPS, — Abyssinus: ubi nunc regnat Preto Joannes. Unde liquet eum fuisse Gentilem genere; an etiam religione, dubium est. Affirmant Beda, Hugo, Cajetanus, noster Lorinus et Sanchez. Verius negant Irenæus, lib. IV, cap. XL; Baronius, Carthusianus et alii, censentque eum religione fuisse Judæum, puta proselytum, tum quia legebat Isaiam, tum quia venerat adorare in Jerusalem, tum quia primo Gentili, puta Cornelio Centurioni, Evangelium prædicavit S. Petrus, *Act.* X, tum quia magna fuit Æthiopibus cum Judæis familiaritas, et in religione consensio, teste Strabone, lib. XVII. Unde et circumcidebantur æque ac Judæi, teste Josepho, lib. VIII, cap. IV, præsertim quia reges Æthiopiæ scribunt se filios Salomonis et Davidis, utpote prognatos a regina Saba ex Salomone, uti fuse narrat Damianus Goes, lib. *De Moribus Æthiopum*.

Hic adimpletum est illud *Psal.* LXVII, 32: « Æthiopia præveniet manus ejus Deo: » *præveniet*, id est prima veniet, prima extendet, *manus ejus*, id est suas (ut patet ex Hebræo), *Deo*, scilicet ad fidem, obedientiam, fœdus et munera ei offerenda. Unde S. Hieronymus vertit, *Æthiopia festinet dare manus Deo*; Pagninus, *currere faciet manus suas Deo*.

(1) Dr Sepp, op. cit. tom. II, p. 269, asserit probabilius esse Simonem Magum nunquam Romam ivisse. Statua, ait, vel potius columna de qua Eusebius, alteraque similis anno 1574 inventa, hunc præferebat titulum: *Semoni Sanco Deo Fidio* (non vero *Simoni Deo sancto*), et dicabatur *Herculi sanniti*, seu *fœderum deo*, cui Etrusci duodecimam cœli regionem assignaverant. Addendum tamen est huic assertioni repugnare veterum multa nec levis momenti testimonia.

(1) Alii tamen *hæc* referunt ad *via*, tum quia urbs Gaza, dejecta quidem ab Alexandro, *restaurata* postea fuit a Gabinio, tradente Josepho, lib. XIV *Antiq.* V, 3; et scriptores sæculi I docent hanc urbem tum temporis fuisse cultam et incolis plenam, quorum locos collegit Wetstenius ad h. l.; tum quia verisimile est, cum duplex via Hierolosymis Gazam versus existeret, Angelum jussisse ut Philippus eam adeat, qua obviam veniret Eunucho, viam nempe *per desertum*, vel *non frequentem hominibus*. Ostendunt etiam nunc incolæ terræ sanctæ locum desertum, nomine *Bethzur*, ubi Eunucho Philippum occurrisse ajunt.

Mystice S. Augustinus : Credendo « præveniet manus, » id est opera sua; fides enim præcedit bona opera. Per hunc enim Æthiopem principem, æque ac paulo post per S. Matthæum Apostolum eodem missum, Æthiopia fidem Christi recepit. Ita S. Hilarius, Basilius et alii, *in Psal.* LXVII, ac S. Hieronymus, *in Abdiam*.

EUNUCHUS, — id est princeps, reginæ et gynæcei custos : quia enim feminarum regiarum pudicitia commendabatur eunuchis, hinc illi effecti sunt aulæ principes, adeo ut eunuchus idem fuerit quod princeps, ut dixi *Daniel*. cap. I. Nam, teste Aristotele, cum cætera animalia mansuescant si castrentur, solus homo eo fit ferocior. Unde Euthymius, *in Psal.* CLXVII, scribit hunc Eunuchum in imperio Æthiopiæ, post reginam, fuisse primum (1).

CANDACES. — Nazianzenus, orat. *in S. Baptisma*, et Euthymius, *in Psal.* LXVII, censent hoc esse nomen Eunuchi. Verum alii omnes censent esse nomen reginæ Æthiopum : nam hi regebantur a feminis quasi reginis, quas Candaces nuncupabant. Ita Plinius, lib. VI, cap. XXIX; Strabo, lib. XVII, et Eusebius, lib. II *Hist.*, cap. I. Post reginam enim Saba, quæ venit ad Salomonem, videtur receptum ut reginæ regnarent, ait Mariana. Sic Pharao, et postea Ptolemæus, fuit commune nomen regum Ægypti; Antiochus, regum Syriæ; Cæsar, Imperatorum Romanorum. Tradunt Æthiopes hanc Candacem, sive reginam Æthiopiæ, vocatam fuisse Indich, eamque ab Eunucho conversam ad Christum, convertisse pariter Æthiopiam. Sic enim aiunt apud Damianum Goes, cap. XVI, *De Æthiopum moribus* : « Nos ferme prius cæteris Christianis omnibus, baptismum ab Eunucho Candacis, reginæ Æthiopiæ, cui nomen erat Indich, accepimus. » Idem refert Ortelius, in *Theatro orbis*, in *Abyssia*, qui pro *Indich*, ait eam vocatam *Judith*.

QUI ERAT SUPER OMNES GAZAS EJUS, — qui præerat thesauro regio, quasi reginæ thesaurarius, sicut Romæ dignitas erat quæsturæ et quæstorum, qui præerant thesauro reipublicæ.

VENERAT ADORARE IN JERUSALEM, — scilicet Deum verum Judæorum, tum proprie dicta oratione et adoratione, tum sacrificio. Hoc enim ex legis præscripto nullibi peragi poterat, nisi in templo Hierosolymitano; cum oratio et adoratio in Æthiopia et quovis alio loco fieri posset. Sic « adorare » sumitur pro sacrificare, *Joan.* IV, 20. « Patres nostri in monte hoc adoraverunt, et vos dicitis, quia Hierosolymis est locus ubi adorare oportet. » Simile est *Joan.* XII, 20; *Sophon.* II, 11, et alibi.

28. LEGENSQUE ISAIAM PROPHETAM. — Videtur ergo calluisse linguam Hebraicam, ait Hugo et Glossa, quasi proselytus; nisi dicas Isaiam fuisse conversum in linguam Æthiopicam (2). Notat S. Chrysostomus diligentiam et devotionem hujus Eunuchi, qui etiam per iter in curru lectitaret Isaiam. Et S. Hieronymus, epist. 103 *ad Paulinum* : « Reliquit, inquit, aulam regiam, et tantus amator legis divinæque scientiæ fuit, ut etiam in vehiculo sacras Litteras legeret. » Sic hoc sæculo Cardinalis Hosius, Concilii Tridentini Præses, ne quid temporis in itinere perderet, solebat in curru lectitare, ac nominatim lectitabat paraphrasim Osorii in Isaiam, quæ tunc recens prodierat, ait Protonotarius Reschius in ejus Vita.

29. DIXIT AUTEM SPIRITUS PHILIPPO, — scilicet Spiritus Sanctus per internam inspirationem et locutionem. Ita Beda, Hugo et Dionysius, licet Cajetanus et noster Lorinus accipiant angelum. Hic enim vocatur Spiritus Domini, vers. 39.

31. QUOMODO POSSUM, SI NON ALIQUIS OSTENDERIT MIHI? — Græce ὁδηγήσει, id est *dux viæ mihi fuerit*, ut vertit Pagninus et Tigurina. Ergo verba intelligebat, non sensum abditum, cujus ducem et interpretem postulat. Notent hoc hæretici, qui sacram Scripturam intellectu facilem et cuilibet apertam pronuntiant. Audiant S. Hieronymum, *epist.* 103, jam citata : « Nec sanctior sum hoc Eunucho, nec studiosior, qui, etc., ignorabat eum quem in libro nesciens venerabatur. Venit Philippus, ostendit ei Jesum qui clausus latebat in littera, etc., ut intelligeres te in Scripturis Sanctis sine prævio et monstrante semitam non posse ingredi. » Idem senserunt et fecerunt S. Basilius et S. Nazianzenus, apud Ruffinum, lib. XI *Hist.*, cap. IX, et S. Augustinus, *epist.* 119, cap. XXI : « In ipsis, ait, Sanctis Scripturis multo nescio plura, quam scio. » Idem, lib. XII *Confess.*, cap. XIV : « Mira, ait, profunditas eloquiorum tuorum, Deus meus, mira profunditas; horror est intendere in eam, horror honoris, et tremor amoris. » S. Ambrosius, epist. 44 *ad Constant.* : « Mare, inquit, est in se Scriptura divina, habens in se sensus profundos, altitudinem propheticorum ænigmatum. » Quocirca S. Hieronymus, præfat. in epist. *ad Ephes.* : « Nunquam, ait, ab adolescentia aut legere, aut doctos viros quæ nesciebam interrogare cessavi, aut me ipsum habui magistrum. Denique nuper Alexandriam perrexi, ut viderem Didymum, et ab eo in Scripturis omnibus quæ habebam dubia, sciscitarer. » Idem dicunt alii, quos citavi Proœmio *in Pentateuchum*.

(1) Εὐνοῦχος, proprie εὐνὴν ἔχων, lectum vel cubiculum custodiens; deinde *evirutus*, quia plerumque evirati custodiendis gynæceis regiis adhibebantur. Sæpe est nomen dignitatis, ministrum regium in genere denotans, hebr. סריס. Talis olim Putiphar fuerat, qui εὐνοῦχος dicitur, quamquam in matrimonio vixit, *Gen.* XXXVII, 36. Hoc etiam loco εὐνοῦχος est *minister regis*. Additur δυνάστης, *potens*, ut significetur *minister regius primarius*.

(2) *Legensque Isaiam prophetam*, sine dubio versionem Alexandrinam, in Ægypto frequentatissimam, qua et ipse Philippus, Hellenista, usus est. Cæterum quum Eunuchus Hierosolymis fuisset, non potuit non audivisse de Jesu, qui Messiam se professus fuerat. Audiverat etiam Christi asseclas provocare ad Prophetas, qui de eo cecinissent. Quibus multisque aliis auditis, quum certiorem hujus rei cognitionem desideraret, jam Prophetarum vaticinia revolvit, quærens num ea concinerent illis quæ de Jesu prædicabantur.



32. LOCUS AUTEM SCRIPTURÆ. — Direxit Spiritus Sanctus oculos Eunuchi in cap. LIII *Isaiæ*, quod totum est de Christo ejusque passione, ut ex eo, explicante Philippo, Christum agnosceret in eumque crederet. Unde discimus, quam utile sit legere libros pios, præsertim S. Scripturam. Huic enim lectioni interserit se Spiritus Sanctus, eorum auctor, piasque rerum lectarum cogitationes intellectui et affectiones voluntati instillat, quibus homo convertatur, vel ad majorem sanctitatem provehatur. Ita ex lectione Vitæ S. Antonii, conversi sunt duo illi aulici Imperatoris, ipseque S. Augustinus, uti ipse refert, lib. VIII *Confess.*, cap. VI et VII. Imo cum S. Athanasius fugiens Arianos, Vitam S. Antonii a se scriptam Romam detulisset, eamque legendam dedisset, multi Romani nobiles, viri et feminæ, spreto mundo vitam religiosam instar S. Antonii amplexi sunt : quorum dux fuit S. Marcella, teste S. Hieronymo, in ejus Epitaphio, epist. 16 *ad Principiam*, ejus filiam. Sic Societatis nostræ fundator S. Ignatius, ex vulnere decumbens, cum casu, vel potius Dei nutu et ductu, Vitam Christi et Sanctorum lectitaret, ex milite sæculari factus est dux militiæ sacræ et religiosæ, uti narrat Ribadeneira, initio Vitæ ejus.

Lectio piorum librorum utilissima.

Qui ergo suæ salutis et perfectionis, æque ac divinæ inspirationis et gratiæ est avidus, sequatur et exequatur hoc S. Basilii, imo Spiritus Sancti, placitum : « Lectioni piæ succedat oratio, orationi lectio. » Et illud S. Augustini, serm. 112 *De Tempore* : « Qui vult cum Deo semper esse, frequenter debet orare et legere. Nam cum oramus, ipsi cum Deo loquimur; cum vero legimus, Deus nobiscum loquitur. » Fecit hoc S. Marcella, de qua S. Hieronymus, *epist.* 16 jam citata : « Divinarum, inquit, Scripturarum ardor erat incredibilis, semperque cantabat : In corde meo abscondi eloquia tua, ut non peccem tibi. Et illud de perfecto viro : Et in lege Domini voluntas ejus, et in lege ejus meditabitur die ac nocte; meditationem legis non in replicando quæ scripta sunt, ut Judæorum existimant Pharisæi, sed in opere intelligens, juxta illud Apostolicum : Sive comeditis, sive bibitis, sive quid agitis, omnia ad gloriam Domini facientes. Et Prophetæ verba, dicentis : A mandatis tuis intellexi, ut postquam mandata complesset, tunc se sciret mereri intelligentiam Scripturarum. » S. Ambrosius, *serm.* 35 : « Quod, inquit, sacrarum litterarum lectio vita sit, Dominus testatur dicens, *Joan.* VI : Verba quæ ego locutus sum vobis, spiritus et vita sunt. » Idem, lib. I *Offic.*, cap. XXVI : « Cur, ait, non illa tempora, quibus ab Ecclesia vacas, lectioni impendas? cur non Christum revisas, Christum alloquaris, Christum audias? Illum alloquimur cum oramus, illum audimus cum divina legimus oracula. » S. Chrysostomus, hom. 35 *in Genes.* : « Magna, inquit, diligentia divinarum Scripturarum lectioni vacemus. Nam, licet desit nobis hominis magisterium, ipse Dominus superne corda nostra intrans illustrat mentem, rationi jubar suum infundit, detegit occulta, doctorque fit eorum quæ ignoramus, etc. Igitur lectioni vacemus magna pietate et attentione, ut possimus a Sancto Spiritu ad scriptorum intelligentiam duci, et multum inde fructum percipere. » Id deinde probat exemplo nostri hujus Eunuchi, quod fuse explicat et perurget.

TANQUAM OVIS. — Vide hæc explicata in ipso Isaia.

35. APERIENS AUTEM PHILIPPUS OS SUUM, — id est, orsus loqui, docere et prædicare Jesum. Hæc enim phrasis significat rem, quam quis ore suo prolocuturus est, esse gravem et sublimem, eamque cum pondere et auctoritate eloqui. Symbolice Beda : Apposite, ait, hæc apertio oris alludit ad nomen Philippi, *Philippus* enim hebraice idem est quod *os lampadis*; quæ scilicet hic obscuritatem prophetiæ Isaiæ illustret et convertat in lucem scientiæ. Porro Philippus hic catechizavit Eunuchum, eumque docuit mysterium incarnationis et redemptionis Christi, illi antea inauditum. Sic et Apostoli omnes fuerunt catechistæ, eorumque conciones erant catecheses, uti ait Paulus, *Galat.* VI, 6. Hisce ergo ducibus glorientur nostri catechistæ, sciantque suum munus esse Apostolicum. Alacriter ergo et strenue rudes, puta pueros, plebeios, rusticos catechizent. Hoc fecit Christus, hoc Apostoli. Vide dicta *Galat.* VI, 6.

36. ECCE AQUA. — Modeste petit baptismum, *q. d.* Baptiza me, « fides plena est, aqua prope, baptizator præsens, » ait Glossa. Inde hæc aqua vocata est fons Æthiopis, de quo ex S. Hieronymo et Salignaco audi Adrichomium, in *Descript. tribus Dan* : « Fons Æthiopis, inquit, est in medio itinere quo itur ab Jerusalem in Gazam contra Bethsuram, vigesimo ab urbe lapide, ad radices montis ebulliens, et eadem qua gignitur, sorbetur humo, in quo Philippus Eunuchum Æthiopem baptizavit, qui dum in curru vetus instrumentum relegeret, fontem reperit Evangelii. »

37. CREDO FILIUM DEI ESSE JESUM CHRISTUM (1). — Multa alia credenda sunt, ut quis digne suscipiat baptismum : ut mysterium S. Trinitatis, Ecclesia Catholica, remissio peccatorum, resurrectio et cætera quæ Symbolo Apostolico continentur. Quare dubium non est ea evangelizasse Philippum et credita esse ab Eunucho. Præcipuum ergo articulum de Christi divinitate duntaxat hic nominat Lucas, et sub eo cæteros intelligit, quia is unus toti orbi erat novus et pene incredibilis,

(1) Deest hoc comma et in nonnullis codicibus et versionibus antiquissimis; in aliis varie exhibetur.

ac recenter peractus : cum ergo ubique præ cæteris prædicabant et inculcabant Apostoli. Similiter non est dubium Philippum exegisse et Eunuchum exhibuisse signa doloris et contritionis de peccatis admissis. Hic enim dolor requiritur ante baptismum, ut quis sit capax remissionis eorumdem et justificationis. Ita S. Augustinus, lib. I *De Fide et Operibus*, cap. VIII et IX.

39. SPIRITUS DOMINI. — puta angelus, qui nominatus est vers. 26. Ita Salmeron, Sanchez, Lorinus, et innuit Hieronymus, in cap. LXIII *Isaiæ*.

Philippus raptus ab angelo [illegible] RAPUIT PHILIPPUM. — Sicut rapuit subitoque ex Judæa in Babylonem transtulit Habacuc, ut ferret prandium Danieli, cap. XIV, 35, sic hic subito ex via Gazenzi transtulit Philippum in Azotum, quæ a Gaza distat quadraginta milliaribus. Ita S. Chrysostomus, Œcumenius et alii. Idque *primo*, ut per hunc raptum sciret Eunuchus Philippum esse virum admirabilem et divinum, ait S. Chrysostomus; *secundo*, ut sciret Philippum a Deo ad ipsum catechizandum et baptizandum, esse missum : unde eo facto, ab eodem abripi; ita Lyranus; *tertio*, quia alias Eunuchus diutius detinuisset Philippum, quem Deus volebat aliis quoque evangelizare. Ita Œcumenius. Porro hæc omnia contigerunt paulo post cædem S. Stephani, ut patet ex vers. 4. Unde Chronicon Alexand. asserit secundo anno ab ascensu Christi in cœlum conversum esse Eunuchum a Philippo, et Cornelium a S. Petro, de quo cap. X. Idem sentit Gaspar Sanchez, tract. I *De Prædic. S. Jacobi in Hispan.*, cap. IX.

IBAT AUTEM PER VIAM SUAM GAUDENS. — Gaudium enim est fructus Spiritus Sancti quem in baptismo receperat. Merito gaudebat de tam magno Dei dono, et tam mira et speciali ejus providentia sibi collato. Vere S. Augustinus in Sententiis, *Sentent.* 90 :

Sanctis Christus est gaudium. « Non potest, ait, quisquam fraudari delectationibus suis, cui Christus est gaudium. Æterna enim exultatio est ei qui bono lætatur æterno. » Et *Sent.* 131 : « Christiano recte gaudendi causa, non præsens sæculum est, sed futurum. » S. Hieronymus, in cap. LIII *Isaiæ*, scribit hunc Eunuchum prædicasse Christum in Æthiopia, factumque Apostolum Æthiopum, ac de discipulo magistrum. Idem testatur Irenæus, lib. III, cap. XII; Cyrillus, *Catechesi* 17, et Eusebius, lib. II *Historiæ*, cap. I. Fertur ipse suscepisse S. Matthæum in Æthiopiam missum, in urbe Nadaber, inquit Gagneius. Addit Dorotheus, in *Synopsi Sanctorum*, et ex eo Nicephorus, lib. II, cap. VI et VII, hunc Eunuchum in Arabia Felici, Taprobana, et universa Erythra Evangelium prædicasse, tandemque martyrio coronatum ibidem sepultum : insuper cœmeterium ipsius fidelibus esse munimentum insuperabile, barbaros et scelestos fugans, morbos depellens, et sanationes operans usque ad præsentem diem.

40. DONEC VENIRET CÆSAREAM. — « Cæsarea » urbs Palestinæ sita inter Doram et Joppem : prius dicta est *Turris Stratonis*; sed ab Herode Ascalonita in honorem Augusti Cæsaris, cui eam dedicavit, dicta est *Cæsarea*; diversa fuit a Cæsarea Philippi, quæ scilicet a Philippo, Herodis filio, in honorem Tiberii Cæsaris, ad radices Libani est ædificata; inde nomen utrumque accepit, ac postea ab Herode Agrippa in honorem Neronis, dicta est *Neronias*. Porro, in hac nostra Cæsarea Philippus hic Diaconus domum habuit, in qua et habitavit cum quatuor suis filiabus Prophetissis, de quibus cap. XXI. In eadem Herodes Agrippa senior, cum quinquennalia celebraret, neque adulatores compesceret, qui ei peroranti acclamabant : « Vox Dei, non hominis, » ab angelo percussus interiit, *Act.* XII. In eadem Cornelius Centurio a S. Petro baptizatus, primus in ea Episcopus fuisse traditur, *Act.* X. Ilic quoque Agabus propheta zona Pauli se astringens, ejus vincula prædixit : unde paulo post Hierosolymæ Paulus vinctus, missus est Cæsaream, ubi coram rege Agrippa et Felice præside causam suam egit, ac detentus in vinculis a Festo Cæsarem appellavit, *Act.* XXIII et seq. Hujus urbis Episcopus postea fuit Eusebius, *Eccles. Historiæ* scriptor, qui inde Cæsareensis est dictus; sicut S. Basilius alterius Cæsareæ, quæ est in Cappadocia, fuit Episcopus. Ita Adrichomius in *Descriptione Terræ Sanctæ*.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

# CAPUT NONUM.

## SYNOPSIS CAPITIS.

*Describitur hic primo, conversio S. Pauli; secundo, duo miracula S. Petri, scilicet curatio Æneæ paralytici, vers. 32, et Dorcadis defunctæ suscitatio, vers. 38.*

1. Saulus autem, adhuc spirans minarum et cædis in discipulos Domini, accessit ad
principem Sacerdotum, 2. et petiit ab eo epistolas in Damascum ad Synagogas; ut, si
quos invenisset hujus viæ viros ac mulieres, vinctos perduceret in Jerusalem. 3. Et cum
iter faceret, contigit ut appropinquaret Damasco; et subito circumfulsit eum lux de cœlo.



4. Et cadens in terram audivit vocem dicentem sibi : Saule, Saule, quid me persequeris?
5. Qui dixit : Quis es, Domine? Et ille : Ego sum Jesus, quem tu persequeris; durum est
tibi contra stimulum calcitrare. 6. Et tremens ac stupens, dixit : Domine, quid me vis
facere? 7. Et Dominus ad eum : Surge, et ingredere civitatem, et ibi dicetur tibi quid te
oporteat facere. Viri autem illi, qui comitabantur cum eo, stabant stupefacti, audientes
quidem vocem, neminem autem videntes. 8. Surrexit autem Saulus de terra, apertisque
oculis nihil videbat. Ad manus autem illum trahentes, introduxerunt Damascum. 9. Et
erat ibi tribus diebus non videns, et non manducavit, neque bibit. 10. Erat autem quidam
discipulus Damasci, nomine Ananias; et dixit ad illum in visu Dominus : Anania. At ille
ait : Ecce ego, Domine. 11. Et Dominus ad eum : Surge, et vade in vicum qui vocatur
Rectus, et quære in domo Judæ Saulum, nomine Tarsensem : ecce enim orat. 12. Et vidit
virum Ananiam nomine, introeuntem, et imponentem sibi manus ut visum recipiat.
13. Respondit autem Ananias : Domine, audivi a multis de viro hoc quanta mala fecerit
sanctis tuis in Jerusalem; 14. et hic habet potestatem a principibus Sacerdotum alligandi
omnes qui invocant nomen tuum. 15. Dixit autem ad eum Dominus : Vade, quoniam vas
electionis est mihi iste, ut portet nomen meum coram gentibus, et regibus, et filiis Israel.
16. Ego enim ostendam illi quanta oporteat eum pro nomine meo pati. 17. Et abiit Ananias, et introivit in domum; et imponens ei manus, dixit : Saule frater, Dominus misit
me Jesus, qui apparuit tibi in via qua veniebas, ut videas et implearis Spiritu Sancto.
18. Et confestim ceciderunt ab oculis ejus tanquam squamæ, et visum recepit; et surgens
baptizatus est. 19. Et cum accepisset cibum, confortatus est. Fuit autem cum discipulis,
qui erant Damasci, per dies aliquot. 20. Et continuo in Synagogis prædicabat Jesum,
quoniam hic est Filius Dei. 21. Stupebant autem omnes qui audiebant et dicebant : Nonne
hic est qui expugnabat in Jerusalem eos qui invocabant nomen istud; et huc ad hoc venit,
ut vinctos illos duceret ad principes Sacerdotum? 22. Saulus autem multo magis convalescebat, et confundebat Judæos qui habitabant Damasci, affirmans quoniam hic est Christus. 23. Cum autem implerentur dies multi, consilium fecerunt in unum Judæi, ut eum
interficerent. 24. Notæ autem factæ sunt Saulo insidiæ eorum. Custodiebant autem et portas die ac nocte, ut eum interficerent. 25. Accipientes autem eum discipuli nocte, per
murum dimiserunt eum, submittentes in sporta. 26. Cum autem venisset in Jerusalem,
tentabat se jungere discipulis, et omnes timebant eum, non credentes quod esset discipulus. 27. Barnabas autem apprehensum illum duxit ad Apostolos, et narravit illis quomodo
in via vidisset Dominum, et quia locutus est ei, et quomodo in Damasco fiducialiter egerit
in nomine Jesu. 28. Et erat cum illis intrans et exiens in Jerusalem, et fiducialiter agens
in nomine Domini. 29. Loquebatur quoque gentibus, et disputabat cum Græcis; illi autem
quærebant occidere eum. 30. Quod cum cognovissent fratres, deduxerunt eum Cæsaream,
et dimiserunt Tharsum. 31. Ecclesia quidem per totam Judæam, et Galilæam, et Samariam, habebat pacem et ædificabatur ambulans in timore Domini, et consolatione Sancti
Spiritus replebatur. 32. Factum est autem ut Petrus, dum pertransiret universos, deveniret ad sanctos qui habitabant Lyddæ. 33. Invenit autem ibi hominem quemdam, nomine
Æneam, ab annis octo jacentem in grabato, qui erat paralyticus. 34. Et ait illi Petrus :
Ænea, sanat te Dominus Jesus Christus; surge, et sterne tibi. Et continuo surrexit. 35. Et
viderunt eum omnes qui habitabant Lyddæ et Saronæ : qui conversi sunt ad Dominum.
36. In Joppe autem fuit quædam discipula, nomine Tabitha, quæ interpretata dicitur
Dorcas. Hæc erat plena operibus bonis et eleemosynis quas faciebat. 37. Factum est autem
in diebus illis ut infirmata moreretur. Quam cum lavissent, posuerunt eam in cœnaculo.
38. Cum autem prope esset Lydda ad Joppen, discipuli audientes quia Petrus esset in ea,

ac recenter peractus : cum ergo ubique præ cæteris prædicabant et inculcabant Apostoli. Similiter non est dubium Philippum exegisse et Eunuchum exhibuisse signa doloris et contritionis de peccatis admissis. Hic enim dolor requiritur ante baptismum, ut quis sit capax remissionis eorumdem et justificationis. Ita S. Augustinus, lib. I *De Fide et Operibus*, cap. VIII et IX.

39. SPIRITUS DOMINI, — puta angelus, qui nominatus est vers. 26. Ita Salmeron, Sanchez, Lorinus, et innuit Hieronymus, in cap. LXIII *Isaiæ*.

Philippus raptus ab angelo [illegible] RAPUIT PHILIPPUM. — Sicut rapuit subitoque ex Judæa in Babylonem transtulit Habacuc, ut ferret prandium Danieli, cap. XIV, 35, sic hic subito ex via Gazensi transtulit Philippum in Azotum, quæ a Gaza distat quadraginta milliaribus. Ita S. Chrysostomus, Œcumenius et alii. Idque *primo*, ut per hunc raptum sciret Eunuchus Philippum esse virum admirabilem et divinum, ait S. Chrysostomus; *secundo*, ut sciret Philippum a Deo ad ipsum catechizandum et baptizandum, esse missum : unde eo facto, ab eodem abripi : ita Lyranus; *tertio*, quia alias Eunuchus diutius detinuisset Philippum, quem Deus volebat aliis quoque evangelizare. Ita Œcumenius. Porro hæc omnia contigerunt paulo post cædem S. Stephani, ut patet ex vers. 4. Unde Chronicon Alexand. asserit secundo anno ab ascensu Christi in cœlum conversum esse Eunuchum a Philippo, et Cornelium a S. Petro, de quo cap. X. Idem sentit Gaspar Sanchez, tract. 4 *De Prædic. S. Jacobi in Hispan.*, cap. IX.

IBAT AUTEM PER VIAM SUAM GAUDENS. — Gaudium enim est fructus Spiritus Sancti quem in baptismo receperat. Merito gaudebat de tam magno Dei dono, et tam mira et speciali ejus providentia sibi collato. Vere S. Augustinus in Sententiis, *Sentent.* 90 :

Sanctis Christus est gaudium. « Non potest, ait, quisquam fraudari delectationibus suis, cui Christus est gaudium. Æterna enim exultatio est ei qui bono lætatur æterno. » Et *Sent.* 131 : « Christiano recte gaudendi causa, non præsens sæculum est, sed futurum. » S. Hieronymus, in cap. LIII *Isaiæ*, scribit hunc Eunuchum prædicasse Christum in Æthiopia, recumque Apostolum Æthiopum, ac de discipulo magistrum. Idem testatur Irenæus, lib. III, cap. XII; Cyrillus, *Catechesi* 17, et Eusebius, lib. II *Historiæ*, cap. I. Fertur ipse suscepisse S. Matthæum in Æthiopiam missum, in urbe Nadaber, inquit Gagneius. Addit Dorotheus, in *Synopsi Sanctorum*, et ex eo Nicephorus, lib. II, cap. VI et VII, hunc Eunuchum in Arabia Felici, Taprobana, et universa Erythra Evangelium prædicasse, tandemque martyrio coronatum ibidem sepultum : insuper cœmeterium ipsius fidelibus esse munimentum insuperabile, barbaros et scelestos fugans, morbos depellens, et sanationes operans usque ad præsentem diem.

40. DONEC VENIRET CÆSAREAM. — « Cæsarea » urbs Palæstinæ sita inter Doram et Joppem : prius dicta est *Turris Stratonis*; sed ab Herode Ascalonita in honorem Augusti Cæsaris, cui eam dedicavit, dicta est *Cæsarea*; diversa fuit a Cæsarea Philippi, quæ scilicet a Philippo, Herodis filio, in honorem Tiberii Cæsaris, ad radices Libani est ædificata; inde nomen utrumque accepit, ac postea ab Herode Agrippa in honorem Neronis, dicta est *Neronias*. Porro, in hac nostra Cæsarea Philippus hic Diaconus domum habuit, in qua et habitavit cum quatuor suis filiabus Prophetissis, de quibus cap. XXI. In eadem Herodes Agrippa senior, cum quinquennalia celebraret, neque adulatores compesceret, qui ei peroranti acclamabant : « Vox Dei, non hominis, » ab angelo percussus interiit, *Act.* XII. In eadem Cornelius Centurio a S. Petro baptizatus, primus in ea Episcopus fuisse traditur, *Act.* X. Hic quoque Agabus propheta zona Pauli se astringens, ejus vincula prædixit : unde paulo post Hierosolymæ Paulus vinctus, missus est Cæsaream, ubi coram rege Agrippa et Felice præside causam suam egit, ac detentus in vinculis a Festo Cæsarem appellavit, *Act.* XXIII et seq. Hujus urbis Episcopus postea fuit Eusebius, *Eccles. Historiæ* scriptor, qui inde Cæsareensis est dictus; sicut S. Basilius alterius Cæsareæ, quæ est in Cappadocia, fuit Episcopus. Ita Adrichomius in *Descriptione Terræ Sanctæ*.

# CAPUT NONUM.

## SYNOPSIS CAPITIS.

*Describitur hic primo, conversio S. Pauli; secundo, duo miracula S. Petri, scilicet curatio Æneæ paralytici, vers. 32, et Dorcadis defunctæ suscitatio, vers. 38.*

1. Saulus autem, adhuc spirans minarum et cædis in discipulos Domini, accessit ad principem Sacerdotum, 2. et petiit ab eo epistolas in Damascum ad Synagogas; ut, si quos invenisset hujus viæ viros ac mulieres, vinctos perduceret in Jerusalem. 3. Et cum iter faceret, contigit ut appropinquaret Damasco; et subito circumfulsit eum lux de cœlo.



4. Et cadens in terram audivit vocem dicentem sibi : Saule, Saule, quid me persequeris? 5. Qui dixit : Quis es, Domine? Et ille : Ego sum Jesus, quem tu persequeris; durum est tibi contra stimulum calcitrare. 6. Et tremens ac stupens, dixit : Domine, quid me vis facere? 7. Et Dominus ad eum : Surge, et ingredere civitatem, et ibi dicetur tibi quid te oporteat facere. Viri autem illi, qui comitabantur cum eo, stabant stupefacti, audientes quidem vocem, neminem autem videntes. 8. Surrexit autem Saulus de terra, apertisque oculis nihil videbat. Ad manus autem illum trahentes, introduxerunt Damascum. 9. Et erat ibi tribus diebus non videns, et non manducavit, neque bibit. 10. Erat autem quidam discipulus Damasci, nomine Ananias; et dixit ad illum in visu Dominus : Anania. At ille ait : Ecce ego, Domine. 11. Et Dominus ad eum : Surge, et vade in vicum qui vocatur Rectus, et quære in domo Judæ Saulum, nomine Tarsensem : ecce enim orat. 12. Et vidit virum Ananiam nomine, introeuntem, et imponentem sibi manus ut visum recipiat. 13. Respondit autem Ananias : Domine, audivi a multis de viro hoc quanta mala fecerit sanctis tuis in Jerusalem; 14. et hic habet potestatem a principibus Sacerdotum alligandi omnes qui invocant nomen tuum. 15. Dixit autem ad eum Dominus : Vade, quoniam vas electionis est mihi iste, ut portet nomen meum coram gentibus, et regibus, et filiis Israel. 16. Ego enim ostendam illi quanta oporteat eum pro nomine meo pati. 17. Et abiit Ananias, et introivit in domum; et imponens ei manus, dixit : Saule frater, Dominus misit me Jesus, qui apparuit tibi in via qua veniebas, ut videas et implearis Spiritu Sancto. 18. Et confestim ceciderunt ab oculis ejus tanquam squamæ, et visum recepit; et surgens baptizatus est. 19. Et cum accepisset cibum, confortatus est. Fuit autem cum discipulis, qui erant Damasci, per dies aliquot. 20. Et continuo in Synagogis prædicabat Jesum, quoniam hic est Filius Dei. 21. Stupebant autem omnes qui audiebant et dicebant : Nonne hic est qui expugnabat in Jerusalem eos qui invocabant nomen istud; et huc ad hoc venit, ut vinctos illos duceret ad principes Sacerdotum? 22. Saulus autem multo magis convalescebat, et confundebat Judæos qui habitabant Damasci, affirmans quoniam hic est Christus. 23. Cum autem implerentur dies multi, consilium fecerunt in unum Judæi, ut eum interficerent. 24. Notæ autem factæ sunt Saulo insidiæ eorum. Custodiebant autem et portas die ac nocte, ut eum interficerent. 25. Accipientes autem eum discipuli nocte, per murum dimiserunt eum, submittentes in sporta. 26. Cum autem venisset in Jerusalem, tentabat se jungere discipulis, et omnes timebant eum, non credentes quod esset discipulus. 27. Barnabas autem apprehensum illum duxit ad Apostolos, et narravit illis quomodo in via vidisset Dominum, et quia locutus est ei, et quomodo in Damasco fiducialiter egerit in nomine Jesu. 28. Et erat cum illis intrans et exiens in Jerusalem, et fiducialiter agens in nomine Domini. 29. Loquebatur quoque gentibus, et disputabat cum Græcis; illi autem quærebant occidere eum. 30. Quod cum cognovissent fratres, deduxerunt eum Cæsaream, et dimiserunt Tharsum. 31. Ecclesia quidem per totam Judæam, et Galilæam, et Samariam, habebat pacem et ædificabatur ambulans in timore Domini, et consolatione Sancti Spiritus replebatur. 32. Factum est autem ut Petrus, dum pertransiret universos, deveniret ad sanctos qui habitabant Lyddæ. 33. Invenit autem ibi hominem quemdam, nomine Æneam, ab annis octo jacentem in grabato, qui erat paralyticus. 34. Et ait illi Petrus : Ænea, sanat te Dominus Jesus Christus; surge, et sterne tibi. Et continuo surrexit. 35. Et viderunt eum omnes qui habitabant Lyddæ et Saronæ : qui conversi sunt ad Dominum. 36. In Joppe autem fuit quædam discipula, nomine Tabitha, quæ interpretata dicitur Dorcas. Hæc erat plena operibus bonis et eleemosynis quas faciebat. 37. Factum est autem in diebus illis ut infirmata moreretur. Quam cum lavissent, posuerunt eam in cœnaculo. 38. Cum autem prope esset Lydda ad Joppen, discipuli audientes quia Petrus esset in ea,

miserunt duos viros ad eum, rogantes : Ne pigriteris venire usque ad nos. 39. Exurgens autem Petrus venit cum illis. Et cum advenisset, duxerunt illum in cœnaculum et circumsteterunt illum omnes viduæ flentes, et ostendentes ei tunicas et vestes quas faciebat illis Dorcas. 40. Ejectis autem omnibus foras, Petrus ponens genua oravit; et conversus ad corpus, dixit : Tabitha, surge. At illa aperuit oculos suos, et viso Petro, resedit. 41. Dans autem illi manum, erexit eam. Et cum vocasset sanctos, et viduas, assignavit eam vivam. 42. Notum autem factum est per universam Joppen, et crediderunt multi in Domino. 43. Factum est autem ut dies multos moraretur in Joppe, apud Simonem quemdam Coriarium.

*Vers. 1. Saulus dicitur a Saul rege.*

1. SAULUS. — Ita dictus est a Saul, primo rege suæ tribus Benjamin. Qui enim hebraice dicitur Saul, Latine vocatur Paulus. Unde vers. 4, pro *Saule, Saule*, Græca et Syra habent, *Saul, Saul*. Hinc censent S. Chrysostomus et S. Hieronymus, *epist.* 27, quosdam e tribu Benjamin servatos esse in communi ejus strage et excidio, *Judic.* XX, 45, ut ex ea Saulus hic, futurus Paulus, nasceretur. Sicut ergo Saul hebraice vocatus est quasi שאול *schaul*, id est postulatus, scilicet rex a populo, et commodatus a Deo; ita dictus est Saulus, « quod ad vexandam Ecclesiam fuisset a diabolo postulatus, » ait S. Hieronymus, in epist. *Ad Philemon.* Rursum sicut Saul persecutus est Davidem, ita Saulus persecutus est Christum, Davidis antitypum, ait S. Augustinus in *Psal.* LI.

Symbolice, Saul et Saulus alludit ad שאול *schol*, id est infernum, ita dictum, quod semper postulet, et nunquam satietur, juxta illud : « Infernus insatiabiliter cava guttura pandit. » Saulus enim fuit quasi infernus semper hians ad sanguinem et cædes fidelium, sed conversus in Paulum factus est cœlum virtutum omnium, hians ad Gentium salutem. Ita Arator agens de lapidatoribus S. Stephani :

> Ad Sauli, ait, posuere pedes velamina sævi,
> Infernum quod Hebræus ait.

*Saulus græceque σάλος, fluctuans.*

Rursum Paulus apposite Græca voce et etymo alludit ad σαλεύεσθαι, id est *jactari*, et *agitari*, ut Saulus idem sit quod inquietus, omnia agitans, turbans et vexans, quasi σάλος, id est *fluctus et concitatio maris*; unde Latinum *salum*, id est mare et fretum æstuosum. Ita Ambrosiaster, in cap. I *ad Roman.*, vers. 1. Denique Saulus fuit σαῦλος, id est *vitiosus, fluxus, delicatus, lævis*.

ADHUC. — *q. d.* Necdum suam sævitiam et aviditatem sanguinis Christiani expleverat nece Stephani et aliorum Christianorum virorum et mulierum, quos trahebat ad vincula et tribunalia, cap. VIII, vers. 2.

SPIRANS MINARUM ET CÆDIS. — Pagninus, *spirans minas et cædem*, scilicet instar leonis furentis proloquens, et eructans minas atrocissimas et lethiferas. Hic mystice impletum est illud Jacobi de Benjamin (ex eo enim prognatus est Saulus) vaticinium : « Benjamin lupus rapax, mane comedet prædam, et vespere dividet spolia, » ut ex S. Chrysostomo, Hieronymo, Ambrosio et Beda, dixi *Genes.* XLIX, 27. Sævit ergo ut lupus. Unde matri Ecclesiæ fuit Benoni, id est filius doloris : sed mutatus in Paulum, factus est Benjamin, id est filius dexteræ. Hæc enim ejus mutatio fuit opus dexteræ Excelsi; ac renascens in Christo, matri Synagogæ mortem intulit, æque ac Benjamin matri Racheli. Rursum sicut Benjamin inter duodecim fratres Patriarchas fuit minimus et ultimus, ita et Paulus inter Apostolos. Et sicut Benjamin a Josepho multis privilegiis fratribus fuit prælatus, *Genes.* XLIII, 44, ita et Paulus a Christo dotatus fuit præ aliis Apostolis.

*Paulus fuit Benoni et Benjamin, et quidem analogia.*

Unde S. Chrysostomus miratur Dei potentiam et gratiæ Christi virtutem, utpote quæ Paulum ferocientem et furentem, in ipso æstu furoris stitit, fregit et immutavit; nec exspectavit donec furor hic sæviendo subsideret : « Ut ostenderet, ait, potentiam suam, vincens et superans persecutorem in media insania : Sic enim medicum maxime admiramur, quando febrim, cum infestior, et flammam morbi cum vehementior est, extinguere et penitus abolere potest. » Nimirum hæc fuit vis orationum S. Stephani et fidelium, ac maxime B. Virginis pro Saulo, uti dixi cap. VII, vers. 57 et 59. Causa finalis fuit, ut Deus per Saulum, hostem acerrimum Christianorum jam conversum, confunderet Judæorum incredulitatem, eamque per ipsum revinceret. Quis enim non credat Christo et Christianismo, cui hostis Paulus tam luculentum perhibuit testimonium? Ita S. Chrysostomus, Œcumenius et alii. Porro hic ardor sæviendi in Paulo oriebatur tum ex zelo legis Mosaicæ, uti ipse ait *Galat.* I, 19, tum ex ardore juventutis et indolis, tum ex invidia gloriæ S. Stephani, Barnabæ aliorumque fidelium. Hæc enim invidia in cædes erupit, nimirum φθόνος in φόνον, uti nomine, ita re sibi affinem.

*Cur a Deo conversus?*

MINARUM ET CÆDIS. — Hinc patet Saulum, præter Stephanum, plures alios fideles occidisse. Unde ipse pœnitens ait, *Act.* XXII, 4 : « Hanc viam (vitam Christianorum) persecutus sum usque ad mortem. » Et cap. XXVI, 10 : « Et cum occiderentur, detuli sententiam. »

AD PRINCIPEM SACERDOTUM, — qui tunc erat Annas, vel expleto anno Caiphas, aut aliquis ex Annæ filiis, ut dixi cap. IV, vers. 6.



2. EPISTOLAS IN DAMASCUM. — *Damascus* erat caput Syriæ, Sita ad latus Libani, distans a Jerusalem itinere quinque dierum, puta 50 leucis Gallicis. Unde sicut Syria, sic et Damascus, Judæis non erat subdita, sed suum habebat regem Aretam, II *Cor.* XI, 31. Habebant tamen Judæi suas plateas Damasci, ubi suis jus dicebant et exercebant : id enim eis concessit Benadad, rex Syriæ; III *Reg.* XX, 34. Adde Aretam a Judæis persuasum eis consensisse in persecutione Christianorum, ut patet II *Cor.* XI, 31 (1).

Nota hic ardorem Pauli quo grassatus in fideles Hierosolymæ cæteraque Judææ loca, furorem suum extendit in eos Damascum usque. Hoc est quod ipse ait, cap. XXVI, vers. 11 : « Et amplius insaniens in eos, persequebar usque in exteras civitates : in quibus dum irem Damascum, » etc. Addit S. Justinus contra Triphonem, principes Sacerdotum alios quoque in alias regiones misisse, qui Christianos caperent et persequerentur, forte Pauli exemplo et instinctu. Porro Damasci potius quam in aliis urbibus Saulus perscrutatus est Christianos, eo quod dispersos in nece Stephani eo confugisse audisset; utpote qui in urbe Gentili et regia Judæis non subdita, ac remota, putarent se immunes fore a persecutione Judæorum: nec in aliis vicinis urbibus, utpote Judææ subditis, vel confœderatis, tutos ab ea se fore arbitrarentur.

HUJUS VIÆ, — id est hujus instituti, puta Christianismi sectatores et professores. Vide dicta cap. II, vers. 38.

VINCTOS PERDUCERET. — Ergo multos secum adducebat comites, vel milites, vel satellites, ut patet vers. 7, plures petiturus ab Archisynagogo Judæorum Damasci, si iis opus haberet.

IN JERUSALEM, — tum quod majori auctoritate hæc fieri vellet, inquit S. Chrysostomus, tum quod Hierosolymis sciret Annam, Caipham cæterosque Judæorum principes Christo et Christianis esse infensissimos : Damasci autem adhuc obscurum et pene incognitum erat Christianorum nomen, eorumque hostilitas in Judaismum, uti Saulus censebat, ideoque metuebat ne ibidem mitiores in eos forent Synagogæ principes.

3. UT APPROPINQUARET DAMASCO. — *Primo*, ut Damasci clarius conversionis ipsius miraculum ac proventus appareret, ait Glossa, dum non initio, sed in termino itineris et persecutionis suæ, subito cœlitus feritur et immutatur. *Secundo*, ut cæcitate percussus, illico Damascum introduci posset ad Ananiam, qui eum juvaret, catechizaret et baptizaret. Denique Damascus insigniter nobilitata est conversione S. Pauli. Porro hic locus, in quo conversus est S. Paulus, distat Damasco dimidium milliare; atque in ejus conversi memoriam, posteri in honorem S. Pauli templum ibidem erexerunt; ibidem etiamnum Christiani, qui Damasci habitant, sepeliri solent. Locus hic a Syris Mergisafer dicitur. Atque Christianorum exercitus in bello sacro, duce Godefrido Bullonio Damascum petens, ipso conversionis S. Pauli die eodem pervenit, ac ibidem biduo commoratus est. Ita ex Ludovico Romano, Bredenbachio, et Guilielmo Tyrio, Adrichomio, in *Descriptione Terræ Sanctæ*, in *Damasco* : qui et graphice locum hunc in tabula geographica delineat. Idem mihi retulerunt Romæ viri graves oculati testes, qui Damascum et loca sancta visitarunt.

SUBITO CIRCUMFULSIT EUM LUX DE COELO. — Auget miraculum tempus, lucisque magnitudo. Nam in meridie hoc contigit cum sol est lucidissimus, ac proinde lux hæc suo fulgore vicit splendorem solis, uti Paulus ipse testatur, cap. XXVI, vers. 13. Fuit ergo hæc lux instar fulguris et coruscationis, ait Lyranus; nec tantum S. Pauli, sed omnium comitum ejus oculos perstrinxit, ut ipse ait cap. XXVI, vers. 31. Idque *primo*, ut lux hæc furorem oculorum animique ejus reperculeret et sterneret, itaque mente sedata vocem Christi attentius perciperet, ait S. Chrysostomus, hom. *De ferendis Reprehens.* *Secundo*, ut tanquam lupus nocturnis operans tenebris, effusa luce cæcaretur, ait S. Ambrosius, lib. *De Benedict. Patriarch.*, in *Benedict. Benjamin*. *Tertio*, ut lux hæc exterior interiores mentis tenebras ei panderet, juxta illud *Sophon.* I, 17 : « Tribulabo homines, et ambulabunt ut cæci, quia Domino peccaverunt. » *Quarto*, ut lux exterior repræsentaret lucem internam quam Deus Pauli menti infundebat, quaque ei tam semetipsum, quam persecutionis ipsius scelus patefaciebat, juxta illud quod ipse ait : « Deus qui dixit de tenebris lumen splendescere, ipse illuxit in cordibus nostris, » II *Cor.* IV, 6. Et illud : « Omnia quæ arguuntur, a lumine manifestantur : omne enim quod manifestatur, lumen est. Propter quod dicit : Surge qui dormis, et exsurge a mortuis, et illuminabit te Christus, » *Ephes.* V, 13. Idem intonat Deus cuilibet peccatori, cum in mente ejus fulgurat coruscationem et cogitationem mortis, judicii, gehennæ, etc. *Quinto*, ut ex hac luce dis-

*Lux superans solem. Cur? Resp. Primo.*

(1) « Quæritur quid juris vel Pontifici, vel senatui Hierosolymitano fuerit in Damascenos, prorsus ad alterius ditionem pertinentes? Enim vero tanta erat synedrii Hierosolymitani auctoritas, ut non solum qui in vicinia terræ Israeliticæ habitabant Judæi, sed Babylonii etiam et Alexandrini statuta ejus venerarentur ac jussa capesserent, magnum illum senatum agnoscentes pro firmissima arce totius legis oralis, præsertim quando agebatur de crimine hæreseos et judicio capitali in falsos prophetas; quod unice huic senatui competiisse volunt. Romani autem, quorum imperio cum Arabia sua universa Aretas ipse tunc suberat, permittebant etiam synedrio jus prehensionis et verberum, non in Judæos Palæstinæ tantum, sed in alias quascumque synagogas, quæ sponte sua jurisdictionem in re religionis agnoscerent. Probe tamen tenendum est Paulum non potuisse trucidare Christianos, sed nonnisi vinculis constringere atque ad causam dicendam Hierosolymam ducere et synedrio tradere. » Ita Rosenmullerus.

ceret deinceps sibi ambulandum esse in luce Evangelii, gratiæ et bonorum operum, juxta illud quod ipse scribit *ad Ephes.* v, 8 : « Eratis aliquando tenebræ, nunc autem lux in Domino : ut filii lucis ambulate. Fructus enim lucis est in omni bonitate, et justitia, et veritate. » *Sexto*, hæc lux erat symbolum doctoratus Pauli, quo illuminaturus erat omnes gentes luce doctrinæ et vitæ Christianæ, uti ipse *Act.* xxvi, 18, Christum sibi dixisse significat. Porro hanc lucem spargebat corpus Christi gloriosum. Christus enim hic apparens Saulo, ut patebit vers. 5, quasi duellator eum luce sua siderabat, cæcabat et sternebat, juxta illud *Hab.* iii, 11 : « Sol et luna steterunt in habitaculo suo : in luce sagittarum tuarum ibunt, in splendore fulgurantis hastæ tuæ. » Sic in transfiguratione, splendor corporis Christi radios suos afflavit Mosi et Eliæ, quin et Apostolis, *Lucæ* cap. ix, vers. 31.

4. Et cadens in terram. — Quasi perculsus et sideratus a luce fulgurante, ut jam dixi. Fulmen Christi enim sternit homines, imo animalia, arbores, domos et templa. Lucem hanc adjuvit vox Christi terribilis, instar tonitrui : « Saule, Saule, quid me persequeris? » Nam, ut ait Job, xxvi, 14: « Quis poterit tonitruum magnitudinis illius intueri ? » Sic Seraphinis alterna voce Deo conclamantibus : « Sanctus, Sanctus, Sanctus, commota sunt superliminaria cardinum a voce clamantis, » *Isai.* vi, 3 et 4. Porro non tantum Saulus, sed et omnes ejus comites hac luce prostrati sunt in terram, uti narrat Paulus, xxvi, 14. S. Gregorius, hom. 8 *in Ezechiel.*, opinatur S. Paulum in faciem cecidisse; pœnitentes enim et sanctificandos in faciem cadere, quasi mox per pœnitentiam resurrecturos; impios vero et impœnitentes resupinari in dorsum, ut nunquam resurgant, uti cecidit Judas et satellites Christum comprehensuri, *Joan.* xviii, 6. Hæc tamen distinctio non est perpetua : nam et Goliath infidelis moriens in faciem cecidit, I *Reg.* xvii, 49.

Paulus an eques, an pedes? Moralis

Nonnulli Paulum censent peditem venisse et cecidisse; sed communis opinio (quam passim exprimunt picturæ) est eum fuisse equitem, et ex equo cecidisse : tum quia longum faciebat iter, scilicet quinque vel sex dierum a Jerusalem in Damascum; tum quia veniebat quasi prætor stipatus satellitibus. Ita Sanchez, Lorinus et alii. *Tertio*, idipsum suadet Sauli generositas et animositas; fastu enim et ira tumens spirabat minas et cædes, esto ex zelo legis, ut sibi videbatur. *Quarto*, idem innuit ejus ruina et prostratio : nam cum Christo quasi duellans, ab eo dejectus equo, gravique casu collisus, sed eodem ictum moderante et infringente non elisus, nec oppressus, sentiens potentem ejus manum, toto corpore conquassatus et afflictus, illico suos spiritus cristasque deposuit, et humiliatus ac supplex Christo victori se dedit, dicens : « Domine, quid me vis facere? » Si enim pedes fuisset, exiguus et levis fuisset ejus casus, nec sufficiens ad ejus ferociam edomandam. Contrarium tamen sentit noster Salmeron et alii, et innuit S. Augustinus dicens eum ambulasse peditem, estque probabile : tum quia Scripturam nusquam ejus equi, vel equitis meminit; tum quia Judæi religiosiores, uti Pharisæi, qualis erat Paulus, vix equis utebantur, uti dixi *Deuter.* xvii, 16; tum quia ipse erat juvenis uti manu acer, ita pedibus celer.

Audivit vocem. — Hebraica lingua, ut refert Paulus, *Act.* xxvi, 14. Et cap. xxii, 9, asserit se solum hanc vocem audisse, non comites suos; corpus enim gloriosum per Dei virtutem sibi assistentem potest facere ut ab uno videatur et audiatur, non a cæteris, quia sui suæque vocis speciem potest diffundere ad unum, non ad cæteros, uti docent Scholastici. « Vox de cœlo Saulo allata est, ut ostenderetur prædicationem quæ ipsi committebatur, esse cœlestem, » ait Isidorus Pelusiota, lib. I, epist. 400.

Paulus hic est schema peccatorum pœnitentium.

Moraliter, Deus in Paulo dedit schema et typum conversionis peccatorum. Lux enim repræsentat gratiam excitantem et internam mentis illuminationem; prostratio in terram, adversitatem; vox, reprehensionem concionatoris, magistri, socii, etc.; stimulus, conscientiæ remorsum; Ananias, confessarium; cæcitas, clausuram oculorum et animæ ad res terrenas, ac considerationem æternarum et cœlestium; triduanum jejunium, satisfactionem pro peccatis per jejunia et preces; casus squamarum ab oculis est depositio excusationum; Baptismus est pœnitentia et confessio, quæ est secunda post naufragium tabula, et quasi alter baptismus; cibus est Eucharistiæ frequentatio; versari cum discipulis, est agere cum probis. Vide S. Bernardum, serm. *De quatuor orandi modis*. Ita Salmeron hic. Fulgura, Domine, coruscationem, Paulinæ similem, in animas nostras, ut ad te toto corde convertamur. Fac nos vasa electionis, ad tuam gloriam toto orbe celebrandam.

Saule, Saule. — Græce et Syre, *Saul, Saul*, sic enim Hebraice vocabatur Saulus, et Christus hic Hebraice loquebatur, uti jam dixi. Geminatio hæc index est, tum alti somni quo in peccato suo dormiebat Saulus, tum ingentis amoris et commiserationis, æque ac efficaciæ, et ad intima Pauli penetrantis, vocationis Christi, ut durum et obstinatum cor Sauli feriret et molliret. Clamat Christus, ut Sauli a se remotissimi aures mentemque perstringat. Audi S. Augustinum, *hom* 14 inter 50 : « Quantum distat Ortus ab Occidente, longe fecit a nobis iniquitates nostras. Quantum distat Oriens ab Occidente, avertere ab Occidente, convertere ad Orientem. Occidunt tibi peccata, oritur inde justitia. In Occidente vetus, in Oriente novus. In Occidente Saulus, in Oriente Paulus. » Clamavit ergo Christus in Oriente, ut in Occidente audiret et obediret Paulus.

Quid me persequeris? — Christus caput habet



in cœlo, corpus in terris : corpus enim mysticum Christi est Ecclesia, membra sunt fideles. Saulus Christum in cœlo persequi non poterat : hinc eum in terra, puta in fidelibus suis persequitur. Audi S. Augustinum, tract. 10 *in Epist. S. Joan.* : « Non expavescis, ait, vocem capitis de cœlo clamantem pro membris suis : Saule, Saule, quid me persequeris? persecutorem suum vocavit persecutorem membrorum suorum. » Idem, serm. *De Sanctis* : « Membris adhuc positis in terra, caput clamabat in cœlo, et non dicebat : Quid persequeris fideles meos? sed : Quid me persequeris? » Adeo Christus diligit Ecclesiam et fideles; adeo cum eis se unit, ut eorum velit esse caput, spiritus, anima et vita, uti dixi I *Cor.* xii, 12. Et S. Bernardus, serm. *De Conversione S. Pauli* : « Vere deprehensus est Saulus; non est dissimulandi locus, non est facultas ulla negandi. In manibus sunt Epistolæ crudelissimæ legationis, auctoritatis execrandæ, potestatis iniquæ. Quid me persequeris? inquit. An non persequebatur Christum, qui Christi membra trucidabat in terris? An vero persecuti sunt Christum, qui sacratissimum illud corpus Crucis affixere patibulo; et non persequebatur eum, qui adversus corpus ejus, quod est Ecclesia, odio furebat iniquo? Denique si proprium sanguinem dedit in pretium redemptionis animarum, non tibi videtur graviorem ab eo sustinere persecutionem, qui suggestione maligna, exemplo pernicioso, scandali occasione avertit ab eo animas quas redemit, quam a Judæo, qui sanguinem illum fudit? Agnoscite, dilectissimi, et expavescite consortia eorum qui salutem impediunt animarum. Horrendum penitus sacrilegium, quod et ipsorum videtur excedere facinus, qui Domino Majestatis manus sacrilegas injecerunt. » Nota hoc dogma morale S. Bernardi de scandalo.

Jam si singula Christi verba ponderes et premas, magnum habent pondus, magnum pathos : « Saule, Saule, quid me persequeris » ad necem, qui te persequor ad vitam, ut ex Saulo efficiam Paulum? Ego sum dulcis, melleus, tuique amantissimus : nulla in re te læsi; ne vel verbulo unquam offendi : quid me quasi hostem persequeris? Ego intimus tui sum amicus : in manibus et corde meo descripsi te, satagoque ut in intima cordis mei te trajiciam et recondam, ut in ejus centro inhabites : quid me persequeris? Ego propter te in terram descendi, factus homo : jam rursum propter te solum e cœlo ad te descendo. Ego pro te lacrymas, easque in horto sanguineas effudi; pro te sudavi et alsi; pro te sanguinem et vitam dedi, millies adhuc daturus, si opus esset : quid me persequeris? Ego pro te manus in cruce extendi ad Patrem, clavis confixus sum, spinis coronatus, flagellis concisus : quid me persequeris? Ego te elegi in meum ducem, destinavi te Apostolum et vas electionis : quid me persequeris? In passione et cruce tot probris et tormentis affectus non querelam, non gemitum, non votum emisi; de te queror et juste queror : de te gemo, de te vocem lugubrem emitto : quid me, id est meos fideles, qui mihi vita chariores sunt, persequeris? quid eos a me avellere et perdere satagis? Me persequeris, qui sum Jesus, id est tuus Salvator, tua salus? Cur in me teipsum tuamque salutem exitialiter impugnas? ut ego peream, vis teipsum perimere? Hæc, et longe plura interius in mente Pauli loquebatur, et quasi fulgurabat Christus.

Quocirca Saulus jam conversus, hanc Christi post se quasi currentis dignationem et amorem immensum ponderans, passim hanc ejus in se clementiam intimo animi sensu deprædicat, ut I *Timoth.* i, 15 : « Fidelis sermo, inquit, et omni acceptione dignus, quod Christus Jesus venit in hunc mundum peccatores salvos facere, quorum primus ego sum (Nam, ut ait S. Augustinus, serm. 10 *De Verbis Apostoli* : « Nemo acrior inter persecutores : ergo nemo prior inter peccatores.» Hunc compunctionis et humilitatis S. Pauli spiritum imitetur et induat; totaque vita conservet, quicumque aliquando peccavit Deumque offendit. Ita S. Chrysostomus, lib. II *De Compunct.*, et S. Augustinus, lib. *De Vera et Falsa pœnitentia*, cap. xiii). Sed ideo misericordiam consecutus sum, ut in me primo ostenderet Christus Jesus omnem patientiam, ad informationem eorum qui credituri sunt illi in vitam æternam; » « ut dicant sibi omnes, ait S. Augustinus, serm. 9 *De Verbis Apostoli* : Si Paulus sanatus est, ego quare despero? Si tanto medico tam desperatus æger sanatus est, ego cur meis vulneribus illas manus non aptabo, ad illas manus non festinabo? Ut hoc dicerent homines, ideo Saulus factus est ex persecutore Apostolus. » Similia habet I *Corinth.* xv, 9; *ad Ephes.* iii, 8, et alibi. Vide ibi dicta.

Denique S. Augustinus, *in Psalm.* lxxii : « Ipse, inquit, primo Saulus, postea Paulus, id est primo superbus, postea humilis et modicus. Saul enim, unde dictum est nomen Sauli, nostis quia rex superbus et infrenis fuit : Paulum autem, modicum est. Audi quomodo fuerit Saulus, et quomodo sit Paulus. Quid fuit prius? Quid? Blasphemus, et persecutor, et injuriosus. Audisti Saulum, audi et Paulum : Ego enim sum, inquit, minimus Apostolorum. Quid est minimus, nisi ego sum Paulus? Et sequitur : Qui non sum dignus vocari Apostolus : Quare? quia fui Saulus. Quid est fui Saulus? Ipse dicat : quia persecutus sum Ecclesiam Dei. Sed gratia Dei, ait, sum id quod sum. »

Quocirca Ecclesia quotannis celebrat festum Conversionis S. Pauli : *primo*, ut eum omnibus peccatoribus in exemplum pœnitentiæ proponat : *secundo*, ut Deo gratias agat, quod Ecclesiæ dederit Paulum doctorem Gentium; *tertio*, ut Paulum conversum invocet, ut e cœlo peccatores convertat; adhuc enim, licet translatus in cœlum, plurimos convertit suo exemplo, precibus, epistolis

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ® DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

Tradit ex Fazello Alanus Copus, lib. III, cap. XXVIII *Dialog.*, eos qui nascuntur in festo Conversionis S. Pauli, venenatis morsibus sua saliva mederi.

5. QUI DIXIT : QUIS ES, DOMINE? — Paulus luce Christi perstrictus et excæcatus vocem Christi audiebat ; sed eum ingenti splendore undique circumfusum distincte videre et agnoscere non poterat. Rogat ergo, quis sit, an Angelus, an Deus ; eique tacite se quasi servum submittit, vocans eum « Domine. » Ita S. Chrysostomus.

Nota : Saulus hic vidit Christum, esto confuse. Hoc enim de eo asserit Ananias, vers. 17, dicens : « Saule frater, Dominus misit me Jesus, qui apparuit tibi in via. » Et vers. 27 : « Narravit illis quomodo in via vidisset Dominum. » Quin et Paulus ipse, I *Corinth.* XV, 8 : « Novissime, ait, omnium tanquam abortivo visus est mihi : » esto enim sæpius deinceps viderit Christum, hic tamen duntaxat fuit abortivus, quia violenter conversus et renatus in Christo. Ita Tertullianus, lib. *Contra Praxeam*, cap. XV ; Primasius, S. Thomas et Glossa in I Cor. XV ; licet Ambrosiaster, Sedulius et Haymo id accipiant de visione Christi, quam Paulus habuit in templo, de qua *Actor.* XXII, 17. Porro Christus videtur hic descendisse de cœlo, eo tamen non relicto, ad aerem Paulo vicinum, inde enim vocem emittebat (quam Paulus clare et distincte audivit, ita ut cum eo colloqueretur), ac lucem tantam, quæ eum cæcaret et comites sterneret. Ita S. Ambrosius, lib. *De Benedict. Patriar.*, cap. ultimo ; S. Thomas, III *part.*, *Quæst.* LVII, art. 6, ad 3, et alii. Vide dicta cap. III, 21. Fuit ergo Christi corpus tunc in duobus locis, puta in cœlo et in aere. Quod nota contra Calvinum et Sacramentarios, qui negant Christi corpus posse esse in cœlo et in Eucharistia simul.

EGO SUM JESUS — *Nazarenus*, uti addit Syrus hic, et Paulus, *Actor.* XXII, 8. Non dicit : Ego sum Deus et Dei Filius, sed, Jesus ; quia divinitatem credebat Paulus, sed incarnationem, id est Jesum, impugnabat, *q. d.* « Humilitatis meæ infima suscipe, et tuæ superbiæ squamas depone, » ait ex S. Gregorio Beda.

DURUM EST TIBI CONTRA STIMULUM CALCITRARE (1). — Est adagium sumptum a bobus cervicosis, qui cum ab aratoribus, vel aurigis stimulo (qui ex eo *boaceres* vocantur) punguntur, illi recalcitrant, sed eo magis stimulum induunt, eoque acrius punguntur : significans simili modo eum qui potentiori obluctatur, uti Paulus Christo, frustra id facere et cum damno proprio ; provocat enim potentioris iram, ut ictus et plagas graviores et crebriores illi infligat. Innuit Christus Paulum hactenus contra se quasi stimulum calcitrasse : stimulis enim miraculorum, sanctitatis, et disputationum S. Stephani, ac adhortationum S. Barnabæ (ut habet ejus Vita) crebro Christus pupugerat mentem Sauli, ut in se crederet ; sed ille recalcitrans impegit in stimulum validiorem, quem illi hic impegit Christus, prosternens eum humique affligens. « Verba enim sapientium sicut stimuli et quasi clavi in altum defixi, quæ per magistrorum consilium data sunt a pastore uno, » ait *Eccles.* XII, 11. Porro durus conscientiæ peccantis stimulus est, ipse ejus remorsus et oblatratio. « Durus animo ipse accusator, judex, carnifex, vermis remordens, » ait Quintilianus, lib. V *Instit.* Nec dubium hunc conscientiæ stimulum non raro Saulum sensisse. Ergo « durum est tibi contra stimulum calcitrare, » hoc est, durum est tibi contra Deum pugnare ; eum enim provocas, qui lacessitus plagas acres et inevitabiles infligit : perinde ac qui stimulo recalcitrat, non stimulum, sed seipsum lædit, juxta illud Plauti in *Truculent.* : « Si stimulos pugnis cædis, manibus plus doles. » Quocirca sapienter Euripides in *Bacchis* ait :

> Potius sacra illi facerem, quam calcibus
> Stimulos ferire coner, iracundia
> Citus in Deum mortalis ipse cum siem.

(1) Hæc verba et seq. usque ad vocem *surge* omittuntur in multis codd., in antiqua Latina versione, a Chrysostomo et aliis Patribus hunc locum tractantibus. At ea vere esse genuina, imo hic legenda, liquet ex locis parallelis, *Act.* XXII, 10 ; XXVI, 14.

6. ET TREMENS AC STUPENS, — ad tantam lucem, vocem, gloriam, potentiam et majestatem præsentis Christi, qua se cæcari et ad terram affligi sentiebat, præsertim, quia ob præteritas persecutiones male sibi conscius, videns se a Christo comprehensum, ac in ejus esse potestate et manibus, metuebat ne acres et meritas de se exigeret scelerum pœnas. Solet enim Deus primo peccatoribus incutere timorem pœnarum, mortis, judicii et gehennæ ; ac ex eo movere eos ad dolorem et detestationem scelerum ; inde ad spem veniæ, deinde amorem et obedientiam. Timor enim est velut acus vel seta, quæ filum amoris introducit, ut ait S. Augustinus, tract. 9 *in Epist. I Joannis*. Porro tanta est Majestas angelorum, et multo magis Dei, ut illico homo eam videns corruat. Ita Daniel, cap. X, 16, viso angelo : « Domine, inquit, in visione tua dissolutæ sunt compages meæ, et nihil in me remansit virium. » Et Ezechiel, cap. II, vers. 2, visa Dei gloria : « Cecidi, inquit, in faciem meam. » Quin et Manue, pater Samsonis : « Moriemur, inquit, quia vidimus Deum, » puta angelum vicarium Dei, *Judic.* cap. XIII, vers. 22.

DIXIT : DOMINE, QUID ME VIS FACERE? — Sunt verba hæc animi plene compuncti, humilis, resignati, devoti, tradentis et dedentis se Deo. Unde S. Augustinus, serm. 14 *De Sanctis* : « Jam, inquit, parat se ad obediendum, qui prius sæviebat ad persequendum. Jam formatur ex persecutore prædicator, ex lupo ovis, ex hoste miles. Ovis audiat, quid facere debeat. » Unde patet, Paulum tunc per contritionem tantam non tantum justificatum, sed et eximie instar S. Magdalenæ, *Lucæ* cap. VII, sanctificatum fuisse. Ita passim interpretes, ac nominatim S. Gregorius, lib. XI *Moral.*, cap. VI vel VII.



**Paulus libere convertitur.** Notat hic *primo* S. Chrysostomus Paulum non coacte et necessario, sed sponte et libere se convertisse, hoc enim ejus verba significant. Negant id Lutherus, Calvinus et alii, qui hominis arbitrium non liberum, sed servum esse volunt ; ac gratiam Paulo datam fuisse tam efficacem, ut violenter eum ad Christum raperet sicut rapiuntur fures a Prætore ad carcerem : quos damnat Concilium Tridentinum, *sess.* VI, can. 4, 5 et 6, et S. Augustinus, lib *De Spiritu et Littera*, cap. XIII. Ubi docet Deum internis externisque suasionibus mentem pulsare, ut se convertat ; sed consentire vocationi vel dissentire, proprie hominis voluntatis esse.

**Efficacissima ejus gratia.** Nota *secundo*, magnitudinem et efficaciam gratiæ, qua attractus et conversus est Paulus. Nam ea subito ex acerrimo persecutore factus est summus amicus Christi. Unde S. Augustinus, eam

**Primo.** sæpe vocat efficacissimam. Audi eum, lib. I *ad Simplic.*, Quæst. II : « Quam rabida, ait, voluntas, quam furiosa, quam cæca in Saulo? qui tamen una desuper voce raptus est, occurrente utique tali viso, quo mens illa et voluntas refracta sævitia retorqueretur et corrigeretur ad fidem. » Hinc S. Gregorius, lib. III *Dialog.*, cap. XVII : « Majus, ait, est miraculum prædicationis verbo et orationis solatio peccatorem convertere, quam carne mortuum suscitare. Lazarum quippe carne Dominus suscitavit, Saulum mente, » quia mentem ejus immutavit totam, ut ex diabolica fieret plusquam angelica, uti ibidem ostendit S. Gregorius. Hæc ergo gratia fuit tam potens, ut primo summam Pauli hostilitatem in summum Christi obsequium converteret.

*Secundo*, ut non tantum peccata, sed et peccatorum radices habitusque pravos illico aboleret : secus fit in aliis peccatoribus. Si quis enim ebriosus, vel libidinosus convertatur, esto peccata præterita ei per pœnitentiam et absolutionem dimittantur, tamen manent habitus ebrietatis et libidinis, qui eum pungere et sollicitare ad pristinam crapulam et libidinem non cessant, donec longo tempore per multos contrarios actus evellantur, vel potius refringantur et sopiantur. S. Paulus vero, quia efficacissimam habuit gratiam, eique heroice cooperatus est dando totum suum cor Deo, ac dicendo : « Domine, quid me vis facere? » hinc omnes vitiorum habitus, et quasi memoriam e mente sua abstersit. Quocirca hæc lux et impetus gratiæ divinæ subito eum totum in alium, imo contrarium hominem immutavit, ut ex leone fieret agnus, ex lupo Pastor, ex persecutore Apostolus.

Hinc *tertio*, hæc gratia ei tantum Christi amorem indidit, ut qui paulo ante Christum et Christianos volebat occidere, jam pro eis optaret mori, vitamque omnem pro iis expenderet, offerens se omnibus itineribus, laboribus, persecutionibus, fami, siti, carceribus, tormentis, mortibus, ut Christi gloriam et Ecclesiam propagaret ; adeoque totus videbatur transformatus in Christum. Unde ait : « Mihi vivere Christus est, et mori lucrum. » Et : « Vivo autem, jam non ego, vivit vero in me Christus. » Hinc non aliud sciebat, non aliud sapiebat, non aliud spirabat corde, ore et opere, quam Christum crucifixum ; qui tradidit, inquit, semetipsum pro me : cætera omnia quæ in mundo sunt, arbitrabatur ut stercora. Hinc ille zelus lucrandi animas Christo, ut omnibus omnia fieret, ut totum orbem Christum prædicando percurreret, ut omni ætati, sexui, conditioni leges vitæ Christianæ præscriberet : ut infatigabilis, nocte et die non cessaret docere et Evangelizare Christum. In hac ergo prima sui conversione Saulus accepit gratiam, non tantum Christianam communem cæteris fidelibus, sed et Apostolicam propriam Apostolis : atque coelitus a Christo electus et creatus est Apostolus, uti patebit vers. 15.

Nota *tertio* : Christus hic quasi duellum init cum Saulo, eumque vincit et sternit : unde jure duelli poterat eum occidere, sed ejus miserens vitam ei condonat : quocirca Paulus gratias agens ei servum perpetuum se mancipat. Hinc et initio Epistolarum fere omnium hunc titulum præfert : « Paulus, servus Jesu Christi. » Ita Rupertus. Similis fuit vox superbi Turni duello victi et prostrati ab Ænea, quam graphice exprimit Virgilius, XII *Æneid.*, in fine :

> Ille (Turnus) humilis supplexque oculos, dextramque precantem
> Protendens : Equidem merui, nec deprecor, inquit ;
> Utere sorte tua (occide me si libet) ; miseri te si qua parentis
> Tangere cura potest, oro (fuit et tibi talis
> Anchises genitor), Dauni miserere senectæ :
> Et me seu corpus spoliatum lumine mavis,
> Redde meis : vicisti (et victum tendere palmas
> Ausonii videre), tua est Lavinia conjux.
> Ulterius ne tende odiis. Stetit acer in armis
> Æneas volvens oculos, dextramque repressit, etc.

Sed mox ut agnovit balteum sui Pallantis, quo se accinxerat Turnus, indignans et ulciscens eum trucidavit. Longe ergo mitior et clementior fuit Christus in Saulum, quam Æneas in Turnum. Paulus igitur fuit quasi rhinoceros superbus et ferus, quem Deus sibi subjugavit, imo suum præconem effecit, juxta illud *Job*, XXXIX : « Numquid volet rhinoceros servire tibi? numquid alligabis rhinocerotem ad arandum loro tuo? » in quem locum vide S. Gregorium, lib. XXI *Moral.*, cap. II et III.

Moraliter, docet hic nos S. Paulus, cum sentimus divinas inspirationes, Deumque ad emendationem et sanctitatem, vel perfectionem nos vocantem, quid ei respondere debeamus, nimirum : « Domine, quid me vis facere? » Hac enim submissione, resignatione, devotione, prompti-

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ®
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

tudine, alacritate animi ad omnia parati, totumque se Deo offerentis, disposuit se, et meruit de congruo evehi ad apostolatus apicem, fierique doctor Gentium. Ita Abraham vocatus a Deo, *Genes.* XII, 1, respondit : « Adsum. » Sic et Jacob, *Genes.* XXXI, 11, et Moses, *Exodi* III, 4. Et Ananias hic, vers. 10 : « Ecce ego, Domine. » Et Isaias, cap. VI, 8 : « Ecce ego, mitte me. » Sic et Samuel vocanti Deo respondit : « Loquere, Domine, quia audit servus tuus, » I *Reg.* III, 10. Et Psaltes : « Paratum cor meum, Deus, paratum cor meum : cantabo et psallam in gloria mea, » *Psalm.* CVII, 2. Solebat S. Franciscus audiens Deum in corde loquentem, etiamsi in itinere esset, gradum sistere, mentemque intra se colligere, ut totus illi intenderet, ac mox id quod audierat, opere exequebatur. Ita ad apicem sanctitatis pervenit, uti refert S. Bonaventura in ejus *Vita*.

Denique S. Bernardus, serm. 1 *De Conversione S. Pauli* : « Hæc plane, fratres, ait, perfectæ conversionis est forma. Paratum, inquit, cor meum, Deus, paratum cor meum. Domine, quid me vis facere? O verbum breve, sed plenum, sed vivum, sed efficax, sed dignum omni acceptione, etc. Heu plures habemus Evangelici illius cæci, quam novi Apostoli imitatores ? Quid vis (ait Dominus ad cæcum illum) ut faciam tibi? Absit hoc, Domine : tu magis dic, quid me facere velis? Sic enim decet, sic omnino dignum est, non meam a te, sed a me tuam quæri et fieri voluntatem, etc. Sic profecto, sic multorum usque hodie pusillanimitas et perversitas exigit, ut ab eis quæri oporteat : Quid vis ut faciam tibi? non ipsi quærant : Domine, quid me vis facere? »

7. SURGE, — « sta super pedes tuos, » ut habetur cap. XXVI, 16.

ET INGREDERE CIVITATEM (Damascum), ET IBI DICETUR TIBI QUID TE OPORTEAT FACERE. — Dices : *Actor.* XXVI, 16, dicitur Christum Saulo id dixisse : « Ad hoc enim apparui tibi, ut constituam te ministrum et testem eorum quæ vidisti, etc., ego mitto te aperire oculos eorum, ut convertantur a tenebris ad lucem, » etc. Respondeo : Christus Saulo in genere dixit se velle eum constituere suum præconem ; sed in particulari de baptismo instrui eum voluit ab Anania. Hoc enim habet suavis Dei dispositio, ut, sicut angeli ab angelis, ita homines ab hominibus edoceantur : qua de re illustre extat exemplum apud Sophronium, vel potius Joannem Moschum, in *Prato Spirituali*, cap. CXCIX; idque ne quis fanaticus suos errores et somnia tueatur, obtendendo internum instinctum Spiritus Sancti, uti faciunt Anabaptistæ. Ita Cassianus, *Collat.* II, cap. XV. *Secundo*, hic, ait S. Bernardus, serm. 1 *De Conversione S. Pauli*, « socialis vitæ commendatur utilitas, ut edoctus per hominem discat et ipse secundum datam sibi gratiam hominibus subvenire. » *Tertio*, Paulus triduo jejunans et cæcus, Damasci edoctus fuit a Deo ; sed ad Ananiam mittitur, non tam ut edoceatur, quam ut ab eo baptizetur et a cæcitate curetur. Unde signanter ait : « Quid te oporteat facere : » nimirum suscipere baptismum, de quo plura cap. IX.

STABANT. — Dices : Cap. XXVI, 16, ait Paulus comites suos secum fuisse prostratos : ergo non stabant. Respondeo *primo*, « stabant, » id est ibi erant, ibi sistebantur, ibi manebant ; statio enim hic opponitur non sessioni aut prostrationi, sed motui et progressioni. Sic Magdalena dicitur stans retro secus pedes Jesu, lavisse ejus pedes : « stans, » id est procumbens, genu flexo, *Lucæ* VII, 38. *Secundo*, « stabant, » quia post prostrationem se e terra levarunt et in pedes erexerunt, ut Saulum erigerent. Solus enim Saulus in terra jacens Jesum videbat et cum eo colloquebatur, mentemque sibi mutari sentiebat. Permisit ergo Deus comites Sauli in Judaismo permanere, ut essent testes Judæis omni exceptione majores hujus miraculosæ conversionis S. Pauli, omniumque mirabilium quæ in ea acciderant. Ita S. Chrysostomus et Œcumenius.

STUPEFACTI. — Syrus, Pagninus et Tigurina, *attoniti* ; alii, *muti* : qui enim stupent, obmutescunt : pavor enim et stupor vocem eripit, æque ac mentem et memoriam : et Græcum ἐνεοὶ etiam *mutos* et *surdos* significat.

AUDIENTES QUIDEM VOCEM, NEMINEM AUTEM VIDENTES. — Dices : *Actor.* XXII, 9, contrarium dicitur, nimirum « lumen quidem viderunt, vocem autem non audierunt. » Respondeo, additur ibidem : « Ejus qui loquebatur mecum, » id est Christi, *q. d.* Meam vocem audierunt, non Christi. Ita S. Augustinus, *in Psalm.* LXVII, Lyranus, Hugo, Vatablus et alii hic. *Secundo*, dici potest eos quoque vocem Christi audisse, sed confuse duntaxat : quia attoniti vocem ejus articulatam distincte audire et intelligere non poterant.

8. SURREXIT AUTEM SAULUS. — Partim sponte sua obediens nixusque voci Christi, dicentis, « Surge ; » partim adjutus et erectus a comitibus.

NIHIL VIDEBAT. — Noster Interpres legit οὐδὲν, id est *nihil* : jam legunt οὐδένα, id est *neminem* : quod aliqui restringunt ad Christum, *q. d.* Christum non vidit amplius, quem paulo ante jacens in terra viderat. Verum eum nihil vidisse et cæcum fuisse, patet ex eo quod a comitibus in urbem trahi debuerit, ut sequitur. Christus enim sua luce magis ferit oculos Pauli, quam comitum : ille enim cæcatus fuit, non hi, ad hoc scilicet, ut eum ducere possent in urbem. Ita S. Chrysostomus et Œcumenius. Quare non est probabile quod ait Dionysius, Paulum nihil vidisse, quia mens ejus a sensibus abrepta erat in exstasin. Nam Paulum non tantum fuisse privatum usu oculorum, sed et potentia videndi, patet, quia ex oculis ejus ceciderunt squamæ, cum paulo post miraculose curatus est ab Anania. Unde sequitur immanem fuisse lucem, quæ oculos ejus instar fulguris ita perstrinxit, ut visum ei ademerit, non humorem crystallinum siccando, aut tunicas oculares lædendo, sed pelliculas quasi squamas eis obducendo, de quo vers. 18. Ubi adverte Christum hanc lucem initio temperasse, ut Paulus eum aliquo modo confuse, utpote gloriosum et luce circumdatum conspicere posset; at mox subducens se, eam intendit ut Paulus surgens senserit ea se plane cæcatum : idque *primo*, ut ex eo conjiceret Paulus quanta esset Christi claritas, potestas, majestas et gloria, ita Rupertus; *secundo*, ut exterius cæcatus, intus oculos mentis colligeret, ad considerandum ea quæ suæ salutis erant quæque Deus ab eo poscebat; *tertio*, ut per cæcitatem corporis lueret cæcitatem mentis, quam sponte induerat claudens oculos, imo resistens luci Evangelii : unde S. Bernardus, serm. 1 *De Conv. S. Pauli* : « Felix, ait, cæcitas, qua male quondam illuminati in prævaricatione, tandem in conversione oculi salubriter excæcantur ; » *quarto*, ut disceret oculos claudere rebus bonisque terrenis, et aperire cœlestibus, *q. d.* Despice terram, suspice cœlum.

AD MANUS AUTEM ILLUM TRAHENTES. — « En trahitur quasi captivus Christi, qui Christianos tracturus venerat ad carceres, » ait S. Chrysostomus. Quale spectaculum sui præbuit hic Paulus Judæis et Damascenis civibus? quale vero et quam jucundum Deo, Angelis, Ananiæ, Apostolis omnibusque Christianis?

9. ET ERAT IBI TRIBUS DIEBUS NON VIDENS, ET NON MANDUCAVIT, — orationis et pœnitentiæ causa. Nam, ut ait S. Chrysostomus, « compungebat se propter ea quæ fecerat, confitebatur, precabatur, orabat Deum. » Unde in hoc triduo didicit a Deo mysteria fidei Christianæ et Evangelii : nam illa paulo post publice cœpit prædicare, vers. 20. Quare initio epist. *ad Galat.* : « Paulus, inquit, Apostolus non ab hominibus, neque per hominem, sed per Jesum Christum. » Et vers. 12, ait se Evangelium non didicisse ab homine, sed per revelationem Jesu Christi. Hinc Beda, Hugo et Glossa censent Paulum hoc triduo fuisse raptum in tertium cœlum, II *Corinth.* XII, 2. Verum ibidem ostendi posterius illum raptum contigisse. Quod ergo Paulus ad Ananiam sit missus, non tam doctrinæ, quam curationis a cæcitate et baptismi causa fuit, ut scilicet ab eo illuminaretur et baptizaretur, ait S. Chrysostomus. Idem, hom. 4 *De Laudibus S. Pauli* : « Pauli, inquit, cæcitas totius orbis illuminatio effecta est. Quoniam enim videbat male, eum excæcavit Deus, ut utiliter jam videret in reliquum. »

Tropologice, S. Bernardus, serm. 1 *De Convers. S. Pauli* : « Sane, ait, quod triduo Paulus sine cibo manet persistens in oratione, ad eos maxime pertinet, qui noviter sæculo abrenuntiantes, necdum in cœlesti consolatione respirant. Sustineant ergo Dominum et ipsi in omni patientia, orent



sine intermissione, quærentes, petentes, pulsantes : quia exaudiet eos Pater cœlestis in tempore opportuno. »

10. ANANIAS. — Fuit hic inter fideles insignis, ait S. Chrysostomus. Imo ipse Paulus, cap. XXII, 12; S. Augustinus, lib. II *Quæst. Evang.*, Quæst. XLVII, censet eum fuisse Presbyterum, Œcumenius vero Diaconum duntaxat, sed unum e 72 Christi discipulis. Idem habet Dorotheus in *Synopsi*, qui et addit eum postea creatum fuisse Damasci Episcopum. De eo sic legimus in *Romano Martyrol.*, die 25 januarii : « Apud Damascum natalis S. Ananiæ, qui eumdem Apostolum baptizavit. Hic cum Damasci et Eleutheropoli, alibique Evangelium prædicasset, sub Licinio judice nervis cæsus et laniatus, demum lapidibus oppressus martyrium consummavit. »

Mystice, mittitur Benjamin lupus rapax, puta Saulus, ad Ananiam, id est, ad gratiam et misericordiam Dei, ut ab ea veniam obtineat et transformetur in ovem. Aliter S. Augustinus, serm. 14 *De Sanctis* : « Adductus est, inquit, ad Ananiam, et Ananias interpretatur ovis (nescio qua lingua : sane non Hebræa, nec Syra, nec Græca). Ecce lupus rapax adducitur ad ovem sequendam, non rapiendam : et ne rapientem ovis expavesceret lupum, ipse Pastor de cœlo, quia omnia faciebat, nuntiavit lupum venturum ovi, sed non sæviturum ; et tamen tam immanis fama lupum illum præcesserat, ut non posset ovis audito ejus nomine non conturbari. » Et mox : « Lupo sævitia interdicitur. Lupus ad ovem captivus ducitur. Ab Agno pro ovibus mortuo fit ovis secura de lupo. »

11. VADE IN VICUM, — in plateam. Urbs enim dividitur in regiones, regiones in vicos sive plateas, vici in domos. Unde a vico dicitur vicinus, qui in eodem vico habitat.

RECTUS, — qui erat longus et rectus, uti Romæ trans Tiberim est platea quæ vocatur *Longara*, quia longissima et rectissima.

SAULUM NOMINE TARSENSEM. — Τὸ *nomine* refer ad *Saulum*, non ad *Tarsensem*. Pauli enim nomen erat *Saulus*, cognomen vero *Tarsensis* a patria; quia natus erat Tarsi, quæ est metropolis Ciliciæ. Unde Tigurina, æque ac Græca ponunt comma post *nomine*, *q. d.* Quære in domo Judæ virum quemdam, cui nomen est Saulus; patria vero est Tarsensis. His enim indiciis Ananiæ indicat Saulum, ne pro eo alius quis ei se offerat, vel ingerat. Porro Tarsus navigationibus, mercibus et opibus adeo fuit celebris, ut ab ea mare vicinum et aliud quodlibet ab Hebræis vocatum sit *Tarsis* : quocirca Solinus Polyhistor, cap. XLVII, Tarsum vocat *matrem urbium*.

ECCE ENIM ORAT. — Nota : τὸ *enim* dat causam cur jubeat adiri Saulum, omnemque metum Ananiæ adimit, *q. d.* Ne timeas, Anania, adire Saulum, paulo ante persecutorem fidelium : jam enim non est Saulus, qui fuit : jam non perse-

quitur, sed orat, ut se ad meliorem vitam et baptismum disponat. Ita S. Chrysostomus, Hugo et Lyranus. Aliter Syrus, qui hæc nectit sequentibus. Sic enim vertit : « Ecce enim, dum ipse oraret, vidit per visionem virum Ananiam nomine. » Verum Græcus textus nostræ Latinæ versioni consentit et astipulatur.

12. ET VIDIT VIRUM. — Hic versus in Bibliis Romanis et Græcis parenthesi includitur; continet enim verba, non Christi loquentis ad Ananiam, sed Lucæ historici ea referentis, q. d. Eo tempore quo Ananias a Deo missus est ad Saulum, ipse Saulus orans per visionem, non corporalem (erat enim cæcus), sed imaginariam, vidit Ananiam ad se venientem seque curantem; idque ad hoc, ut mox veniente Anania, ex ejus voce et specie, quam in visione viderat, ab eo illuminatus eum agnosceret et reciperet quasi a Deo ad se missum.

13. DOMINE, AUDIVI. — Tanta erat Sauli sævitia, tanta furoris fama, ut ad solum Sauli nomen Ananias, licet a Deo ad eum missus, cohorresceret. Unde se excusat, q. d., ait S. Chrysostomus : « Timeo eum ne forte me in Jerusalem ducat. Quid me projicis in os leonis? cur me huic prodis? » Timet ovis ire ad lupum, nesciens lupum mutatum in ovem, uti paulo ante dixi ex S. Augustino.

14. ET HIC HABET POTESTATEM, — id est hoc in loco, puta Damasci, græce enim est ὧδε. *Hic* ergo est adverbium, non pronomen.

15. VAS ELECTIONIS (id est instrumentum singulariter electum) EST MIHI ISTE, — Saulus. Hebræi enim כלי *keli*, id est vas, vocant quodlibet instrumentum. Sic « vasa cantici, » *Amos*, VI, 5, sunt instrumenta musica; « vasa belli, » *Gen.* XLIX, 5, sunt arma et armati quibus bellatur; « vasa mortis, » *Psal.* VII, 14, sunt gladii et tela quibus mors infertur. Hinc Tigurina vertit, *organum electum*, hoc est, homo selectissimus et præstantissimus, *est mihi iste*, ait Vatablus.

Quæres, cur Paulus vocatur vas, id est instrumentum electum? Respondeo *primo*, quia Deus eum ex tot mutenis hominum millibus præ cæteris, etiam Apostolis, elegit ad evangelizandum ubique, tam Judæis, quam Gentibus. Unde hanc ejus electionem explicans, subdit : « Ut portet nomen meum coram Gentibus et Regibus, et filiis Israel. » Hinc patet Saulum in prima sui conversione accepisse Apostolatum et gratiam Apostolicam, ac a Christo creatum esse Apostolum.

*Secundo*, « vas electionis, » id est prædestinationis, *q. d.* Paulus ab æterno a Deo ad magnam gratiam et gloriam fuit prædestinatus, juxta illud *Galat.* I, 15 : « Cum autem placuit ei qui me segregavit ab utero matris meæ, et vocavit per gratiam suam. » Ita S. Hieronymus, ibidem. Simili modo Apostolus prædestinatos vocat vasa in honorem, puta aurea et argentea; reprobos vasa in contumeliam, puta lutea et fictilia, II *Timoth.* II, 20.

*Tertio*, S. Chrysostomus censet electionem hanc respicere tum indolem acrem et ardentem, tum zelum legis divinæ in Saulo, *q. d.* Deus elegit Saulum ardentem et zelantem, ut hunc ardorem et zelum corrigeret et transferret ad Christum, ut scilicet acer esset et zelosus Christi propugnator et præco. Ad tam arduum enim Evangelii et Apostolatus munus requirebatur indoles heroica, quæ adjuta et imbuta gratia Dei, omnes difficultates, pericula et persecutiones superaret. Frigidi enim et phlegmatici, esto sancti, ad tam ardua perfringenda minus idonei sunt. Unde P. Chrysostomus, quærens cur electus sit a Deo Saulus sævus et ferus? respondet, ut homo ad cædes compositus Christianorum, converteretur ad cædes errorum, ut scilicet jugularet Judaismum et Gentilismum.

*Quarto*, « vas » electum, id est sanctum, fuit Paulus, tum quia virginitatem virginumque animum jugiter in corpore illibato, quasi in vase sancto, conservavit, ut patet I *Cor.* VII, 7; ita S. Gaudentius, tract. 8, tom. II *Bibliotheca* SS. *Patrum* : nam, ut ait Cicero, *Tuscul.* I : « Corpus est quasi vas et aliquod animi receptaculum; » tum quia fuit organum Spiritus Sancti. Sicut enim in organo resonat spiritus et flatus follibus illi inspiratus, in coque suavem edit melodiam; sic in Paulo ejusque ore resonabat Spiritus Sanctus, et cœlestem edebat harmoniam, quæ homines, etiam feros et barbaros, ad se raperet, et ipsos angelos oblectaret. « Movit Amphion, » ac longe magis Paulus, « lapides canendo. » Orpheum celebrat Virgilius, IV *Georg.*, sua voce et cantu

Mulcentem tigres, et agentem carmine quercus.

Orpheus verus, Paulus, inquam, modulante per eum Spiritu Sancto, ferina et quernea saxeaque hominum corda mollivit et cicuravit. Ipse ergo fuit vas, id est organum, cithara, tibia, tuba et chelys meloda et canora Spiritus Sancti. Unde S. Hieronymus, epist. 61 *ad Pammach.* : « Ubi, inquit, electionis vas, tuba Evangelii, rugitus leonis nostri, tonitru Gentium, flumen eloquentiæ Christianæ, qui mysterium, retro generationibus ignoratum, et profundum divitiarum sapientiæ et scientiæ Dei magis miratur, quam loquitur. »

*Quinto*, fuit « vas electionis, » quia strenue et ardenter vocationi et electioni divinæ cooperatus est, juxta illud : « Gratia ejus in me vacua non fuit, sed abundantius illis omnibus laboravi. » I *Corinth.* XV, 10. Et illud : « Si quis se emundaverit ab istis, erit vas in honorem sanctificatum et utile Domino, ad omne opus bonum paratum. » Labor et amor sunt gemelli, ait Plato : quia quem quis amat, pro eo laborat, nec ullum pro amato laborem recusat, uti Paulus pro Christo, quem summe amabat, nullum recusavit, sed omnes



ambivit. Fuit ergo Paulus prodigium naturæ, miraculum gratiæ, stupor Gentium, terror Judæorum, portentum universi, Dei servus electus, Christi Apostolus selectus et dilectus. Sic heri servos electos et dilectos vocant eos qui omnia eorum jussa statim exequuntur omniaque opera et negotia illico conficiunt.

*Sexto*, sicut sol, *Eccles.* XLIII, 2, vocatur « vas admirabile opus Excelsi, » quia sol est vas lucis, quo Deus totum mundum illuminat; ita et S. Paulus, ipse enim fuit quasi sol orbis. Unde S. Chrysostomus, in cap. I *ad Roman.* : « Pauli, inquit, lingua supra ipsum etiam solem illuxit, cæteros omnes verbi doctrina exsuperans; unde a Gentilibus Mercurius esse credebatur. » *Act.* XIV, 11, et lib. I *De Providentia* : « Nullus Paulo major est, aut etiam æqualis. » Unde

*Septimo*, S. Hieronymus, in cap. VIII *Oseæ* : « Vas electionis, inquit, est Paulus, quia est vas legis, et sacrarum Scripturarum armarium. » Sicut S. Antonius de Padua ob peritiam S. Scripturæ a Pontifice vocatus est « Arca testamenti. »

*Octavo*, alii S. Paulum proprie vocari volunt « vas electionis, » quia plenus fuit sapientia et gratia, adeo ut de ejus plenitudine omnes gentes biberint. Ita Origenes, lib. III *Periarchon*, et S. Ambrosius, serm. 11 *De S. Petro et Paulo*. Hoc est quod ait Sapiens, *Proverb.* XX, 15 : « Est aurum et multitudo gemmarum, et vas pretiosum labia scientiæ.

*Nono*, S. Thomas, præfatione in *Epist. S. Pauli*, de eo explicans illud quod ab Ecclesiastico, cap. L, vers. 10, dictum est de Simone magno pontifici, « Quasi vas auri solidum ornatum omni lapide pretioso : Paulus, ait, fuit vas auri ob sapientiam, solidum ob charitatem, ornatum cæteris omnibus virtutibus. » Vide apud eum plura.

*Decimo*, Paulus fuit « vas electionis, » quia electus et destinatus fuit ad multos labores, persecutiones et tribulationes patiendum pro Christo et Evangelio. Hanc enim causam subdit Christus dicens : « Ego enim ostendam ei, quanta oporteat eum pro nomine meo pati; » de quo ibi plura.

Denique vis scire ad quanta et quam sublimia electus a Deo et evectus sit Saulus? Audi S. Chrysostomum, hom. 18 in cap. XI *ad Rom.*, in *Moral.*, ubi eum cœlo comparat et anteponit : « Cœlum namque, inquit, licet tanto sit tempore visum, non tamen admodum permovit : Paulus vero exiguo concionatus tempore, totum orbem attraxit. Cœlum enim suum servans terminum et canonem, eadem statione consistit, mentis vero Paulinæ sublimitas omnes cœlos transcendit ipsique Christo conversatur. Est autem tanta ejus pulchritudo, ut et Deus illam deprædicet. Astra quidem cum fierent, admirabantur angeli : hunc vero Deus ipse admiratus est, dicens : Vas electionis iste mihi est. Cœlum istud sæpe a nube obtegitur; Pauli vero mentem nulla obnubilavit tentatio, sed in mediis quoque tempestatibus ipsam meridiei claritudinem suo splendore superavit. Sol enim iste qui in Paulo luxit, tales radios non emittebat, qui tentationum concursu potuerint obumbrari, sed tum potissimum elucescebant. Unde et dicebat : Sufficit tibi gratia mea. Nam virtus mea in infirmitate perficitur. Æmulemur itaque illum, et nihil erit etiam nobis collatum cœlum istud, neque sol, neque universus iste mundus. »

Idem, lib. II *De Compunctione cordis* : « Paulus, ait, super terras incedens, ipsum tenebat cœli verticem, etc. Amor autem ejus, et desiderium quod habebat erga charitatem Christi, non solum tres penetraverat cœlos, sed etiam omnes omnino transcenderat, et usque ad ipsum pervenerat Christum, instar flammæ immensæ, quæ universam repleret terram, et inde ascendens, repletis omnibus, usque ad ipsa perveniret cœli fastigia; sed et inde superans omnia, etiam illum qui super cœlum est, aerem transcenderet : atque ubi et quæ ibi sunt spatia compleret, ascenderet usque ad tertium cœlum, et omnia hæc uno atque eodem igne compleret; ita ut nec terræ ullum, nec cœli, imo nec cœlorum spatium vacuum relinqueret. » Vide eumdem, in fine epist. *ad Rom.*, et homiliis octo quas de laudibus S. Pauli scripsit, in fine tom. III, ubi in octava Paulum confert et præfert omnibus non tantum Patriarchis, Prophetis et Sanctis, sed et Angelis, Cherubinis et Seraphinis. An non hic est vas electionis? Quam felices in quos cadit hæc Dei electio? Terque quaterque beati, quos Deus ab omni ævo destinavit sibi vasa electionis. Utinam et nos dignetur rara sua electione et sancta vocatione Christus amor noster; ac vicissim nos vocationi et gratiæ ejus ex æquo respondeamus, itaque eam jugiter augeamus et transcendamus. Hæc enim est unica via ad eximiam virtutem et sanctimoniam. Ora pro nobis, S. Paule, ut admirabilis tuæ electionis et vocationis participes effici mereamur. Amen.

UT PORTET NOMEN MEUM : — *Primo*, sicut præco Paulus
suo præconio audacter præfert et portat nomen portat
sui principis legislatoris, cujus leges ac edicta Christum
promulgat; *secundo*, sicut Propheta suis oraculis quintu-
portat et præfert nomen Dei dicens : « Hæc dicit pliciter.
Dominus; » *tertio*, sicut legatus libere portat et præfert nomen Regis a quo mittitur; *quarto*, sicut miles et vexillifer intrepide ac fortiter portat, præfertque nomen et insigne sui ducis; *quinto*, sicut doctor portat et præfert nomen sui Auctoris, cujus libros et doctrinam docet et explicat. Porro Paulus portavit Christi nomen in corde per amorem ardentissimum, in ore per eloquium efficacissimum, in opere per labores et passiones continuas et gravissimas, in Epistolis per sapientiam et zelum ferventissimum. Unde ait : « Ego stigmata Domini Jesu in corpore meo porto, » *Galat.* VI, 17; hæc enim stigmata sunt quasi characteres nominis Jesu.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ®
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

Coram Gentibus. — Hinc ejus titulus est, « Doctor Gentium, » I Timoth. II, 7.

Et regibus, — ut coram Agrippa rege Judææ, *Actor.* XXVI, Nerone, et aliis provinciarum, quas plurimas Evangelizando obivit, regibus. Similis fuit electio et vocatio S. Joannis Chrysostomi : Flaviano enim Patriarchæ mane oranti apparuit angelus, jussitque adire monasterium in quo monachum agebat Chrysostomus, eumque consecrare sacerdotem : « Ille enim, inquiebat, instar Pauli futurus est vas electionis et verbo comprehensurus totum orbem. » Cumque Chrysostomus, silentii et monasticos adamator, illum honorem omnesque subterfugeret, ei quoque apparuit angelus, jubens ut Flaviano non repugnaret, sed acquiesceret, dicens : « Quæ Deus statuit, quis poterit vitare? » ita habet Vita S. Chrysostomi.

Et filiis Israel. — Hi ultimo ponuntur loco, quasi digniores Gentibus, utpote qui erant filii Abrahæ, et consequenter eis proprie promissus et missus erat Christus : hos tamen infensissimos sui, æque ac Christi hostes expertus est Paulus.

16. Ego enim ostendam illi, quanta oporteat eum pro nomine meo pati. — Ostendit hoc Deus Paulo, tum per internam inspirationem (solet enim Deus instantia mala gravia Sanctis suggerere, et quasi præsagire, ut ad ea paratiores et animosiores accedant) ; tum per externam, ut cum per Agabum prædixit ei vincula quæ paulo post subiit Hierosolymis, cap. XXI, 11 ; tum per experientiam quotidianam, cum scilicet eum quotidie novas et majores experiri et subire fecit persecutiones et cruces. Sic sæpe in Scriptura « ostendere » idem est quod reipsa exhibere, præstare, facere, ut cum toties orat Psaltes : « Ostende nobis, Domine, misericordiam tuam. » Ostende, id est exhibe, præsta, fac. Et Daniel, cap. III, vers. 44 : « Confundantur omnes qui ostendunt (id est faciunt) servis tuis mala. » Et *Psalm.* IV, 7 : « Quis ostendet (dabit) nobis bona. » Et *Psalm.* L : « Ostendisti (fecisti) populo tuo dura. » Et *Psalm.* LXX, 20 : « Quantas ostendisti (immisisti) mihi tribulationes. »

Apostoli magis est pati, quam agere, et sua vocatione.

Nota : *Te* enim dat causam præcedentium, cur scilicet Paulus futurus sit vas electionis et quomodo portaturus sit nomen Christi coram Judæis et Gentibus, *q. d.* Paulus erit mihi vas electionis, quia portando nomen meum coram gentibus et regibus, multa magnaque pro me generose et constanter patietur. Unde liquet Paulum aliosque electos Dei servos, magis a Deo eligi et destinari ad multa pro eo patienda, quam agenda. Servitus enim Dei, æque ac apostolatus, magis consistit in multa passione, quam operatione : nimirum : « Fortia agere Romanum est ; fortia pati Christianum est, » imo Apostolicum et Paulinum. Nam *primo*, Paulus et Apostoli evangelizantes novam fidem et paradoxam, nimirum Christum crucifixum esse Deum et Salvatorem mundi, servandam esse continentiam, sobrietatem, mortificationem cupiditatum, etc., multos senserunt irrisores, contradictores et persecutores. *Secundo*, merito hanc pœnam Saulo pro peccatis inflixit Deus. Audi S. Augustinum, serm. 14 *De Sanctis* : « Ostende, ait, persecutori non solum bonitatem, verum etiam severitatem tuam : patiatur, quod fecit illos et pati ; qui faciebat, sentiat et ipse quod aliis inferebat. Ego, ait, illi ostendam quæ illum oporteat pati pro nomine meo : qui faciebat contra nomen, patiatur pro nomine. O sævitia misericors ! Vides illum præparare ferrum, secturus est, non perempturus. » *Tertio*, quia Christus multo plura pro eo et ab eo passus erat : decuit ergo ut et ipse vicem rependeret Christo, et multa pateretur pro eo. *Quarto*, quia decuit prædicatorem Christi crucifixi eum magis prædicare exemplo, quam verbo : hoc enim efficacius est magisque persuadet. *Quinto*, quia actus majoris fortitudinis est fortia pati, quam agere, utpote longe difficilior. *Sexto*, quia amor ille ardens, ipsi a Christo inditus satiari non poterat, nisi magnis multisque laboribus et tribulationibus pro eo toleratis. Unde ipse ait : « Gloriamur in tribulationibus, » *Roman.* V, 3 ; præsertim quia videbat se a Christo tantopere diligi, tot beneficiis affici, ac nominatim divinis consolationibus affluere in mediis persecutionibus. « Quoniam, ut ipse expertus ait II *Cor.* I, 5, sicut abundant passiones Christi in nobis, ita per Christum abundat consolatio nostra : » quantum ergo crescebat tribulatio et desolatio, tantum quoque crescebat Dei consolatio.

Porro quanta et quam gravia assidue pro Christo passus sit Paulus, patet tum ex sequentibus capitibus hujus libri usque ad finem, tum ex Epistolis S. Pauli, ac præsertim toto cap. XI epist. II *ad Corinth.* Christus enim ei magnam præparat in cœlis gloriam et coronam, quæ ei promerenda erat per magnos labores et dolores. « Non enim sunt condignæ passiones hujus temporis ad futuram gloriam, quæ revelabitur in nobis, » *Rom.* VIII, 18. Quocirca summa dignitas et gloria est, multa magnaque pati pro Christo : quam Deus non omnibus, sed electis et dilectis suis dat, ut S. Paulo et similibus. Vide dicta cap. VI, 41.

Simili visione et multa patiendi symbolo S. Franciscus Xaverius cœlitus evocatus, et quasi auctoratus est Indorum Apostolus. Dum enim Romæ in hospitali domo ægris ministraret, in somnis revelavit et repræsentavit ei Deus ingentes labores et ærumnas, quos in India pro sui nominis gloria erat subiturus. Quos intuens Xaverius alacer : « Plus, inquit, Domine, plus, plus ; » idque iteravit voce tam alta, ut P. Simonem Rodericum, cubiculi socium, e somno excitaret et percelleret. Idem sibi visus est in somnis sæpius, humeris gestare Indum atrum instar Æthiopis, adeo gravem, ut sub tanto onere non posset caput attollere. Id ipse referens P. Jacobo



Laynez tum socio suo : « Adhuc, ait, ex hoc somnio tantam corporis fatigationem et quasi contusionem in membris persentisco, ac si reipsa cum Indo illo luctatus essem. » Ita inter alios refert P. Lucena, gravis theologus, lib. I *Vitæ Xaverii*, cap. VII.

17. Imponens ei manus. — Calvinus censet Ananiam Saulo impendisse sacramentum Confirmationis. Hoc enim vocatur impositio manuum. Unde infert illud non a solis Episcopis, sed et a Presbyteris aliisque (talis enim erat Ananias) posse conferri. Sed errat : nam necdum baptizatus erat Saulus ; ergo hæc impositio manuum non fuit Confirmatio, quæ sequi debet baptismum ; sed partim fuit curatio et illuminatio Sauli, juxta illud Christi, *Marci* cap. ult. : « Super ægros manus imponent, et bene habebunt ; » partim fuit dispositio et præparatio ad baptismum. Sic enim catechumenis olim manus imponebantur a sacerdote, ut pro eis oraret eisque Dei benedictionem imprecaretur : cujus cæremoniæ testes sunt S. Dionysius, *Eccles. Hier.*, cap. *De Baptismo* ; S. Cyprianus, *epist.* 56 ; S. Augustinus, lib. *De Fide et Oper.*, cap. IV ; et Concilium Carthag. IV, *can.* 85. Adde, peculiaria multa fuisse in Saulo : vocatus enim e cœlo, edoctus a Christo, rem Sacramenti percepit sine Sacramento, puta repletus est Spiritu Sancto, qui est effectus sacramenti Confirmationis, sine hoc sacramento. Denique repletus est Spiritu Sancto non per manuum Ananiæ impositionem, ut vult Calvinus, sed per baptismum, ut mox dicam.

Impositio manuum Ananiæ qualis?

Saule frater. — Olim Christiani invicem vocabant se fratres, et feminas sorores, scilicet spiritu, non carne : nam omnes eodem baptismo renati, eumdem habebant patrem Christum, et eamdem matrem Ecclesiam, in qua magis amice et concorditer vivebant, quam germani fratres in eadem paterna domo. Esto enim Paulus necdum reipsa esset Christianus, quia necdum baptizatus, voto tamen erat eoque ardentissimo ; jam enim plane fidem, amorem et spiritum Christi induerat.

Dominus misit me Jesus. — « Nomen Jesus interponit, ut significet illius virtute afferri sanitatem, sicut significavit Petrus, cum claudo gressum restituit, » cap. III, 6, ait S. Chrysostomus. Manum ergo Saulo imponens, nominando et tacite invocando Jesum, cæcitatem discussit, eique visum restituit.

Ut videas (per hanc manuum mearum impositionem, Jesuque invocationem), et implearis Spiritu Sancto, — in baptismo, quem mox tibi conferam. Id ita esse patet ex eo quod proxime sequitur : « Et confestim ceciderunt ab oculis ejus tanquam squamæ, et visum recepit. » Ubi nihil additur de Spiritu Sancto, sed de eo subdit :

18. Et confestim ceciderunt ab oculis ejus tanquam squamæ, — similes squamis piscium, inquit Lyranus et Cajetanus. Hinc videtur quod cæcitas Pauli non fuerit intrinseca, nimirum sita in læsione organi, puta in desiccatione vel extinctione humoris crystallini, vel tunicæ ocularis ; sed extrinseca, scilicet quod oculi ejus obducti fuerint pelliculis, quasi squamis. Similis fuit Tobiæ cæcitas, quæ naturaliter felle piscis discussa est. Unde de ea cap. XI, 14 : « Et cœpit, ait, albugo ex oculis ejus, quasi membrana ovi egredi, quam apprehendens Tobias traxit ab oculis ejus, statimque visum recepit. » Sicut ergo stercus hirundinum cadens in oculos Tobiæ, ibique cum affluente ex cerebro humore, sive pituita concrescens, eos pellicula obduxit et cæcavit, ita et hic lux illa feriens oculos Pauli, suo calore et occulta vi humores ex cerebro in oculos deduxit, ibique eos coagulavit, ut in pelliculas instar squammarum duras concrescerent, itaque oculos obtegerent et cæcarent. Similis cæcitas multis hodie obvenit ex humore defluente, in pelliculam concreto, oculosque velante, quam periti chirurgi sæpe arte sua curant, acu pelliculam auferentes. Verum in Paulo pelliculæ et cæcitatis ablatio fuit miraculosa, quia sola impositione manuum Ananiæ et invocatione nominis Jesu illico facta : nec enim Ananias felle piscis extergente, vel acu educente pelliculam et squamam exemit.

Tropologice : S. Gregorius, lib. XXXIII *Moral.*, cap. XXIV, per squamas accipit velamen carnalis sapientiæ, aut excusationum et hypocriseos : « Carnalis tegumenti duritia, ait, illum (Saulum) presserat, et idcirco radios veri luminis non videbat. Sed postquam superbæ repugnationes ejus victæ sunt, defensionum ejus squamæ ceciderunt corporis, sed ante jam sub Dominica increpatione ceciderant ab oculis cordis, cum prostratus dixit : Domine, quid me vis facere ? Repulsis videlicet squamis, jam ad cordis viscera veritatis sagitta pervenerat, quando deposita elatione superbiæ, eum quem impugnaverat Dominum confitens, et quid ageret nesciens requirebat. Unde audivit : Ego sum Jesus, *q. d.* Humilitatis meæ infirma suscipe, et tuæ superbiæ squamas amitte. Sciendum tamen est, quod istæ defensionum squamæ, quamvis pene omne humanum genus contegant, hypocritarum tamen specialiter et callidorum hominum mentes premunt. Ipsi enim culpas suas tanto vehementius confiteri refugiunt, quanto se citius videri ab omnibus peccatores erubescunt. Correpta itaque sanctitatis simulatio, et malitia occulta deprehensa squamas objicit defensionis, et veritatis gladium repellit. » Hypocritæ ergo et sui amatores cæci sunt. Simulatio enim squama est, calva excusatio squama est, amor sui squama est, quæ eis velat oculos mentis, visumque veritatis adimit. Sed has squamas Jesus per Ananiam, id est per gratiam Dei, perque concionatores, confessarios aliosque viros spiritales dissolvit et discutit.

Moraliter de squamis excusationum.

Et surgens baptizatus est. — Nec enim ante

baptismum repletus fuit Spiritu Sancto, præsertim cum hic descensus et repletio Spiritus Sancti illo tempore fieret per signum visibile ignis, aut linguarum ignearum. Hoc autem signum ordinarie non dabatur nisi in Confirmatione, et subinde in Baptismo; uti hic in gratiam Pauli, in eo dedit illud Deus. Alia fuit ratio in descensu Spiritus Sancti ad concionem Petri super Cornelium, antequam baptizaretur, cap. x, 44, ut ibi dicam. Addit Nyssenus, orat. *De S. Basilio*, et S. Hieronymus, in *Ezech.* I, Paulum visum recepisse, non per impositionem manuum Ananiæ, sed per baptismum; ut sit hoc loco hysterologia. Verum contrarium est verius, uti jam dixi; id enim exigit ordinata series contextus. Ita passim interpretes. Addit Paulus, *Actor.* XXII, 14, Ananiam sibi exhortando dixisse: « Deus patrum nostrorum præordinavit te, ut cognosceres voluntatem ejus, et videres justum (Christum) et audires vocem ex ore ejus; quia eris testis illius ad omnes homines, eorum quæ vidisti et audisti: Exsurge et baptizare, et ablue peccata tua. »

Et baptizatus est. — Licet enim jam ante cum diceret: « Domine, quid me vis facere? » per contritionem ei dimissa essent peccata, tamen hæc contritio includebat votum et obligationem baptismi: qua proinde hic se exsolvit Saulus. Rursum baptizatus est, ut Christianismo initiaretur, utque fieret capax Confirmationis, Ordinationis cæterorumque Sacramentorum: horum enim janua est baptismus.

Censet S. Ambrosius, serm. 31, Saulum in baptismo mutasse nomen, vocatumque esse Paulum. Verum contrarium verius est, de quo cap. XIII, 9.

Porro, per baptismum Saulus recepit Spiritum Sanctum ejusque plenitudinem. In baptismo enim omnia peccata, et omnes peccatorum pœnæ abluuntur, ac infunditur gratia, charitas, omnesque virtutes et dona Spiritus Sancti. Quare non est verisimile Saulum horum plenitudinem recepisse per nudam impositionem manuum Ananiæ, quæ non erat Sacramentum, sed mera cæremonia et orationis symbolum. Ergo recepit eam per baptismum, qui est primum et præcipuum Christi et Ecclesiæ Sacramentum. Porro ex speciali Dei dono Saulus, utpote Apostolus, et mox futurus prædicator, longe majorem in eo recepit plenitudinem, quam cæteri fideles.

19. Et cum accepisset cibum, confortatus est. — Nam, ut ait S. Chrysostomus, « debilitatus erat ex itinere, et ex metu, et ex jejunio, et ex tristitia, » puta compunctione animi.

Quæres, quoto anno a nativitate et passione Christi, conversus est Paulus? Respondent aliqui, conversum esse anno proximo a passione Christi, qui fuit ab ejus nativitate 35, anno enim 34 passus est Christus in martio, et eodem, in decembri die 26, lapidatus est Stephanus: inde fere post mensem, puta anno 35 Christi, die 25 januarii, conversus est S. Paulus. Favet, quod precibus S. Stephani, dum lapidaretur, conversus sit Paulus: ergo mox a lapidatione ejus: alioqui enim preces ejus per annum integrum, quo permissus est in Ecclesias grassari Saulus, fuissent inefficaces et quasi irritæ. Ita Eusebius, in *Chronico*; Guilielmus Durandus, lib. VII *Rationalis Divin. Offic.*, cap. IV; Christophorus a Castro, in *Chronol. Deiparæ*; et Adrichomius, in *Chronolog.*, qui ait Paulum conversum anno 35 Christi feria quarta, sive die mercurii. Huc etiam reduci possunt Hippolytus Thebanus et Evodius, qui dicunt Stephanum septimo anno a morte Christi passum, et mox ab ejus nece conversum esse Paulum: ibi enim pro *anno* videtur legendum *mense*, ut dixi cap. VII, vers. 57. Porro paradoxum est quod scribit Chronicon Alexandrinum, Stephanum lapidatum esse anno primo Claudii Imperatoris, et Paulum conversum anno secundo ejusdem. Annus enim primus Claudii incidit in annum a Christi nativitate 43, qui fuit a morte et ascensu Christi nonus.

Ex adverso alii putant Paulum conversum esse anno 2 a morte Christi, qui ab ejus natali fuit 36, ita ut precise a die mortis Christi usque ad diem conversionis S. Pauli, intercesserit biennium, exceptis duobus mensibus, qui fluxerunt a die 25 januarii, quo conversus est Paulus, usque ad diem 25 martii, quo passus est Christus, uti eodem ante 34 annos fuerat annuntiatus et conceptus, factus homo in utero Virginis. Ita censent Œcumenius, Sanchez, Lorinus, Baronius et Pererius in *Prolegom. epist. ad Roman.*, disput. I, num. 24. Favent Martyrologium Romanum, et Usuardi, et Isodorus, lib. *De Vita et Morte Sanctorum*, cap. LXXI, qui dicunt Paulum conversum anno 2 ab ascensione Christi. Licet enim alii ad hoc respondeant, hos auctores computare annum 1 ab ascensione cum qui immediate ab ascensione fluxit usque ad Calendas januarii, quibus inchoabatur novus annus, isque secundus, tamen communiter aliter loquuntur et computant homines, et per annum secundum significant biennium. Favet et ratio, quia quæ narrat Lucas post necem S. Stephani de persecutionibus Sauli, de conversione Samariæ, de itineribus et gestis Philippi, deque Ecclesia jam collecta Damasci, non videntur fieri potuisse uno mense, sed facile unum annum requirunt; nisi quis dicat multa ex illis post conversionem S. Pauli contigisse, Lucam vero ea præposuisse, ut simul gesta Philippi, qui S. Stephano successit, pertexeret. Hæc sententia, uti communior et Martyrologiis conformior, ita et verior videtur. Permisit ergo post preces Stephani Deus adhuc annum integrum sævire Paulum, ut totum malitiæ virus exprомeret, itaque facilius curaretur, utque eo major ipsius gratia et potentia in eo convertendo toto orbe splendesceret: suorum enim preces esto exaudiat Deus, non tamen statim adimplet, sed tempore suis consiliis et decretis opportuno et commodo. Unde prius



permisit eum grassari in Christianos per totam Judæam, antequam iret et vexaret exteros, puta Damascenos, ut ipse insinuat cap. XXVI, 11, ubi ait se per omnes Synagogas eos esse persecutum. Idem insinuatur cap. VIII, 2. Hoc autem facere non potuit uno mense, sed uno anno. Judæa enim est ampla et vasta, præsertim quia, ut ibidem dicitur vers. 3, Saulus scrutabatur singulorum domos, et fideles, occiso Stephano, dispersi sunt per omnes regiones Judææ et Samariæ, quos omnes Saulus spirans minarum capere et exstirpare satagebat.

Hinc sequitur Saulum conversum esse anno ætatis 34, ac totidem deinde annos serviisse Christo; defunctus enim est anno ætatis 68, ait S. Chrysostomus, quem citavi *Proœmio* in S. Paulum. Quare quod quidam citant S. Chrysostomum, hom. *De Princip. Apost.*, dicentem de Paulo: « Triginta quinque annis servivit Domino cum omni promptitudine, » indeque colligunt Paulum conversum esse anno Christi 35 ineunte, non 36; ego hucusque in S. Chrysostomo non reperi. Sed si id dicat S. Chrysostomus, secutus videtur Chronicon Eusebii tunc recens editum, quod necem Pauli consignat anno Neronis 14, qui fuit Christi 70. Si enim numeres annos Christi a 36 quo conversus est Paulus, usque ad 70 quo in Chronico Eusebii ponitur occisus, invenies annos Pauli post conversionem 35. Verum errat hic Chronicon. Nam S. Petrum et Paulum occisos esse anno Neronis 13, non 14, convincit ex eo Baronius, quod anno 14 die 29 junii, quo occisi sunt Apostoli, Nero non erat in vivis; occisus enim est sub initium junii ejusdem anni 14. Hoc ergo Baronii computu dicendum est Paulum 34, non 35 annos serviisse Christo.

Fuit autem cum discipulis, qui erant Damasci, per dies aliquot. — S. Chrysostomus legit, *per dies tres*: pro τινὰς enim, id est *aliquot*, legit τρεῖς, id est *tres*: qui et causam hujus mansionis subdit: « Consolatio, ait, ista adducto (converso) Paulo, compensat mœrorem quem ex morte Stephani fideles conceperant: nec facile potest æstimari quanto cuncti gaudio triumpharent, et quas Deo gratias agerent, et Saulo gratulationes exhiberent. »

20. Et continuo (εὐθέως, id est *confestim*) in Synagogis prædicabat Jesum. — Hinc patet Paulum illo triduo quo cæcus mansit Damasci, a Christo fuisse edoctum, et accepisse scientiam infusam, et intelligentiam Scripturarum de Christo: illico enim cœpit eum prædicare, et cum Judæis doctissimis disputare eosque convincere. Nota hic miram mutationem Pauli, animos et ignes subitos. « Non erubescebat, ait Chrysostomus, mutationem, neque formidabat destruere ea in quibus antea clarescebat. »

Vis Spiritus Sancti. Hæc nimirum est vis et energia Spiritus Sancti, de qua præclare S. Gregorius, hom. 30 *in Evang.*: « Ecce apertis, ait, oculis fidei David, Amos, Danielem, Petrum, Paulum, Matthæum intueor, et sanctus iste Spiritus qualis sit artifex considerare volo, sed in ipsa mea consideratione deficio. Implet namque citharædum puerum (Davidem), et Psalmistam facit. Implet pastorem armentarium sycomoros vellicantem, et Prophetam facit. Implet abstinentem puerum, et judicem senum facit. Implet piscatorem, et prædicatorem facit. Implet persecutorem, et doctorem Gentium facit. Implet publicanum, et Evangelistam facit. O qualis artifex est iste Spiritus! nulla ad discendum mora agitur in omne quod voluerit. Mox enim ut tetigerit mentem, docet; solumque tetigisse, docuisse est. Nam humanum animum subito ut illustrat, immutat; abnegat hoc repente quod erat, exhibet repente quod non erat. Pensemus sanctos prædicatores nostros, quales hodierna die reperit, quales fecit, » etc.

Quoniam (ὅτι, id est *quod*) is esset Filius Dei. — Ita Tigurina, Pagninus et alii.

21. Stupebant autem omnes, — Judæi scilicet, et Gentiles infideles, ait S. Chrysostomus; quin et fideles ac Christiani mirabantur tantam et tam subitam in Saulo mutationem, ut, sicut de Saule prophetante dicebant: « Num et Saul inter Prophetas? » I *Reg.* X, sic et de Saulo dicerent: « Num Saulus inter Apostolos? Numquid ille Jesum prædicat, qui Jesum persequi solebat? » ait S. Gregorius, lib. IV in lib. I *Reg.* cap. X.

Qui expugnabat, — ὁ πορθήσας; Tigurina, *qui grassabatur*; Vatablus, *qui vastabat*, vel *populabatur*. « Expugnabat » ergo, id est oppugnabat, expugnare et extinguere satagebat: sumitur enim in actu inchoato, non perfecto: nec enim Ecclesia, nec fideles in fide constantes ulla persecutione expugnari vel everti possunt. Sic ait Psaltes, *Ps.* CXXVIII, 1: « Sæpe expugnaverunt me a juventute mea, » id est oppugnaverunt; nam sequitur: « Etenim non potuerunt mihi, » *q. d.* Oppugnaverunt me, sed non prævaluerunt, non expugnarunt. Mirantur merito, quod Saulus paulo ante acer oppugnator Ecclesiæ, illico fiat acrior ejusdem propugnator.

22. Saulus autem multo magis convalescebat, — id est *invalescebat*, ut vertit Tigurina, valentior fiebat, majores vires et animos sumebat, validius oppugnabat Judæos.

Et confundebat Judæos, — συνέχυνε, id est *conturbabat*; Syrus, *terrebat*. Confundere ergo hic proprie non significat pudore afficere, sed commovere, conturbare, perplexos reddere: ut nescirent quomodo se expedirent et Pauli argumenta solverent.

Affirmans, — συμβιβάζων, id est *conferens optansque*, nempe tempora promissi Messiæ et oracula Prophetarum inter se comparans et componens, confirmansque ex omnium collatione atque convenientia, Christum crucifixum esse semen illud benedictum Abrahæ et Prophetis promissum, in quo benedicendæ, id est justificandæ et salvandæ,

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

erant omnes gentes, hoc est Christum esse Messiam, salvatorem et redemptorem mundi. Congerebat enim Saulus testimonia de Christo ex Mose, Isaia, Jeremia aliisque Prophetis, ac ostendebat omnia inter se congruere; nec aliud dicere, quam «quoniam,» id est quod «hic» Jesus a Judæis crucifixus, «est» Messias, sive «Christus.»

23. Cum autem implerentur dies multi, — puta post triennium. Nam Saulus Damasco abiit in Arabiam, inde rediit Damascum, ubi hæ ipsi positæ sunt insidiæ, quas effugiens profectus est Hierosolymam, uti ipse narrat *Gal.* I, 17 et 18. Vide ibi dicta. Nam si hæc ejectio Sauli e Damasco contigisset ante hoc triennium, puta ante ejus abitum in Arabiam, uti nonnulli volunt, ita ut tunc e Damasco occulte debuerit fugere, imo dimitti per murum in sporta; certe eodem palam post triennium non fuisset reversus, conjecisset enim se in manifestum vitæ periculum. Ita Baronius.

24. Custodiebant autem et portas. — Persuaserant enim Judæi Aretæ, regi Damasci Saulum esse proditorem et exploratorem, uti dixi II *Cor.* XI, 32. Vide ibi dicta.

26. Cum autem venisset in Jerusalem, tentabat se jungere discipulis, — id est Christianis, præsertim Petro et Apostolis: videndi enim Petri, utpote Apostolorum et Ecclesiæ Principis, causa fatetur se ivisse Hierosolymam, *Galat.* I, 18. Pro *jungere* Græce est κολλᾶσθαι, id est *se agglutinare;* sicut enim charta chartæ glutino, ita Christianus Christiano charitate agglutinatur: licet enim triennium jam a Pauli conversione esset exactum, tamen quia ipse toto eo tempore delituerat in Arabia, idcirco ejus conversio et mens multis adhuc erat incognita, et suspecta ob priorem ejus vitam, acremque fidelium persecutionem, ne forte fingeret se conversum, ad explorandos et divexandos Christianos: uti faciunt proditores Christianorum in Anglia.

27. Barnabas autem, — qui noverat intime Sauli indolem et mores, certoque cognoverat ejus conversionem, utpote Saulo a puero familiaris et condiscipulus sub Gamaliele magistro, quique continuo eum ad conversionem sollicitabat, ut habet ejus Vita. Hic ergo duxit Saulum ad Apostolos, ut ab eis non tantum inter Christianos, sed et inter Apostolos admitteretur, utpote a Deo creatus Apostolus, imo electus in vas electionis.

Et quomodo in Damasco fiducialiter egerit in nomine Jesu, — ἐπαῤῥησιάσατο, id est manifeste, libere, fidenter egisset in nomine Jesu, hoc est, magna libertate, fiducia, audacia et fortitudine in Synagogis Judæorum docuisset et demonstrasset Jesum esse Christum, sive Messiam. Vide de hoc verbo ea quæ notavi cap. IV, 29.

Nota: «In nomine Jesu,» hoc est nomine Jesu, pro Jesu. Ita Tigurina. Vel, ἐν, id est *de* nomine Jesu, docens scilicet eum esse Jesum, id est salvatorem mundi. *Tertio*, verti potest, *quomodo fiducialiter docuerit in nomine Jesu*, id est nomen Jesu, puta Jesum vere esse Jesum, id est salvatorem mundi. Verba enim contactus, tum corporalis, tum spiritualis, qualis est docere (vox enim Doctoris tangit aures mentemque discipuli) apud Hebræos construuntur cum ablativo mediante propositione ἐν, ut tangere in manu, est tangere manum; percutere in capite, est percutere caput: sic docere in nomine Jesu, est docere nomen Jesu, puta Jesum: nomen enim metonymice pro re cujus est nomen, puta pro persona nominata ponitur.

28. Et erat cum illis intrans et exiens. — id est familiariter, jugiter et ubique commanens et conversans: intrare enim et exire, Hebræis significat quemlibet actum, *q. d.* Quidquid ageret, hoc agebat cum illis, continuo et perpetim versabatur cum illis. Vide dicta cap. I, 21.

29. Loquebatur quoque Gentibus. — Vox *Gentibus* non est in Græco, nec Syro, nec Latino Gothico, teste Mariana, nec in Beda, nec in Chrysostomo aliisque Græcis Interpretibus; unde Mariana censet eam redundare. Romani tamen Codices jussu Clementis VIII emendati eam habent, uti et cæteri Latini. Porro non est verisimile Saulum hic prædicasse Gentilibus; hoc enim primum jussu Dei fecit Petrus Cornelio Centurioni, ut audiemus cap. seq.: nec Judæi etiam ad Christum conversi, passi fuissent eum evangelizare Gentibus, uti hac de causa expostularunt cum S. Petro, cap. XI, vers. 3. Dici ergo potest *primo*, eosdem hic esse *Græcos* et *Gentes*: voluit enim Lucas explicare quænam essent hæ Gentes, vocando eas Græcos. Pro Græcis autem Græce est non Ἕλληνας, sed Ἑλληνιστὰς, id est *græcizantes*, hoc est, Judæi in Græcia, puta inter Gentes nati, vel educati et conversati; aut, ut Syrus vertit, *Judæi qui sciebant græce*. Idem ergo est «loquebatur Gentibus,» quod «disputabat cum Græcis,» puta cum Judæis e Græcia venientibus. «Gentes» ergo hic vocantur Judæi inter Gentes nati, vel conversati. Hi enim vocantur Græci, Græce Ἑλληνισταί: illo enim tempore Græcus idem erat quod Gentilis, uti dixi cap. VI, 1.

*Secundo*, respondet Bellarminus, lib. I *De Romano Pontif.*, cap. XXII, Saulum disputasse cum Gentibus, non eas ad fidem pertrahendo, sed fidem Christianam ab earum calumniis defendendo.

*Tertio*, «Gentes» hic accipi possunt Gentiles proselyti, hoc est conversi ad judaismum: illi enim utpote religione jam Judæi, capaces erant Christianismi.

*Quarto*, si omnino velis hic accipere Gentiles manentes in gentilismo, dicito cum Sanchez hæc contigisse post conversionem Cornelii a S. Petro, cap. X, qui aperuit ostium fidei et Ecclesiæ Gentilibus. Nam hæc contigerunt post triennium a conversione S. Pauli: triennio enim egit in Arabia, ut dixi vers. 23; inde rediens Damascum,



ob insidias Judæorum fugit Jerusalem, ibique locutus est Gentibus, ut hic dicitur. Quare cum Paulus conversus sit anno Christi 36, adde triennium, habebis annum Christi 39, quo vel post quem hæc contigerunt: ante quem videtur conversus a Petro Cornelius, de quo cap. seq. Est ergo hic hysterologia. Voluit enim Lucas pertexere res Pauli continuo filo, deinde aggredi gesta S. Petri.

Illi autem quærebant occidere eum. — «Propter adeo acrem efficacemque disputationem ejus pro nomine Christiano,» ait S. Chrysostomus. Verisimile enim est eum disputasse cum sua Synagoga Judæorum, qui erant e Cilicia, de qua cap. VI, 9, qui uti lapidarant Stephanum, ita et lapidare cogitabant Saulum, eo magis, quod is quasi Synagogæ transfuga et proditor, Christianorum acerrimus esset propugnator. Ipse enim, utpote Tarsensis et Cilix, olim cum S. Stephano fuerat e Synagoga Cilicum.

30. Deduxerunt eum Cæsaream. — Quæ a Philippo Tetrarcha cognominata est *Philippi*. Syrus ait nocte deductum, ut scilicet nocte silenti securius abiret. Porro videtur abiisse jussu Dei, sibi apparentis in templo, uti ipse ait, cap. XXII, vers. 17; illa enim ejus visio quæ illo cap. enarratur, videtur hoc tempore contigisse. Porro fugit Paulus, non ex metu, sed ex fortitudine. «Fortis enim prædicator Dei teneri intra claustra noluit, quia certaminis campum quæsivit,» ait S. Gregorius, II *Dial.*, III.

31. Ecclesia. — Græce ἐκκλησίαι, id est *Ecclesiæ* in plurali: plures enim erant particulares per Judæam, Galilæam et Samariam Ecclesiæ, quæ unam conflabant totalem et universalem.

Habebat pacem. — Jam enim a persecutione et nece Stephani, qui occisus est anno Christi 34, in fine, agebatur annus quintus, puta annus Christi 39, uti paulo ante dixi: quo pariter anno, imperii sui ultimo Tiberius Cæsar, teste Eusebio in *Chron.*, audiens mira quæ Christus gesserat in Syria, eum ut Deum habendum et colendum censuit, qua de re retulit ad Senatum: «Senatus quia non prior probaverat, respuit. Cæsar in sententia mansit, comminatus periculum accusatoribus Christianorum,» ait Tertullianus, *Apolog.*, cap. V. Atque hæc non parva pacis Ecclesiæ fuit causa: ita Deus persecutioni pacem, tristibus læta submittit, nimirum «post nubila Phœbus.»

Ædificabatur, — crescebat numero et virtute fidelium: hi enim quasi lapides vivi ædificant domum Dei, quæ est Ecclesia, *ad Ephes.* cap. II, vers. 20.

Ambulans in timore Domini. — Timor hic filialis est idem cum charitate. Charitas enim sicut unice amat Deum, ita summe timet et cavet ne qua re eum offendat. Hic est timor Sanctorum, de quo Psaltes: «Timete Dominum omnes Sancti ejus, quoniam nihil deest timentibus eum.» Et *Ps.* II: «Servite Domino in timore, et exultate ei cum tremore.» *Prov.* XIV: «Timor Domini fons vitæ.» *Eccli.* I: «Timor Domini, gloria et gloriatio.» Et cap. XXI: «Consummatio timoris Dei, sapientia.» Et cap. XXV, 15: «Timor Dei super omnia se superposuit. Beatus homo, cui donatum est habere timorem Dei: qui tenet illum, cui assimilabitur? Timor Dei initium dilectionis ejus.» Et cap. XL, vers. 28: «Timor Domini sicut paradisus benedictionis, et super omnem gloriam operuerunt illum.»

Et consolatione. — Græcum παρακλήσει tria significat, scilicet *consolationem*, *exhortationem* et *patrocinium*: inde Spiritus Sanctus est et dicitur Paracletus, quia hæc tria Sanctis præstat. Unde Græca et Syra habent, *et consolatio Spiritus Sancti multa erat*, juxta illud *Psal.* XXX, 20: «Quam magna multitudo dulcedinis tuæ, Domine, quam abscondisti timentibus te!» Hoc est manna absconditum vincenti promissum et datum, *Apocal.* II, 17. Vide ibi dicta. His divinis solatiis abundabat in Indicis laboribus S. Xaverius, quando clamabat: «Satis est, Domine, satis est: nec enim cor humanum in hac vita tantum voluptatis tuæ torrentem capit.» Et Psaltes, *Psal.* LXXVI: «Renuit consolari anima mea: memor fui Dei, et delectatus sum.» Præclare S. Bernardus, serm. *De Verbis Apostoli*, Non est regnum Dei esca et potus. «Gaudium, inquit, de regno Dei, etc., est gaudium in Spiritu Sancto. Unde autem hoc gaudium, nisi de justitia et pace procedit? Ipsa ergo procedant tanquam cellulæ mellis.» Et mox: «Hoc est duplex gaudium quod habes in Spiritu Sancto, de memoria futurorum bonorum, et malorum præsentium tolerantia.» Idem serm. 4 *in Vigilia Nativitatis*: «Gaudete in Domino semper, iterum dico, gaudete. Gaudete de exhibitione, iterum gaudete de promissione: quoniam et res plena gaudio, et spes plena gaudio est. Gaudete, quia jam percepistis dona sinistræ: gaudete, quia exspectatis præmia dextræ. Læva, inquit, ejus sub capite meo, et dextera illius amplexabitur me. Læva quidem levat, dextera suscipit. Læva medetur et justificat, dextera amplectitur et beatificat. In læva ejus merita, in dextera vero præmia continentur.» Plura vide apud S. Augustinum, concion. 20 *in Psal.* CXVIII; Gregorium, hom. 36 *in Evang.*; Chrysostomum, hom. 1 in II *ad Corinth.*; Cassianum, *Collat.* IV, cap. V; S. Bernardum, in *Cantic.* serm. 1, 2, 3, 74, etc.

32. Dum pertransiret universos (1), — tanquam caput fidelium lustrans universos, sicut princeps perambulat regiones sibi subjectas, omnia lustrans, omnibus providens et jus dicens. «Perambulare» enim in Scriptura est principum, et denotat auctoritatem et jus regendi, uti ostendi *Zachar.* I, 10 et 11. «Sicut dux in exercitu, inquit

(1) Aliam hic Lucas incipit sectionem, enarrans quæ Petrus susceperit, ut conditas in Palæstina Ecclesias visitaret. Conf. Sepp, ibid. p. 87.

Chrysostomus, obambulans considerabat quæ pars sit coadunata, quæ ornata, quæ suo adventu egeat : vide illum ubique circumcursare et primum inveniri. »

Moraliter, discant hic Pastores a Principe Pastorum obire et visitare suos subditos, uti inter alia mandat Concilium Tridentinum, *sess.* XIV, cap. III *De Reformat.*, nimirum : « A bove majori discit arare minor. »

*S. Petrus ponit cathedram Antiochianam Christi 23.*

Nota : Multa hic omittit Lucas, ut quod S. Petrus in hoc transitu (quem ad biennium durasse censet Baronius) devenerit Antiochiam, ibique quasi in metropoli Syriæ, ad quam magnus erat Judæorum confluxus, et ad quam multi Christiani in dispersione facta post necem Stephani, profugerant, fixerat cathedram pontificiam, fundando Ecclesiam Antiochenam (quam postea prædicando auxerunt Saulus et Barnabas, ita ut discipuli primum Antiochiæ cognominati sint Christiani, cap. XI, vers. 26), quod S. Hieronymus, in cap. II *ad Galat.*, et Eusebius, in *Chron.*, eum fecisse censent anno ultimo Tiberii, qui fuit Christi 38; licet Baronius et alii anno sequenti, qui fuit Caii Caligulæ imperatoris primus, et Christi 39, idipsum factum putent. Sedit autem S. Petrus ibidem Pontifex per 7 annos, scilicet usque ad annum 2 Claudii, qui fuit Christi 44, quo Romam pergens, ibique Romanam Ecclesiam erigens, eo cum sua persona cathedram Pontificiam, omneque jus summi Pontificii transtulit, uti ex S. Gregorio, Damaso et aliis ostendit Baronius anno Christi 39. Ubi et refellit Onuphrium Panvinium, qui contra veterum consensum, censet S. Petrum primum fundasse Ecclesiam Romanam, deinde Antiochenam. Porro dicitur fixisse ibi cathedram, non quod illi urbi affixus fuerit, et nunquam ex ea pedem extulerit, hoc enim falsum est : circumibat enim visitando fideles aliarum urbium et evangelizando infidelibus; sed quod illam Ecclesiam primam fecerit Orientalium omnium, utpote cujus ipse erat Episcopus, qui simul erat Pontifex orbis. Illius ergo Episcopatui annexuit pontificatum, donec utrumque Romam transtulit.

AD SANCTOS. — Olim omnes Christiani vocabantur « Sancti, » quia vocati ad sanctitatem, et sanctificati in baptismo, vivebant vitam sanctam, uti dixi sæpe in *Comment.* Epist. S. Pauli.

LYDDÆ. — Civitas erat ad mare sita inter Joppen et Jerusalem, una ex undecim Judææ toparchiis, ordine quinta. Tempore S. Hieronymi vocabatur *Diospolis*, id est Jovis civitas. In hac, ait Gulielmus Tyrius, lib. VII *Belli sacri*, cap. XXII, usque hodie egregii martyris Georgii gloriosum sepulcrum ostenditur, in quo secundum exteriorem hominem in Deo creditur conquiescere, ad cujus honorem Justinianus Imperator ecclesiam multo studio et devotione ædificari præcepit. Erat enim in ea urbe decollatus S. Georgius : unde etiam nunc *ad S. Georgium* dicitur, uti ex Vitriaco, Bredembachio et aliis scribit Adrichomius in *Descriptione Terræ Sanctæ*.

33. ÆNEAM. — Syrus *Aniam*. Anias enim Hebræum et Syrum est nomen significans pauperem, humilem, mansuetum Domini; *Æneas* Latinum.

SANAT TE. — Ita assertive legunt Græca, Latina, Romana et Syrus. Certa enim fide et spe asserendo, et assertione sua curando in virtute Christi, Petrus sanat Æneam; S. Gregorius tamen, lib. XXIII *Moral.*, cap. XIII vel XV, Glossa et Interpretes legunt optative : « Sanet te. » Eodem res redit. Assertio enim Petri tacitam continet optationem, precem et invocationem Christi, cujus virtute sanatus est Æneas.

34. ET STERNE TIBI, — *q. d.* Stratum tuum non extende, sed collige : tolle grabatum tuum et ambula : non enim jubet sternere, id est componere lectum, ut in eo decumbat, cum eum sanet et e lecto erigat.

Mystice : « Surge, et sterne tibi, *q. d.* Torporem in quo fessus jacuisti, discute, et bona opera in quibus requiescere valeas, para. » Ita Beda. Et S. Gregorius, lib. XXIII *Moral.*, cap. XV : « Quid est dicere, Surge, nisi mala quæ perpetrasti, derelinque? Et quid est dicere, Sterne tibi, nisi mercedis causas, in quibus requiescere debeas, operare? ut et deserat resurgendo quæ fecit, et inveniat sternendo quod fecerit. Quod utrumque Propheta breviter comprehendit dicens : Declina a malo, et fac bonum. Declinare quippe a malo, est ab eo in quo jacuit, surgere : bonum vero facere, est mercedis opera in quibus requiescere debeat, præparare. »

Nota : Christus sæpe exegit fidem ab iis quos sanabat dicens : Credis me hoc posse facere? quia ipsi ægri, vel ægrorum parentes aut amici rogabant Christum, ut eos sanaret : unde vice versa jure ab eis poscebat hanc fidem. Hic vero Petrus ab Ænea non fuit rogatus, sed ipse eum prævenit, ut eo illustrius esset miraculum, quo liberalius erat beneficium. Addit S. Chrysostomus hoc Petrum patrasse, non tam ad paralytici privatum commodum, quam ad commune bonum, ut scilicet eo credentes in fide confirmaret, et non credentes ad eam invitaret, eaque de causa illum ultro et liberaliter curasse, non exigendo ab eo fidem, ullamve præparationem vel conditionem.

35. SARONÆ. — « Saron, Sarona et Lassaron, » Græce *Assaron*, mons est, et urbs egregia, quam cepit Josue, cap. XII, rege illius interfecto. Inde tota regio campestris, quæ a Cæsarea Palestinæ usque ad Joppen protenditur, dicitur *Saron*, estque pinguis et fertilissima, ideoque saginandis pecoribus apposita : quocirca ibi pascebantur regis animalia. Hæc « juxta soli qualitatem, Petro prædicanti fidei continuo fructus germinavit, » inquit S. Hieronymus in *Locis Hebr.*, et ex eo Adrichomius; omnes enim Lyddenses et Saronenses, viso hoc Petri miraculo, conversi sunt ad Dominum, ut subdit hic Lucas. Tunc impletum est illud Isaiæ, de Ecclesiæ flore et felici propagine vaticinantis, oraculum, cap. XXXV, vers. 2 : « Gloria Libani data est ei, decor Carmeli et Saron : ipsi videbunt gloriam Domini, et decorem Dei nostri. »





*Vers. 36. Joppe descriptio.*

36. IN JOPPE. — « Joppe, » inquit ex S. Hieronymo, Josepho et aliis Adrichomius, quæ et *Japho* dicitur, id est pulchritudo aut decor, urbs antiquissima, a Japhet, filio Noe, ante diluvium condita, sita ad mare in edito promontorio, littore saxoso, alto et arduo, arce ac mœnibus munita valde. Est portus Hierosolymæ et Judææ totius, ad quem ligna et lapides pro templi structura de Libano ratibus transferebantur, atque hinc terreno itinere curribus pervehebantur Hierosolymam. Portus autem impetuosissimus est : ob id ad excursus piraticos commodus : in quem usum Machabæorum tempore sæpe est occupatus. Hic Jonas navem intravit, cum fugeret a facie Domini in Tharsis, hoc est Ciliciam. Hanc Machabæi sæpe occuparunt et munierunt. In hac D. Petrus Tabitham a mortuis suscitavit : hic hospitatus apud Simonem coriarium (cujus domus erat sub rupe posita juxta mare, quo loci postea sacellum S. Petro constitutum est) recepit viros de Cæsarea a Cornelio Centurione, ad angeli monitum eo transmissos. In hujus littore monstrantur saxa ad quæ catenis religata fuisse dicitur Andromeda, devoranda a bellua marina, nisi Perseus illam liberasset. Denique in Joppe exscendunt peregrini, et sesquidiei itinere terrestri perveniunt Hierosolymam.

DISCIPULA, — id est Christiana, sicut *discipuli*, scilicet Christi et Apostolorum, primitus vocabantur Christiani.

TABITHA. — Hebr. צבי *tsebi*, idem est quod gloria, decor, res jucunda, dilecta et desiderabilis : qua de causa terra Israel vocatur *tsebi*, *Daniel.* XI, 16, et *Jerem.* III, 19 : « Quomodo, inquit, ponam te in filios, et tribuam tibi terram desiderabilem (hebraice *tsebi, tsibot*), hæreditatem præclaram exercituum Gentium? Vide utrobique dicta. Inde *tsebi* et *tsebia*, est capreolus, damula, caprea. Syri mutantes litteram *tsade* in *tau*, pro *tsebia* dicunt *tabitha*. Græce dicitur δορκὰς, ἀπὸ τοῦ δέρκειν, id est *a videndo*; dorcades enim, sive capreæ, acutissimo pollent visu. Sic quoque Syro hebræum *Tabitha* alludit ad נבט *nabat*, id est cerno, video; quod hoc animal acri sit oculorum acie. Unde Plinius, lib. XXVIII, cap. 11, docet dorcades, uti et capreas, non lippire : ad hæc, noctu æque cernere ac die.

*Dorcadis quinque dotes.*

Innuit ergo Lucas hanc discipulam apposite vocatam Tabitham, id est Dorcadem, quia dorcadi erat similis, nimirum *primo*, eam fuisse vigilantem et sobriam, uti sunt dorcades, ait S. Chrysostomus. *Secundo*, eam in montana virtutum conscendisse cum B. Virgine, uti dorcades petunt saliuntque in montes. Ita S. Hieronymus, in *Ezechiel.* XLV. *Tertio*, fuisse castam, timidam et verecundam, ac fugisse conspectus virorum, qualis est dorcas, juxta illud *Cant.* VIII, 14 : « Fuge, dilecte mi, et assimilare capreæ hinnuloque cervorum super montes aromatum. » *Quarto*, mentis fideique acie penetrasse cœlos, ac deditam orationi penetrasse cœlestia. *Quinto*, fuisse amabilem plenamque operibus charitatis et misericordiæ. Caprea enim est symbolum gratiæ, amoris et benevolentiæ, juxta illud *Cantic.* II, 9 : « Similis est dilectus meus capreæ hinnuloque cervorum : » et *Prov.* V, 19 : « Cerva carissima, et gratissimus hinnulus. » Tales sint nunc puellæ, et erunt dorcades (1).

Talis dorcas fuit S. Margareta, regina Scotiæ, tota in eleemosynas pauperum effusa et in oratione perennans, de qua S. Adalredus Abbas in ejus Vita, apud Surium 10 junii : « Nihil, ait, illius fide firmius, vultu constantius, patientia tolerantius, consilio gravius, sententia justius, colloquio jucundius : » quæ dum moreretur, audiens moriturum suum regem cum filio in prælio cecidisse : « Gratias, ait, tibi ago, Domine, quia hoc dolore me crucias, et hanc justam peccatis meis pœnitentiam irrogas. »

37. POSUERUNT EAM IN CŒNACULO, — in altiore scilicet et publica domus parte : « Quippe quæ bonis operis ad summa conscenderat, » ait S. Hieronymus in cap. XLI *Ezechiel.*

38. NE PIGRITERIS. — Tigurina et Pagninus : *Ne graveris*; alii, *ne cuncteris*, *ne tardes*. Hæc enim omnia significat ὀκνῆσαι. Non enim verisimile est eos S. Petrum insimulasse pigritiæ; aut eum vocaturos fuisse pigrum, si vocatus statim non venisset.

39. EXSURGENS AUTEM PETRUS. — « Impigre pro Apostolica humanitate venit, » ait S. Cyprianus, lib. I *De Oper. et Eleemos.*, cap. II.

OSTENDENTES EI TUNICAS, — ad ostendendam tum charitatem et pietatem Tabithæ, tum suam orbitatem, quod tali curatrice et quasi matre destitutæ essent, ut utraque moverent S. Petrum ad eam in vitam revocandam. Ita S. Chrysostomus.

Simile est quod scribit Abdias, in *Vita S. Joannis Evang.*, scilicet viduas ostendisse ei ex Pathmo reverso vestes quas ei faciebat Drusiana Ephesina jam defuncta : qua re commotum S. Joannem eam ad vitam revocasse.

Ita S. Martinus in porta Ambianensi dimidium chlamydis discindens, dansque pauperi nudo meruit nocte sequenti videre Christum, illud ipsum chlamydis frustum ostentantem, eumque audire coram angelorum choris gloriantem : « Martinus adhuc catechumenus hac me veste contexit, » uti refert Sulpitius in ejus Vita, cap. II. *Christus tectus eleemosyna S. Martini.*

(1) *Tabitha* est ex Hebr. צבי, caprea, vel dama sylvestris, quam Arabico nomine *gazellam* appellare solent. Quod nomen, ob formæ venustatem datum, familiare tum fuisse Judæis docent Lighfootus et Bochartus.

S. Martyrii. Ita Martyrius suo pallio involvens leprosum, et humeris asportans, sensit se Christum involvisse et portasse. Ab eo enim audivit : « Martyri, tu non erubuisti me super terram, ego te non erubescam super cœlos, » uti fuse narrat S. Gregorius, hom. 39 *in Evang*.

S. Francisci. Ita S. Franciscus suis vestibus se exuens, iisque induens pauperem, nocte sequenti vidit palatium speciosum et magnum cum militaribus armis, crucis Christi signaculo insignitum, audivitque hoc suum fore militumque suorum, uti refert S. Bonaventura, cap. 1 Vitæ ejus.

S. Catharinæ Senensis. S. Catharina Senensis tunica se spolians, eamque dans pauperi, nocte proxima vidit Christum gestantem hanc tunicam, margaritis et coruscantibus gemmis conspicuam, ab eoque audivit : « Dabo tibi vestem invisibilem, quæ a te arceat omne noxium utriusque hominis frigus. » Ab eo tempore nunquam hiemis intemperiem sensit : quare iisdem hieme, quibus æstate, vestibus utebatur; atque ejusdem promisso cognovit, se præcellenti in cœlis gloria sine fine perfruituram. Ita habet ejus Vita. Quare merito dicebat S. Job, cap. XXXI, vers. 19 : « Si despexi pereuntem, eo quod non habuerit indumentum, et absque operimento pauperem. Si non benedixerunt mihi latera ejus, et de velleribus ovium mearum calefactus est. »

QUAS FACIEBAT ILLIS DORCAS, — tum pannum emendo, tum ex eo vestes conficiendo, easque consuendo, uti pauperibus fecisse feminas, etiam principes et reginas, puta S. Elisabetham, filiam regis Hungarorum, et S. Elisabetham, reginam Lusitaniæ, et similes, in earum Vita legimus; quas multæ hoc seculo strenue imitantur magno pauperum bono et majore orbis exemplo. Græca addunt μετ' αὐτῶν οὖσα, id est *dum esset cum ipsis*, dum inter eas versaretur et viveret : quibus verbis notat Lucas humilitatem et benevolam familiaritatem Dorcadis, quod ipsa dives et eleemosynaria, inter viduas pauperes degeret ageretque quasi mater cum filiabus, vel quasi soror cum sororibus, cum iis amice colloquens, operans, sarciens, earumque opera utens ad vestes pluribus pauperibus conficiendas. Ita S. Chrysostomus. « Unde sensit Petrus impetrari posse, quod sic petebatur, nec defuturum Christi auxilium viduis deprecantibus, quando esset in viduis ipse vestitus, » ait S. Cyprianus loco jam citato.

40. EJECTIS AUTEM OMNIBUS, — ut Deum secretius efficaciusque oraret, ait Lyranus.

TABITHA, SURGE. « In nomine Jesu Christi, » uti addit S. Cyprianus, non enim suo, sed Christi nomine, vel voce, vel mente invocato, eam suscitavit.

AT ILLA APERUIT OCULOS, — qui mortuis solent claudi. « Aperiendo oculos, mortem instar somni esse ostendit, » ait S. Chrysostomus.

RESEDIT. — *q. d.* Quæ jacebat quasi mortua, jam suscitata se erexit et viva resedit.

41. DANS AUTEM ILLI MANUM, EREXIT EAM, — in pedes, ut quæ in lecto resederat quasi viva, sed adhuc debilis, jam a Petro erecta e lecto surgeret et firma pedibus consisteret. Dando ergo ei manum, *primo*, significavit se sua manu, id est ope et auxilio eam suscitasse, sicut Christus puellam manu tenens eam ad vitam revocavit, *Matth.* cap. IX, 25. *Secundo*, eam quæ resurrexerat, sed adhuc debilis resederat, firmam et validam reddidit, ut stare et ingredi posset. *Tertio*, apprehensa manu eam viduis et Christianis vivam assignavit. Moraliter Arator :

> Illa manus meruit Petri contingere dextram,
> Pauperibus quæ larga fuit.

Inde Petrus eam tangendo, tacite ejus beneficentiam commendavit.

CUM VOCASSET SANCTOS, — puta Christianos.

Tabitha suscitata certa de salute. ASSIGNAVIT EAM VIVAM, — παρέστησεν, id est *stitit*, et, ut Tigurina, *exhibuit eam vivam*. Verisimile est Tabitham, utpote misericordem et piam feminam in statu gratiæ decessisse, ac proinde cœlo vel certe Purgatorio destinatam : quocirca revocatam a Petro ad vitam, certam fuisse de sua salute : alioqui enim Petrus ei non beneficium, sed potius maleficium intulisset, si a certo salutis statu ad dubium eam revocasset.

Unde recte censet noster Lorinus, et fuse Bellarminus, lib. II *De Purgatorio*, cap. VIII, certum videri, eum qui semel evaserit periculum damnationis, illud denuo non subire. Rursum, nec de numero damnatorum, nec de beatis quemquam suscitari. Tabitham ergo vel e Purgatorio fuisse revocatam; vel, si nihil purgandum habebat, suspensam fuisse ejus beatitudinem, quia destinabat Deus eam remittere ad vitam mortalem, orante S. Petro.

Sic et S. Salvius. Ita S. Salvius, qui postea fuit Episcopus Albigensis, cum defunctus raptus esset ad cœlum, ibique vocem Dei audisset : « Revertatur hic in sæculum, quoniam necessarius est Ecclesiis nostris; ingemuit : Heu! heu! Domine, inquit, cur mihi hæc ostendisti, si his frustrandus eram? Ecce hodie ejicis me a facie tua ut revertar ad sæculum fragile, et huc ultra redire non valeam: Nequæso, Domine, auferas misericordiam tuam a me, sed deprecor ut permittas me hic habitare, ne illud decidens peream. Et ait vox quæ loquebatur ad eum : Vade in pace : ego enim sum custos tuus donec reducam te in hunc locum. » Ita Gregorius Turonensis, *Hist. Francor.*, cap. I.

Hinc in Vita S. Stanislai Episcopi Cracoviensis et Martyris, legimus quod, cum ipse a morte suscitasset Petrum quemdam, eumque quasi testem venditi a se agri ad tribunal Boleslai regis iniqui produxisset, dato a Petro testimonio, ab eo quæsierit : « Visne, Petre, ut gratitudinis ergo petam a Domino, ut liceat tibi nobiscum ad annos aliquot in terris commorari? » Cui respondit Petrus : « Ego, Pater sancte, nolim in hac vita per-



manere, quam ego rectius mortem appellandam censeo : sed illam peto beatam in qua videtur præsens Dei vultus. Versor in Purgatorio; spero me brevi ad superos migraturum. Tu quæso, mi Pater, pro me ora, ut id cito fiat. » Promisit Stanislaus se curaturum quod petebat, et ille rediens ad sepulcrum, animam rursum expiravit.

Et S. Christinæ. Sic S. Christina Mirabilis, defuncta et deducta ad Purgatorium, videns horrendas animarum pœnas, optionem accepit a Deo : « Optionem inquit, tibi facio, vel nunc in æternum apud me permanere in gloria, vel redire ad terras, ibique harum animarum pœnas luere, easque illis liberare, efficereque ut homines tuæ pœnitentiæ et vitæ exemplis ad me conversis, a suis facinoribus abstineant et resipiscant, ac peractis omnibus ad me multis aucta meritorum cumulis reverti. » Illa vero illico respondit, se ad corpus velle reverti; ac reversa admirabiles pro animabus illis subiit cruces et pœnitentias, quibus peractis gloriose ad Deum transiit. Ita habet ejus Vita apud Surium die 23 junii, cap. III et seq., quam laudat Jacobus de Vitriaco Episcopus et Cardinalis.

S. Ignatii [illegible]. Memorabile est quod in Actis Canonizationis S. P. N. Ignatii legimus, cum P. Jacobo Laynez, qui ei in Generalatu successit, proposuisse hanc quæstionem : « Si Deus daret tibi optionem, vel statim eundi ad cœlum, vel manendi in hac vita cum dubio salutis, ostenderetque tamen te in hac vita præclarum aliquod ipsi obsequium posse præstare, utrum eligeres? » Cumque Laynez respondisset : « Eligerem ire ad cœlum et assecurare meam salutem. » — « Ego vero, inquit S. Ignatius, eligerem manere in vita ut explerem Dei desiderium, eique obsequium ab eo cupitum præstarem. Non enim dubito quin ipse, qui longe me est fidelior et liberalior, salutis meæ curam habiturus esset, nec permissurus ut hæc mea electio facta ad ejus gloriam, cum meæ salutis incertitudine et periculo, mihi fraudi foret, sed longe magis eam custodiret et assecuraret. Hæc mea de divina bonitate est sententia et confidentia, » utique heroica, digna Ignatio, imo digna Deo.

43. 43. APUD SIMONEM QUEMDAM CORIARIUM. — Non *cœmentarium*, ut vult Hugo et Dionysius, sed *coriarium*, qui scilicet coria macerabat vel concinnabat, ut inde ocreæ et calcei, vel thoraces et vestes confici possent, hic enim græce vocatur βυρσεύς. Notat S. Chrysostomus modestiam Petri, qui non apud Tabitham aliosque divites, sed apud plebeium coriarium hospitium elegit. Cum enim esset Princeps Ecclesiæ, pauperes non est dedignatus, sed cum illis commorari prælegit, quasi eorum socius et conviva, ut illis animum adderet Tabithæ domum declinavit, ne videretur pro miraculo hospitii gratiam recipere, sed ut purum putum suum esset beneficium. Forte etiam, quia virgo erat aut vidua, apud quam non decebat virum, præsertim Apostolorum Principem, commorari. Simonis ergo domum elegit, quia ei notus erat Simon, vel quia ardentius ab eo invitabatur. Adde, quia domus hæc coriarii erat extra urbem juxta mare, ut dicitur cap. X, vers. 6, ubi etiamnum peregrinis ejus ex ruinis residuum ostenditur, ait Gagneius; imo ibidem sacellum S. Petro fuit erectum, ut dixi vers. 30. « Segregata enim ab urbibus loca sectabantur Apostoli, utpote solitudinis et quietis amici, » ait Œcumenius. Coriarii enim, ne pellium maceratarum fœtore publicum aerem inficerent, solebant olim extra urbes, vel ad loca semota relegari, uti etiamnum fit. Audi Artemidorum, lib. I, cap. XV : « Coriariam exercere malum omnibus : corpora enim mortua tractat coriarius, ideoque ab urbe secluditur. »

Rursum nota magnitudinem amoris et animi in Simone, qui licet coriarius, ausus est invitare et excipere mensa et hospitio continuo ipsum summum Ecclesiæ Caput et Pontificem, eumque liberaliter pro dignitate personæ, quantum vires et opes ferebant, alere et tractare.

Præclare S. Leo, serm. 2 *De Quadrag.* : « Nulli, ait, parvus est census, cui magnus est animus, nec de rei familiaris modo mensura miserationis pendet ac pietatis. Nunquam merito caret etiam in tenui facultate bonæ voluntatis opulentia. » Voluntas hæc opulentissima est, quia a possibilitate non pendet, sed egisse putatur, quidquid efficaciter cupit. Hac pauperes largas eleemosynas erogant; imbecilles seipsos minime tangentes, quia præ infirmitate non valent, multis corporis afflictionibus macerantur; indocti doctrinam Evangelicam per totum orbem prædicant; quia pro operibus quæ præstare non possumus, abunde substituitur efficax bonæ voluntatis affectus. Et unusquisque unus cum sit, sola voluntate fit multiplex, quia per eam potest multorum labores et ministeria complecti. Deinde hic affectus excitat ardentem orationem, qua petimus a Deo ut per alios id præstet, quod nos optamus et præstare non possumus : ardens autem oratio id quod petit, impetrat. Unde S. Bernardus, serm. 16 in Psalm. *Qui habitat* : « Merito, ait, non exauditur qui clamare dissimulat, aut omnino non postulans, aut tepide postulans, et remisse. Siquidem in Dei auribus desiderium vehemens, clamor magnus; e regione autem remissa intentio, vox submissa.

# CAPUT DECIMUM.

## SYNOPSIS CAPITIS.

*Cornelius, Centurio Romanus, a S. Petro, jussu Dei, per visionem lintei et quadrupedium, id significantis, in fide Christi instruitur et baptizatur; itaque Gentibus omnibus palam aperitur ostium ad Evangelium et Ecclesiam.*

1. Vir autem quidam erat in Cæsarea, nomine Cornelius, Centurio cohortis quæ dicitur Italica, 2. religiosus ac timens Deum cum omni domo sua, faciens eleemosynas multas plebi, et deprecans Deum semper: 3. is vidit in visu manifeste, quasi hora diei nona, angelum Dei introeuntem ad se et dicentem sibi: Corneli. 4. At ille intuens eum, timore correptus, dixit: Quid est, Domine? Dixit autem illi: Orationes tuæ et eleemosynæ tuæ ascenderunt in memoriam in conspectu Dei. 5. Et nunc mitte viros in Joppen, et accersi Simonem quemdam, qui cognominatur Petrus: 6. hic hospitatur apud Simonem quemdam Coriarium, cujus est domus juxta mare: hic dicet tibi quid te oporteat facere. 7. Et cum discessisset angelus qui loquebatur illi, vocavit duos domesticos suos, et militem metuentem Dominum, ex his qui illi parebant. 8. Quibus cum narrasset omnia, misit illos in Joppen. 9. Postera autem die, iter illis facientibus, et appropinquantibus civitati, ascendit Petrus in superiora, ut oraret circa horam sextam. 10. Et cum esuriret, voluit gustare. Parantibus autem illis, cecidit super eum mentis excessus: 11. et vidit cœlum apertum, et descendens vas quoddam, velut linteum magnum, quatuor initiis submitti de cœlo in terram, 12. in quo erant omnia quadrupedia, et serpentia terræ, et volatilia cœli. 13. Et facta est vox ad eum: Surge, Petre, occide et manduca. 14. Ait autem Petrus: Absit, Domine, quia nunquam manducavi omne commune et immundum. 15. Et vox iterum secundo ad eum: Quod Deus purificavit, tu commune ne dixeris. 16. Hoc autem factum est per ter: et statim receptum est vas in cœlum. 17. Et dum intra se hæsitaret Petrus, quidnam esset visio, quam viderat, ecce viri qui missi erant a Cornelio, inquirentes domum Simonis, astiterunt ad januam. 18. Et cum vocassent, interrogabant si Simon, qui cognominatur Petrus, illic haberet hospitium. 19. Petro autem cogitante de visione, dixit Spiritus ei: Ecce viri tres quærunt te. 20. Surge itaque, descende et vade cum eis nihil dubitans; quia ego misi illos. 21. Descendens autem Petrus ad viros, dixit: Ecce ego sum quem quæritis: quæ causa est, propter quam venistis? 22. Qui dixerunt: Cornelius Centurio, vir justus et timens Deum, et testimonium habens ab universa gente Judæorum, responsum accepit ab angelo sancto, accersire te in domum suam, et audire verba abs te. 23. Introducens ergo eos, recepit hospitio. Sequenti autem die surgens, profectus est cum illis: et quidam ex fratribus ab Joppe comitati sunt eum. 24. Altera autem die introivit Cæsaream. Cornelius vero exspectabat illos, convocatis cognatis suis et necessariis amicis 25. Et factum est cum introisset Petrus, obvius venit ei Cornelius, et procidens ad pedes ejus adoravit. 26. Petrus vero elevavit eum, dicens: Surge, et ego ipse homo sum. 27. Et loquens cum illo intravit, et invenit multos qui convenerant, 28. dixitque ad illos: Vos scitis quomodo abominatum sit viro Judæo conjungi aut accedere ad alienigenam; sed mihi ostendit Deus, neminem communem aut immundum dicere hominem. 29. Propter quod sine dubitatione veni accersitus. Interrogo ergo, quam ob causam accersistis me? 30. Et Cornelius ait: A nudius quarta die usque ad hanc horam, orans eram hora nona in domo mea, et ecce vir stetit ante me in veste candida, et ait: 31. Corneli, exaudita est



oratio tua, et eleemosynæ tuæ commemoratæ sunt in conspectu Dei. 32. Mitte ergo in Joppen, et accersi Simonem, qui cognominatur Petrus; hic hospitatur in domo Simonis Coriarii juxta mare. 33. Confestim ergo misi ad te, et tu bene fecisti veniendo. Nunc ergo omnes nos in conspectu tuo adsumus, audire omnia quæcumque tibi præcepta sunt a Domino. 34. Aperiens autem Petrus os suum dixit: In veritate comperi, quia non est personarum acceptor Deus; 35. sed in omni gente, qui timet eum et operatur justitiam, acceptus est illi. 36. Verbum misit Deus filiis Israel, annuntians pacem per Jesum Christum (hic est omnium Dominus). 37. Vos scitis quod factum est verbum per universam Judæam: incipiens enim a Galilæa, post baptismum quod prædicavit Joannes, 38. Jesum a Nazareth: quomodo unxit eum Deus Spiritu Sancto et virtute, qui pertransiit benefaciendo et sanando omnes oppressos a diabolo, quoniam Deus erat cum illo. 39. Et nos testes sumus omnium quæ fecit in regione Judæorum, et Jerusalem, quem occiderunt suspendentes in ligno. 40. Hunc Deus suscitavit tertia die, et dedit eum manifestum fieri, 41. non omni populo, sed testibus præordinatis a Deo, nobis qui manducavimus et bibimus cum illo postquam resurrexit a mortuis. 42. Et præcepit nobis prædicare populo, et testificari quia ipse est qui constitutus est a Deo judex vivorum et mortuorum. 43. Huic omnes Prophetæ testimonium perhibent, remissionem peccatorum accipere per nomen ejus omnes, qui credunt in eum. 44. Adhuc loquente Petro verba hæc, cecidit Spiritus Sanctus super omnes qui audiebant verbum. 45. Et obstupuerunt ex circumcisione fideles qui venerant cum Petro; quia et in nationes gratia Spiritus Sancti effusa est. 46. Audiebant enim illos loquentes linguis et magnificantes Deum. 47. Tunc respondit Petrus: Numquid aquam quis prohibere potest, ut non baptizentur hi qui Spiritum Sanctum acceperunt sicut et nos? 48. Et jussit eos baptizari in nomine Domini Jesu Christi. Tunc rogaverunt eum ut maneret apud eos aliquot diebus.

1. In Cæsarea, — non Philippi, sed Palæstinæ, quæ sita erat in littore maris Mediterranei, eratque munitissima: hinc et *turris Stratonis* dicta est, erat enim quasi arx et antemurale Palæstinæ: unde a Romanis firmo præsidio custodiebatur, in quo Centurio erat Cornelius. Cæsarea conversa ad Christum, facta est Ecclesiarum Palæstinæ metropolis, sub se continens Ecclesiam Hierosolymitanam, tum quia Cæsareæ, converso Cornelio, apertum fuit ostium Ecclesiæ Gentibus; tum potius quia Cæsarea primitus sub Romanis erat Palæstinæ metropolis, et maxima civitatum Judæ, teste Josepho, lib. III *De Bello*, cap. xv. Sed postea anno Christi 553, Vigilius Papa in Concilio Constantinopol. Hierosolymitanam Ecclesiam fecit Patriarchalem, eique subjecit Cæsariensem. Ita Baronius anno jam dicto.

Nomine Cornelius. — Videtur hic fuisse Italus (erat enim centurio cohortis Italicæ) et Romanus. Romæ enim illustres celebresque fuere Cornelii, et domus, imo gens, Corneliorum nobilissima: sicut in Belgio ampla est familia Corneliorum, ex qua ego prognatus sum: unde omnes ex illa oriundi cognominantur Cornelii. Romæ enim illustris fuit Cornelius Cossus, tribunus militum, qui Tolumnium Laertem, Veientum regem, occidit, secundoque opima spolia Jovi Feretrio retulit, teste Livio, lib. IV, *Decad.* I. Et Cornelius Centimalus, qui cum Annibal mœnibus appropinquaret, trepidante urbe, ei occurrens, extra urbem castra posuit, teste Plutarcho. Et Cornelius Merula Consul, qui contra Boios in Galliam missus, duodecim millia hostium cecidit, teste Livio, *De Bello Maced.*, lib. V. Et Cornelius Merula, superioris nepos, flamen Dialis, qui ingresso urbem Mario, ne in ejus, utpote hostis potestatem veniret, in Jovis æde venis succisis sibi mortem conscivit, sacerdotisque sui sanguine foci vetustissimi maduere, inquit Valerius Maximus, lib. IX, cap. XII. Similes fuere plurimi, inter quos emicuere Cornelii Scipiones, præsertim S. Cornelius Scipio, cognomento Africanus a devicta Africa, bis consularis et censorius, ac triumphalis, ter Princeps Senatus; qui fratrem habuit consularem et triumphalem, nepotem vero filii adoptione bis consularem, bis triumphalem, et censorium, et augurem: cujus soror Cornelia, mater Gracchorum, virago fuit magni animi, prudentiæ et eloquentiæ, quam laudat Quintilianus, lib. I, cap. I, et Cicero in *Bruto*. Fuit ergo Romæ Corneliorum familia non una, sed plurimæ, adeo ut gentem integram conflare posset. Ejus enim familiæ, et quasi partes erant Scipionum, Lentulorum, Cinnarum, Balborum, Merularum, Rutulorum, Cethegorum, Mamercorum, Dolabellarum, Mammularum,

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS ®

Severorum, et aliæ plures, quas fuse recenset Antonius Augustinus, lib. *De Familiis Romanorum*. Ex his ergo oriundus videtur hic Cornelius Centurio. A primo enim illustri Cornelio, filii, nepotes et posteri omnes dicti sunt Cornelii.

Porro nonnullis eruditis ita dicti videntur a cornu, quasi cornei, robusti et constantes. Unde S. Cornelius, Romanus Pontifex et Martyr, S. Cypriano per litteras familiaris, pingitur cum cornu in manu, quia Decio et Volusiano Imperatoribus constantissime restitit, uti narrat S. Cyprianus; cornu enim est robur animalium: unde cornu symbolum est fortitudinis, victoriæ, regni, gloriæ et triumphi, juxta illud de Joseph: « Cornua rhinocerotis cornua illius. » *Deut.* XXXIII, 17. Et *Psalm.* XLIII, 6: « In te inimicos nostros ventilabimus cornu. » Et *Psalm.* XCI, 11: « Exaltabitur sicut unicornis cornu meum. » Et *Psalm.* CXXXI, 17: « Illuc producam cornu David. » Et *Psalm.* CXI, 9: « Cornu ejus exaltabitur in gloria. » Et *Zachar.* I, 21: « Hæc sunt cornua quæ ventilaverunt Judam. » Hinc *Psalm.* XCVII: « Psallite Domino, ait, in tubis ductilibus, et voce tubæ corneæ; » hoc est mystice, in robore virtutis. « Duas, ait ibidem S. Hieronymus, habetote tubas, et argenteam, et corneam. Argenteam, ut habeatis sermonem; corneam, ut habeatis virtutem. Legimus in Levitico: Nullum animal offeratur, nisi quodcumque cornutum est, etc. Et nos ergo quamdiu habemus cornu, meremur victima esse Dei. Si autem cornu nostrum fuerit excussum, quasi debiles sumus, et inter sacerdotes Dei venire non possumus. » Et S. Augustinus, ibidem: « Cornu, ait, excedit carnem, necesse est ut carnem superando sit firmum ad perdurandum, et capax vocis. Qui vult esse tuba cornea, superet carnem, transcendat carnales affectus. » Et inferius: « Tuba cornea te erigat adversus diabolum, non tuba cornea adversus fratrem tuum. » Quocirca S. Cornelius quasi roboris antistes et Martyrum primipilus, ad robur æque ac ad decus martyrii impetrandum, a fidelibus invocari solet. Ita, ut alios taceam, eum sibi cognominem martyrii causa invocare solebat Cornelius Musius, apud Belgas Poeta laureatus, qui proinde hunc et hymnum sæpe concinebat:

Beate Christi Pontifex, Christique Martyr inclyte,
Hanc gratiam Cornelio tuo benignus impetra,
Ut, exprimo quem nomine, te charitate, te fide,
Et asserendæ audacia te veritatis exprimam.

Ac ab eo voti compos effectus est: nam Lugduni Batavorum sub annum Domini 1572, a Calvinistis naso, auribus, manuum pedumque digitis truncatus, trabi in foro affixus, et laqueo strangulatus, anno ætatis 72, gloriosum obiit martyrium, uti refert Aubertus Miræus in *Elogiis Belgicis*.

Vel certe Cornelius dicitur a corde, quasi cordatus, *q. d.* Corneli, *cor ne linque solo*: cor sit in æthere, non in ære; in sole et cœlo, non in solo et salo. Talem enim decuit esse hunc Cornelium, primipilum Ecclesiæ Gentilis, qui Gentibus omnibus quasi dux et antesignanus viam ad Ecclesiam, imo iter in cœlum panderet; nimirum nobilem Romanum, militum ducem, qui nobilibus Romanis, militibus et principibus fidei et virtutis exemplum daret: unde eum paulo post secuta sunt tot agmina Romanorum, præsertim militum et nobilium, non tantum ad fidem, sed et ad martyrium. Fuit ergo ipse gloria gentilitatis, et Gentium primitiæ, ait Origenes, hom. 11 in *Num.*; et S. Hieronymus, *ad Salvinam*: « Primus, ait, Cornelius salutem Gentium dedicavit. »

CENTURIO. — Qui centuriæ militum præerat, quæ primo constabat centum militibus: sed variis de causis subinde adauctus est hic numerus. Cajetanus opinatur Cornelium hunc fuisse Centurionem primæ cohortis ex decem, quibus constabat legio, qui proinde primipilus dicebatur, cui præferebatur vexillum aquilæ, quod erat Romanorum insigne, ac 400 milites in prima acie gubernabat, quasi primi ordinis ductor, teste Vegetio, lib. II, cap. VI. Unde et equestribus ornamentis censuque decorabatur, uti docet Lipsius, lib. II *De Militia Romana*.

COHORTIS. — Græce ἐκ σπείρας, id est *ex cohorte*: cohors enim plures habebat centurias et centuriones, e quibus unus fuit Cornelius. Cohors enim primitus erat decima pars legionis, constans quinquaginta manipulis, manipulus autem 25 militibus: quare cohors constabat 1,250 militibus: legio 12 millibus et quingentis, ut patet ex Cæsare, lib. VI *De Bello civili*; Velleio, lib. II, et aliis. Jam cohors vulgo a Gallis vocatur regimentum, et qui ei præest dicitur Tribunus, sive Chiliarcha. Verum postea uti legionis, ita et cohortis numerus imminutus est, idque vario pro varietate temporum et locorum. Legio tandem redacta est ad sex millia et sexcentos.

ITALICÆ. — ab Italis militibus quibus constabat. Opinatur Baronius hanc cohortem ordine fuisse sextam, et cognominatam Ferratam: hanc enim ab Augusto collocatam fuisse in Judæa scribit Dio.

Vers. 2. An Cornelius jam fuerit justus?

2. RELIGIOSUS AC TIMENS DEUM. — Vatablus, *pius et religiosus erga Deum*. Est hic problema, An Cornelius antequam accerseret Petrum, fuerit justificatus, necne? Negat S. Chrysostomus, Œcumenius et Stapletonius hic, et S. Basilius, in *Regul. brevior.*, Reg. CCXXIV. Favet S. Augustinus, lib. *De Prædest. Sanc.*, cap. VII. Huic sententiæ favent ea quæ dicuntur vers. 5, 43, 44, et cap. seq., vers. 14.

Longe verius affirmant S. Gregorius, hom. 9 et 19 *in Ezech.*; Beda, Dionysius et Lorinus hic; Magister, in III, dist. XXV, ibique Albertus, Bonaventura, et S. Thomas ibidem, ac III *part.*, *Quæst.* LXIX, art. 4, ad 2; Ruardus Tapperus, art. 7; Alfonsus a Castro, verbo *Baptismus*, *hæresi* 10; Gregorius de Valentia, II II, disp. 1, *Quæst.* II, puncto 4. Favet S. Hieronymus, in cap. V epist. *ad Galat.*



Prob. Primo. Probatur *primo*, quia Cornelius hic vocatur « religiosus ac timens Deum; » ergo non tantum

Secundo. erat justus, sed et pius ac religiosus. *Secundo*, quia vers. 4, dicuntur opera et eleemosynæ ejus

Tertio. ascendisse in memoriam in conspectu Dei. *Tertio*, quia id diserte videtur asserere S. Petrus, vers. 34, dicens: « In veritate comperi, quia non est personarum acceptor Deus; sed in omni gente qui timet eum, et operatur justitiam, acceptus est illi: » loquitur autem de Cornelio. Ergo Cornelius acceptus et gratus erat Deo: ergo erat justus: nullus enim est gratus Deo, nisi justus. Primus enim effectus gratiæ justificantis est, facere hominem gratum et acceptum Deo. Deinde, qui operatur justitiam est justus: Cornelius autem, teste S. Petro, operabatur justitiam; ergo erat justus. *Quarto*, quia vers. 22, de eo dicitur: « Cornelius vir justus et timens Deum, et testimonium habens ab universa gente Judæorum, responsum accepit ab angelo sancto, accersire te. » Denique vers. 2, de eo dicitur: « Faciens eleemosynas multas plebi, et deprecans Deum semper. » Hæc autem duo consistere nequeunt cum peccato, sed præsupponunt gratiam sanctificantem. Quare Cornelius, ante adventum S. Petri, a Judæis quibuscum Cæsareæ versabatur, didicit hausitque fidem explicitam unius Dei, et implicitam Christi mediatoris, coluitque verum Deum, sicut et Job ejusque amici: non enim soli Judæi ante Christum, sed et nonnulli Gentiles coluerunt verum Deum, qui servantes legem naturæ et charitatis, justificati sunt, indeque eleemosynas aliaque pia opera præstiterunt. Hæc autem facere non potuerunt per vires solius naturæ, uti censebant Pelagiani, sed ad hoc egebant gratia Dei excitante et cooperante, uti recte docet S. Prosper, lib. *De Libertate arbitrii*.

Cur ergo missus est ad eum S. Petrus. Resp.

Dices: Si erat justus, quid opus erat ad eum mittere S. Petrum? Respondeo: Opus erat ad hoc, ut per eum disceret explicitam fidem Christi omniumque ejus mysteriorum: nam implicita fides non sufficiebat. Jam enim facta erat promulgatio novæ legis et fidei explicitæ de Christo mediatore in Pentecoste Hierosolymis; illaque sensim serpebat ad alias vicinas urbes, ita ut de illa inaudierit Cornelius, ut patet vers. 22. Quare ejus obligatio incipiebat ubique induci, et consequenter obligare Cornelium, qui hactenus laborarat ejus ignorantia invincibili: sed illa jam incipiebat fieri vincibilis, ideoque culpabilis; qui si illam depellere et obligationi jam dictæ satisfacere neglexisset, peccasset et amisisset justitiam. Unde ut eam non amittat, sed retineat et augeat, jubetur ab angelo accersere Petrum, qui explicite eum doceat illa quæ de Christo scire et credere necessarium erat, non tantum ad acquirendam vel augendam, sed ad retinendam justitiam: necessarium, inquam, non tantum necessitate præcepti, ut vult Andreas Vega, lib. VI *In Conc. Trident.*, cap. XX, et Dominicus Soto, lib. II *De Natura et Gratia*, cap. XI et XII, sed etiam necessitate medii. Nam post sufficientem Evangelii promulgationem, nemo potest justificari et salvari, nisi per explicitam fidem Christi mediatoris, ut habet verior et communior Theologorum sententia. Perperam enim Melchior Canus, et ex eo Dominicus Banez, II II, *Quæst.* II, art. 8, separant salutem a justitia, dicuntque Cornelium et similes sine fide explicita Christi potuisse justificari, sed non salvari. Salus enim individue adhæret justitiæ: justitia enim et gratia est semen gloriæ, ut quicumque moritur in gratia, certus sit de salute et gloria æterna. Hoc est quod ait S. Gregorius loco citato, Cornelium « per bona opera meruisse fidem, » scilicet explicitam de Christo: et simul « per fidem, » scilicet implicitam, « venisse ad bona opera. » Rursum per fidem venisse ad bona opera, sed per opera esse solidatum in fide. Porro baptizavit Cornelium Petrus, ut eum Christianismo initiaret, gratiamque acceptam augeret et confirmaret: jam enim baptismus incipiebat eum omnesque alios obligare. Non ergo baptizatus est, ut remissionem peccatorum acciperet, quam ante jam acceperat, nisi forte venialium, si quæ irremissa habebat, uti et pœnarum peccatis mortalibus præcedentibus debitarum, si quæ adhuc remittendæ restabant. Adde, culpam peccatorum mortalium ei remissam fuisse per contritionem, quæ includebat votum implicitum baptismi: unde debebat baptizari, ut hoc voto se exsolveret, illius enim intuitu remissa ei erant peccata.

Dices *secundo*: Ad verba S. Petri, vers. 44, descendit in eum Spiritus Sanctus: ergo ante non descenderat. Respondeo: Tunc visibiliter descendit, qui prius in eum invisibiliter descenderat; contulitque ei augmentum gratiæ, et insuper gratias gratis datas, ut donum linguarum, etc., de quo vers. 44. Minus recte ergo aliqui eum tunc primo justificatum censent. Argumenta adversariorum petita ex versibus citatis, in illorum explicatione dissolventur.

DEPRECANS DEUM SEMPER. — quantum scilicet per negotia domestica et militaria licebat; « semper » ergo, id est frequenter, assidue. Nota hic quatuor virtutes Cornelii, cuivis Christiano, præsertim Superiori, imitandas, si suæ vocationi atque officio satisfacere velit. *Prima* est religio: fuit enim ipse vir religiosus erga Deum. *Secunda* est timor Dei. *Tertia* est misericordia et eleemosyna: qui enim in proximum misericors est, vicissim Deum in se misericordem experietur, juxta illud promissum Christi: « Beati misericordes, quoniam ipsi misericordiam consequentur, » *Matth.* V. Unde Nazianzenus, orat. *De Cura pauperum*: « Esto, inquit, calamitoso Deus, ut vicissim Deus in tua calamitate sit tibi Deus. »

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS
ALERE FLAMMAM VERITATIS

Ita Cornelius per eleemosynas meruit visitari ab angelo et a S. Petro, ab eoque percipere fidem Christi, ut ait ei angelus, vers. 4. *Quarta* est oratio frequens : hæc enim est quasi fistula, e cœlo eliciens omnem gratiarum imbrem.

Tropologice, S. Hieronymus, epist. 9 *ad Salvinam*, hæc omnia applicat Nebridio, ejus marito jam defuncto, qui fuerat Imperatorum nepos, natus ex sorore Augustæ : « Quidquid, inquit, de illo (Cornelio) dicitur, hoc nomine commutato, in Nebridio meo vindico. Sic religiosus fuit, et amator pudicitiæ, ut virgo sortiretur uxorem; sic timens Deum cum omni domo sua, ut oblitus dignitatis omne consortium cum monachis haberet et Clericis, tantasque eleemosynas faceret in populis, ut fores ejus pauperum ac debilium obsiderent examina : certe sic semper orans Deum, ut illi, quod optimum esset, eveniret. Raptus est, ne malitia mutaret mentem ejus, quia placita erat anima illius Deo. » Et mox : « Nihil nocuit militanti paludamentum, et balteus, et apparitorum catervæ : quia sub habitu alterius alteri militabat. Legimus et in Evangelio, *Matth.* VIII, de alio Centurione Domini testimonium : Nec in Israel tantam fidem inveni. Joseph post Pharaonem regis ornatus insignibus, sic Deo charus fuit, ut super omnes Patriarchas duarum tribuum pater fieret. Daniel et tres pueri sic præerant Babyloniæ opibus, ut habitu Nabuchodonosor, Deo mente servirent. Mardochæus et Esther inter purpuram, sericum et gemmas, superbiam humilitate vicerunt : tantique fuere meriti, ut captivi victoribus imperarent. » Et inferius : « Mirum dictu est : nutritus in palatio, contubernalis et condiscipulus Augustorum, quorum mensæ ministrat orbis, et terra ac maria serviunt, inter rerum omnium abundantiam, in primo ætatis flore tantæ verecundiæ fuit, ut virginalem pudorem vinceret, et ne levem quidem obscœni rumoris de se fabulam daret. Deinde purpuratorum propinquus, socius, consobrinus, iisdem cum ambobus studiis eruditus, non est inflatus superbia; sed cunctis amabilis, ipsos principes amabat ut fratres, venerabatur ut dominos. Ministros autem eorum sic sibi charitate sociarat, ut qui merito inferiores erant, officiis se pares arbitrarentur. » Notent hæc Principes, aulici, duces, milites, notent et imitentur.

3. IS VIDIT IN VISU MANIFESTE. — Fuit ergo hæc visio corporalis et ocularis; hæc enim sola est manifesta. Adde, factam esse non noctu, sed per diem hora nona in vigilia, cum oraret Cornelius : ergo fuit corporalis : nam quando per visionem duntaxat imaginariam quid videtur, solet id fieri

Angelus corporaliter visus Cornelio quatuor de causis.

noctu. Angelus ergo in corpore assumpto apparuit Cornelio. Causæ fuerunt quatuor. *Prima*, ne Cornelius, aut ejus domestici putarent fuisse illusionem nocturnam. *Secunda*, ne Judæi putantes ad se solos pertinere Messiam, fidem et Evangelium, objicerent S. Petro, surreptitiam fuisse visionem et vocationem Cornelii ad fidem, uti hac de re expostularunt cum eo, cap. XI, 3. *Tertio*, ut Gentiles e Cornelio scirent certo et manifeste, sibi apertum esse ostium Evangelii. *Quarto*, quia Gentibus manifeste revelandus erat Christus Christique fides : Judæi vero excæcandi erant et ad suæ legis umbras relegandi.

QUASI HORA DIEI NONA, — quæ incipit a tertia pomeridiana, et protenditur usque ad vesperam. Unde hora nona erat hora orationis vespertina; sicut prima erat matutina, uti dixi cap. III, vers. 1. Videtur ergo Cornelius more Judæorum, inter quos agebat, utrumque orandi tempus observasse; cumque vespertinam horæ nonæ orationem obiret, apparuit ei angelus. Orantibus enim se interserunt, astant et apparent angeli, quorum opus et deliciæ est oratio. Ita Cassianus, lib. III *De Inst. Renun.*, cap. III. Et S. Chrysostomus, qui et causam dat cur potius vespertina hora apparuerit angelus, quam matutina : « Quia postrema hora hæc erat, inquit, quando curæ dimittuntur, et vacatur precibus atque compunctioni. » Cor enim curarum expers et compunctione saucium, capax est illustrationum rerumque cœlestium, optimeque ad eas dispositum.

Mysticam causam dat Beda : « Quoniam, inquit, in morte illius (Christi) baptizandus erat, qui spiritum tradidit hora nona. » Hinc Alcuinus, lib. *De Divinis offic.*, cap. *De Sabbato sancto*, docet catechumenos baptizari hora nona, quia ea hora ad primum e Gentibus catechumenum, puta ad Cornelium, venit Angelus jubens vocari Petrum, qui eum baptizaret.

Tropologice S. Chrysostomus : « Cornelius, inquit, vitæ religiosæ sibi tempora constituit : non enim est vir pius qui sibi stata orandi et bonis operibus vacandi tempora non præfigit. » Et S. Hieronymus, epist. *ad Salvinam viduam*, hoc ei dat monitum : « Semper in manibus tuis sit divina lectio, et tam crebræ orationes, ut omnes cogitationum sagittæ, quibus adolescentia percuti solet, hujusmodi clypeo repellantur. » Inter Apophtegmata S. Thomæ Aquinatis primarium hoc recensetur : « Religiosus non est, qui non semper versatur cum Deo, aut cogitat de Deo. » Quocirca ipse ita assiduus erat in oratione, ut omnem suam scientiam illi potius, quam studio, cui tamen sedulo vacabat, attribueret, diceretque scientiam suam magis esse cœlitus infusam, quam humanitus acquisitam. Rursum : « Anima, inquiebat S. Thomas, sine oratione non proficit. Religiosus sine oratione est velut miles nudus, qui pugnat sine armis, » ideoque inermis facile ab hoste vincitur.

ANGELUM DEI. — Lyranus et Dionysius probabiliter opinantur angelum hunc fuisse Custodem Cornelii. Angeli enim Custodis officium est curare sui clientis catechesin, baptismum et salutem. Quare falsum est quod censuit Origenes, hom. 6 *in Matth.*, angelum Custodem incipere custodire



clientem suum a tempore baptismi. Nam et infideles non baptizati habent Custodem angelum, qui eos a peccatis avocet et ad virtutes, præsertim fidem et baptismum, deducat, ut habet communis Theologorum sententia.

4. TIMORE CORREPTUS. — Angeli enim majestas et gloria videntem percellit, uti dixi cap. VII, 32.

QUID EST, DOMINE? — Ita Romanus, Græcus et Syrus, *q. d.* Quid a me poscis, Domine? quid me vis facere? Aliqui codices Latini legunt : « Quis es, Domine? » uti dicebat Saulus, cap. IX, 5. Sed priorem lectionem esse genuinam, patet ex responsione angeli. Ait enim : « Orationes tuæ et eleemosynæ tuæ ascenderunt in memoriam, » Græce, εἰς μνημόσυνον, ut scilicet quasi memoriale a te submissum ad Deum, serventur, et semper obversentur conspectui Dei. Vatablus, « recordatus est Dominus orationum et eleemosynarum tuarum, » idcoque eas digno præmio remunerari volens, mittit me ad te, ut ostendam tibi viam ad fidem et salutem. Tertullianus, lib. *De Jejunio*, cap. VIII, addit, « et jejunia : » eleemosyna enim et jejunium sunt quasi duæ alæ quibus oratio evehitur et evolat in cœlum ad Deum. Credibile enim est Cornelium miscuisse orationi et eleemosynis jejunium. A Judæis enim didicerat illud angeli consilium datum Tobiæ, cap. XII, 8 : « Bona est oratio cum jejunio et eleemosyna, magis quam thesauros auri recondere : quoniam eleemosyna a morte liberat, et ipsa est quæ purgat peccata et facit invenire misericordiam et vitam æternam. »

Nota : Τὸ *ascenderunt* alludit ad ritum sacrificiorum, præsertim holocausti, quod totum per ignem et fumum ascendebat ad Deum, indeque dictum est עוֹלָה *ola*, id est *ascensio*. Orationes enim sunt instar holocausti : inde enim vocantur vituli labiorum, sacrificium laudis, etc.

5. ET NUNC MITTE. — Non dicit : « Vade tu ad Petrum; » quia volebat cum eo totam ejus familiam catechizari et baptizari : hæc autem tota domo abire non poterat. Ita Hugo. Rursum angelus per se hæc non præstat, quia homines a Deo ordinati sunt ministri verbi Dei et baptismi, non angeli. Sic Saulus ab Anania baptizatus est, Eunuchus Candaces a Philippo. Porro voluit Deus accersiri Petrum, non Joannem, vel quem alium, quia decebat ut Petrus quasi caput Ecclesiæ, sicut primus omnium post Christum prædicaverat Judæis, *Act.* II et III, ita primus prædicaret et Gentibus, puta Cornelio ejusque familiæ. Ipse enim quasi totius Ecclesiæ Pastor, debebat in eam, quasi in unum ovile Christi, congregare tam Gentes quam Judæos, ut utrique eum quasi communem patrem agnoscerent, colerent, obedirent et sequerentur, in eoque utrique, licet inter se diversi, imo adversi, unirentur.

8. MISIT ILLOS IN JOPPEN, — perquirere et accersere Petrum non imperando, sed rogando ut dignaretur venire ad domum Cornelii.

9. ASCENDIT PETRUS IN SUPERIORA, — εἰς δῶμα, id est in tectum domus : tecta enim in Palæstina sunt plana, ut in iis ambulare, sedere, orare possint, quæ Græce domata, Romæ solaria vel mœniana appellantur, ait S. Hieronymus, epist. 135 *ad Suniam*. Ascendit ergo et secessit, ut liberius cœlum intueretur, eoque a terra oculos et mentem oraturus attolleret. Oratio enim est ascensus mentis ad Deum, quem juvat ascensus corporis. Hinc

Sancti orarunt in locis excelsis, cur?

Christus, Moses, Elias, Elisæus, S. Franciscus aliique Sancti oraturi ascendebant in montes, ut sicut loco, sic et cogitatione cœlo vicini efficerentur, ait S. Ambrosius, *serm.* 11.

CIRCA HORAM SEXTAM. — Nota hic horam sextam orationis : quia ea uti homo creatus est et peccavit, ita et recreatus est a Christo cruci affixo; et quia ea hora solet sumi prandium, cui exemplo Petri et Ecclesiæ præmittenda est oratio. Vide dicta I *Timoth.* IV, 3 et 4.

10. ET CUM ESURIRET, — cibum corporalem : hujus enim fames solet obvenire adventante tempore prandii. Quare quod S. Ambrosius, *serm.* 10, Beda et alii accipiunt de esurie spiritali animarum, eo quod videret paucos Judæos converti ad Christum, mysticum est, non litterale, ut patet ex sequentibus.

VOLUIT GUSTARE. — Vox *gustare* notat sobrietatem S. Petri, quasi cibo non se opplere, sed eum duntaxat pro necessitate degustare, et summis, ut dicitur, labris delibare voluerit (1). Rursum, quod in hac vita sit tantum gustus et delibatio voluptatis, in futura vero saties, juxta illud *Psal.* XVI, 15 : « Satiabor cum apparuerit gloria tua. » Quocirca vir sapiens dixit cor nostrum esse pyramidale, ita situm in homine, ut ejus basis sursum, conus deorsum vergat, ad significandum, quod terram et terrena quæ deorsum sunt, tantum obiter et levissime, quasi in puncto duntaxat tangere et gustare, totum vero cordis mentisque sinum et capacitatem sursum ad cœlestia erigere et expandere debeamus. Unde mystice S. Hieronymus, epist. 4 *ad Rusticum* : « Petrus, ait, esuriens in Judæis, Cornelii saturatur fide, et famem incredulitatis eorum, gentium conversione restinguit; atque in vase Evangeliorum quadrangulo, quod de cœlo descendit ad terram, docetur et discit omnes homines posse salvari; rursumque quod viderat, in specie candidissimi linteaminis in superna transfertur, et credentium turbam ad cœlum rapit, ut pollicitatio Domini compleatur : Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt. »

CECIDIT SUPER EUM MENTIS EXCESSUS, — *q. d.* Raptus est in exstasin. Vox *cecidit* significat hanc exstasin non fuisse naturalem, qualis est ea quæ ex vehementi ira, pavore, amore, studio et contemplatione nascitur, sed divinam, nimirum cœlitus S. Petro immissam fuisse hanc visionem et

(1) *Gustare*, id est *cibum capere*, comedere; hæc hujus verbi notio satis frequens est Græcis.

raptum. Vide quæ de exstasi dixi præfatione in Minores Prophetas, can. 10

11. ET VIDIT COELUM APERTUM. — « Vidit, » scilicet in mentis excessu, de quo præcessit. Unde sequitur hanc visionem non fuisse oculorum, sed imaginationis et mentis.

Symbolice, significatur hic *primo*, arcanum mysterium de cœlis et Dei prædestinatione reconditum, de Gentium vocatione ad Christum, jam toti mundo reserandum et patefaciendum esse, ait Beda. *Secundo*, Petro quasi cœli clavigero, datas esse claves ad aperiendum et claudendum cœlos, *Matth.* XVI, 19.

ET DESCENDENS VAS QUODDAM. — « Vas, » id est receptaculum, non æneum, nec ferreum, nec ligneum, sed lineum. Unde sequitur « velut linteum magnum. » Erat ergo hoc linteum sive linteamen, velut uter lineus, continens omnis generis escas, inferne concavus et clausus, superne apertus, qui quatuor sui angulis e cœlo demittebatur ad Petrum, eique esurienti omnes has escas ad manducandum offerebat.

Quæres, quid ad litteram significat hoc vas, sive linteum? Respondet *primo*, Glossa Interlinearis, significare corpus Christi, quod est ut linteum, quoniam sine semine conceptum, candorem castitatis custodit; et quia mortuum : magnum vero propter deitatis consortium, et quia resurrexit. Ita et Cassianus, lib III *De Instit. Renunt.*, cap. III.

*Secundo*, melius alii accipiunt Dei sermonem et prædicationem Evangelii, in qua molliter quiescunt peccatorum animæ in cœlestis gratiæ illapsu, et supernæ gloriæ spe. Ita S. Ephrem, serm. *De S. Basil.*, tom. V, et S. Gregorius, lib. XXXIII *Moral.*, cap. XVI, vel XX.

*Vas est Ecclesia Christi.*

*Tertio* et aptissime, S. Augustinus, serm. 26 *De Diversis*; S. Ambrosius, *serm.* 10; S. Cyrillus, vel potius Origenes, hom. 7 *in Levit.*; S. Hieronymus, in epist. 89 *ad S. Aug.*; Gregorius, loco jam citato, Beda et alii accipiunt Ecclesiam Christi. Hæc enim est quasi vas lineum, id est purum, propter incorruptibilem veritatem et fidem; quia purissima et sanctissima est tum in fide, tum in vita et moribus, non habens maculam, neque rugam, *Ephes.* V, 27. Hæc de cœlo demittitur, quia ipsa est civitas sancta, Jerusalem nova descendens de cœlo a Deo, *Apocal.* XXI, 2. Quatuor anguli sunt quatuor Evangelia, quibus per quatuor plagas mundi et quatuor partes terræ disseminatur Ecclesia. Hoc vas ter e cœlo demittitur, quia fide et sacramento SS. Trinitatis fideles innovantur et in Ecclesiam admittuntur. In eo sunt immundæ et feræ bestiæ, id est quævis gentes, quæ prius erant turpibus et ferinis moribus, atque a legali Judæorum munditie alienæ. Audi S. Gregorium : « Quid, ait, signatur linteo sindonis, nisi subtilis intextio sanctæ prædicationis, in qua molliter quiescitur, quia mens in illa fidelium superna spe refovetur. »

*Tropologice : Religio est vas lineum.*

Tropologice : per vas hoc multi accipiunt statum Religionis, qui constat lino, id est maceratione carnis et mortificatione appetituum. Linum enim varie maceratur et carminatur, ut fiat linum : quatuor initia sunt quatuor regulæ quatuor priscorum Ordinum, puta regula S. Basilii, S. Augustini, S. Benedicti et S. Francisci : in eo sunt animalia immunda, id est peccatores qui ut peccata in sæculo admissa expient, pœnitentiæ causa se mancipant Religioni. Ita Glossa. Porro quomodo lineum et linteum sit symbolum puritatis, pœnitentiæ, patientiæ, fortitudinis, religionis, etc., dixi *Exodi* XXVIII, 39, et *Jeremiæ* XIII, 1. Simile est hoc vas lineum vasi intemerato, de quo noster Causinus, *Parabol. Hist.*, lib. XII, cap. LXXI, ex Pausania. Tradit enim Pausanias in Arcadia esse Stygem fluvium, cujus aqua adeo acris et potens est, ut omnia vasa sive ærea, sive ferrea, sive lapidea disrumpat, excepto vase quod fit ex ungula equi, quod proinde vas intemeratum dicitur; estque hieroglyphicum B. Virginis, quæ nullo peccato, vel originali, vel actuali (cujus symbolum est Styx) infici aut lædi potuit. Simili modo Religio est vas intemeratum, quia omnia peccata et peccatorum occasiones amovet et excludit, quantum fragilitas humana patitur.

*Symbolice est mundus et homo.*

Symbolice Œcumenius : Vas, inquit, linteum denotat totum orbem, qui ad Christum vocatur; quatuor initia sunt quatuor elementa, quibus hic inferior mundus constat et propagatur; animalia varia sunt varii hominum status. Consequenter vas linteum est homo, qui est microcosmus constans quatuor elementis; quare cogitet se, uti ex iis conflatus est, ita brevi in ea resolvendum et per mortem rediturum. Quocirca Antistites in Æthiopia, cum cruce sibi præferri curant vas cinerum, quod eos jugiter memores reddat suæ mortalitatis, taciteque eis inclamet : « Memento, homo, quia cinis es, et in cinerem reverteris. » Ita Nicolaus Causinus, lib. V *Parabol. Hist.*, cap. IV, ex Sabellico, lib. IV, cap. IV.

QUATUOR INITIIS. — Syrus et Vatablus, *quatuor angulis*; Tigurina, *quatuor extremitatibus*. Græce additur δεδεμένον, id est *alligatum* : cum enim linteamen hoc esset quadratum, nec esset expansum instar straguli, sed instar vasis, vel utris constrictum ad capienda animalia, necessario debebat in quatuor sui extremitatibus constringi et colligari, ne animalia diffluerent vel dilaberentur. Hi quatuor anguli significant quatuor Evangelia spargenda per quatuor orbis plagas, uti jam dixi.

12. IN QUO ERANT OMNIA QUADRUPEDIA, — id est omne genus quadrupedum. Ita Syrus; est enim hic distributio pro generibus singulorum, non autem pro singulis generum : nec enim omnia individua omnium animalium capi poterant unico vase et linteo. Græce additur θηρία, id est *feræ*. S. Hieronymus, in cap. XXXVIII *Ezech.*, et Origenes, homil. 2 in cap. II *Gen.*, censent in hoc



linteo fuisse animalia tam munda, quam immunda, sicut fuerunt in arca Noe : munda significabant Judæos, immunda Gentes; ex utrisque enim una conflatur Ecclesia. Probabilius censet Justinus, Quæst. LXXXIX *ad Orthod.*, in hoc linteo fuisse sola animalia immunda : nam si munda fuissent, Petrus non exhorruisset, sed ea accepisset, relictis immundis. Jam autem videns omnia immunda exhorrescens dixit : « Nunquam manducavi omne commune et immundum. » Significabant enim Gentes immundas. Unde volatilia denotant superbos et ambitiosos, serpentia invidos et iracundos, quadrupedia avaros, gulosos et lubricos : hi enim oculos mentemque in terram et terrena projectam gerunt. Ita Lyranus. Sic fere et S. Basilius, in cap. XIV *Isaiæ*, nisi quod per volatilia intelligat leves et instabiles. Erant tamen in hoc vase munda nonnulla, sed perpauca et sub immundis abscondita : nam munda significabant Judæos cum immundis, id est Gentibus, capiendos esse Ecclesia Christi.

13. ET FACTA EST VOX, — non realis et sonora, sed imaginaria vel mentalis, talis enim solet fieri in exstasi.

OCCIDE, — θῦσον verti potest primo, *occide*; secundo, *sacrifica vel immola*. Ita Beda, olim enim manducabant, etiam laici, ex victima occisa et immolata Deo. Unde apposite S. Ambrosius, *serm.* 10 : « In Ecclesia, ait, primum Deo animal ex Gentibus Centurio Cornelius est immolatus. » Hæc occisio et immolatio significabat in Gentibus occidendam esse infidelitatem et vitia, ut in eis viveret Christus, fides et virtus. Unde S. Hieronymus, vel quisquis est Auctor, *in Threnor.* cap. III, censet Petro quasi capiti Ecclesiæ dictum esse de Gentibus : « Macta et manduca, id est vetustatem earum contere, et in corpus Ecclesiæ ac tua membra converte. » Comparat Petrum leoni, qui quasi rex animalium ea mactat et comedit, ac leænæ, id est Ecclesiæ ea transcribit.

*S. Petrus quasi leo comedit gentes.*

Unde S. Gregorius, lib. XVIII *Moral.*, cap. XX vel XXII : « Ipsi, ait, primo Pastori (Petro) quasi hujus leonæ ori dicitur : Macta et manduca. Quod mactatur quippe, a vita occiditur : id vero quod comeditur, in comedentis corpore commutatur. Macta ergo et manduca dicitur, id est a peccato eos qui vivunt, interfice, et a seipsis illos in tua membra converte, puta in novam vitam societatis Ecclesiæ, » ut ait S. Augustinus, serm. 26 *De Diversis*, cap. VII.

Hinc patet minus esse verisimile quod censent aliqui animalia hæc in linteo visa fuisse, non integra et solida, sed in ipso linteo quasi in charta depicta, vel impressa. Probatur id ex S. Cyrillo, lib. IX *Contra Julian.*, ubi docet animalia hæc in linteo non fuisse vera, sed effigiata et expicta. Verum S. Cyrillus tantum vult dicere ea non fuisse realia et viva, sed instar statuarum fuisse exsculpta et effigiata, ita ut effigiem verorum et vivorum haberent. De his enim, non autem de impressis pictisque in ipso linteo, apte recteque in visione Petro dicitur : « Occide et manduca. »

*Tropo. Prælatus sit leoninus stomacho.*

Tropologice : Prælatus et prædicator cogitet se debere esse leonem, fortem ac magnanimum in jugulandis erroribus, pravis moribus et amoribus, sibique æque ac S. Petro dictum esse : « Occide et manduca. » Ita S. Gregorius, lib. XXX *Moral.*, cap. VII vel XI. Quocirca leonino et calidissimo debet esse stomacho, ut instar struthionis ferrum digerat, quin et serpentes aliaque venenata animalia in bonum Ecclesiæ succum convertat. Medici triplicem statuunt stomachum. *Primum* debilem et infirmum, qui escas boni succi in malum, puta in bilem aut phlegma, convertit. *Secundum* bonum, qui cibos boni succi in bonam alimoniam convertit. *Tertium* optimum, qui vi caloris res mali succi in bonum commutat. Ita symbolice *primo*, debili charitate sunt et virtute, qui volentes sæculares convertere ab eis pervertuntur, moresque eorum induunt. *Secundo*, alii sunt, qui bonos in bonitate conservant. *Tertio*, optimi sunt, qui vi charitatis malos, serpentinos, imo saxeos homines in bonos, ovinos et cereos convertunt. Talis fuit Christus, qui Magdalenam et Paulum convertit. Talis Paulus cæterique Apostoli. Talis ergo sit vir Apostolicus, animarum et Dei gloriæ zelator.

14. AIT AUTEM PETRUS : ABSIT, DOMINE; QUIA NUNQUAM MANDUCAVI OMNE COMMUNE ET IMMUNDUM. — « Commune, » id est impurum et profanum, ut legit S. Cyrillus, lib. IX *Contra Julian.*, quod scilicet communiter comedi poterat a quibuslibet Gentilibus et immundis. Judæi enim, ne Gentes offenderent, cibos eorum, lege Mosis vetitos et immundos, non vocabant immundos, sed « communes. » Hic *communicare, sive commune facere*, est inquinare, vel immundum reddere, ut *Matth.* XV, 11 : « Non quod intrat in os, coinquinat hominem. » Græce κοινοῖ, id est « communicat. » Dicit hoc Petrus, quia adhuc cum fidelibus, utpote Judæo-Christianis, servabat legem Moysi, et differentiam ciborum mundorum et immundorum ea præscriptam *Levit.* XI, cujus differentiæ rationes et causas ibidem assignavi. Nota hebraismum, *non omne*, id est nullum : non manducavi omne commune, id est nullum commune.

*Vers. 15. Commune, id est pollutum.*

15. QUOD DEUS PURIFICAVIT, TU COMMUNE (id est profanum, pollutum et immundum) NE DIXERIS. — *q. d.* Deus purificavit omnes cibos hoc ipso, quo legem veterem vetantem aliquos cibos quasi legaliter immundos, per novam Christi legem abolevit. Unde R. Moyses et R. Salomon apud Lyranum, *Genes.* IX, 4, tradunt tempore Messiæ nulla animalia fore immunda, uti prius sub Mose, sed omnia fore munda, perinde ac fuerunt tempore Noe, qui proinde tam immunda quam munda induxit in arcam, *Genes.* VII, 28.

Symbolice, Irenæus, lib. III, cap. XII, censet omnia purificata esse per sanguinem Christi : quia

scilicet sanguis Christi abstersit legem veterem, cum omni sua immunditie. Et S. Ambrosius, lib. VII *in Luc.* cap. X, censet ea purificata per baptismum: per illum enim inserimur Christo, Ecclesiæ et legi novæ, in qua omnia sunt munda; sicut tempore diluvii omnia in arca Noe fuerunt munda, etiam ea quæ postea Moses sanxit immunda.

NE DIXERIS. — Græce μὴ κοίνου, id est *ne commune facias*, hoc est, ne contamines, ne polluas, id est ne contaminatum et pollutum dixeris, aut censueris. Est hebraismus: ponitur enim factum pro dicto, vel censura. Sic *Levit.* XIII, sæpe dicitur de leproso: «Contaminabit eum sacerdos,» id est contaminatum eum judicabit et pronuntiabit.

Vers. 16. Ter visio repetita, cur? 16. HOC FACTUM EST PER TER. — *q. d.* Ter in exstasi vidit Petrus vas e cœlo ad se demitti. Ter audivit: «Occide et manduca.» Ter respondit: «Nunquam manducavi omne commune et immundum.» Ter iterum audivit: «Quod Deus purificavit, tu commune ne dixeris.» Ita S. Cyrillus, lib. VII *in Levit.* Ternarius, *primo*, confirmat visionem, ostenditque eam esse veram vereque a Deo immissam, non somniatam, ait Cyrillus, loco jam citato. *Secundo*, symbolum est SS. Trinitatis, in cujus nomine baptizandæ et regenerandæ erant Gentes. Ita S. Augustinus, Ambrosius et alii supra citati. Unde in vita hujus S. Cornelii, quæ exstat apud Surium 13 septembri, dicitur per visionem hanc ter repetitam, adumbratam fuisse trinam immersionem Cornelii et cæterorum in baptismo.

ET STATIM RECEPTUM EST VAS IN COELUM, — unde primitus dimissum erat. Ut significaret Ecclesiam Christi, in quam cooptandæ erant Gentes, e cœlis descendere, suosque fideles in cœlum ducere et transcribere. Ita Lyranus et alii.

17. ECCE VIRI. — Deus suavi sua providentia ita hæc dirigebat, ut Petro indaganti significationem suæ visionis, illico occurrerent viri quos significabat hæc visio, simulque indicavit illi propter eos hanc visionem illi immissam, eosque repræsentare. Unde et eorum gressus ita direxit, ut nescientes recta pergerent ad domum Simonis, in qua erat Petrus: «Ibique astiterunt ad januam; quia vilis erat domus, ait S. Chrysostomus, infra rogabant, non vicinos.» Notat S. Gregorius, hom. 1 *in Ezechielem*, varios esse prophetiæ modos et species, ac inter eos unum, cum mentem Prophetæ Deus ex parte tangit, et ex parte non tangit, uti hic mentem Petri tetigit visione lintei, et mittendo ad eum legatos Cornelii; sed quid hæc sibi vellent, ei non indicavit, nisi ipso rei eventu. Spiritus Sanctus enim sensim per occasiones et eventus, more humano voluit docere Petrum et Apostolos. Vult enim Ecclesiam imitari puerum Jesum, qui ætate crescebat et sapientia, ait Hilarius.

18. ET CUM VOCASSENT — aliquem ex incolis domus, sive ex domesticis, vel «vocassent,» id est pulsassent januam: qua phrasi vulgo Hispani utuntur, ait Mariana.

19. DIXIT SPIRITUS, — puta Spiritus Sanctus per internam inspirationem. Ita S. Chrysostomus; S. Cyrillus, *Catech.* 17; S. Ambrosius, lib. II *De Spiritu Sancto*, cap. XI, et S. Gregorius, lib. XXVIII *Moral.*, cap. II. Aliter Dionysius et Glossa: per Spiritum enim accipiunt angelum vicarium Spiritus Sancti, qui exterius sensibili voce dixerit: «Ecce viri tres quærunt te.» Verum sic angelus apparuisset Petro in corpore assumpto, cujus hic nulla fit mentio, imo contrarium innuitur, cum vocatur «spiritus:» «Spiritus enim carnem et ossa non habet,» *Luc.* XXIV, 39; et cum subditur: «Ego misi illos,» Spiritus Sanctus enim mittebat illos.

20. VADE CUM EIS. — Jubetur Petrus ab oratione et Deo transire ad opera vitæ activæ cum proximo, æque ac Moses, *Exod.* XXXII, 7; ut doceat idem nos facere, ne cum officium, necessitas vel charitas poscit, a Maria transire ad Martham, id est a contemplatione ad actionem.

EGO MISI ILLOS, — ego movi Cornelium ut mitteret illos.

21. ECCE EGO SUM QUEM QUÆRITIS. — Instinctu Spiritus Sancti descendit Petrus, offertque se ignotis antequam eorum quæstionem audisset, ut ipsi sciant eum virum esse divinum et Prophetam a Deo edoctum, ac proinde ei credant. Insuper mirentur et imitentur ejus promptitudinem, humilitatem, benevolentiam, charitatem ad obsequendum. Ita S. Chrysostomus. Vers. 21.

22. ET TESTIMONIUM HABENS AB UNIVERSA GENTE JUDÆORUM. — *q. d.* Omnes Judæi testantur Cornelium esse virum probum, justum et timentem Deum, uti præcessit, ideoque eum, licet Gentilem (a quo naturaliter Judæi abhorrere solent) amant et venerantur. Dicunt hoc *primo*, ut suæ assertionis, quod sit justus et timens Deum, proferant testes; *secundo*, ut Petri, utpote Judæi, gratiam Cornelio Gentili concilient; *tertio*, ut Judæo-Christiani qui cum Petro venerant, aliique qui Hierosolymis erant audituri Cornelium Gentilem admissum esse ad fidem et Ecclesiam, id non ægre ferant, utpote quem Judæi cæteri diligant et colant. Vers. 22.

RESPONSUM ACCEPIT, — puta oraculum: hoc enim est ἐχρηματίσθη. Sic sæpe alibi *responsum* capitur pro oraculo.

ET AUDIRE VERBA ABS TE. — «Verba,» scilicet Christi, Evangelii, salutis et vitæ æternæ, uti explicatur cap. sequenti, vers. 14. Hæc enim antonomastice et per excellentiam sunt «verba.» Unde «verbum» in Epist. S. Pauli sæpe capitur pro Evangelio ejusque prædicatione, æque ac Scriptura capitur pro sacra et divina.

23. RECEPIT HOSPITIO, — ἐξένισε, id est *hospitio excepit*, laute habuit, xeniis et muneribus quasi hospites donavit. Nota hic hospitalitatem insignem



Hospitalitas S. Petri in Romanam transfusa. S. Petri, quam ipse hospes et peregrinus, in peregrinos aliena in domo exercuit, ac cæteros fideles verbo et exemplo docuit, sed maxime in Romanam Ecclesiam transfudit, in qua proinde etiamnum hospitalia et nosocomia visuntur tot et tanta, ut unum hoc urbis orbisque prodigium videatur. Ita olim ibidem similia erexerunt Pammachius, gener S. Paulæ, Fabiola et Gallicanus, gener Constantini Magni, qui suis manibus peregrinis serviebat, totamque vitam et opes hospitibus et hospitalitati consecravit: qua de causa martyrii lauream sub Juliano Apostata meruit.

Merito ergo hoc elogium Ecclesiæ Romanæ dat Martinus Papa I, *epist.* 16, quod quisquis miserabilis homo ad eam veniat, illum hospitio recipiat, omnia ad usum ei præbeat, nec ullum repellat, detque panem mundissimum et vinum diversum. Eamdem hospitalitatis laudem Romanæ Ecclesiæ dat Dionysius, Corinthi Episcopus, apud *Euseb.*, lib. IV, cap. XXIII. Ita sane hoc anno 1622, quo Italia fame primum, deinde morbis afflicta est, Roma non tantum suos indigenas, sed et omnes ex cætera Italia aliisque provinciis turmatim affluentes hospitio excepit, aluit, curavit, cumque vetera xenodochia et nosocomia turbam non caperent, nova instituit, cardinalibus aliisque sumptus liberaliter præstantibus. Hæc ergo charitatis et misericordiæ dos, ab initio a S. Petro Romæ aspirata, etiamnum in ea perdurat, estque veræ fidei et virtutis priscæ ingens indicium. Plura de hospitalitate dixi *Genes.* XVIII, 1, et *Hebr.* cap. XIII, vers. 2.

ET QUIDAM EX FRATRIBUS. — Ut minimum sex, uti habetur cap. XI, 12. Quidam Codices addunt: «ut Petro testes sint;» sed hæc explicationis causa a quopiam ad marginem addita, postea in textum irrepserunt. Ita Glossa.

24. ALTERA AUTEM DIE INTROIVIT CÆSAREAM. — Hæc enim distat a Joppe itinere quindecim leucarum, sive horarum, ut patet ex tabulis Adrichomii: quare commode hoc spatium biduo confici potuit a Petro et comitibus, etiam peditibus, ut videtur.

Moral. de prædicando paucis et rudibus. Moraliter, notent hic Concionatores, Doctores et similes, se non debere spectare copiam et nobilitatem auditorum, sed eadem alacritate adire et docere paucos ac multos, rusticos ac nobiles, barbaros ac civiles. En tibi S. Petrus summus Pontifex non dedignatur adire unum Cornelium Gentilem militem, et hoc nomine Judæis invisum. Nomine enim Romanorum Judæos sub jugo detinebat. In ejus domo coram eo et paucis e familia, docet et concionatur. Ratio est multiplex.

Primo. *Primo*, quia in paucis subinde et rudibus major fructus fit, quam in multis divitibus. Et Deus humilitatem et charitatem Doctoris remunerari solet, et facere ut e paucis fructus in multos spargatur. En tibi per Cornelium apertum est ostium Evangelii ad Gentes: mox enim cæteri Apostoli secuti exemplum S. Petri, in gentes se disperserunt easque converterunt. Unius ergo Cornelii conversio fuit initium et causa conversionis tot millionum in gentibus. Narrant Annales Hispaniæ S. Jacobum sub idem hoc tempus in ea novem, vel, ut alii referunt, septem duntaxat convertisse: sed per hosce sparsa est fides, ac sensim tota Hispania conversa, quæ deinde per alias provincias Indiasque utrasque eamdem fidem propagavit, et etiamnum propagat, ut merito columna et columen Ecclesiæ nuncupari possit. Ita Christus uni mulieri Samaritanæ prædicavit, sed per eam Samariam convertit, *Joan.* IV.

*Secundo*, esto nullus, vel parvus concionis esset fructus, tamen integram laboris et charitatis suæ mercedem concionator a Deo recipiet, qui reddet unicuique secundum opera sua, non secundum fructum ex operibus secutum: hic enim sæpe in manu est Dei, non nostra. Qua de causa S. Franciscus, ait S. Bonaventura in ejus Vita, eadem spiritus alacritate concionabatur paucis ac multis, plebeis ac nobilibus. Secundo.

*Tertio*, ad Dei et Ecclesiæ magnificentiam spectat, multos habere doctores et concionatores qui Deum celebrent, etsi pauci sint auditores; sicut ad decorem civitatis facit, ut in ea plures sint fontes semper scaturientes, etiamsi pauci ex iis aquam hauriant. Non cessat fons aquam eadem copia emanare, etiamsi nemo hauriat: et tu eodem spiritu eructa verbum Dei, esto pauci audiant. Alioqui per omnem vitam inquietus eris et miser, utpote pendulus ab auditorum phantasia et mutabilitate. Tertio.

*Quarto*, tales justificant Deum, ejusque causam agunt: satagunt enim nomine Dei omnes docere, omnesque peccatores convertere. Quare si non convertantur, ipsorum est culpa et inexcusabiles sunt. Deus enim in judicii die justificabit se per hosce doctores, dicetque: Ecce ego dedi vobis tot tantosque concionatores; feci quidquid potui ut vos a peccatis avellerem. At vos tam illos, quam me sprevistis: igitur digni estis maledictione et igne æterno. Quare solentur se concionatores, dum paucos vel refractarios habent auditores, exemplo Christi, qui tales habuit, et Dei, qui solem facit oriri super bonos et malos, pluit super justos et injustos, qui tot tantaque bona in dies in homines effundit, etiamsi pauci ad ea advertant, pro iisque Deo gratias agant. Noli ergo animum dejicere, ne sinas tibi ligari linguam, cum auditorum minuitur, imo tunc valentius concionare: ostende te Dei gloriam quærere, non hominum. Si uni Deo placere et satisfacere in animum inducas, non curabis an multi, an pauci audiant. Signum minus rectæ intentionis est, cupere vel quærere cathedras honoratas et frequentes, nimirum quod quæras plausum hominum magis, quam uni Deo placere. Et hoc vanitas est, a qua nos liberet veritas. Verum est illud Gallorum proverbium: *Beaucoup de bruit, peu de fruit.* Ea quæ plausum habent, parum habent planctus et

ALERE FLAMMAM VERITATIS
UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

fructus. Videmus in multis Academiis professores Medicinæ et Juris paucos habere auditores, et tamen animose docere per multos annos, imo per totam vitam hoc nomine, quod Academia requirat tales, et quod integra semper percipiant stipendia. Idem apud se statuat concionator. Plato uno Aristotele discipulo contentus, cum is in scholis adesset, etiamsi cæteri abessent, docebat, dicens : « Auditorium est. » Nos magnum habemus auditorem Deum, quid ultra requirimus? Stratonicus musicus cum in ludo suo haberet pictas Musas novem, Apollinem unum, discipulos autem tantum haberet duos, rogatus a quodam quot haberet discipulos? Cum diis, inquit, duodecim : ita Athenæus, et ex eo Brusonius, lib. V, cap. II. Tu, si sex habeas, cogita te totidem auditores habere angelos, eorum custodes.

*Quinto*, Deus non tam considerat quantum quam ex quanto faciamus, puta ex quanta humilitate, charitate et zelo ; ex iis enim opus suam vim, valorem et meritum sortitur. Qua in re errant plerique : putant enim meritum consistere in magnitudine operum, cum in eo non consistat, sed in magnitudine charitatis. Fac opus parvum magna charitate, plus mereberis quam is qui facit opus magnum ex parva charitate; radix enim, norma et mensura meriti est charitas. Hæc magis puriusque exercetur coram paucis quam multis; coram plebeiis et rusticis, quam divitibus et nobilibus, ubi sæpe se miscet carnalitas et cupiditas, cum in illis sit mera puraque charitas.

Sicut mathematicus considerat lineam in se, et abstraxit ab eo quod sit aurea, vel ærea, nec libentius auream quam æream speculatur : ita sanctus doctor et prædicator unum Deum spectat : illi soli placere intendit, illius voluntatem explere satagit, nec curat an id fiat in officiis et pulpitis splendidis, vel vulgaribus; an coram multis, vel paucis. Denique S. Monica unum discipulum habuit, filium S. Augustinum : quot quantosque pro eo uno formando labores et dolores subiit? At per unum Augustinum quot quantosque docuit, et etiamnum docet et convertit? Anachoretæ plerique unum alterumve duntaxat habebant discipulum, in eo poliendo et perficiendo totam vitam insumebant, ut eum suæ vitæ et doctrinæ, æque ac cellæ, relinquerent hæredem. At unus ille alterve in virum perfectum evadebat, eratque instar mille, qui proinde multos alios ad vitam religiosam et perfectam instituebat, uti videre est in Vitis Patrum.

Necessariis amicis. — *q. d.* Amicis non omnibus, sed magis intimis, puta necessitudine et propinquitate conjunctis.

25. Adoravit, — non latria, sed adoratione civili et religiosa, sicut Abraham adoravit filios Heth, *Gen.* XXIII, 7; et Alexander Magnus Jaddum, pontificem Judæorum, teste Josepho, lib. XI *Ant.* VIII ; et sicut modo, exemplo Cornelii, fideles adorant pontificem, eumque genuflexi osculo pedis venerantur; quod notent hæretici. Addit vir doctus Cornelium proprie adorasse Petrum : putasse enim in Petro esse quid numinis, eumque esse quid super hominem, imo super angelos, utpote ad quem ab angelo missus esset, auditurus ab eo verba salutis, et majora quam ab angelo audiisset. Unde et S. Hieronymus, lib. *Contra Vigilant.*, ait Cornelium eo errore laborasse quo Lycaonii, qui Paulum esse Mercurium opinabantur, Barnabam vero Jovem, *Act.* XIV, 11. Sic enim Gentiles, præsertim platonici, heroes censebant esse deos quosdam inferiores, terrestres et medios inter Deum et homines cæteros. Verum hoc de Cornelio unum Deum cognoscente et colente, imo religioso, justo et sancto, parum videtur credibile, præsertim cum ipse hæc omnia faceret Deo astante, ducente, gubernante. Sciebat enim unum esse Deum, non plures, uti recte advertit Salmeron hic, et Suarez, III *part.*, tom. I, disp. LIII, sect. 1, et Vasquez, lib. I *De Adorat.*, cap. III, num. 161.

Cornelius adoravit Petrum, quomodo?

Dices : Cur ergo Petrus hanc adorationem recusat, causam allegans dicensque : « Surge, et ego ipse homo sum? » Respondeo : Id facit humilitatis et modestiæ studio, ad exemplum fidelium; præsertim quia apud Judæos unum Deum adorantes, insolita et suspectata erat hominis quælibet adoratio : qua de causa Mardochæus noluit adorare, id est genua flectere coram Aman. Unde Petro in primis illis tenuibus sui pontificatus initiis, hic honor visus est æquo major et immoderatior, ut ait S. Gregorius, lib. XXI *Moral.*, x vel XI. Sensus est ergo, *q. d.* Surge, Corneli : ego enim homo sum tui similis, ac proinde nolo ut te ante me prosternas. Hæc enim prostratio nobis Judæis est insolita, nec fere fieri solet nisi angelo, aut Deo, qualis ego non sum. Itaque, licet tua erga me, id est Patrem tuum spiritalem, reverentia et veneratio bona sit et sancta, tamen hoc tempore eam mihi adhiberi nolo, tum ut dem humilitatis exemplum; tum ne Judæos comites meos, quibus illa nimia, nec homini, sed angelo, vel Deo debita videri potest, offendam : tua enim tam profunda mentis, vultus et corporis ante me demissio, eis videtur numini potius quam homini competere : quare ergo hunc honorem, modestiæ et scandali vitandi causa, declino, fateorque me hominem esse, ac ut hominem comiter et familiariter velle tecum agere. Simili de causa noluit angelus a Joanne adorari genuflexione, *Apoc.* XIX, 10, uti ibi dixi.

Tolerabilius dici posset Cornelium putasse Petrum esse angelum incarnatum, et ut talem adorasse, ideoque prohibitum a Petro dicente : « Et ego homo sum. » Verum Cornelium scivisse Petrum esse hominem, non angelum, patet ex dictis et ex circumstantiis notisque Petri, quas ei indicavit angelus, jubens eum vocari vers. 5 et 6. Adoravit ergo eum ut hominem, sed Prophetam et Spiritu Dei plenum : Petrus vero modeste hunc



honorem recusavit, de quo vide S. Basilium, in *Moral.* LIX.

Vers. 28. 28. Abominatum sit. — Græcum ἀθέμιτον, id est *illicitum* (ut habent Biblia Gothica, teste Mariana), *iniquum, nefarium, abominabile*, deducitur a θέμις, id est *lex, jus, fas*, et α privativo : *q. d.* Contra jus et fas est. Judæi enim abominabantur et aversabantur alienigenas, id est Gentes, quasi infideles, impias, exleges, impuras, pollutas; uti vicissim Gentes spernebant Judæos, quasi viles, singulares et lege ac religione diversos et separatos a cæteris populis : eosque per contemptum vocabant verpos, recutitos, apellas.

Sed mihi ostendit Deus, neminem communem aut immundum dicere. — Neminem scilicet ut immundum et pollutum, abominandum esse et aversandum. Ostendit autem id Deus per visionem vasis lintei et animalium immundorum, quæ significabant Gentiles, dicendo : « Occide et manduca : quod Deus purificavit, tu commune, » id est pollutum et immundum, « ne dixeris. »

Vers. 29. 29. Sine dubitatione, — ἀναντιῤῥήτως, id est *citra contradictionem*, ut vertit Tigurina; Syrus, *expedite*; Pagninus et Vatablus, *incunctanter*.

Interrogo. — Sciebat Petrus ex visione lintei, et ex instinctu Spiritus Sancti, et ex nuntiis promissis, quid vellet Cornelius. Interrogat tamen eum, ut plenius Cornelii animum perscrutetur, acuatque ejus desiderium audiendi res fidei et salutis. Ita S. Chrysostomus.

30. A nudiusquarta die, — ἀπὸ τετάρτης ἡμέρας, id est *die abhinc quarta*. Ita Tigurina, Pagninus et Syrus. « Prima die viderat angelum, et miserat nuntios; secunda hi pervenerunt Joppen; iidem inde cum Petro profecti sunt; quarta reverterunt Cæsaream, » ait Lyranus.

Porro Græca et Syra sic habent : *Die abhinc quarto usque ad hanc horam eram* (hoc est enim ἤμην, licet Tigurina et alii apud Gagneium legant ἥμην, id est *sedebam*) *jejunus, et hora nona precabar domi meæ* : quorum verborum sensus clarus est hic, *q. d.* Quarto abhinc die eram jejunans usque ad horam hanc vespertinam, quando more meo orans hora nona, vidi angelum. Aliter vertit S. Chrysostomus, scilicet « a quatuor diebus eram jejunans, cum hora nona orans vidi angelum. » Censet enim ipse quatuor hosce dies jejunii Cornelii præcessisse apparitionem angeli, quasi eam meruerit Cornelius per prævium quatriduanum jejunium. Aliter quoque ex versione nostra vulgari interpretantur alii, *q. d.* Ab hora nona nudiusquartus, quando mihi oranti apparuit angelus, huc usque mansi jejunus et orans. Hunc enim sensum exigere videtur τὸ *a nudiusquarta die*. Unde sequitur Cornelium in oratione jejunum (ut habent Græca et Syra) perstitisse per quatriduum, scilicet usque ad adventum S. Petri, itaque se præparasse ad recipiendam Christi fidem et Baptismum. Dicit vero *eram*, potius quam sum, vel mansi, aut maneo, quia maxime urget initium orationis suæ, quando ei apparuit angelus, et quia jam paulo ante ab oratione cessarat, scilicet mox ut advenit Petrus. Verum hic sensus dissentit a Græco et Syro : quare ut ei consentiat versio nostra Latina, sic exponenda est, *q. d.* Nudiusquarta die, id est nudiusquartus, eram orans hora nona usque ad hanc horam, scilicet vespertinam : videtur enim Petrus vespere pervenisse Joppen, et ingressus domum Cornelii, ut itinerantes facere solent. Primus ergo sensus est genuinus. *Nudius quartus* enim, ait Festus, componitur ex *nunc* et *die quarto*. *q. d.* Nunc est dies quartus. Unde *a nudiusquarta die* idem est quod, ex nunc quarta die, sive quarta abhinc die, ut habent Græcus et Syrus : *nudius* enim idem est quod *nunc dies*.

Orans eram hora nona. — Notant Beda et Glossa nonnullos codices Latinos et Græcos sic legere, *adorans eram a sexta usque ad nonam*. Unde et Œcumenius censet eum orasse per tres horas antequam angelus veniret; sed vera lectio et expositio est ea quam paulo ante dedi.

In veste candida. — Græce λαμπρᾷ, id est *splendida*; color enim candidus est lucidus et splendidus. Unde olim vestis candida erat nobilium et ambientium magistratus, qui inde vocabantur Candidati.

31. Exaudita est oratio tua, — qua orasti pro salute tua et tuorum : unde suggero tibi, ut voces Petrum : hic te docebit fidem Christi, quæ te ad salutem et beatitudinem perducet. Vers. 31.

Et eleemosynæ tuæ commemoratæ sunt, — *q. d.* Deus recordatus est eleemosynarum tuarum, ac propter eas impertiet tibi lucem Evangelii. Vide dicta vers. 4.

33. Nunc ergo omnes nos in conspectu tuo adsumus, — quasi prompti et parati audire et facere quæcumque ex Deo jusseris. Græca jam habent, *in conspectu Dei*, quod Tigurina vertit, *teste Deo*; Vatablus, *conscio Deo omnes adsumus*, *q. d.* Testamur Deum et juramus nos paratos audire et facere ea quæ tibi præcepta sunt a Deo (1). Vers. 33.

34. In veritate comperi, — καταλαμβάνομαι, id est comperio, deprehendo, video. Vers. 34.

Quia non est personarum acceptor Deus. — Græce eleganter dicitur una voce, οὐκ ἔστι προσωπολήπτης, *q. d. Deus non est personaceps*, ut scilicet Judæos (ut ipsi putant) præ Gentibus, sicut ad Synagogam Mosis, ita et ad Ecclesiam Christi elegerit, sed paratus est omnes in Christum credere volentes in gratiam recipere, sive Gentiles sint, sive Judæi. Hoc enim nationis discrimen in electione hac ad gratiam, Ecclesiam et salutem, non respicit Deus. Nota : Hæc personarum acceptio hoc loco non est illa, quæ est vitium oppositum justitiæ distributivæ ; Deus enim hac justitia

(1) Sed vetustior esse videtur lectio Syri et Latini aliorumque, *in conspectu tuo*. Quod si enim vera lectio esset *in conspectu Dei*, Lucas, in fine versus, pro *a Domino* scripsisset *ab illo*.

non ligatur, quia homines ad Dei gratiam, fidem et salutem nullum jus habent. Unde Deus sine alla injuria et sine vitio acceptionis personarum potuisset eligere Judæos ad christianismum, et ab eo excludere Gentes. Ergo hæc acceptio personarum hoc loco est illa, quæ fit in rebus gratuitis, quæ ex mera donantis libertate pendent, ut si dives velit facere eleemosynam, sed certis personis duntaxat, v. g. suis civibus, vel subditis. *q. d.* Deus in distribuendis suis fidei et gratiæ donis non respicit personam, an videlicet Judæus sit an Gentilis, sed utrislibet eam offert, ac præsertim, « in omni gente, qui timet Deum et operatur justitiam, acceptus est illi, » uti tu, o Corneli, licet Gentilis, quia times Deum et operaris justitiam (hoc ipso enim dignior es Judæis), acceptus es illi, ideoque per me tibi fidem explicitam Christi, baptismum et christianismum impertiet. Vide quæ de personarum acceptione dixi *Rom.* II, 11.

Vers. 35. Justitia triplex. Primo. 35. ET OPERATUR JUSTITIAM. — « Justitia » hic *primo* accipi potest generaliter, ut virtutes omnes contineat sitque earum complexio, a qua denominatur justus. Sic etiam accipitur ab Aristotele, V *Ethic.* I.

Secundo. *Secundo*, « justitia » accipi potest pro eleemosyna : Cornelii enim justitia maxime sita erat in erogandis eleemosynis; sic accipitur *Psal.* CXI, 9: « Dispersit, dedit pauperibus : justitia ejus manet in sæculum sæculi; » justitia, id est eleemosyna, quam dispersit in pauperes. Ratio est, quia per eleemosynam explemus triplex jus et debitum, nimirum id quod debemus proximo, nobis et Deo : homo enim homini debet humanitatem; sibi debet, ut suæ naturæ consortem ac concorporalem et consanguineum, quasi suum fratrem adjuvet; Deo debet, ut, cum ipsi in se benefacere non possit, id faciat ejus imagini, puta homini, quem Deus creavit ad suam imaginem et similitudinem, ut esset quasi Deus quidam terrestris; præsertim cum Deus in tota Scriptura id tantopere jubeat et commendet, sibique id fieri æstimet, atque hujus rei rationem exacturus sit in die judicii, ac misericordes cœlo, immisericordes inferno adjudicaturus, *Matth.* XXV, 35; hinc Hebr. affines sunt voces, et per metathesim pene eædem חסד *chesed*, id est pietas, misericordia; et צדק *tsedec*, id est justitia, adeoque חסיד *chesid*, id est pius, misericors, idem est quod justus et sanctus. Causas dedi II *Cor.* IX, 9, et *Dan.* IV, 24.

Eleemosyna. *Tertio*, « justitia » hic accipi potest antonomastice, scilicet non qualis qualis, sed illustris, eximia et heroica. Sic capitur *Eccli.* XX, 30 : « Qui operatur justitiam, ipse exaltabitur. » Et *Hebr.* XI, 33 : « Sancti per fidem vicerunt regna, operati sunt justitiam : » ibi enim Apostolus heroica patrum facta, quasi fidei illustres effectus et elogia commemorat. Pari modo Cornelius non tantum justus erat, sed illustria justitiæ et eleemosynæ facinora edebat. Unde præ cæteris meruit visitari ab angelo, primusque gentilium publice a S. Petro Christianismo initiari. Quocirca S. Chrysostomus, omnibus Cornelium in exemplum justitiæ et bonorum operum, æque ac remunerationis divinæ proponit.

36. VERBUM MISIT DEUS. — Hic Petrus finita præfatione rem orditur, ac Centurionem cum suis catechizat, ait Tertullianus, lib. *De Corona militis*, cap. XI. Primæ enim Apostolorum conciones fuerunt catecheses : de quo glorientur nostri catechistæ sintque eorum æmuli. Docet enim Petrus Jesum Christum a Patre missum in carnem, ad redimendum homines, ideoque passum, crucifixum, resurrexisse, venturum judicem; per ejus merita remitti peccata, dari gratiam et salutem. Nota : « Verbum » hoc accipi potest, *primo*, pro sermone et prædicatione Evangelii; *secundo*, pro Verbo æterno, id est Filio Dei incarnato, hoc est, Jesu a Nazareth, uti se explicat Petrus, vers. 38. Sic enim de eo ait Joannes in initio *Evang.* : « In principio erat Verbum, et Verbum erat apud Deum, et Deus erat Verbum, etc. Et Verbum caro factum est. » Ita Hugo, Glossa et Dionysius hic, ac S. Athanasius, orat. *Contra Arian.* in illud, *Deus de Deo.* *Tertio* et plane, « verbum » hic accipias pro re verbo significata, puta pro rebus a Christo dictis et factis, de quo mox plura. Alludit Petrus ad illud *Isaiæ* IX, 8 : « Verbum misit Dominus in Jacob, et cecidit in Israel. » Est enim utrobique eadem phrasis, sed dispar scopus et sensus. Vide ibi dicta. Verbum triplex.

ANNUNTIANS PACEM PER JESUM CHRISTUM, — puta pacem et reconciliationem cum Deo, indeque cum proximis, æque ac pacem conscientiæ. Unde Angeli Christo nato illico cecinerunt : « Gloria in altissimis Deo, et in terra pax hominibus bonæ voluntatis, » *Luc.* II. Hanc pacem allatam a Christo sæpe commendat Apostolus ac præsertim, *Ephes.* II, 14 : « Ipse enim est pax nostra, qui fecit utraque unum, » etc. Vide ibi dicta.

HIC EST OMNIUM DOMINUS. — « Hic, » scilicet Jesus Christus, qui proxime præcessit. Unde Christi divinitatem contra Arianos ex hoc loco probat S. Athanasius, loco jam citato, et alii.

37. VOS SCITIS (1) (id est rumore audistis, ex fama communi et confuse; nam distincte et particulatim ignorabant : unde edocentur hic a Petro; cognoscitis QUOD FACTUM EST VERBUM. — « Verbum » hic paulo aliter a nonnullis capitur, quam vers. præced.; ibi enim Græce erat λόγος, hic vero est ῥῆμα. Verbum enim æternum, puta Dei Filius, in Scriptura vocatur λόγος, non ῥῆμα : ῥῆμα ergo significat Evangelii prædicationem factam a Christo per totam Judæam. Ita Hugo, Glossa et Dionysius.

*Secundo* et planius, « verbum » hic capitur metonymice pro re, puta pro summa dictorum et factorum Christi, quam Græci vocant œconomiam Christi : hanc enim in sequentibus explicat et enarrat S. Petrus. Ita Lyranus, Cajetanus, Gagneius et noster Lorinus, *q. d.* Audistis famam prædicationis, miraculorum et gestorum Christi. Hunc esse sensum patet ex textu Græco, qui sic habet : ὑμεῖς οἴδατε τὸ γενόμενον ῥῆμα καθ' ὅλης τῆς Ἰουδαίας, ἀρξάμενον ἀπὸ τῆς Γαλιλαίας, μετὰ τὸ βάπτισμα ὃ ἐκήρυξεν Ἰωάννης, Ἰησοῦν τὸν ἀπὸ Ναζαρὲτ, ὡς ἔχρισεν αὐτὸν ὁ Θεὸς πνεύματι ἁγίῳ, etc., id est : *Vos scitis et verbum quod factum est per totam Judæam, exortum a Galilæa, post baptismum quem prædicavit Joannes, Jesum a Nazareth, quomodo unxerit eum Deus Spiritu Sancto.* Ita Pagninus, Tigurina, Vatablus, Gagneius et alii passim. Unde patet *primo*, « verbum » hoc esse « Jesum a Nazareth, » puta dicta et gesta Jesu Nazareni, quæ scilicet ipse post susceptum a Joanne baptismum, accepto ab eo testimonio quod ipse esset Messias, cœpit docere et facere, incipiens a Galilæa, et prosequens per universam Judæam. Unde illud explicans Petrus subdit : « Quomodo unxit eum Deus Spiritu Sancto et virtute, qui pertransiit benefaciendo et sanando omnes oppressos a Diabolo. » Quare Vatablus per metathesin unius voculæ « quomodo » sic exponit : « Vos scitis verbum quod factum est, scilicet, quomodo unxit Deus Jesum Nazarenum Spiritu Sancto, » etc., ut pronomen « eum, » per pleonasmum Hebræum redundet. Patet *secundo*, « verbum » hoc versu idem significare quod vers. præced., scilicet dicta et facta Christi. Patet *tertio*, τὸ *incipiens*, vel, ut alii vertunt, *exortum*, referre *verbum* quod præcessit, non *Deum* : licet ergo Latina versio habeat, *incipiens enim a Galilæa*, subaudi : *fuit*; tamen Græca non habent τὸ *enim* : eo enim omisso, sensus plane fluit.

POST BAPTISMUM QUOD PRÆDICAVIT JOANNES. — Pronomen *quod*, refert *baptismum*, quia sicut Græcis βάπτισμα dicitur in neutro genere, et βαπτισμός in masculino, sic et latine dicitur *baptismus* masculine, et *baptismum* neutre, uti neutre usurpat sæpe S. Augustinus, S. Hieronymus et alii. Aliter hæc legunt Rabanus et Beda, nimirum sic : « Vos scitis ut prædicavit Joannes Jesum a Nazareth. »

38. JESUM A NAZARETH. — Scilicet, scitis esse verbum jam dictum : inde enim connexe hæc omnia pendent, uti jam ostendi ex Græco. De nomine Nazareni dixi cap. II, 22.

QUOMODO UNXIT EUM DEUS SPIRITU SANCTO. — De hac unctione dixi cap. IV, 27. Vide Eusebium, lib. IV *De Demonstr.*, cap. XV, ubi docet gratiam Spiritus Sancti recte vocari oleum et unctionem, quia instar olei nitidos facit, lucidos, fortes, vegetos et hilares.

ET VIRTUTE, — δυνάμει, id est *potentia*. Hanc enim Christus divinam ostendit in patrandis miraculis, ejiciendis dæmonibus, convertendis animis.

QUI PERTRANSIVIT BENEFACIENDO, — εὐεργετῶν, id est *benefaciens*; ut recte Christus cognominari posset Evergetes, id est benefactor, utique longe verius quam Ptolemæus ille rex Ægypti, ordine tertius. Proprium ergo Christi ejusque assecdarum est, nemini male, sed cuilibet benefacere, ut ubicumque degit, spargat radios suæ beneficentiæ instar solis, qui jugiter currit et pertransit, ut lucem, calorem et influxum suum communicet hominibus et plantis in toto orbe dispersis. Christus evergetes.

Vere S. Bernardus, epist. 253 *ad Guarinum* : « Pertransiit, ait, sicut non infructuose, ita non remisse, non pigre, non lento gressu, sed quemadmodum de eo scriptum est : Exultavit ut gigas ad currendam viam. Porro currentem non apprehendit, qui et ipse pariter non currit. Et quid prodest Christum sequi, si non contingat consequi? Ideo Paulus aiebat : Sic currite ut comprehendatis. Ibi tu, Christiane, fige tui cursus profectusque metam, ubi Christus posuit suam. Factus est, ait, obediens usque ad mortem, mortem autem crucis. » Idem, *serm.* 11 inter parvos : « Justitia, ait, est in duobus, in innocentia et in beneficentia. Innocentia justitiam inchoat, beneficentia consummat. » Idem, epist. 181 *ad Haimericum* : « Benevolus nil sibi carius ipsa æstimat benevolentia, qua et benevolus nominatur, et beneficus est. » S. Chrysostomus, hom. 27 *in Genes.* : « Benefacere, ait, homini, est beneficium magnum apud Deum deponere. » Dei enim proprium est benefacere, sicut diaboli malefacere. Deum ergo patrem suum imitantur benefici. Audi Christum, *Matth.* V, 44 : « Benefacite his qui oderunt vos, et orate pro persequentibus et calumniantibus vos, ut sitis filii Patris vestri qui in cœlis est, qui solem suum oriri facit super bonos et malos, et pluit super justos et injustos. » [illegible]

Quare Gentilis, non Christiana est ista Ciceronis vox : « Beneficium nec in juvenem, nec in senem conferendum est : in hunc, quia perit antequam gratiæ referendæ detur opportunitas; in illum, quia non meminit. » Pientius Titus Vespasianus Imperator aiebat : « Non licere quemquam a vultu imperatoris tristem discedere. » Idem recordatus se eo die nemini benefecisse : « Amici, ait, diem perdidimus; » ita Suetonius, in ejus Vita. Pythagoras rogatus, « qua ratione homines diis similes haberi possent? Respondit : Si veritatem amplecterentur et cunctis benefacerent. » Ita Ælianus, lib. XII. Theophrastus rogatus « quidnam vitam humanam conservaret? respondit : Beneficentia. » Ita Stobæus, *serm.* 41. Anaxilaus interrogatus « quid esset in regno

(1) Vers. 36 et 37. Luculentam, ut opinor, hujus loci nimium ab interpretibus versionibusque vexati, interpretationem dat Kuinoelius : scilicet verba ὑμεῖς οἴδατε a commate 37 avellit; τὸν λόγον vero et comma 37 τὸ γενόμενον ῥῆμα uti per appositionem juncta censet, atque verba οὗτός ἐστι πάντων κύριος uncis includit; ut sensus sit : « Doctrinam quam Deus Israelitis tradendam curavit, annuntians pacem per Jesum Messiam (qui est omnium Dominus), vosmet nostis, doctrinam (ῥῆμα) inquam, quæ per totam Judæam propagata est, exorsa a Galilæa, inde a baptismate quod Joannes commendavit. » *Nostis* non est de plena atque accurata religionis Christianæ intelligendum; sed de prædicatione, v. g. Philippi, *Act.* VIII, 40.

benignissimum? respondit : « Nunquam vinci beneficiis. » Publius Mimus : « Beneficium, ait, qui dare nescit, injuste petit. » Alexander Severus Imperator, rogatus : « Quis esset optimus? respondit : Qui amicos muneribus retinet, et inimicos beneficiis ambit sibique conciliat. » Ita Maximus, serm. 9 *De Magist.* Epictetus : « Sicut sol, ait, non expectat preces ut exoriatur, sed illico fulget ac salutatur ab omnibus; ita neque tu expectaveris plausus, strepitus et laudes ut beneficias, sed sponte confer beneficia, et eque ac sol amaberis, » teste Stobæo, serm. 11 *De Magist.* Præclarius S. Gregorius Nyssenus, orat. *De Pauper. amandis* : « Beneficentia, ait, est omnium virtutum laudatarum præstantissima; hæc est felicitatis comes. Hæc assidet Deo, et magna est cum ipso necessitudine conjuncta. »

Et sanando omnes oppressos a diabolo, — καταδυναστευομένους, id est potentia et tyrannide diaboli in potestatem ejus redactos, oppressos et sub jugum missos, possessos scilicet a diabolo, vel corpore, vel anima, vel utroque. Diabolus enim erat princeps mundi; sed eum suo principatu tyrannico dejecit Christus, *Luc.* xi, 12.

Deus in Christo tripliciter. Quoniam Deus erat cum illo : — *primo*, per unionem hypostaticam; *secundo*, per gratiam eximiam, singularem et capitalem, qualis decebat unigenitum Dei; *tertio*, per potentem operationem miraculorum et sanitatum, perque efficacem prædicationem, qua mentes hominum illuminabat et ad Deum convertebat. Inde vocatus est Emmanuel, id est *Nobiscum Deus*, *Isaiæ* vii, 14. Facessat ergo Nestorius, qui ex hoc loco et similibus inferebat Christum esse merum hominem, non Deum, quia Deus erat cum illo, scilicet homine Christo : alia ergo erat persona hominis Christi, alia Dei, qui erat cum illo homine. Respondeo enim negando consequentiam : nam *illo* significat hominem Christum existentem, non subsistentem in propria persona, sed in persona Verbi, ac proinde non significat personam hominis, sed naturam et existentiam hominis in concreto : in hac enim erat Deus per unionem hypostaticam, ac consequenter ei suam hypostasin et subsistentiam divinam communicabat. Aliter ergo Deus est in nobis, aliter in Christo : in nobis enim tantum est per gratiam et operationem; in Christo, etiam per substantiam.

Non omni populo. — « Suscitatum Christum nemo vidit impiorum, » ait S. Augustinus, tract. 76 *in Joannem*.

42. Qui constitutus (ὡρισμένος, id est *definitus*, *destinatus*, *designatus*) est a Deo judex, — nimirum qua homo, « quia filius hominis est, » ut ait *Joan.* cap. v, 27, ut scilicet in humana natura, gloriosa, visibiliter judicet omnes homines in valle Josaphat in ultimo mundi die. Hæc enim potestas judiciaria debita est humanitati Christi ob unionem cum Verbo : loquitur S. Petrus primario de judicio universali, secundario de particulari : hoc enim universali annexum et subordinatum est. Christus enim particulatim singulos homines judicat, dum moriantur, non quod singulorum animæ deferantur in cœlum, Christoque judici judicandæ sistantur, ut velle videtur S. Augustinus, lib. *De Vanitate sæculi*, cap. i; S. Chrysostomus, hom. 46 *ad Popul.*, et S. Bernardus, in *Meditation.*, cap. ii : nec enim decet peccatores in cœlum elevari; non etiam quod Christus personaliter in terram descendat, ut quemque morientem judicet, uti videtur velle Innocentius III, lib. II *De Contemptu mundi*, cap. xliii; sic enim Christus quolibet momento deberet e cœlo in terram, imo in varia terræ loca simul descendere : sed quod animæ defuncti statim post mortem intellectualiter loquatur, eique sua facta repræsentet, ac pro meritis, vel demeritis cuique sententiam quasi judex dictet et proferat. Sicut enim angelus in Oriente potest loqui alteri angelo, qui est in Occidente, per mentalem locutionem, ita Christus, gloriosus in cœlo, mentaliter potest loqui animæ existenti in terris. Ita Franciscus Suarez, III *part.*, tom. II, disp. 52, sect. 2; licet nonnulli sentiant Christum particulare cujusque judicium peragere per angelum ejus custodem, uti dixi cap. vii, 58.

Quomodo Christus sit particularis cujusque judicium.

Nota : Hanc potestatem judiciariam habuit Christus in actu primo, a primo instanti conceptionis suæ et unionis cum Verbo. Ex tunc enim habuit jus et potestatem judicandi omnes, æque ac dominium universi et creaturarum omnium; sed usum et exercitium hujus potestatis accepit in resurrectione : tunc enim accepit gloriam regnantis statumque dominantis, dum enim viveret habuit statum se humiliantis et patientis, mœrentis et morientis.

Vivorum et mortuorum, — id est justorum et injustorum, ait S. Chrysostomus, hom. 1 *De Symbolo*, et S. Augustinus, *Enchir.*, cap. lv; animarum et corporum, ait Ruffinus in *Symbolo*. Verum hæc mystica et symbolica sunt. Dico ergo ad litteram vivos hic vocari eos qui in die judicii vivi reperientur, cæteros vocari mortuos, non quod et illi morituri non sint, sed quod e morte illico sint resurrecturi, ita ut mors eis sit potius transitus ad vitam, quam interitus. Vide dicta I *Thessal.* iv, 15.

Hinc patet omnes omnino homines resurrecturos, præsentes fore Christo in die judicii, ab eoque judicandos, etiam parvulos sine baptismo in peccato originali mortuos, uti docet S. Gregorius, lib. IX *Moral.*, cap. xii vel xvi, et S. Augustinus, lib. III *De Libero arbitr.*, cap. xxiii, et plerique Scholastici, in IV, dist. xlvii; omnes enim subditi sunt judici Christo, sicut pro omnibus idem natus et mortuus est. Christus itaque in parvulos proferet sententiam mediam : non enim admittet eos in cœlum, ut beatos, nec damnabit ad ignem gehennæ, ut damnatos. Punief ergo eos pœna damni, id est privatione cœlestis gloriæ ob peccatum originale, non vero pœna sensus : hæc enim respondet peccato actuali, quod parvuli non habent.



43. Remissionem peccatorum accipere, — id est, *quod remissionem peccatorum accepturus sit per nomen ejus, quisquis crediderit in eum*, ut vertit Tigurina, qui scilicet in eum crediderit fide, non mortua, sed viva, quæ in spei, timoris, invocationis, charitatis et cæterarum virtutum actus se exerit, ut scilicet credat Christum esse mediatorem inter Deum et homines, ejusque passionis merito Deum remittere peccata, ac ut talem invocet, amet, veneretur ejusque legi et præceptis per omnia obediat. Ita contra hæreticos hujus temporis explicat et docet S. Jacobus, cap. ii, 24. Cur Apostoli passim inculcent beneficium remissionis peccatorum, causas dedi cap. v, 31, et cap. ii, 38; licet enim Cornelius jam esset justificatus, tamen etiam justus septies in die cadit, saltem in peccatum veniale. Adde in domo Cornelii multos fuisse qui necdum remissionem peccatorum acceperant, sed jam a S. Petro erant accepturi per fidem Christi. Denique docet hic S. Petrus vim baptismi, quod nimirum remittat peccata, ideoque nemo justificetur nisi eum actu suscipiat, vel habeat in voto, uti habuit Cornelius.

Vers. 44. Cecidit Spiritus Sanctus, quomodo?

44. Cecidit Spiritus Sanctus, — visibili specie, scilicet in igneis linguis, incumbens capiti Cornelii et domesticorum ejus. Hac enim specie descenderat in Apostolos. Id patet ex cap. seq., vers. 16, ubi dicitur : « Cecidit Spiritus Sanctus super eos, sicut et in nos in initio, » puta in Pentecoste, per linguas igneas. Unde et sequitur : « Audiebant enim illos loquentes linguis. » Porro cecidit Spiritus Sanctus in eos antequam baptizarentur : unde sequitur eos ad catechesim S. Petri fidem in Christum concepisse ac contritionem de peccatis, cum audirent remissionem peccatorum sperandam et petendam a Christo, per eamque se esse justificatos. Ita disposuit Deus, ut Judæi Petrum non possent arguere, quod eos utpote Gentiles baptizasset et Christianismo initiasset, utpote cum vidissent in eos jam ante descendisse Spiritum Sanctum qui suo descensu eos sibi in filios adoptabat, itaque significabat eos in Ecclesiam suam esse cooptandos. Ita S. Chrysostomus. Quare imperite hoc loco argumentantur hæretici : Cornelius ante baptismum recepit Spiritum Sanctum, ergo eum non confert baptismus; sed is tantum est signum justitiæ et gratiæ per fidem acceptæ : perinde enim est ac si sic argumentarentur. Contritio confert Spiritum Sanctum; ergo eum non confert baptismus. Inepta enim est utraque consequentia. Idem enim effectus, puta gratia Spiritus Sancti a pluribus causis promanare potest, puta a contritione et a baptismo. Adde contritionem includere votum baptismi, et sine eo non conferre Spiritum Sanctum, uti superius dixi. Denique hic illapsus Spiritus Sancti in Cornelium ante baptismum, fuit privilegium speciale ei soli concessum, quod regulæ legique communi, juxta quam per baptismum dantur remissio peccatorum et gratia Spiritus Sancti, non præjudicat.

45. Ex circumcisione (ex Judaismo) fideles; — est synecdoche : ponitur enim *circumcisio* pro tota lege Mosis, quia ipsa ejus erat initium et professio, uti est baptismus legis novæ et Christianismi. *Secundo*, « ex circumcisione, » id est circumcisi, puta Judæi fideles et Christiani. Est græcismus, de quo dixi, *Rom.* iv, 12.

Quia et in nationes (ἔθνη, id est *Gentes* et *Gentiles*) gratia Spiritus Sancti effusa est. — Putabant enim Judæi Christum Christique gratiam et Ecclesiam Judæis solis esse promissam et destinatam a Deo, et Gentes ab ea excludendas.

Gratia, — δωρεὰ, id est *donum gratuitum*, ideoque gratia.

46. Et magnificantes Deum. — Loquentes magnalia Dei, tum orbi toti, tum sibi præ cæteris Gentilibus per Christum præstita, ideoque ex intimo cordis, devotionis et gratitudinis sensu. Vide dicta cap. ii, 11.

47. Tunc respondit Petrus, — id est cœpit dicere. Nam *respondere* in Scriptura est ordiri sermonem, etiamsi nulla præcesserit interrogatio, uti hic nulla præcessit.

Numquid aquam quis prohibere potest? — Contradicit Petrus prohibentibus Judæis, ait S. Chrysostomus, *q. d.* Vos, o Judæi Christiani, putatis ad solos Judæos pertinere Christum Christique baptismum, ideoque vultis prohibere Gentes ne eo abluantur; at non potuistis prohibere Spiritum Sanctum quominus illaberetur in eas : ergo nec potestis prohibere quominus ejus baptismo baptizentur, baptismus enim est Sacramentum Spiritus Sancti. Unde S. Augustinus, *hom.* 23 inter 50 : « Ipsa, ait, attestatione rei magnæ quasi acclamatum est (a Spiritu Sancto et Christo) ad Petrum : Quid de aqua dubitas? jam ego hic sum. » Hinc secundo per metathesin vocis « aquam, » ita plane vertit Pagninus et Tigurina, *num quis prohibere potest quominus aqua baptizentur*, etc., ut scilicet per hoc Sacramentum initientur Christianismo fiantque cives Ecclesiæ?

Sicut et nos, — visibiliter per linguas igneas, accipiendo donum linguarum.

48. Jussit eos baptizari, — a suis comitibus : Vers. 48.
Apostolorum enim erat evangelizare, minorum sacerdotum baptizare, ut docet Paulus, I *Corinth.* i, 17. Sic Christus per se prædicabat; per Apostolos baptizabat, *Lucæ* iv, 18, et *Joan.* iv, 2.

In nomine Domini Jesu, — puta baptismo Christi. Vide dicta cap. ii, 38. Cornelium hunc post Zachæum creatum esse a S. Petro Episcopum Cæsareensem, testatur *Martyrologium Romanum*, 2 februarii, et Clemens, lib. VII *Constit.*, cap. xlvi. Ad hæc Cornelii domum conversam esse in ecclesiam, eamque adhuc extitisse tempore S. Hiero-

nymi, docet ipse, *epist.* 27, ubi describens navigationem et iter S. Paulæ ait, ipsam Cæsareæ invisisse domum Cornelii jam Christi factam ecclesiam. Porro Sanctorum catalogo adscriptus est Cornelius 2 februarii, ubi sic habet *Martyrologium Romanum* : « Cæsareæ in Palæstina S. Cornelii Centurionis, quem B. Petrus Apostolus baptizavit, et apud præfatam urbem Episcopali honore sublimavit. » Vita hujus S. Cornelii exstat apud Surium ex Metaphraste, 13 septembris, sed in qua quædam apocrypha contineri censet noster Lorinus, et tale quid redolent.

An Cornelius primus ex Gentibus ad Christum conversus? Quæres hic primo, an Petrus et Apostoli usque ad Cornelii vocationem ignorarint Gentes vocandas esse ad Christum, eisque prædicandum esse Evangelium? an Cornelius omnium omnino Gentilium primus sit conversus et baptizatus? Affirmant nonnulli, quia id videtur visio et narratio hujus capitis significare.

Respondetur negative. Probat. Primo. Verum contrarium multi moderni viri docti sustinent, idque videtur verius. *Primo*, quia Christus ascensurus in cœlum diserte dixerat et jusserat Apostolis, ut evangelizarent Gentibus : « Euntes, ait, in mundum universum, prædicate Evangelium omni creaturæ, » id est omni homini, « *Matth.* XXVIII. Et : « Eritis mihi testes in Judæa et Samaria, et usque ad ultimum terræ, » *Act.* I.

*Secundo*, quia Apostoli viderant Gentiles deduci ad Christum, ab eoque suscipi, *Joan.* XII, 20; rursum, ab eo sanari filiam Chananææ, utique Gentilis, *Matth.* XV, 22. Ad hæc audierant primitus tres Magos ex Oriente a Deo, duce stella, vocatos ad præsepe Christi : hi autem erant primitiæ Gentilium. Insuper viderant curatum a Christo servum Centurionis Romani, *Matth.* VIII, 5, quem Lucius Dexter in *Chronico* scribit origine fuisse Hispanum, et Hispanis prædicasse Christum. Sic enim ait : « C. Cornelius centurio Capharnaumensis, dominus servi quem Dominus sanavit, pater etiam C. Oppii centurionis, erat Hispanus : mire floret in Hispania. » Et de ejus filio : « C. Oppius, inquit, Centurio Hispanus, credidit Christo morienti in cruce. Ex Gentilibus hic primus a Christi morte credidit, qui fuit civis Romanus, baptizatusque a S. Barnaba factus est tertius Mediolanensis Episcopus. Vir quidem Apostolicus, qui Christi mortem et eclipsin admirabilem primus omnium Hispanis genti suæ, cum audientium stupore refert. »

*Tertio*, quia ad hoc Apostoli in Pentecoste receperant Spiritum Sanctum in linguis igneis, ut iis irent prædicatum gentibus omnibus totius orbis. Hoc est enim quod ex Joele citat et profitetur ibid., vers. 17 et 21, S. Petrus : « Effundam de Spiritu meo super omnem carnem, etc. Et erit : Omnis quicumque invocaverit nomen Domini, salvus erit. » Unde et verisimile est, in Pentecoste, inter tot nationes tot linguarum et regionum quot recensentur *Act.* II, fuisse aliquos Gentiles immixtos, qui ad concionem S. Petri cum Judæis et Proselytis conversi sint ad Christum, æque ac in altera concione S. Petri, in qua ipse quinque hominum millia convertit, *Act.* IV, 4, probabile est nonnullos ex eis fuisse Gentiles. Rursum Eunuchus Candaces reginæ Æthiopum conversus a Philippo, cap. VIII, a multis putatur fuisse Gentilis, utpote Æthiops et Æthiopum princeps. Hoc facit, quod Saulus jam conversus « loquebatur quoque Gentibus et disputabat cum Græcis, » uti audivimus cap. IX, 29. Et cap. XI, 2, dicuntur fideles ex circumcisione, id est circumcisi et Judæi, murmurasse contra Petrum, quod ad Cornelium Gentilem divertisset : quo satis significat fuisse alios fideles ex præputio, id est incircumcisos et Gentiles, qui factum Petri laudarunt, et Cornelio, utpote Gentili et suæ gentis ac sortis, applauserunt. Eodem cap., vers. 20, dicuntur Cyprii et Cyrenæi evangelizasse Græcis, id est Gentilibus.

*Quarto*, quia idem Lucius Dexter asserit Apostolos inter se divisisse orbis provincias ad iis evangelizandum, anno Christi 34, paulo post ejus ascensum in cœlum, nimirum die ultima junii, 36 diebus post Pentecosten et receptum Spiritum Sanctum, et Jacobum anno Christi 37, qui fuit annus tertius a morte, resurrectione et ascensione Christi, profectum esse in Hispaniam ibique evangelizasse : esto enim eo tempore ibidem multi fuerint Judæi, ut idem asserit, quis tamen neget eum Gentibus quoque, quæ longe plures erant, prædicasse?

Publica prædicatio Gentibus cœpit a Cornelio. Dices : Quomodo ergo vulgo asseritur quod, per conversionem Cornelii, primo Gentibus apertum fuerit ostium Evangelii et Ecclesiæ? Respondeo id accipiendum et limitandum esse ad publicam, solemnem et ex professo apud Gentes Evangelii prædicationem, quam Petrus, visione cœlesti accepta, jussus est publice Judæo-Christianis denuntiare, ne ipsi Apostolis ad Gentes ituris obsisterent et Gentes ab Ecclesia repellerent. Docet id diserte hoc loco S. Chrysostomus, scilicet S. Petrum secreto scivisse se et Apostolos debere prædicare Gentibus : sed id non fecisse, ne Judæos offenderet, donec visione cœlesti admonitus, hanc esse Dei voluntatem Judæis persuasit, præsertim cum ipsi viderunt visibilem Spiritus Sancti descensum in Cornelium et domesticos ejus.

Ita et L. Dexter in *Chronico*, anno Christi 40, qui fuit sextus ab ascensu Christi in cœlum : « Cornelius, ait, Centurio Italicensis, Petro prædicante, repletur Spiritu Sancto, Hierosolymisque denuntiata solemni Gentilium ad fidem Christi conversione, Cornelius baptizatus floret. » Idem fuse docet Gaspar Sanchez, in *Appendice* ad Acta Apost., sive tractatu 4 *De Prædic. S. Jacobi in Hispania*, cap. IX. Porro hic Flavius L. Dexter fuit præfectus prætorio, qui *Chronicon* hoc dicavit S. Hieronymo, uti ipse refert lib. *De Script. Eccl.*; sed eo morte prærepto, dicavit illud S. Paulino



Vicissim S. Hieronymus Dextro huic inscripsit librum *De Script. Eccles.*, in quo eumdem ponit et dilaudat. *Chronicon* hoc Dextri nuper Fuldæ repertum citat et laudat noster Gaspar Sanchez, lib. II *De Profect. S. Jacobi in Hispan.*, cap. II, et Christophorus a Castro, *Hist. Deiparæ*, cap. XVIII. Vide dicta in fine Chronotaxis.

Quoto anno Christi Cornelius conversus? Quæres *secundo*, quoto anno a morte et ascensu Christi conversus sit Cornelius, et apertum publice Gentibus Evangelium? Respondeo id definiri non posse. Variant enim Chronologi. *Primo* enim *Chronicon Alexandrinum*, et Gaspar Sanchez, tract. 4 *De Profect. S. Jacobi in Hispan.*, cap. X, censent Cornelium conversum anno Christi 36, qui fuit a morte ejus secundus. *Secundo*, Adrichomius, in *Chronolog.*, censet eum conversum anno Christi 38, qui fuit a morte ejus quartus. *Tertio*, alii moderni censent anno Christi 39, qui fuit a morte ejus quintus. *Quarto*, L. Dexter, in *Chronico*, scribit Cornelium conversum anno Christi 40, qui fuit a morte ejus sextus : anno vero Christi 41, Apostolos ivisse in suas provincias : anno denique Christi 42, S. Jacobum ab Herode occisum. *Quinto*, Baronius et noster Gordonus, in *Chronol.*, censent Cornelium conversum anno Christi 42, qui fuit a morte Christi septimus, et Caii Caligulæ Imperatoris secundus, quo et S. Matthæus scripsit Evangelium.

Respondeo, anno Christi 37. Verisimilius videtur Cornelium conversum sub anno Christi 37. Illo anno enim S. Petrus fundavit Ecclesiam Antiochenam, utpote aperto jam Gentibus publice ostio fidei et Ecclesiæ. Unde et in Vita hujus S. Cornelii habetur, quod ipse conversus profectus sit cum S. Petro Antiochiam. Licet enim *Chronicon Alexand.* tradat S. Petrum posuisse cathedram Antiochiæ anno 4 post mortem Christi, qui fuit annus a nativitate Christi 38 vel 39, idemque de anno Christi 39 censeat Baronius omnesque ejus sequaces, et multi alii; tamen mox ostendam id factum esse anno 37. Quis autem credat S. Petrum in Antiochia, utpote urbe Gentili, posuisse cathedram, ante apertum Gentibus fidei ostium, quod factum est per conversionem Cornelii. Aut quomodo Judæi id æquis oculis et animis aspexissent, avelli nimirum a se caput Ecclesiæ ireque ad Gentes, ac ad eas Ecclesiæ primatum et Pontificatum transferre? præsertim cum S. Clemens, lib. X *Recogn.*, tradat S. Petrum cathedram hanc Antiochiæ posuisse in domo Theophili, cui S. Lucas dedicat hæc *Acta*, cap. I, 1, qui Gentilis fuit, non Judæus, ut patet ex nomine : Theophilus enim est nomen græcum, significans Dei amantem; et quia Theophilus hic magistratu Antiochiæ fungebatur, teste Œcumenio. Eodem quoque anno Christi 37 videtur S. Jacobus profectus in Hispaniam, uti dicam cap. XII. Sic enim omnia optime cohærent. Nam converso jam Cornelio a S. Petro, sine nota et contradictione Judæorum potuit S. Jacobus publice prædicare Hispanis Gentilibus, ac post quinque annos rediens Hierosolymam, anno Christi 43, vel ut volunt alii 44, occidi ab Herode : ita recentissimi quidam, sed magni judicii Chronologi. Hinc et nonnulli censent sub eumdem annum Christi 37 Apostolos profectos esse in suas provincias, utpote qui per Petrum cœlitus admonebantur ad prædicandum Gentibus. Unde Cajetanus, *Act.* IX, 32 et aliis, scribit Apostolos per orbem fuisse divisos intra triennium, quo in Arabia fuit Paulus; hoc autem triennium cœpit a mox conversione ejus, quæ facta est anno Christi 36, et terminatur anno Christi 39; licet Baronius, quem multi sequuntur, censeat Apostolos per orbem esse dispersos post occisum ab Herode Jacobum, anno Christi 44, de quo plura *Act.* XII, 1. Itaque hæc sententia a posteriori valde confirmatur ex eo quod omnes consentiant S. Petrum Antiochiæ sedisse per annos septem, scilicet usque ad annum secundum Claudii, qui fuit Christi 44, quo sedem transtulit Romam. Computa enim hos septem annos retrorsum ab anno Christi 44, invenies primum eorum annum, quo sedere cœpit Antiochiæ, incidere in annum Christi 37. Ergo eodem, vel certe præcedente, puta 36, conversus est Cornelius. Hæc magis patebunt ex iis quæ dicam cap. XII, 1.

## CAPUT UNDECIMUM.

### SYNOPSIS CAPITIS.

*Judæo-Christiani expostulant cum S. Petro, quod Cornelium Gentilem induxerit in Ecclesiam. Petrus narrando suam et Cornelii visionem, eis satisfacit. Secundo, vers. 20, narratur incrementum fidei, præsertim Antiochiæ : unde eo mittitur Barnabas, qui cum Saulo totum annum ibi evangelizans multos convertit : quocirca ibidem primo discipuli cognominantur Christiani. Tertio, vers. 27, Agabus prædicit famem toti orbi instantem : quare fideles Antiocheni faciunt collectam, quam fidelibus Hierosolymitis per Saulum et Barnabam transmittunt.*

1. Audierunt autem Apostoli, et fratres qui erant in Judæa, quoniam et gentes receperunt verbum Dei. 2. Cum autem ascendisset Petrus Hierosolymam, disceptabant adversus

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ® DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

nymi, docet ipse, *epist.* 27, ubi describens navigationem et iter S. Paulæ ait, ipsam Cæsareæ invisisse domum Cornelii jam Christi factam ecclesiam. Porro Sanctorum catalogo adscriptus est Cornelius 2 februarii, ubi sic habet *Martyrologium Romanum* : « Cæsareæ in Palæstina S. Cornelii Centurionis, quem B. Petrus Apostolus baptizavit, et apud præfatam urbem Episcopali honore sublimavit. » Vita hujus S. Cornelii exstat apud Surium ex Metaphraste, 13 septembris, sed in qua quædam apocrypha contineri censet noster Lorinus, et tale quid redolent.

An Cornelius primus ex Gentibus sit conversus?

Quæres hic primo, an Petrus et Apostoli usque ad Cornelii vocationem ignorarint Gentes vocandas esse ad Christum, eisque prædicandum esse Evangelium? an Cornelius omnium omnino Gentilium primus sit conversus et baptizatus? Affirmant nonnulli, quia id videtur visio et narratio hujus capitis significare.

Respondetur negative. Probat. Primo.

Verum contrarium multi moderni viri docti sentiunt, idque videtur verius. *Primo*, quia Christus ascensurus in cœlum diserte dixerat et jusserat Apostolis, ut evangelizarent Gentibus : « Euntes, ait, in mundum universum, prædicate Evangelium omni creaturæ, » id est omni homini, » *Matth.* xxviii. Et : « Eritis mihi testes in Judæa et Samaria, et usque ad ultimum terræ, » *Act.* i.

*Secundo*, quia Apostoli viderant Gentiles deduci ad Christum, ab eoque suscipi, *Joan.* xii, 20; rursum, ab eo sanari filiam Chananææ, utique Gentilis, *Matth.* xv, 22. Ad hæc audierant primitus tres Magos ex Oriente a Deo, duce stella, vocatos ad præsepe Christi : hi autem erant primitiæ Gentilium. Insuper viderant curatum a Christo servum Centurionis Romani, *Matth.* viii, 5, quem Lucius Dexter in *Chronico* scribit origine fuisse Hispanum, et Hispanis prædicasse Christum. Sic enim ait : « C. Cornelius centurio Capharnaumensis, dominus servi quem Dominus sanavit, pater etiam C. Oppii centurionis, erat Hispanus : mire floret in Hispania. » Et de ejus filio : « C. Oppius, inquit, Centurio Hispanus, credidit Christo morienti in cruce. Ex Gentilibus hic primus a Christi morte credidit, qui fuit civis Romanus, baptizatusque a S. Barnaba factus est tertius Mediolanensis Episcopus. Vir quidem Apostolicus, qui Christi mortem et eclipsin admirabilem primus omnium Hispanis genti suæ, cum audientium stupore refert. »

*Tertio*, quia ad hoc Apostoli in Pentecoste receperant Spiritum Sanctum in linguis igneis, ut iis irent prædicatum gentibus omnibus totius orbis. Hoc est enim quod ex Joele citat et profitetur ibid., vers. 17 et 21, S. Petrus : « Effundam de Spiritu meo super omnem carnem, etc. Et erit : Omnis quicumque invocaverit nomen Domini, salvus erit. » Unde et verisimile est, in Pentecoste, inter tot nationes tot linguarum et regionum quot recensentur *Act.* ii, fuisse aliquos Gentiles immixtos, qui ad concionem S. Petri cum Judæis et Proselytis conversi sint ad Christum, æque ac in altera concione S. Petri, in qua ipse quinque hominum millia convertit, *Act.* iv, 4, probabile est nonnullos ex eis fuisse Gentiles. Rursum Eunuchus Candaces reginæ Æthiopum conversus a Philippo, cap. viii, a multis putatur fuisse Gentilis, utpote Æthiops et Æthiopum princeps. Hoc facit, quod Saulus jam conversus « loquebatur quoque Gentibus et disputabat cum Græcis, » uti audivimus cap. ix, 29. Et cap. xi, 2, dicuntur fideles ex circumcisione, id est circumcisi et Judæi, murmurasse contra Petrum, quod ad Cornelium Gentilem divertisset : quo satis significat fuisse alios fideles ex præputio, id est incircumcisos et Gentiles, qui factum Petri laudarunt, et Cornelio, utpote Gentili et suæ gentis ac sortis, applauserunt. Eodem cap., vers. 20, dicuntur Cyprii et Cyrenæi evangelizasse Græcis, id est Gentilibus.

*Quarto*, quia idem Lucius Dexter asserit Apostolos inter se divisisse orbis provincias ad iis evangelizandum, anno Christi 34, paulo post ejus ascensum in cœlum, nimirum die ultima junii, 36 diebus post Pentecosten et receptum Spiritum Sanctum, et Jacobum anno Christi 37, qui fuit annus tertius a morte, resurrectione et ascensione Christi, profectum esse in Hispaniam ibique evangelizasse : esto enim eo tempore ibidem multi fuerint Judæi, ut idem asserit, quis tamen neget eum Gentibus quoque, quæ longe plures erant, prædicasse?

Publica prædicatio Gentibus cœpit a Cornelio.

Dices : Quomodo ergo vulgo asseritur quod, per conversionem Cornelii, primo Gentibus apertum fuerit ostium Evangelii et Ecclesiæ? Respondeo id accipiendum et limitandum esse ad publicam, solemnem et ex professo apud Gentes Evangelii prædicationem, quam Petrus, visione cœlesti accepta, jussus est publice Judæo-Christianis denuntiare, ne ipsi Apostolis ad Gentes ituris obsisterent et Gentes ab Ecclesia repellerent. Docet id diserte hoc loco S. Chrysostomus, scilicet S. Petrum secreto scivisse se et Apostolos debere prædicare Gentibus : sed id non fecisse, ne Judæos offenderet, donec visione cœlesti admonitus, hanc esse Dei voluntatem Judæis persuasit, præsertim cum ipsi viderunt visibilem Spiritus Sancti descensum in Cornelium et domesticos ejus.

Ita et L. Dexter in *Chronico*, anno Christi 40, qui fuit sextus ab ascensu Christi in cœlum : « Cornelius, ait, Centurio Italicensis, Petro prædicante, repletur Spiritu Sancto, Hierosolymisque denuntiata solemni Gentilium ad fidem Christi conversione, Cornelius baptizatus floret. » Idem fuse docet Gaspar Sanchez, in *Appendice* ad Acta Apost., sive tractatu 1 *De Prædic. S. Jacobi in Hispania*, cap. ix. Porro hic Flavius L. Dexter fuit præfectus prætorio, qui *Chronicon* hoc dicavit S. Hieronymo, uti ipse refert lib. *De Script. Eccl.*; sed eo morte prærepto, dicavit illud S. Paulino.



Vicissim S. Hieronymus Dextro huic inscripsit librum *De Script. Eccles.*, in quo eumdem ponit et dilaudat. *Chronicon* hoc Dextri nuper Fuldæ repertum citat et laudat noster Gaspar Sanchez, lib. II *De Profect. S. Jacobi in Hispan.*, cap. ii, et Christophorus a Castro, *Hist. Deiparæ*, cap. xviii. Vide dicta in fine Chronotaxis.

Quoto anno Christi Cornelius conversus?

Quæres *secundo*, quoto anno a morte et ascensu Christi conversus sit Cornelius, et apertum publice Gentibus Evangelium? Respondeo id definiri non posse. Variant enim Chronologi. *Primo* enim *Chronicon Alexandrinum*, et Gaspar Sanchez, tract. 1 *De Profect. S. Jacobi in Hispan.*, cap. x, censent Cornelium conversum anno Christi 36, qui fuit a morte ejus secundus. *Secundo*, Adrichomius, in *Chronolog.*, censet eum conversum anno Christi 38, qui fuit a morte ejus quartus. *Tertio*, alii moderni censent anno Christi 39, qui fuit a morte ejus quintus. *Quarto*, L. Dexter, in *Chronico*, scribit Cornelium conversum anno Christi 40, qui fuit a morte ejus sextus : anno vero Christi 41, Apostolos ivisse in suas provincias : anno denique Christi 42, S. Jacobum ab Herode occisum. *Quinto*, Baronius et noster Gordonus, in *Chronol.*, censent Cornelium conversum anno Christi 42, qui fuit a morte Christi septimus, et Caii Caligulæ Imperatoris secundus, quo et S. Matthæus scripsit Evangelium.

Respondeo, anno Christi 37.

Verisimilius videtur Cornelium conversum sub anno Christi 37. Illo anno enim S. Petrus fundavit Ecclesiam Antiochenam, utpote aperto jam Gentibus publice ostio fidei et Ecclesiæ. Unde et in Vita hujus S. Cornelii habetur, quod ipse conversus profectus sit cum S. Petro Antiochiam. Licet enim *Chronicon Alexand.* tradat S. Petrum posuisse cathedram Antiochiæ anno 4 post mortem Christi, qui fuit annus a nativitate Christi 38 vel 39, idemque de anno Christi 39 censeat Baronius omnesque ejus sequaces, et multi alii; tamen mox ostendam id factum esse anno 37. Quis autem credat S. Petrum in Antiochia, utpote urbe Gentili, posuisse cathedram, ante apertum Gentibus fidei ostium, quod factum est per conversionem Cornelii. Aut quomodo Judæi id æquis oculis et animis aspexissent, avelli nimirum a se caput Ecclesiæ ireque ad Gentes, ac ad eas Ecclesiæ primatum et Pontificatum transferre? præsertim cum S. Clemens, lib. X *Recogn.*, tradat S. Petrum cathedram hanc Antiochiæ posuisse in domo Theophili, cui S. Lucas dedicat hæc *Acta*, cap. i, 1, qui Gentilis fuit, non Judæus, ut patet ex nomine : Theophilus enim est nomen græcum, significans Dei amantem; et quia Theophilus hic magistratu Antiochiæ fungebatur, teste Œcumenio. Eodem quoque anno Christi 37 videtur S. Jacobus profectus in Hispaniam, uti dicam cap. xii. Sic enim omnia optime cohærent. Nam converso jam Cornelio a S. Petro, sine nota et contradictione Judæorum potuit S. Jacobus publice prædicare Hispanis Gentilibus, ac post quinque annos rediens Hierosolymam, anno Christi 43, vel ut volunt alii 44, occidi ab Herode : ita recentissimi quidam, sed magni judicii Chronologi. Hinc et nonnulli censent sub eumdem annum Christi 37 Apostolos profectos esse in suas provincias, utpote qui per Petrum cœlitus admonebantur ad prædicandum Gentibus. Unde Cajetanus, *Act.* ix, 32 et aliis, scribit Apostolos per orbem fuisse divisos intra triennium, quo in Arabia fuit Paulus; hoc autem triennium cœpit a mox conversione ejus, quæ facta est anno Christi 36, et terminatur anno Christi 39; licet Baronius, quem multi sequuntur, censeat Apostolos per orbem esse dispersos post occisum ab Herode Jacobum, anno Christi 44, de quo plura *Act.* xii, 1. Itaque hæc sententia a posteriori valde confirmatur ex eo quod omnes consentiant S. Petrum Antiochiæ sedisse per annos septem, scilicet usque ad annum secundum Claudii, qui fuit Christi 44, quo sedem transtulit Romam. Computa enim hos septem annos retrorsum ab anno Christi 44, invenies primum eorum annum, quo sedere cœpit Antiochiæ, incidere in annum Christi 37. Ergo eodem, vel certe præcedente, puta 36, conversus est Cornelius. Hæc magis patebunt ex iis quæ dicam cap. xii, 1.

# CAPUT UNDECIMUM.

## SYNOPSIS CAPITIS.

*Judæo-Christiani expostulant cum S. Petro, quod Cornelium Gentilem induxerit in Ecclesiam. Petrus narrando suam et Cornelii visionem, eis satisfacit. Secundo, vers. 20, narratur incrementum fidei, præsertim Antiochiæ : unde eo mittitur Barnabas, qui cum Saulo totum annum ibi evangelizans multos convertit : quocirca ibidem primo discipuli cognominantur Christiani. Tertio, vers. 27, Agabus prodigit famem toti orbi instantem : quare fideles Antiocheni faciunt collectam, quam fidelibus Hierosolymitis per Saulum et Barnabam transmittunt.*

1. Audierunt autem Apostoli, et fratres qui erant in Judæa, quoniam et gentes receperunt verbum Dei. 2. Cum autem ascendisset Petrus Hierosolymam, disceptabant adversus

illum, qui erant ex circumcisione, dicentes : 3. Quare introisti ad viros præputium habentes, et manducasti cum illis? 4. Incipiens autem Petrus exponebat illis ordinem, dicens : 5. Ego eram in civitate Joppe orans, et vidi in excessu mentis visionem, descendens vas quoddam velut linteum magnum quatuor initiis submitti de cœlo, et venit usque ad me. 6. In quod intuens considerabam, et vidi quadrupedia terræ, et bestias, et reptilia, et volatilia cœli. 7. Audivi autem et vocem dicentem mihi : Surge, Petre, occide, et manduca. 8. Dixi autem : Nequaquam, Domine; quia commune aut immundum nunquam introivit in os meum. 9. Respondit autem vox secundo de cœlo : Quæ Deus mundavit, tu ne commune dixeris. 10. Hoc autem factum est per ter : et recepta sunt omnia rursum in cœlum. 11. Et ecce viri tres confestim astiterunt in domo in qua eram, missi a Cæsarea ad me. 12. Dixit autem Spiritus mihi, ut irem cum illis, nihil hæsitans. Venerunt autem mecum et sex fratres isti, et ingressi sumus in domum viri. 13. Narravit autem nobis, quomodo vidisset angelum in domo sua, stantem et dicentem sibi : Mitte in Joppen, et accersi Simonem, qui cognominatur Petrus, 14. qui loquetur tibi verba, in quibus salvus eris tu, et universa domus tua. 15. Cum autem cœpissem loqui, cecidit Spiritus Sanctus super eos, sicut et in nos in initio. 16. Recordatus sum autem verbi Domini, sicut dicebat : Joannes quidem baptizavit aqua, vos autem baptizabimini Spiritu Sancto. 17. Si ergo eamdem gratiam dedit illis Deus, sicut et nobis, qui credidimus in Dominum Jesum Christum : ego quis eram, qui possem prohibere Deum? 18. His auditis, tacuerunt, et glorificaverunt Deum, dicentes : Ergo et Gentibus pœnitentiam dedit Deus ad vitam. 19. Et illi quidem, qui dispersi fuerant a tribulatione quæ facta fuerat sub Stephano, perambulaverunt usque Phœnicem, et Cyprum, et Antiochiam, nemini loquentes verbum, nisi solis Judæis. 20. Erant autem quidam ex eis viri Cyprii et Cyrenæi, qui cum introissent Antiochiam, loquebantur et ad Græcos, annuntiantes Dominum Jesum. 21. Et erat manus Domini cum eis, multusque numerus credentium conversus est ad Dominum. 22. Pervenit autem sermo ad aures Ecclesiæ, quæ erat Hierosolymis, super istis; et miserunt Barnabam usque ad Antiochiam. 23. Qui cum pervenisset et vidisset gratiam Dei, gavisus est; et hortabatur omnes in proposito cordis permanere in Domino : 24. quia erat vir bonus, et plenus Spiritu Sancto et fide. Et apposita est multa turba Domino. 25. Profectus est autem Barnabas Tharsum, ut quæreret Saulum : quem cum invenisset, perduxit Antiochiam. 26. Et annum totum conversati sunt ibi in Ecclesia; et docuerunt turbam multam, ita ut cognominarentur primum Antiochiæ discipuli, Christiani. 27. In his autem diebus supervenerunt ab Hierosolymis Prophetæ Antiochiam; 28. et surgens unus ex eis nomine Agabus, significabat per spiritum famem magnam futuram in universo orbe terrarum, quæ facta est sub Claudio. 29. Discipuli autem, prout quis habebat, proposuerunt singuli in ministerium mittere habitantibus in Judæa fratribus : 30. quod et fecerunt, mittentes ad seniores per manus Barnabæ et Sauli.

Vers. 1. 1. APOSTOLI, ET FRATRES. — « Fratres, » id est cæteri fideles, Apostolis inferiores et subditi.

Vers. 2. Cerinthus, auctor murmuris. 2. DISCEPTABANT, — διεκρίνοντο. Syrus, *litigabant*; Chrysostomus, « tanquam valde offensi expostulabant. » S. Epiphanius, *hæres.* 28, tradit auctorem et incentorem hujus expostulationis et murmuris fuisse Cerinthum, qui proximus post Simonem Magum fuit hæresiarcha, eumdemque suscitasse Judæos contra Paulum, ut eum caperent, quasi qui Gentiles induxisset in templum, *Act.* XXI, 28. Sic murmurarant prius Judæi contra Christum quod manducaret cum publicanis, *Luc.* XIX, 6 et 7, hi enim fere erant Gentiles. Porro Cerinthus judaizans pugnabat pro judaismo, ut excluderet christianismum : unde docebat omnes homines debere circumcidi et servare legem Mosis, ideoque contra eum promulgatum est primum Concilium Hierosolymis, *Act.* XV. Ita Epiphanius, *hæres.* 28, et Philastrius, lib. *De Hæres.*, cap. LXXXVII.

3. MANDUCASTI CUM ILLIS? — Notat S. Chrysostomus eos non dicere : Quare prædicasti illis Christum? hoc enim quasi impium et injuriam Christo omnes exhorruissent; sed : « Quare manducasti cum illis? » hoc enim Judæo illicitum videbatur. Hi enim, si cum Gentibus communicarent in mensa, censebantur a Judæis hoc convictu contaminari fierique immundi. Sed pariter hæc censura frigida erat, judaica et pharisaica, jamque per Christum cum lege vetere ejusque immunditie et irregularitate sublata et abolita.

4. INCIPIENS AUTEM PETRUS. — Vatablus, *rem ab initio repetens Petrus.*

5. VIDI IN EXCESSU. — Græce, *in exstasi*; Pagninus, *in raptu*; Vatablus, *in abstractione*, scilicet, spiritus, id est spiritus meus abductus (non realiter, sed intellectualiter) a corpore meo vidit; Tigurina, *raptus extra me vidi visum.* Petrus hic retexit et repetit totam seriem rei gestæ enarratam capite præcedenti usque ad vers. 18; quare eam hic non repetam.

16. VOS AUTEM BAPTIZABIMINI SPIRITU SANCTO, — in Pentecoste. Vide dicta cap. I, vers. 5.

17. EAMDEM GRATIAM, — ἴσην δωρεάν : Tigurina, *par donum*, vel *æqualem gratiam* : par scilicet in substantia, licet in quantitate pro dispositione vel Dei, vel hominis, dispar et majus, vel minus.

EGO QUIS ERAM, QUI POSSEM PROHIBERE DEUM, — ut scilicet gratiæ Dei descensum et illapsum in Cornelium inhiberem, sisterem et averterem? Hoc enim impossibile est, æque ac impium et satanicum, *q. d.* Sicut non potui impedire descensum Spiritus Sancti, sic nec baptismum ejusdem. Spiritus Sanctus enim suam Cornelio communicans gratiam, significabat se pariter velle conferre ei per me suum baptismum, ut cæteris suis fidelibus suæque Ecclesiæ aggregaretur, *q. d.* Si ego Gentiles arcere non potui a Christianismo, nec vos poteritis. Ita Glossa.

Moraliter, mirare hic S. Petri modestiam, qui cum esset superior, imo Summus Pontifex, fidelium de se querelas non respuit, nec imperiose refutat, dicendo : Ego scio quid agam, non teneor vobis rationem facti mei reddere : vestrum est obedire et tacere, etc. Sed modeste et humiliter seriem rei gestæ enarrans, eis satisfacit.

Idem imitari debere Prælatos, cum ab inferioribus reprehenduntur, ut scilicet eis ex ratione, non ex potestate satisfaciant, docet S. Gregorius, lib. IX, *epist.* 39 : « Nam si in querela fidelium, inquit, aliquid de sua potestate diceret (S. Petrus), profecto doctor mansuetudinis non fuisset. Humili ergo eos ratione placavit, atque in causa reprehensionis suæ etiam testes exhibuit. Si ergo Pastor Ecclesiæ, Apostolorum Princeps, signa et miracula singulariter faciens, non dedignatus est in causa reprehensionis suæ rationem humiliter reddere, quanto magis nos peccatores cum de re aliqua reprehendimur, reprehensores nostros ratione humili placare debemus. » Sapienter Climacus, *gradu* 26, hoc dat signum opus esse ex Deo, nosque operari secundum Deum, « si ex ejus actione plus humilitatis in anima accipiamus, quam prius habuerimus. » Si enim ex eo superbiamus, signum est nos id fecisse non ex Deo, sed ex diabolo, puta ex fastu, vanitate, etc.

18. GLORIFICAVERUNT DEUM. — Ergo, ait Chrysostomus, horum exemplo bonis proximorum non invidere, sed gaudere debemus, iisque gratulari et Deum glorificare; esto ipsi nos superent et transcendant, uti Gentiles superarunt Judæos in fide et christianismo.

POENITENTIAM, — id est, tempus et locum pœnitentiæ, ait Lyranus. *Secundo*, « pœnitentiam, » id est gratiam et impulsum ad pœnitentiam. Ita Glossa. *Tertio*, « pœnitentiam, » id est effectum et fructum pœnitentiæ : puta remissionem peccatorum. Utrobique est metonymia : in secundo enim sensu ponitur effectus pro causa; in tertio, causa pro effectu.

AD VITAM. — *Ut vivant*, ait Vatablus, scilicet hic vita fidei et gratiæ, in futuro vita gloriæ et felicitatis æternæ.

19. SUB STEPHANO, — ἐπὶ Στεφάνῳ, quod *primo*, verti potest, *propter Stephanum*. Ita Syrus. *Secundo*, *post Stephanum*. Ita Vatablus. Utrumque complectitur Noster, vertens, *sub Stephano*, id est tempore Stephani, ob ejus zelum et libertatem arguendi Judæos.

PHOENICEN. — « Phœnice, » vel Phœnicia regio est Syriæ (unde et incolæ Syrophœnices vocantur) cujus metropolis erat Tyrus : præcellit nunc Tripolis, ita dicta a trium urbium obtentu, scilicet Sidonis, Aradi et Tyri, ait Strabo, Plinius et Mela, lib. I. Vide Salmeronem, tom. I, proleg. 41. Phœnices, præsertim Tyrii, navigatione fuerunt celeberrimi; unde ab eis condita est Carthago in Africa, et Afri vocati sunt Pœni, quasi Phœni et Phœnices. Hinc et Pœnorum lingua Syræ et Hebrææ fuit affinis, teste S. Hieronymo, lib. V in cap. XXV *Jerem.*, et S. Augustino, *in Psal.* CXXXVI.

ANTIOCHIAM. — Hanc ait S. Hieronymus, in cap. VI *Amos* : « Est Syriæ metropolis, tertium inter omnes Romani orbis urbes locum obtinens, hoc est, post Romam et Alexandriam. » Hinc et S. Petrus ibi primo cathedram suam constituit. Unde Antiochena Ecclesia facta est secunda sedes Patriarchalis. Prima enim est Romana, tertia Alexandrina, quia eam fundavit S. Marcus missus a S. Petro. Atque hæ tres solæ fuerunt primæ Patriarchales, quibus postea accessit quarta, scilicet Hierosolymitana : hæc enim facta est Patriarchalis explicite a Vigilio Papa in Concilio Romano, anno Domini 553, ut docet Baronius; implicite vero a Concilio Chalcedonensi, *Act.* VII, quod ei subjecit tres Palestinas, ut ejus litem cum Antiochena dirimeret. Accessit quinta, scilicet Constantinopolitana, tempore et opera Justiniani imperatoris ibidem residentis : postea adjectæ sunt et aliæ, ut Aquileiensis et Veneta. Vide Sigonium, lib. I *De Regno Italiæ*. — *Origo et ordo sedium Patriarchalium.*

20. LOQUEBANTUR AD GRÆCOS, — πρὸς Ἑλληνιστάς, id est *ad Græcistas*, hoc est, ad Judæos inter Græcos, id est Gentiles natos, vel educatos, vel habi-



UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

tantes. Ita Vatablus. Verum quia Græcistæ hic opponuntur Judæis degentibus in Phœnicia, Cypro et Antiochia, hoc est in regionibus et urbibus Gentilibus : hinc per Græcistas hoc loco, non Judæi inter Gentes nati, vel viventes, sed Gentiles significantur. Ἑλληνιστὰς ergo hic idem est quod Ἕλληνας, hoc est Græcistæ sunt Græci, puta Gentiles. Ita Lyranus, Hugo et Cajetanus. Unde patet, hosce Cyprios Evangelistas evangelizasse Gentilibus ante conversum Cornelium, scilicet paulo post necem S. Stephani, uti dictum est vers. 19, qua de re plura dixi in fine cap. x. Forte Lucas eos vocat Ἑλληνιστὰς, id est *Græcistas*, qui cum essent Syri et Phœnices, loquebantur tamen græce, hoc est, imbuti erant sapientia et eloquentia Græcanica : tunc enim Græcorum sapientes et oratores erant celebres, adeo ut Isocrates in *Panegyrico* dicat nomen Græcorum jam non nationis gentisque, sed rationis esse ac mentis. Unde et Apostolus, *Rom.* I, 14, Græcos vocat sapientes, Barbaros insipientes. Et I *Cor.* I, 22 : « Græci, inquit, sapientiam quærunt. »

21. ET ERAT MANUS DOMINI CUM EIS. — « Manus, » id est assistentia, potentia et cooperatio, *q. d.* Deus sua potenti manu aderat eis ad faciendum miracula in confirmationem fidei, ad prædicandum tanta sapientia et efficacia, ut multos Gentiles converterent ad Christum. Ita S. Chrysostomus et Œcumenius.

MULTUSQUE NUMERUS CREDENTIUM CONVERSUS EST AD DOMINUM. — « Credentium, » id est incipientium credere : sumitur enim in actu inchoato. Nam ante Cypriorum prædicationem erant Gentiles, id est infideles, non credentes, imo ignorantes Christum. Unde Syrus vertit, *multique crediderunt, et conversi sunt*, id est credendo conversi sunt a Gentilismo ad Christianismum. Est hendiadys. Et Tigurina clare vertit, *multusque numerus, recepta fide, conversus est ad Dominum*.

22. MISERUNT BARNABAM. — « Recte, ait Cajetanus, Cypriis prædicatoribus Cyprium item prædicatorem adjunxerunt. » Erat enim Barnabas oriundus ex Cypro. Docet S. Chrysostomus non ivisse eo ipsos Apostolos, propter Judæos, ne eos offenderent, conversando cum Gentilibus Cypriis et Antiochenis.

23. CUM VIDISSET GRATIAM DEI, — quod scilicet Gentiles Antiochiæ per gratiam Dei excitati, tam avide arriperent fidem Christi, in eaque tam essent constantes, devoti et ferventes. Rursum « gratiam, » id est gratias gratis datas, puta loquendi linguis, prophetandi, interpretandi Scripturas, celebrandi magnalia Dei, etc., Antiochenis a Deo cum fide et baptismo communicatas.

HORTABATUR OMNES IN PROPOSITO CORDIS PERMANERE IN DOMINO, — hoc est in Domini Jesu Christi fide, amore, gratia, Ecclesia, puta in Christianismo; Græca habent, *exhortabatur eos, ut proposito cordis sui permanerent Domino*; Syrus, *ut toto corde suo adhærerent Domino*; Pagninus, *ut proposito cordis perseverarent in Domino*. Pro *hortabatur*, græce est παρεκάλει, quod multa significat, *primo*, cohortabatur; *secundo*, excitabat; *tertio*, consolabatur; *quarto*, obsecrabat; *quinto*, efflagitabat, ita Syrus; *sexto*, advocabat et quasi advocatus causam eorum agens consulebat omnibus. S. Chrysostomus : « Hortabatur, inquit, omnes cum præconio et laudibus : et forsan in eo quod laudabat et approbabat turbam, plures convertit; virtus enim laudata crescit. »

Dogm. de perseverantia. Dogmatice, disce hic perseverantiam, licet sit donum Dei, tamen pendere a libero arbitrio, adeoque in cujusvis fidelis et justi potestate et arbitrio esse, cum Dei gratia in fide et charitate perseverare usque ad finem vitæ, itaque salvari. « Deus enim, nisi ipsi illius gratiæ defuerint, sicut cœpit opus bonum, ita perficiet operans velle et perficere, inquit Concilium Tridentinum, sess. VI, cap. XIII et cap. XI. Deus namque sua gratia semel justificatos non deserit, nisi ab eis prius deseratur. » Pie vero S. Augustinus, in *Soliloquiis*, cap. XIV : « In toto tempore, ait, totum me simul semper consideras, ac si nihil aliud considerare habeas. Sic super custodiam meam stas, sicut si omnium oblitus sis, et mihi soli intendere velis. Quocumque iero, tu me, Domine, non deseris, nisi prior ego te deseram. »

Rursum, duplex est donum perseverantiæ. Prius, quo quis in fide et gratia Dei perseverare potest, si velit. Hoc habent omnes justi in actu primo, habituri et in actu secundo, si assidue gratiam Dei invocent eique strenue cooperentur. Posterius, quo quis in fide et gratia usque ad mortem actu perseverat; hoc habent omnes et soli prædestinati, sive electi ad gloriam. Hi enim a Deo accipiunt gratiam efficacem, sive congruam, qua scilicet prævidet Deus eos non tantum posse perseverare, sed et actu perseveraturos, eo quod libero arbitrio ita sit contemperata, ut illud ad cooperandum pelliciat et flectat, ideoque liberum arbitrium ei sponte et continue usque ad mortem cooperetur. Ita S. Augustinus, toto lib. *De Dono Perseverantiæ*, et lib. *De Prædestinatione Sanctorum*. Et Concilium Tridentinum, *sess.* VI, can. 16 : « Si quis, inquit, magnum illud usque in finem perseverantiæ donum se certo habiturum absoluta et infallibili certitudine dixerit, nisi hoc ex speciali revelatione didicerit, anathema sit. » Unde hoc donum non cadit sub meritum, sed merum est Dei donum, qui illud dat quibus voluerit; per orationes tamen fervidas et continuas illud postulando, perque assidua bona opera illud a Deo impetrare et quasi de congruo emereri possumus. Quocirca qui hoc donum ambit, uti quilibet salutis suæ cupidus ambire debet, sequatur monitum S. Petri, *Epist.* II, cap. I, vers. 10 : « Satagite, ut per bona opera certam vestram vocationem et electionem faciatis : hæc enim facientes non peccabitis aliquando. » Et cap. III, 14 : « Satagite immaculati et inviolati ei inveniri in pace. »



Moral. de perseverantia. Moraliter, disce quantum donum ex parte Dei, et quanta virtus ex parte hominis sit perseverantia. S. Hieronymus, epist. 10 *ad Furiam* : « Non quæruntur in Christianis initia, inquit, sed finis. Paulus male cœpit, sed bene finivit. Judæ laudantur exordia, sed exitus proditione damnatur. » Idem, lib. I *Contra Jovinianum* : « Incipere, ait, plurimorum est, perseverare paucorum. Unde et grande præmium eorum qui perseverarint. » Senior ille in *Vitis Patrum*, lib. V, cap. VII *De Patientia*, num. 35 : « Sicut canis venaticus, inquit, videns leporem sequitur, nec impeditur propter illos canes qui post se revertuntur, sed neque de præcipitiis, neque de silvis, neque de vepribus cogitans, raditur et pungitur, et non quiescit donec comprehendat : ita et qui Dominum Christum quærit, cruci indesinenter intendit, quæ occurrunt scandala omnia præteriens, donec ad crucifixum perveniat. » Ibidem, lib. IV, num. 21 : « Perseverantia boni, inquit, victoria est certa, et coronaberis : » nulla enim re magis vincuntur tentationes carnis et diaboli, quam perseveranter eis resistendo vacandoque orationi. Hinc inter virtutes sola perseverantia coronatur. « Nam qui perseveraverit usque in finem, hic salvus erit, » ait æterna Veritas, *Matth.* X. Quocirca perseverantia uti virtutum est maxima, ita summum est Dei donum, ut docet S. Augustinus, lib. *De Bono Perseverantiæ*, et Concilium Tridentinum, sess. VI, can. 16. « Incassum quippe bonum agitur, si ante vitæ terminum deseratur, quia et frustra velociter currit, qui priusquam ad metas venerit, deficit, » ait S. Gregorius et habetur *De Pœnitent.*, distinct. 3, canon. *Incassum*. Quocirca S. Paulus : « Quæ retro, inquit, sunt obliviscens, ad ea vero quæ sunt priora extendens meipsum ad destinatum persequor, ad bravium supernæ vocationis Dei in Christo Jesu, » *Philip.* III, 14. Animalia sancta, *Ezech.*, cap. I, 9, « Non revertebantur cum incederent, sed unumquodque ante faciem suam gradiebatur. » Ita Victor, proconsul Carthaginis, ad fidei negationem sollicitatus a legatis regis Ariani : « Dicite, inquit, regi vestro, ut subjiciat me ignibus, adigat bestiis, excruciet omni genere tormentorum. Si consentio, frustra sum baptizatus in Ecclesia Catholica. » Ita Victor Uticensis, lib. III *Wandal. Histor.* « Perseverantia ergo, ait S. Bernardus, *epist.* 129, est vigor virium, virtutum consummatio, nutrix ad meritum, mediatrix ad præmium, soror patientiæ, constantiæ filia, amica pacis, amicitiarum nodus, unanimitatis vinculum, propugnaculum sanctitatis. » Vide eumdem, epist. 253 *ad Guarinum*. Denique audi Christum, *Apoc.* II, 10 : « Esto fidelis usque ad mortem, et dabo tibi coronam vitæ. » Et cap. III, vers. 11 : « Tene quod habes, ut nemo accipiat coronam tuam. » Vide ibi dicta.

Idem viderunt Gentiles. Socrates, apud Stobæum, serm. 1 *De Prudentia* : « Ut statua basi, inquit, ita vir bonus instituto innixus, ab honesto nullatenus discedere debet. » Ibidem Chilon ait tarde quidem aggredienda omnia, verum cum semel jam inceperis, constantissime in agendo perseverandum esse. Livius, lib. V, *decad.* 1 : « Ad disciplinam militiæ, inquit, plurimum interest, insuescere militem non solum parta victoria frui, sed si res etiam lentior sit, pati tædium, et quemvis seræ spei exspectare exitum : si non sit æstate perfectum bellum, hiemem opperiri : nec sicut æstivas aves, statim autumno tectare, recessum circumspicere. » Addit, urbes inexpugnabiles, sola obsidionis perseverantia, per famem et sitim expugnari. Sertorius, teste Plutarcho in ejus Vita : « Perseverantia, inquit, est efficacior vi, multaque quæ uno impetu confici non possunt, paulatim absolvuntur : est enim assiduitatis vis invicta, quæ omnem superat exscinditque potentiam. » Seneca, *epist.* 1 : « Nihil, inquit, est quod non expugnet pertinax opera, et intenta ac diligens cura. » Idem, *epist.* 65 : « In excelso est vita beata, sed perseverantia penetrabilis. » Idem alibi : « Turpe est cedere oneri et luctari cum officio, quod semel recepisti. Non est vir fortis ac strenuus, qui laborem fugit, nec crescit illi animus ipsa rerum difficultate. » Ergo

Perfer et obdura : dolor hic tibi proderit olim.
Sæpe tulit lassis succus amarus opem.

24. QUIA ERAT VIR BONUS, ET PLENUS SPIRITU SANCTO, — instar sui condiscipuli sancti Stephani, cap. VI, vers. 5. Tales enim aptissimi, imo necessarii sunt ut alios exhortentur impellantque ad omne bonum. Aqua enim non generat ignem, sed aquam : sic tepidus et frigidus frigidos facit, non calidos et fervidos spiritu. Plenus ergo Deo sit oportet vir Apostolicus, qui frigida hominum corda Dei amore succendat.

Unde tales singulis sæculis Ecclesiæ suæ submittere solet Deus, uti olim submisit S. Augustinum, S. Basilium, S. Chrysostomum, S. Gregorium, S. Bernardum, S. Dominicum, S. Franciscum, etc. Ita hoc sæculo submisit S. Ignatium ejusque socios a Deo ignitos, qui refrigescentem in mundo charitatem accenderent. Unde de iis P. Petrus Canisius a vidua quadam Arnhemii celebris sanctitatis, ante Societatis nostræ auditum nomen, afflata divino Spiritu, vaticinium hoc accepit : « Tu, inquit, fili, cooptaberis in novum quemdam sacerdotum Ordinem, quem in Ecclesia sua ad reformationem ejus, ac multorum salutem parat Deus. Ego eos per visum vidi, et te ad eos adjungi. Graves erunt viri, docti, modesti, Deo pleni et animarum charitate præditi. » Talem mox Moguntiæ Canisius vidit P. Petrum Fabrum, primum S. Ignatii socium, illicoque ei et Societati nomen dedit, uti refert P. Sacchinus in ejus Vita, lib. I. Ad hanc ideam et normam se examinet, formet et perficiat vir Religiosus et Apostolicus, ut alios inflammet Deoque impleat.

Sapienter S. Bernardus, serm. 18 *in Cant.* : « Si sapis, ait, concham te exhibebis, et non canalem. Hic siquidem pene simul et recipit et refundit; illa vero donec impleatur exspectat, et sic quod superabundat, sine suo damno communicat, etc. Verum canales multos hodie habemus in Ecclesia, conchas vero perpaucas, ut ante effundere quam infundi velint, prompti docere quod non didicerunt, et aliis præesse gestientes, qui seipsos regere nesciunt. » Et mox : « Concha imitetur fontem. Non manat ille in rivum, nec in lacum extenditur, donec suis satietur aquis. Denique ipse fons vitæ plenus in seipso primum ebulliens in proxima secreta cœlorum, deinde erupit in terras, ac de superfluo homines et jumenta salvavit. Ergo et tu fac similiter. Imple prius, et sic curato effundere. »

Et apposita est multa turba Domino. — q. d. Per exhortationes Barnabæ multi conversi sunt ad Christum et ad Ecclesiam ejus aggregati : qui enim apponitur et aggregatur corpori, puta Ecclesiæ, aggregatur capiti, puta Christo.

25. Ut quæreret Paulum. — Paulus enim vetus fuerat amicus Barnabæ ejusque condiscipulus sub Gamaliele magistro, longe jam ei amicior in Christo et Christianismo. Præclare S. Chrysostomus : « Venit, ait, Barnabas ad athletam, ad ducem belli, ad certantem singulari duello : venit ad canem venaticum leones occidentem, ad taurum fortem, ad facem claram, ad os orbi sufficiens. » Addit deinde Pauli virtutis et zeli fuisse, quod tanta fidelium multitudo Antiochiæ sit Ecclesiæ aggregata, quodque ibidem ortum sit nomen Christianorum. Urbem ergo illam celebrat, quod prima omnium ore Pauli frui meruerit, cum tanto suo fructu, laude et gloria, æque ac postea fruita est ore aureo, ipso inquam Chrysostomo, Pauli discipulo et æmulo.

26. Conversati sunt, — συναχθῆναι, id est ut exponit Syrus, *congregati sunt*, hoc est, sacras synaxes, sacros conventus, sacros cœtus egerunt, convocando et congregando populum in ecclesiam, ibique edocendo fidem Christi et prædicando Evangelium. Pagninus, *egerunt cum ea congregatione*; Tigurina, *consuetudinem egerunt cum ea congregatione*. Græcum enim συνάγω idem est quod *congrego, colligo, consocio*. Unde συναγωγή, id est Synagoga, congregatio, collectio, cœtus, concio, Ecclesia.

Ita ut cognominarentur (Tigurina, *nuncuparentur*) primum Antiochiæ discipuli, Christiani, — a Christo, sicut Platonici a Platone, Aristotelici ab Aristotele duce et magistro. Suidas, verbo *Christiani*, censet id factum, cum S. Petrus abiturus Romam Evodium sibi successorem in sede Antiochena declaravit; tunc enim, inquit, Christiani vocari cœperunt, qui prius vocabantur Nazareni et Galilæi. Genebrardus id factum putat anno Christi 49, qui fuit a morte ejus decimus sextus. Verum id anterius factum esse, sub eum annum quo Antiochiæ prædicarunt Paulus et Barnabas, satis innuit hic Lucas. Unde Baronius opinatur hoc nomen inditum anno Christi 43, qui fuit a morte ejus decimus : qui et addit perperam a Gentilibus Christianos vocatos *Chrestianos*, et Christum *Chrestum*. Sub annum enim 43 S. Petrus Antiochia abiit Romam versus.

Porro Gentiles partim per ignorantiam, partim per irrisionem Christum vocabant *Chrestum*, et Christianos *Chrestianos*. Unde Tertullianus : « Si nominis odium est, quis nominum reatus? quæ accusatio vocabulorum? nisi si aut barbarum sonat aliqua vox nominis, aut infaustum, aut maledicum, aut impudicum : Christianus vero, quantum interpretatio est, de unctione deducitur. Sed et cum perperam Christianus pronuntiatur a vobis (nam nec nominis certa est notitia penes vos), de suavitate vel benignitate compositum est. Oditur ergo in hominibus innocuis etiam nomen innocuum. » Et paulo post : « Ante odium nominis, competebat prius de auctore sectam recognoscere, vel auctorem de secta. At nunc utriusque inquisitione et agnitione neglecta, nomen detinetur, nomen expugnatur et ignotam sectam, ignotum et auctorem vox sola prædamnat, quia nominantur, non quia revincuntur. » Eodem modo loquitur Lactantius : « Ignari, inquit, rerum nostrarum Christum *Chrestum*, et Christianos *Chrestianos* vocabant : χρηστός autem bonus et commodus dicitur. » Sic et Justinus Martyr : « Nominis sane quidem appellatione neque bonum quidquam, neque malum sine factis sub nomen ipsum cadentibus judicatur. Et quantum ad nomen ipsum pertinet, quod criminis loco nobis objicitur, optimi certe χρηστότατοι sumus. » Sic et Theophilus Antiochenus : « Mihi, ait, crimen vertis quod sim *Chrestianus* (ita enim latine Græca vox redditur), et insigne præclarumque hoc nomen geram. At libere confiteor me esse *Chrestianum*, et nihil magis in votis habeo, quam ut sim εὔχρηστος, id est bonus erga Deum : non enim mihi molestum aut odiosum illud nomen est. » Certe Suetonius : « Judæos, inquit, impulsore *Chresto* assidue tumultuantes Roma expulit. » Et mihi valde verisimile fit, apud Tacitum legendum esse *Chrestianos* et *Chrestum*. « Vulgus, inquit, *Chrestianos* appellabat : auctor nominis ejus *Chrestus*, qui Tiberio imperitante per procuratorem Pontium Pilatum supplicio affectus erat (1). »

(1) « Quærunt eruditi, an hoc nomen sibi ipsis imposuerint discipuli, an ab aliis illud ipsis sit impositum? Non videntur sibi ipsis imposuisse; potuissent enim gravicrem invidiam sibi conciliare, si voluissent adeo novo nomine distingui a Judæis. Quamdiu pro secta Judæorum habebantur, iisdem juribus et privilegiis cum his fruebantur, et facilius odium Romanorum evitare poterant. Igitur credibile est hoc nomen ipsis ab aliis esse impositum. Antiochenis, qui ad jocos et dicteria erant proni, mirum videbatur discipulos Christo, quem ignominiosa morte sublatum ipsi fatebantur, adhuc adhærere : unde illis per ludibrium istud nomen imposuerunt. *Christianorum* nomen, quod peropportunum putabatur ad cultores Jesu Christi ab Judæis internoscendos, mox extra Palæstinam in omnibus Romani imperii provinciis frequentari cœpit. Nec tamen ipsi *discipuli* ea jam ætate illud nomen usurparunt, sed soli extranei, velut rex Agrippa in sermone ad Paulum, xxvi, 28, non hic ipse, Agrippæ respondens; neque aliter Petrus, I *Epist.* iv, 16 (sæpius illud nomen in Apostolorum scriptis non reperitur). Etenim si minus infamandi studio inventum id nomen erat, at certe apud Ἰουδαίους eo tempore in probro habebatur. Quippe Christianorum *Secta*, xxiv, 5, 14; xxviii, 22, in suspicionem seditionis adducta fuerat a Judæis, ut quæ non imperatorem Romanum, sed alium quemdam, Jesum, regis ac Domini nomine appellaret, xvi, 6, 7. *Christianorum* autem nomen adeo non aversati sunt qui Christo nomen dederant, ut potius honori sibi ducerent, et postea retinuerent. » Hæc Rosenmullerus, paulum tamen ad brevitatem contracta.



Meritò tur de dignitate nominis Christiani.

S. Chrysostomus, hom. 3 *ad Populum*, mire extollit et celebrat suam urbem, puta Antiochiam, quod in ea primum auditum sit nomen Christianum. Hoc enim nomen uti fidelium proprium, ita illustre est et eximium. Unde id prævidens, in spiritu Isaias exultavit, dicens cap. xliii, vers. 1 : « Vocavi te nomine tuo : meus es tu, » puta Christianus a me Christo; et cap. lxii, vers. 2 : « Vocabitur tibi nomen novum, quod os Domini nominabit. » Illustrius ergo est esse et vocari Christianum, quam esse et vocari regem vel principem : Christianus enim est Christi discipulus, imo filius et hæres regni cœlestis. Quocirca jure queritur Salvianus, lib. IV *De Providentia*, sub initium, Christianos perdere vim tanti et tam sancti nominis vitio pravitatis. « Nam qui Christiani nominis opus non agit, Christianus non esse videtur. Nomen enim sine actu atque officio suo, nihil est. Quid est aliud principatus sine meritorum sublimitate, nisi honoris titulus sine homine? aut quid est dignitas in indigno, nisi ornamentum in luto? Circulus aureus in naribus suis, mulier pulchra et fatua, *Prov.* xi. Et in nobis itaque Christianum vocabulum quasi aureum decus est, quo si indigne utimur, fit ut sues cum ornamento esse videamur. »

Huc pertinet illud Musonii apud Gellium, lib. IX, cap. ii, de hominibus improbis, qui se philosophos vocabant : « Mihi, inquit, dolori et ægritudini est, quod istiusmodi animalia spurca atque probra nomen usurpent sanctissimum et Philosophi (Christiani) appellentur. Majores autem mei Athenienses nomina juvenum fortissimorum Harmodii et Aristogitonis, qui libertatis recuperandæ gratia Hippiam tyrannum interficere adorsi erant, ne unquam servis indere liceret, decreto publico sanxerunt, quoniam nefas ducerent, nomina libertati patriæ devota, servili contagio pollui. Cur ergo nos patimur nomen Philosophiæ (Christianæ) illustrissimum, in hominibus deterrimis exsordescere? » Domitianus imperator Metium Pomposianum interemit, quod nomina Magonis et Annibalis, utpote illustrium ducum, servis indidisset, ait Suetonius in ejus Vita, cap. x.

Alexander Magnus ignavum militem Alexandrum vocari vetuit, nisi se Alexandri animos et decora imitaturum promitteret, teste Curtio. Cur ergo Christiani vocantur, qui Christi vel fidem, ut hæretici, vel mores et vitam, uti improbi Christiani, lacessunt, traducunt, violant, dedecorant, infamant? Christianus es, Christum imitare : vive ut vixit Christus; vive ut vixerunt primi Christiani, *Actor.* ii et iv; vive vitam S. Petri, S. Pauli, S. Joannis, etc.

Præclare S. Hieronymus, epist. 10 *ad Furiam* : « Pater tuus, quem honoris causa nomino, non quia consularis et patricius, sed quia Christianus, implevit nomen suum. » Idem *ad Paulinum* : « Noli respicere ad phaleras et nomina vana Catonum. Esse Christianum grande est, non videri. » Invidit hoc nomen fidelibus Julianus Apostata, « Galilæos pro Christianis nominans, atque ut ita vocaremur, publica lege decernens. Ex quo perspicue ostendit Christi appellationem perhonorificam esse maximique ad gloriam momenti, quoniam eam nobis eripere cogitavit. Nisi fortasse hoc ea ratione fecit, quod hujusce nominis vim et potestatem instar dæmonum reformidaret, » ait Nazianzenus, orat. 3 *Contra Julian.*

Ex eodem accipe hæc Christiani partim officia, partim elogia et axiomata. *Primum*, *orat.* 20, quæ est de laudibus S. Basilii, hanc ejus vocem celebrat : « Non personarum dignitate, sed fide christianismus insignitur. Cæteris in rebus mansueti et placidi sumus, atque omnium abjectissimi; verum ubi Deus nobis periclitatur ac proponitur, tum demum alia omnia pro nihilo putantes, ipsum solum intuemur. Ignis autem, et gladius, et bestiæ, et unguiæ carnem lacerantes, voluptati ac deliciis nobis potius sunt, quam terrori. Mors beneficii loco mihi erit : citius enim me ad Deum transmittet, cui vivo. »

*Secundum*, *orat.* 3 : « Solent Christianorum fortes et generosi animi, ei qui vim afferre parat, contumaciter obsistere, non secus ac flamma, quæ a vento excitatur : quo amplius perflatur, eo vehementius accenditur. Sic persecutione Christianam religionem potius illustrarunt, quam debilitarunt, animas nimirum ad pietatem roborantes, ac periculis, ut aqua calens ferrum obdurantes. »

*Tertium*, in *Iambico*, iambico 15 : Christianismus « est lex, mysterium et professio crucis Christi. Humanitas Christi mea est refectio. Mors ejus, mortis meæ est exstinctio. » Tertium

*Quartum*, *orat.* 31 : « Cur Christiani, inquit, nomen venerabile est? An non quia Christus Deus? Petrum honore prosequor, nec tamen Petrianus vocor; et Paulum, nec tamen Paulianus nominatus sum. Non fero me ab hominibus nomen ducere, qui a Deo sum creatus. Proinde si quia Deum ipsum existimas, ideo Christianus vocaris, voceris sane et maneas in nomine, atque adeo in re. Si autem Deum credis, rebus ipsis quod credas, ostende. » Quartum.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS
ALERE FLAMMAM VERITATIS

Quintum. *Quintum, orat.* 12 : Christianos « Deus pro divitiis habet et divites reddit. »

Sextum. *Sextum*, ibidem : Christiani « eodem fidei et spei charactere formati et consignati sunt. »

Septimum. *Septimum, orat.* 20 : « Cum aliis alia quædam cognomenta sint, vel a parentibus accepta, vel ex seipsis, hoc est, ex propriis vitæ studiis institutisque comparata, nobis contra magna res magnum nomen erat, Christianos et esse et nominari : atque ea re magis efferebamur, quam Gyges palæ annuli conversione (si quidem hoc fabulosum non esset) per quam Lydiorum tyrannidem occupavit : aut Midas auro, quod ipsi interitum accersivit, cum voti sui compos factus, nihil præter aurum possideret; quæ et ipsa Phrygia est fabula. Nam quid Hyperborei Abaridis sagittam, aut Argivum Pegasum dicam, quibus non tantum erat per aerem ferri, quantum nobis mutua opera, et simul ad Deum attolli? »

Octavum. *Octavum, Iambico* 18 :

Nos (Christiani) ab omni re proba omnem gloriæ
Auram fugamus : ut quibus nil sit prius,
Quam ne sinistra, dextera quid faciat, sciat.

Nonum. *Nonum*, in *Præceptis ad Virgines* :

Quid mirum in medio si fixus corpore Christus,
Humanos omnes pellat violentus amores?

Decimum. *Decimum*, ibidem :

Christicolis animus circum præcordia major
Exilit, infestus qualis movet arma tyrannus.
Tam dulces hymnos noctuque diuque canentes,
Sidera summa petunt, mundoque et carne relictis.

Undecimum. *Undecimum*, ibidem :

Ut phœnix moriens primos revirescit ad annos,
In mediis flammis post plurima lustra renascens :
Haud secus egregiis redduntur morte perennes,
Dum pia divinis ardescunt pectora flammis.

Duodecimum. *Duodecimum*, ibidem :

Corpore in afflicto sita vis roburque piorum est.
Hæc quisquis bene perspiciet, cum corpore fœdus
Non feriet, postquam meliore exarserit igni.

Decimum tertium. *Decimum tertium*, in *Beatitudine et spiritualis vitæ Regulis* :

Felix qui Christum fortunis omnibus emit,
 Cunctorumque crucem, quam gerit, instar habet, etc.
Felix qui primos inter numerandus ovilis
 Christicolæ, tacitus se tenet inter oves.
Felix qui Christum mulctis non segnis honorat,
 Multisque est vitæ regula lexque piæ.
Felix qui multis junctus, non plurima versans
 Distrahitur, pectus sed dedit omne Deo.

Decimum quartum. *Decimum quartum, orat.* 3 : « Nos (Christiani), inquit, externam speciem ac velut picturam parum admodum curamus : in interno autem homine multo plus operæ studiique ponimus; idque potissimum studemus, ut spectatorem ad ea quæ animo cernuntur, retrahamus : qua etiam ratione vulgus magis erudimus. »

Decimum quintum. *Decimum quintum, orat.* 3 : « Christianis jucundius est pietatis causa pati, etiamsi nemo id resciturus sit, quam aliis cum impietate florere atque in gloria versari. Hominibus quippe placere parum admodum curamus, id unum expetentes, ut honorem a Deo consequamur. »

Decimum sextum. *Decimum sextum*, ibidem explicante Billio, numer. 96 : « Sicut juxta Pythium oraculum, equa Thessala reliquis omnibus antecellit, et mulier Spartana omnibus aliis mulieribus, et viri Siculi omnibus viris, ita etiam Christiani in religiosis ritibus atque sanctioribus mortales omnes antecellunt, ac principem honoris locum merentur. »

Decimum septimum. *Decimum septimum*, orat. 3 *Contra Julianum* : « Nos, inquit, non in virtute proficere, nec ex veteribus subinde novos effici, sed eodem statu hærere, in vitio ponimus. » *q. d.* Christianæ est quotidie proficere in melius. Rationem dat : « Ita enim nobis idem quod trochis accideret, quos in orbem volvi, non autem progredi videmus. »

Decimum octavum. *Decimum octavum*, in *Carm. de Vita sua* :

Christianus improbus, pollissimum
Si sit sacerdos, afficit probro fidem.

Decimum nonum. *Decimum nonum*, orat. 4 *Contra Julian.* : « Sicut nec cataractæ Nili ab Æthiopa in Ægyptum cadentes ulla arte inhiberi possunt; nec solis radius, etiamsi nube aliquantisper obducatur : sic nec Christianorum linguæ vincula injici, res vestras insectanti ac proscindenti. »

Vigesimum. *Vigesimum, Iambico* 18 :

Non turbolento tempori unquam cessimus :
Quin pax habebat languidi si quippiam,
Aut si quis aliis moribus pravis erat,
Hic (*in persecutione*) cuncti ad unum pectus obfirmavimus.
Atque solidati flammeo zelo hostium
Tulimus furorem, splendide et victi sumus.
Nemo salutem tam cupit lubentius,
Pericla quam nos, vera laus quibus comes.

Ita nimirum S. Polycarpus urgenti Præsidi, ut juraret per fortunam Cæsaris, unum hoc respondit : « Christianus sum, » cui id non licet; testis Eusebius, lib. IV, cap. v. Idem responderunt Martyres Lugdunenses et Viennenses, de quibus Eusebius, lib. V, cap. ii. Ac imprimis S. Blandina, in tormentis falsis criminationibus interrogata, non aliud respondit quam : « Christiana sum, nec mali quippiam a nobis committitur. » Et alius, nomine Sanctus, ad cuncta interrogata respondebat : « Christianus sum. » « Hoc ille et nominis sui, et civitatis, et generis et omnium aliorum loco frequenter confitebatur, nec aliam vocem ex illo audiebant Gentiles, » ait Eusebius. « Nihil enim terribile, ubi Patris dilectio; neque triste, ubi Christus est gloria. » Christianus ergo est, cui Christus semper est in corde, ore et opere.

27. In his autem diebus. — Illo anno quo Antiochiæ docuerunt Paulus et Barnabas, ait Glossa.



Supervenerunt ab Hierosolymis Prophetæ. — Ecclesia enim a sui initio habuit Prophetas : prophetia enim erat una e gratiis gratis datis Spiritus Sancti, ac consequenter et veræ Ecclesiæ, quam regit Spiritus Sanctus, index, ut patet I *Corinth.* xiv. Unde et hi missi sunt Antiochiam, ut illam Ecclesiam jam efflorescentem suæ prophetiæ dote confirmarent et illustrarent (1).

Vers. 28. Agabus, id est locusta, cur? 28. Agabus. — Quem Dorotheus in Synopsi Sanctorum, ait fuisse unum e 72 Christi discipulis. Beda nomen *Agabus* interpretatur *nuntius tribulationis*; alii, *locusta* : חגב *chagab* enim est locusta. Apposite : locustæ enim depascendo germina et segetes, sunt causa et prænuntii famis, quam prædixit Agabus. Alii, *organista*, ab עגב *ugab*, id est organum. Alii Agabi nomen deducunt ab עֻגָה *uga*, id est torta, vel panis subcinericius, qui tempore famis a pauperibus fieri solet, ut illico comedatur. Alii Agabum interpretantur *enthusiastem*, vel amatorem : עגב *agab* enim significat amare, insanire, agi enthusiasmo. Ita Pagninus, in *Interpret. nom. Hebr.* Relatus est Agabus inter Sanctos in *Martyrol. Roman.* die 13 februarii.

Significabat per Spiritum famem magnam futuram in universo orbe. — Voluit Spiritus Sanctus, ait Œcumenius, hanc famem per Prophetas Christianos prædici, ne Gentiles eam imputarent christianismo, quasi propter eum dii irati illam in orbem immitterent. *Secundo*, ut Antiocheni fideles facerent collectam, qua Hierosolymitanorum egestati et fami instanti subvenirent; uti et fecerunt. Verisimile est Deum hac fame universali totius orbis voluisse punire tum alia ejus scelera, tum recentem idololatriam Caii Caligulæ imperatoris, qui Claudium antecessit. Caius enim eo dementiæ venit, ut ubique adorari voluerit ut deus, adeo ut nec Jovi cederet, sed Jovis Olympii effigiem in suam commutare destinaret, teste Suetonio in ejus Vita, cap. xxii, et Dione, lib. LIX; qui et addunt eum salutatum fuisse Jovem Latialem, templaque ei erecta, in quibus exquisitissimæ hostiæ, puta phœnicopteri, pavones, meleagrides phasiani quotidie ei sacrificarentur. Quin et a Judæis adorari voluit in imagine, quam poni jussit in templo Hierosolymitano : qua de causa Judæi ad eum legatum miserunt Philonem, qui id deprecaretur, uti ipse fuse refert *Legat. ad Caium* : ubi, æque ac Josephus et Eusebius, in *Chronico*, diserte asserit toto orbe Romano, præterquam in Synagogis Judæorum, statuas, imagines et aras Caio Cæsari fuisse consecratas. Hanc ergo idololatriam Caii toto orbe adorati, Deumque sua divinitate quasi spoliantis, æque ac totius orbis Caio vel applaudentis, vel obedientis, generali totius orbis fame plectere et punire decreverat Deus. Porro eadem fame afflixit Judæos, Caii idololatriæ resistentes; quia ipsi persequebantur Christum et Apostolos, ait Chrysostomus. Porro quantum malum sit fames, ostendi *Thren.* iv, 9. Certe fames adducit pestem, nimirum λιμὸς λοιμόν, uti hoc anno Domini 1622 Romæ et per totam Italiam experimur. Ex fame ergo homines didicerunt, vel dicere debuerunt, panem victumque et vitam non dari a Caio, sed a Deo, ac proinde ab eo solo petendum, eumque solum colendum et adorandum esse.

(Fames ob idololatriam Caii Cæsaris.)

Quæ facta est sub Claudio. — Anno 2 Claudii, qui fuit annus Christi 43 et ex parte 44, ait Baronius et Dio Cassius, lib. LX. Alii tamen censent famem hanc contigisse post biennium, scilicet anno Claudii 4, qui fuit Christi 45, forte quia usque ad annum 4 perduravit. Ita Josephus, lib. XX, cap. ii; Eusebius, in *Chron.*; Orosius, lib. VII, cap. vi, qui duo ultimi addunt Helenam, Adiabenorum reginam (quam ad Christum conversam esse scribit Orosius), Judæis in hac fame magna munificentia succurrisse. Quare hæc Agabi prophetia de fame, videtur facta sub annum Claudii primum, Christi 42. Porro Caio Caligula anno 4 regni sui a militibus occiso, in imperium successit hic Tiberius Claudius Drusus Germanicus, Drusi Neronis et Antoniæ filius, Liviæ Augustæ, Augusti Cæsaris uxoris, nepos, annos natus 50, creatus Imperator factione militum prætorianorum, regnavitque annos tredecim : cui successit Nero, quem Claudius in filium adoptarat. Ita Suetonius et alii. Primus ergo post Julium Cæsarem Romæ et orbis Imperator fuit Octavius Augustus, Julii nepos; secundus, Tiberius; tertius, Caius; quartus, Claudius; quintus, Nero : sub quibus contigerunt ea quæ in *Actis* scribit Lucas. Denique Claudius ob famem in medio foro, ait Suetonius, cap. xviii Vitæ ejus, « A turba conviciis ac simul fragminibus panis ita infestatus est, ut ægre, nec nisi postico evadere in palatium valuerit, nihil non excogitavit ad invehendos, etiam in tempore hiberno, commeatus. » (Claudius Imp. quis?)

29. In ministerium, — εἰς διακονίαν, quod Pagninus, Syrus et Tigurina vertunt, *in subsidium* : hoc enim est diaconia, nimirum eleemosynæ, qua egentibus ministrantur necessaria ad vitam.

Habitantibus in Judæa fratribus. — Tum religionis ergo : agnoscebant enim eos quasi patres suos utpote primos fideles; tum quia fideles in Judæa spoliati bonis a Judæis, majori indigentia laborabant, uti dixi *Hebr.* x, 34; tum quia ipsi sponte se bonis abdicarant posuerantque eorum pretia ad pedes Apostolorum, ut vidimus cap. iv, vers. 34 : quare præ cæteris

(1) De Prophetis Novi Test. consulenda sunt imprimis loca in Epist. *ad Rom.* xii, et I *Cor.* xiii, xiv. Fuerunt, ut patet ex his aliisque locis, viri tales, qui subito quodam et inopinato sæpe Spiritus Sancti afflatu ad publice dicendum in ecclesia impellebantur, et nunc docebant, nunc Deum carminibus celebrabant, nunc preces recitabant, vel vaticinia proferebant. Dignitate inferiores erant Apostolis, superiores vero cæteris doctoribus omnibus, *Ephes.* ii, 20 ; iii, 5.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS ®

xvii. Ita S. Hieronymus, in *Epist. ad Galat.*, cap. ii, vers. 10.

30. MITTENTES AD SENIORES, — ad Apostolos, ait Œcumenius. Alii, ad Presbyteros et primores fidelium, præsertim Diaconos : horum enim erat eleemosynas distribuere, ut dixi cap. vi. Nam verisimile est Apostolos jam Hierosolymis discessisse, de quo cap. xii.

# CAPUT DUODECIMUM.

## SYNOPSIS CAPITIS.

*Herodes Agrippa occidit S. Jacobum, et S. Petrum incarcerat ; sed ille ab angelo liberatur. Secundo, vers. 20, Herodes a populo deus acclamatus, occiditur ab angelo.*

1. Eodem autem tempore misit Herodes rex manus, ut affligeret quosdam de Ecclesia. 2. Occidit autem Jacobum, fratrem Joannis, gladio. 3. Videns autem quia placeret Judæis, apposuit ut apprehenderet et Petrum. Erant autem dies azymorum. 4. Quem cum apprehendisset, misit in carcerem, tradens quatuor quaternionibus militum custodiendum, volens post Pascha producere eum populo. 5. Et Petrus quidem servabatur in carcere. Oratio autem fiebat sine intermissione ab Ecclesia ad Deum pro eo. 6. Cum autem producturus eum esset Herodes, in ipsa nocte erat Petrus dormiens inter duos milites, vinctus catenis duabus : et custodes ante ostium custodiebant carcerem. 7. Et ecce angelus Domini astitit, et lumen refulsit in habitaculo; percussoque latere Petri, excitavit eum, dicens : Surge velociter. Et ceciderunt catenæ de manibus ejus. 8. Dixit autem angelus ad eum : Præcingere, et calcea te caligas tuas. Et fecit sic. Et dixit illi : Circumda tibi vestimentum tuum, et sequere me. 9. Et exiens sequebatur eum, et nesciebat quia verum est quod fiebat per angelum; existimabat autem se visum videre. 10. Transeuntes autem primam et secundam custodiam, venerunt ad portam Ferream, quæ ducit ad civitatem : quæ ultro aperta est eis. Et exeuntes processerunt vicum unum, et continuo discessit angelus ab eo. 11. Et Petrus ad se reversus, dixit : Nunc scio vere quia misit Dominus angelum suum, et eripuit me de manu Herodis et de omni exspectatione plebis Judæorum. 12. Consideransque venit ad domum Mariæ, matris Joannis, qui cognominatus est Marcus, ubi erant multi congregati, et orantes. 13. Pulsante autem eo ostium januæ, processit puella ad audiendum, nomine Rhode. 14. Et ut cognovit vocem Petri, præ gaudio non aperuit januam, sed intro currens, nuntiavit stare Petrum ante januam. 15. At illi dixerunt ad eam : Insanis. Illa autem affirmabat sic se habere. Illi autem dicebant : Angelus ejus est. 16. Petrus autem perseverabat pulsans. Cum autem aperuissent, viderunt eum, et obstupuerunt. 17. Annuens autem eis manu ut tacerent, narravit quomodo Dominus eduxisset eum de carcere, dixitque : Nuntiate Jacobo et fratribus hæc. Et egressus abiit in alium locum. 18. Facta autem die, erat non parva turbatio inter milites, quidnam factum esset de Petro. 19. Herodes autem cum requisivisset eum et non invenisset, inquisitione facta de custodibus, jussit eos duci : descendensque a Judæa in Cæsaream, ibi commoratus est. 20. Erat autem iratus Tyriis et Sidoniis. At illi unanimes venerunt ad eum, et persuaso Blasto, qui erat super cubiculum regis, postulabant pacem, eo quod alerentur regiones eorum ab illo. 21. Statuto autem die, Herodes vestitus veste regia, sedit pro tribunali, et concionabatur ad eos. 22. Populus autem acclamabat : Dei voces, et non hominis. 23. Confestim autem percussit eum angelus Domini, eo quod non dedisset honorem Deo; et consumptus a vermibus expiravit. 24. Verbum autem Domini crescebat, et multiplicabatur. 25. Barnabas autem et Saulus reversi sunt ab Hierosolymis expleto ministerio, assumpto Joanne, qui cognominatus est Marcus.



1. EODEM AUTEM TEMPORE, — puta inchoato anno 2 Claudii et Christi 43, quo cœpit fames, ut dixi in fine capitis præcedentis.

HERODES, — non Ascalonita, qui infantes in ortu Christi occidit; nec Antipas, qui Joannem Baptistam decollavit et Christum illusit : sed Agrippa, filius Aristobuli, filii Herodis Ascalonitæ. Ita Syrus et Eusebius, lib. II, cap. x. Vocatur rex, non tetrarcha, quia regnum regisque nomen a Caio Caligula Imperatore obtinuerat, eo quod sub Tiberio Cæsare, Caio familiaris, Tiberio celerem mortem, ut Caius nepos ei in imperio succederet, optasset, ideoque a Tiberio in carcerem detrusus esset : unde mox moriente Tiberio, succedens Caius, Agrippam carcere liberatum regem Judææ creavit, uti narrat Josephus, lib. XVIII, cap. viii, et lib. XIX, cap. v.

Nota : Quatuor fuerunt Herodes : *primus*, Ascalonita; *secundus*, Antipas, filius Ascalonitæ; *tertius*, hic Agrippa, Antipæ ex fratre nepos; *quartus*, Agrippa junior, hujus senioris filius, de quo cap. xxv, 16, qui fuit tempore excidii Hierosolymitani, cui Josephus suam historiam Judaicam dedicavit.

UT AFFLIGERET. — Quia, teste Josepho, Judaismi et Judæorum erat studiosissimus, atque a Caio cum regno jus etiam in res sacras, templum et sacerdotium obtinuerat. Adeo enim Caio ob optatum et prædictum ei imperium, erat carus, ut Caius creatus Imperator, mox Agrippæ donarit catenam auream, ponderis parem ferreæ, qua eum oneraral et vinxerat Tiberius, ait Josephus, lib. XIX, cap. v. Videtur Agrippa Romæ didicisse crudelitatem a Tiberio Cæsare, a quo conjectus in vincula, a Caio evectus fuit ad regnum : perinde ac Tiberius ab exilio Rhodiensi vocatus est ad imperium, de quo Suetonius in ejus Vita, cap. lix : « Multa, ait, ita sæve et atrociter factitavit, ut nonnulli versiculis quoque et præsentia exprobrarent, et futura denuntiarent mala : »

> Asper et immitis, breviter vis omnia dicam?
> Dispeream, si te mater amare potest.
> Aurea mutasti Saturni sæcula, Cæsar :
> Incolumi nam te, ferrea semper erunt.
> Fastidit vinum, quia jam sitit iste cruorem,
> Tam bibit hunc avide, quam bibit ante merum.
> Aspice Felicem sibi, non tibi, Romule, Syllam :
> Et Marium, si vis, aspice, sed reducem.
> Nec non Antoni civilia bella moventis,
> Nec semel infectas aspice cæde manus.
> Et dic : Roma perit : regnabit sanguine multo,
> Ad regnum quisquis venit ab exilio.

2. OCCIDIT AUTEM JACOBUM. — Cur Jacobum præ cæteris Apostolis? Respondeo : *Primo*, quia hic Jacobus major, frater Joannis, erat unus e præcipuis tribus Apostolis, adeoque e columnis Ecclesiæ. *Secundo*, quia, ut ait S. Chrysostomus et Theophylactus in cap. xvii S. *Matth.*, Jacobus hic quasi Boanerges, id est filius tonitrui, in prædicatione Evangelii erat igneus quasi fulmen, ac Judæis terribilis et gravis quasi tonitru, confutando Judæos et judaismum, ideoque ab eis postulatus ad necem. *Tertio*, quia ex Hispania obita celebris rerumque gestarum gloria clarus, oculos omnium in se convertebat, ac nominatim quod duos famosos magos, Philethum et Hermogenem, ad Christum convertisset : forte etiam Judæi, qui plurimi tum in Hispania degebant, ejus prædicatione et gestis offensi, litteras ad suos Hierosolymitas dederant, ut Jacobum e medio tollerent. Denique probabile est cæteros plerosque Apostolos abfuisse Hierosolymis, imo abiisse in suas provincias, ut proinde eos comprehendere non potuerit Herodes, de quo mox plura.

Occidit autem Herodes Jacobum, tum ut Judæos magis sibi conciliaret, tum quia Judaismi, quem S. Jacobus impugnabat, erat amantissimus. Unde Josephus, lib. XIX *Antiq.*, cap. vii : « Quapropter, inquit, libenter et continuo degebat Hierosolymis, institutorum ac rituum patrim servator religiosissimus. Purus enim erat a contaminamentis omnibus, nec ulla dies ei præteribat absque sacrificio. » Porro occisus est S. Jacobus a Judæis paulo ante Pascha, puta ante 14 lunam primi mensis Nisan, vel paulo post, ut volunt alii. Unde *Rom. Martyr.* 25 julii ait, « prope Pascha, » non definiens ante, an post : nam paulo post ejus necem, voluit Herodes occidere quoque Petrum post dies azymorum, id est post octavam Paschalis. S. Hieronymus, in cap. xliii *Ezech.*, scribit S. Jacobum immolatum altera die Paschatis, scilicet decima quinta luna, in qua Christus occisus est. Ado Trevirensis, in *Martyr.*, et Calixtus Papa I, *De Miraculis S. Jacobi*, scribunt eum occisum 25 martii, quo pariter die ante decem annos, puta anno Christi 34, occisus fuerat Christus. Christophorus tamen a Castro, in *Histor. Deipar.*, cap. xviii, censet eum occisum in aprili in diebus azymorum : festum tamen ejus celebratur die 25 julii, quia eo die translatum est ejus corpus Compostellam, ubi miraculis plurimis coruscans magno Hispanorum, imo peregrinorum e toto orbe confluentium confluxu colitur; quæ peregrinatio celebrari cœpit anno Domini 1220, teste S. Antonino, I part. *Hist.*, tit. VI, cap. viii.

GLADIO. — Quia licet in veteri Testamento vix legamus Judæos usos gladio in pœnis reorum, tamen postquam in Romanorum potestatem venerunt, eo, more Romanorum, usi sunt eorum Tetrarchæ et Reges : unde et Herodes Antipas, hujus Herodis patruus, gladio occidit S. Joannem Baptistam.

Porro S. Jacobus vadens ad mortem, suum accusatorem, nomine Josiam, sua constantia et sanctitate ita obstupefecit, ut eum ad Christum converterit martyremque effecerit. Audi ex S. Clemente Eusebium, lib. II *Hist.*, cap. ix : « Is sane qui eum ad tribunal duxerat, cum martyrium subiturum cerneret, ea re motus, et se Christianum esse ultro confessus est. Ducti sunt igitur

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ALERE FLAMMAM VERITATIS DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS ®

xvii. Ita S. Hieronymus, in *Epist. ad Galat.*, cap. ii, vers. 10.

30. MITTENTES AD SENIORES, — ad Apostolos, ait Œcumenius. Alii, ad Presbyteros et primores fidelium, præsertim Diaconos : horum enim erat eleemosynas distribuere, ut dixi cap. vi. Nam verisimile est Apostolos jam Hierosolymis discessisse, de quo cap. xii.

# CAPUT DUODECIMUM.

## SYNOPSIS CAPITIS.

*Herodes Agrippa occidit S. Jacobum, et S. Petrum incarcerat ; sed ille ab angelo liberatur. Secundo vers. 20, Herodes a populo deus acclamatus, occiditur ab angelo.*

1. Eodem autem tempore misit Herodes rex manus, ut affligeret quosdam de Ecclesia. 2. Occidit autem Jacobum, fratrem Joannis, gladio. 3. Videns autem quia placeret Judæis, apposuit ut apprehenderet et Petrum. Erant autem dies azymorum. 4. Quem cum apprehendisset, misit in carcerem, tradens quatuor quaternionibus militum custodiendum, volens post Pascha producere eum populo. 5. Et Petrus quidem servabatur in carcere. Oratio autem fiebat sine intermissione ab Ecclesia ad Deum pro eo. 6. Cum autem producturus eum esset Herodes, in ipsa nocte erat Petrus dormiens inter duos milites, vinctus catenis duabus : et custodes ante ostium custodiebant carcerem. 7. Et ecce angelus Domini astitit, et lumen refulsit in habitaculo; percussoque latere Petri, excitavit eum, dicens : Surge velociter. Et ceciderunt catenæ de manibus ejus. 8. Dixit autem angelus ad eum : Præcingere, et calcea te caligas tuas. Et fecit sic. Et dixit illi : Circumda tibi vestimentum tuum, et sequere me. 9. Et exiens sequebatur eum, et nesciebat quia verum est quod fiebat per angelum; existimabat autem se visum videre. 10. Transeuntes autem primam et secundam custodiam, venerunt ad portam Ferream, quæ ducit ad civitatem : quæ ultro aperta est eis. Et exeuntes processerunt vicum unum, et continuo discessit angelus ab eo. 11. Et Petrus ad se reversus, dixit : Nunc scio vere quia misit Dominus angelum suum, et eripuit me de manu Herodis et de omni exspectatione plebis Judæorum. 12. Consideransque venit ad domum Mariæ, matris Joannis, qui cognominatus est Marcus, ubi erant multi congregati, et orantes. 13. Pulsante autem eo ostium januæ, processit puella ad audiendum, nomine Rhode. 14. Et ut cognovit vocem Petri, præ gaudio non aperuit januam, sed intro currens, nuntiavit stare Petrum ante januam. 15. At illi dixerunt ad eam : Insanis. Illa autem affirmabat sic se habere. Illi autem dicebant : Angelus ejus est. 16. Petrus autem perseverabat pulsans. Cum autem aperuissent, viderunt eum, et obstupuerunt. 17. Annuens autem eis manu ut tacerent, narravit quomodo Dominus eduxisset eum de carcere, dixitque : Nuntiate Jacobo et fratribus hæc. Et egressus abiit in alium locum. 18. Facta autem die, erat non parva turbatio inter milites, quidnam factum esset de Petro. 19. Herodes autem cum requisivisset eum et non invenisset, inquisitione facta de custodibus, jussit eos duci : descendensque a Judæa in Cæsaream, ibi commoratus est. 20. Erat autem iratus Tyriis et Sidoniis. At illi unanimes venerunt ad eum, et persuaso Blasto, qui erat super cubiculum regis, postulabant pacem, eo quod alerentur regiones eorum ab illo. 21. Statuto autem die, Herodes vestitus veste regia, sedit pro tribunali, et concionabatur ad eos. 22. Populus autem acclamabat : Dei voces, et non hominis. 23. Confestim autem percussit eum angelus Domini, eo quod non dedisset honorem Deo; et consumptus a vermibus expiravit. 24. Verbum autem Domini crescebat, et multiplicabatur. 25. Barnabas autem et Saulus reversi sunt ab Hierosolymis expleto ministerio, assumpto Joanne, qui cognominatus est Marcus.



1. EODEM AUTEM TEMPORE, — puta inchoato anno 2 Claudii et Christi 43, quo cœpit fames, ut dixi in fine capitis præcedentis.

HERODES, — non Ascalonita, qui infantes in ortu Christi occidit; nec Antipas, qui Joannem Baptistam decollavit et Christum illusit : sed Agrippa, filius Aristobuli, filii Herodis Ascalonitæ. Ita Syrus et Eusebius, lib. II, cap. x. Vocatur rex, non tetrarcha, quia regnum regisque nomen a Caio Caligula Imperatore obtinuerat, eo quod sub Tiberio Cæsare, Caio familiaris, Tiberio celerem mortem, ut Caius nepos ei in imperio succederet, optasset, ideoque a Tiberio in carcerem detrusus esset : unde mox moriente Tiberio, succedens Caius, Agrippam carcere liberatum regem Judææ creavit, uti narrat Josephus, lib. XVIII, cap. viii, et lib. XIX, cap. v.

Nota : Quatuor fuerunt Herodes : *primus*, Ascalonita; *secundus*, Antipas, filius Ascalonitæ; *tertius*, hic Agrippa, Antipæ ex fratre nepos; *quartus*, Agrippa junior, hujus senioris filius, de quo cap. xxv, 16, qui fuit tempore excidii Hierosolymitani, cui Josephus suam historiam Judaicam dedicavit.

UT AFFLIGERET. — Quia, teste Josepho, Judaismi et Judæorum erat studiosissimus, atque a Caio cum regno jus etiam in res sacras, templum et sacerdotium obtinuerat. Adeo enim Caio ob optatum et prædictum ei imperium, erat carus, ut Caius creatus Imperator, mox Agrippæ donarit catenam auream, ponderis parem ferreæ, qua eum oneraret et vinxerat Tiberius, ait Josephus, lib. XIX, cap. v. Videtur Agrippa Romæ didicisse crudelitatem a Tiberio Cæsare, a quo conjectus in vincula, a Caio evectus fuit ad regnum : perinde ac Tiberius ab exilio Rhodiensi vocatus est ad imperium, de quo Suetonius in ejus Vita, cap. lix : « Multa, ait, ita sæve et atrociter factitavit, ut nonnulli versiculis quoque et præsentia exprobrarent, et futura denuntiarent mala : »

Asper et immitis, breviter vis omnia dicam?
Dispeream, si te mater amare potest.
Aurea mutasti Saturni sæcula, Cæsar :
Incolumi nam te, ferrea semper erunt.
Fastidit vinum, quia jam sitit iste cruorem,
Tam bibit hunc avide, quam bibit ante merum.
Aspice Felicem sibi, non tibi, Romule, Syllam :
Et Marium, si vis, aspice, sed reducem.
Nec non Antoni civilia bella moventis,
Nec semel infectas aspice cæde manus.
Et dic : Roma perit : regnabit sanguine multo,
Ad regnum quisquis venit ab exilio.

2. OCCIDIT AUTEM JACOBUM. — Cur Jacobum præ cæteris Apostolis? Respondeo : *Primo*, quia hic Jacobus major, frater Joannis, erat unus e primariis tribus Apostolis, adeoque e columnis Ecclesiæ. *Secundo*, quia, ut ait S. Chrysostomus et Theophylactus in cap. xvii S. *Matth.*, Jacobus hic quasi Boanerges, id est filius tonitrui, in prædicatione Evangelii erat igneus quasi fulmen, ac Judæis terribilis et gravis quasi tonitru, confutando Judæos et judaismum, ideoque ab eis postulatus ad necem. *Tertio*, quia ex Hispania obita celebris rerumque gestarum gloria clarus, oculos omnium in se convertebat, ac nominatim quod duos famosos magos, Philetum et Hermogenem, ad Christum convertisset : forte etiam Judæi, qui plurimi tum in Hispania degebant, ejus prædicatione et gestis offensi, litteras ad suos Hierosolymitas dederant, ut Jacobum e medio tollerent. Denique probabile est cæteros plerosque Apostolos abfuisse Hierosolymis, imo abiisse in suas provincias, ut proinde eos comprehendere non potuerit Herodes, de quo mox plura.

Occidit autem Herodes Jacobum, tum ut Judæos magis sibi conciliaret, tum quia Judaismi, quem S. Jacobus impugnabat, erat amantissimus. Unde Josephus, lib. XIX *Antiq.*, cap. vii : « Quapropter, inquit, libenter et continuo degebat Hierosolymis, institutorum ac rituum patrim servator religiosissimus. Purus enim erat a contaminamentis omnibus, nec ulla dies ei præteribat absque sacrificio. » Porro occisus est S. Jacobus a Judæis paulo ante Pascha, puta ante 14 lunam primi mensis Nisan, vel paulo post, ut volunt alii. Unde *Rom. Martyr.* 25 julii ait, « prope Pascha, » non definiens ante, an post : nam paulo post ejus necem, voluit Herodes occidere quoque Petrum post dies azymorum, id est post octavam Paschalis. S. Hieronymus, in cap. xliii *Ezech.*, scribit S. Jacobum immolatum altera die Paschatis, scilicet decima quinta luna, in qua Christus occisus est. Ado Trevirensis, in *Martyr.*, et Calixtus Papa I, *De Miraculis S. Jacobi*, scribunt eum occisum 25 martii, quo pariter die ante decem annos, puta anno Christi 34, occisus fuerat Christus. Christophorus tamen a Castro, in *Histor. Deipar.*, cap. xviii, censet eum occisum in aprili in diebus azymorum : festum tamen ejus celebratur die 25 julii, quia eo die translatum est ejus corpus Compostellam, ubi miraculis plurimis coruscans magno Hispanorum, imo peregrinorum e toto orbe confluentium confluxu colitur; quæ peregrinatio celebrari cœpit anno Domini 1220, teste S. Antonino, I part. *Hist.*, tit. VI, cap. viii.

GLADIO. — Quia licet in veteri Testamento vix legamus Judæos usos gladio in pœnis reorum, tamen postquam in Romanorum potestatem venerunt, eo, more Romanorum, usi sunt eorum Tetrarchæ et Reges : unde et Herodes Antipas, hujus Herodis patruus, gladio occidit S. Joannem Baptistam.

Porro S. Jacobus vadens ad mortem, suum accusatorem, nomine Josiam, sua constantia et sanctitate ita obstupefecit, ut eum ad Christum converterit martyremque effecerit. Audi ex S. Clemente Eusebium, lib. II *Hist.*, cap. ix : « Is sane qui eum ad tribunal duxerat, cum martyrium subiturum cerneret, ea re motus, et se Christianum esse ultro confessus est. Ducti sunt igitur

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS
ALERE FLAMMAM VERITATIS

simul uterque. Ille vero in itinere petiit ut ignosceretur sibi a Jacobo. Ille cum parumper deliberasset : Pax tibi, inquit, et osculatus est eum; atque ita simul uterque decollatus est. » Addit S. Isidorus S. Jacobum euntem ad martyrium, paralyticum suam opem inclamantem membris et sanitati restituisse.

Privilegia S. Jacobi. Primum. Nota : S. Jacobi laus et gloria prima est, quod primus omnium Apostolorum pro Christo martyrium generose obierit, cæterisque ad illud dux et choragus fuerit. Ex adverso frater ejus S. Joannes agmen Apostolorum claudit, et ultimus omnium defunctus est grandævus anno Christi 101, post Christi passionem 68, post Jacobi necem 58. Quare hi duo fratres cæterorum omnium Apostolorum vitam et mortem sua morte, quasi initio et fine complectuntur, inchoant et terminant, eorumque sunt quasi A et Ω.

Secundum. *Secunda*, quod cognatus fuerit Christi, natus ex patre Zebedæo et matre Maria Salome, quæ Sanctorum catalogo adscripta, religiose colitur Verulis in Italia, ubi ejus corpus requiescit.

Tertium. *Tertia*, quod a Christo mutatum sit ei nomen, ac cum fratre Joanne vocatus sit « Boanerges, » id est filius tonitrui, id est tonitru et fulmen : fulmineus enim fuit zelo, actione, prædicatione, miraculis. Nulli alteri Apostolo Christus mutavit nomen, nisi Simoni, quem vocavit « Cepham, » id est Petrum, eo quod illum Ecclesiæ suæ destinaret basin et Primatem.

*Quarta*, quod a Christo præ cæteris Apostolis electus fuerit et dilectus : hi enim tres, Petrus, Jacobus et Joannes, quasi triumviri Christi, soli interfuerunt ejus transfigurationi in monte Thabor et orationi ultimæ in horto paulo ante mortem, in qua sudavit aquam et sanguinem. Insuper semper mansit virgo, æque ac frater ejus Joannes. Unde de utroque loquens Epiphanius, *Hæres.* 58 : « Quinam ergo, inquit, hi fuerint, quam generosi Apostoli, et monasticam vitam degentes, ac deinceps virgines. »

*Quinta*, quod Christi fuerit amantissimus ejusque honoris zelosissimus. Unde *Lucæ* IX, 54, cum Samaritæ Christum spernerent, indignans et Christi injuriam ulcisci volens, ingenti zelo, etsi adhuc rudi et impolito dixit : « Domine, vis dicimus ut ignis descendat de cœlo, et consumat illos? » *q. d.* Vis ut instar Eliæ eos igne cœlesti et fulmine afficiamus? « Surrexit enim Elias propheta quasi ignis, et verbum ipsius quasi facula ardebat, » *Eccles.* XLVIII, 1.

*Sexta*, quod B. Virgini carissimus fuerit. Unde ipsa adhuc vivens Hierosolymæ, eidem apparuit Cæsaraugustæ, insistens columnæ, jussitque ibidem oratorium sibi extrui, prædicens illam Hispaniæ partem sibi fore devotissimam. Quare S. Jacobus eidem sacellum, omnium in orbe primum, exædificavit. Ita referunt *Annales Hispaniæ*.

*Septima*, quod Hispaniam a Mauris et Saracenis liberarit, visibiliter præiens aciem Ramiri regis, dum ille anno Domini 834, cum innumeris Saracenis e recenti victoria insolentibus, sibique insultantibus, monitu et invocatione S. Jacobi confligens, eos omnes vel cecidit, vel cepit, vel in fugam egit. Unde et Hispani in prœliis eum jugiter invocant, et ejus ope illustres contra fidei hostes obtinuerunt et obtinent victorias. Quare in ejus honorem instituerunt Ordinem Militarem Equitum S. Jacobi, qui cœpit sub Alfonso IX, rege Hispaniæ, anno Domini 1158.

Octavum. *Octava*, Jacobo debet Hispania quod a Christo hucusque in vera et orthodoxa Christi fide constans perstiterit, ut merito reges ejus Catholici cognominentur, ipsaque sit basis et columen fidei et Ecclesiæ, quodque fidem Christi cum æterna nominis sui gloria per Indias, tam Orientis quam Occidentis, longe lateque propagarit, et in dies magis magisque propaget.

Censet S. Isidorus, et Lucius Dexter in *Chronico*, idque habet Liturgia Mozarabum, et versio Arabica, S. Jacobum hunc, fratrem S. Joannis, scripsisse epistolam Canonicam, quæ vulgo S. Jacobi dicitur; Eusebius tamen, S. Hieronymus et alii multi censent eam scriptam a Jacobo Minore, qui *frater Domini* dictus, primus fuit Episcopus Hierosolymorum; quod in ipsa ejus Epistola discutiendum erit.

Denique, sicut S. Joannes Baptista occisus est ab Herodiade, quæ erat soror hujus Herodis Agrippæ, eo quod incestas ejus nuptias cum Herode Antipa, patruo suo, culpasset; ita et S. Jacobus occisus est a fratre ejus Agrippa : nimirum S. Joannem martyrii socium merebatur S. Jacobus; itaque Herodias Joannicida fratrem Herodem, et Herodes Jacobicida sororem Herodiadem, velut dignum patella operculum poscebat, nimirum uterque mali corvi malum fuit ovum. Uterque enim prognatus est ex Herode Ascalonita, qui fuit infanticida, et in eis Christicida. Hic enim utriusque fuit avus : genuit enim Aristobulum, qui fuit pater Herodis Agrippæ et Herodiadis.

Addit L. Dexter in *Chronico*, anno Christi 41 : « Ex Hispania rediens Jacobus Gallias invisit, ac Britannias, ac Venetiarum oppida, ubi prædicat, ac Hierosolymam revertitur, de rebus gravissimis consulturus B. Virginem et Petrum. » Et mox anno Christi 42 : « Prædicans acerrime Judæis, prius interfuit hoc anno consecrationi ædis sacræ Nazareth (quæ Lauretum ab angelis translata, inde nunc Lauretana dicitur), in qua Virgo Deum concepit, præsentibus nonnullis Apostolorum : succiso ab Herode capite, recens Hierosolymam reversus, nobile martyrium 25 die martii (quo et Christus crucifixus est) gloriose pertulit. Discipuli S. Jacobi, Dei monitu Virginisque consilio, corpus magistri Joppe in navi deponentes, Iriam Flaviam Gallæciæ civitatem felici navigatione pervenerunt. Altare super sacrum corpus erigunt, et more sacro, Basilius, Athanasius, Chrysogonus, Agathodorus, Elpidius (qui nuntio accepto de



corpore sui parentis in Hispanias allato, mox Iriam accurrunt) sacrant, et Apostolo dicant. » Subdit anno Christi 50, S. Petrum Hispanias adiisse, multis eum comitantibus, inde in Africam et Ægyptum transisse. Horum omnium fides sit penes auctorem, quæ quanta sit dixi in fine Chronotaxeos.

Quo anno occisus Jacobus? Resp. Primo. Quæres, quoto Christi anno occisus est S. Jacobus? *Primo* Eusebius, in *Chronico*, ait eum occisum anno Christi 36, qui fuit Tiberii imperatoris 20, a morte Christi 2. Verum irrepsit error in Chronicon hoc. Nam eo tempore necdum regnabat Herodes Agrippa, qui eum occidit : cœpit enim regnare cum Caio, successore Tiberii. Unde idem Eusebius, lib. II *Histor.*, cap. VIII et IX, ait eum occisum, æque ac Petrum incarceratum, sub Claudio imperatore.

Secundo. *Secundo*, alii Jacobi necem contigisse putant anno Claudii 8, Christi 49, qui fuit a morte ejus 15, eo quod Herodes Agrippa paulo post eum occisum, et Petrum incarceratum, sit occisus ab angelo, cap. XII. Mortuus est autem Agrippa anno 9 Claudii, ait Tacitus lib. XII *Annal.* Sed errat Tacitus; nam Agrippa 3 Claudii anno defunctus est, uti passim tradunt Historici.

*Tertio*, Baronius putat S. Jacobum decollatum anno Claudii 2, Christi 44, qui fuit a morte ejus 11 : Herodem vero percussum ab angelo anno Claudii 4, Christi 46. Verum cæteri tradunt eum tantum tres annos regnasse sub Claudio, et quatuor sub Caio, hoc est universim septem annos.

*Quarto*, Onuphrius, in *Chron.*, et Mariana, *Hist. Hispan.*, lib. IV, cap. II, S. Jacobi necem consignant anno Christi 42, qui fuit Claudii imperatoris primus. Nam anno sequente, puta 2 Claudii, Petrus statim a nece Jacobi incarceratus, ab angelo liberatus profectus est Romam, uti omnes tradunt. Sic et L. Dexter, in *Chronico*, tradit S. Jacobum occisum anno Christi 42, die 25 martii.

*Quinto*, Genebrardi in *Chronol.*, lib. II, eam ponit anno Christi 46, qui, inquit, fuit Claudii tertius, Agrippæ septimus et ultimus : septennium enim eum regnasse docet Josephus loco mox citando; nam paulo post occisum Jacobum occisus est, ita ut quatuor annos regnarit sub Caio, tres sub Claudio. Verum non statim a nece Jacobi ab angelo percussus est Agrippa : nam, ut ait Lucas, in fine hujus capitis, Agrippa occisus est Cæsareæ : eo autem ascendit post moram aliquam actam Hierosolymæ a nece Jacobi. Rursum non statim ut ascendit Cæsaream, ibi percussus est. Nam Lucas narrat interim famem accidisse prædictam ab Agabo : Tyrii enim et Sidonii facto concursu, per Blastum conati sunt Agrippam sibi reconciliare, eo quod alerentur eorum regiones ab illo, ut ait Lucas, vers. 20. Non ergo paucis diebus Agrippa Cæsareæ commoratus est; sed partem anni sexti regni sui et totum septimum ibi transegit. Quocirca

*Sexto*, alii censent S. Jacobum occisum et S. Petrum incarceratum fuisse in Paschate, anno Claudii 2 incipiente, qui fuit Christi 43, nonus ab ejus morte. Tunc enim Agrippa Romæ, ubi a Claudio in regno fuerat confirmatus, celeriter rediens Hierosolymam ante Pascha, volens Judæis gratificari, S. Jacobum occidit et S. Petrum vinxit : sed ille ab angelo liberatus, multis Asiæ provinciis peragratis, Romam ingressus, Romanam cathedram erexit die 18 januarii, sub finem anni 2 Claudii, qui finiendus erat die 24 januarii, inchoato jam anno Christi 44; ac eodem jam currente, et post diem 24 januarii concurrente cum anno 3 Claudii imperatoris, Agrippa percussus est ab angelo, cum septem annos regnasset, nimirum quatuor sub Caio, tres sub Claudio. Sic enim omnia apposite inter se per annos distributa connexa cohærent. Ita Josephus, qui tum vivebat et hæc spectabat, lib. XIX *Antiq.*, cap. VIII. et ex eo Christophorus a Castro, in *Hist. Deipar.*, cap. XVIII, pag. 530, quem vide. Eodem anno Christi 43, Thaddæus missus est ad Abagarum (uti ei vivens promiserat Christus), eumque cum populo Edesseno fide Christi imbuit et baptizavit, teste Eusebio, lib. I *Hist.*, cap. XIII.

Mihi magis probatur sententia Baronii, excepto anno quo ab angelo percussus est Herodes : illum enim censeo fuisse Christi 45, Claudii tertium; nam ultra tertium Claudii annum non regnasse, nec vixisse Herodem consentiunt Chronologi et Historici. Porro primus Claudii annus incidit in annum Christi 43, non 42, uti tradit Eusebius et cæteri; nam Christus mortuus est anno Tiberii 18, uti omnes consentiunt, agens annum ætatis 34. Tiberius autem 22 annos regnavit, cui successit Caius per 4 annos. Caio successit Claudius : combina horum annos cum annis Christi, invenies Claudii 1 annum incidere in annum Christi 43, non 42; anno ergo Christi 44 Petrus e carcere liber, variis provinciis peragratis, Romam contendit ibique cathedram posuit 18 januarii, inchoante anno 45 Christi, et finiente anno Claudii secundo. Nam tertius Claudii annus inchoandus erat die 24 januarii ejusdem anni. Id patet ex eo quod Petrus sederit Romæ 25 annis. Jam incipe ab anno 3 Claudii, et numera reliquos ejus 12 annos (universim enim regnavit 14 annis), adde annos 13 Neronis (13 enim anno Neronis, ab eo occisus est Petrus), qui sucessit Claudio, habebis annos 25 Sedis Romanæ S. Petri.

Quo anno Apostoli dispersi? Resp. Primo. Quæres *secundo*, quoto post Christi in cœlum ascensum anno Apostoli discesserunt e Judæa in suas provincias, ut toto orbe evangelizarent Gentibus quibuslibet? Respondeo : varii varium assignant annum. *Primo*, Apollonius, qui vixit anno Christi 220, scribit apud Eusebium, lib. V *Hist.*, cap. XVII, Christum jussisse Apostolis, ne ante 12 annos a morte sua computandos, Hierosolymis discederent. Id accepit ex Clemente Alexandrino, qui paulo ante vixit et scripsit, scilicet anno

Christi 190. Clemens enim, lib. VI *Strom.*, idem tradit : sed Clementis hujus scripta vitiata sunt ab hæreticis, ideoque inter apocrypha relata a Gelasio Pontifice; æque ac Itinerarium Petri, a quodam Clemente (non illo Romano Pontifice, S. Petri discipulo et successore, uti præ se fert) compositum, ubi idem de hisce 12 annis a Christo Apostolis præstitutis, dicitur : ex quo primo desumpta et propagata videtur hæc traditio. Sed eam falsam esse et confictam patet ex hisce Actis Apostolorum. Nam paulo post necem S. Stephani, Philippus Samariam convertit; unde eo Hierosolymis acciti discesserunt sancti Petrus et Joannes, ut Samaritis sacramentum Confirmationis impenderent. Rursum ex iisdem patet S. Petrum paulo post lustrasse Joppen, Lyddam aliasque civitates Judææ; deinde Cæsareæ Christi fidem prædicasse Cornelio; ac tandem cathedram suam Antiochiæ collocasse per septem annos, donec eam Romam transferret, quod factum est anno circiter decimo post ascensum Christi in cœlum.

Secundo, anno Christi 44.

*Secundo*, Baronius, quem multi sequuntur, ac Lorinus hic ad vers. 20 censent Apostolos se dispersisse per orbem post necem S. Jacobi, anno Christi 44, qui fuit decimus a Christi morte et resurrectione : unde S. Matthæum paulo ante, puta anno Christi 41, scripsisse Evangelium. Causam dispersionis fuisse persecutionem Herodis, qua occidit S. Jacobum et incarceravit S. Petrum, eum et cæteros occisurus, si potuisset : quocirca illos periculum fugientes, profectos esse ad Gentes. Multo longius abeunt, qui Apostolos universaliter per orbem dispersos esse opinantur post primum Concilium Hierosolymis habitum, *Act.* XV; hoc enim celebratum esse anno Christi 51, ut vult Baronius, vel 54, ut vult S. Hieronymus. Citant pro hac sententia S. Chrysostomum, hom. 25 *in Acta*, sed falso.

Refutatur. Primo.

Verum hæc sententia difficilis est creditu. *Primo*, quia Eusebius, lib. I *Hist.*, cap. XIII, scribit sanctum Thaddæum, profectum Edessam Syriæ anno Christi 43, convertisse Abagarum regem et populum Edessenum ad Christum, uti Abagaro olim scripserat et promiserat Christus. Quocirca Lucius Dexter, in *Chronic.*, et Genebrardus, in *Chronol.*, censent divisionem Apostolorum factam anno Christi 41, qui fuit septimus a morte ejus. Sed nec hoc satisfacit, ob sequentes rationes.

[illegible]

*Secundo*, quia S. Jacobus in Hispanias profectus est, utique ante annum Christi 44; nam eo occisus est Hierosolymæ ab Herode. Eum enim in Hispania prædicasse, universalis est et immemorabilis non tantum Hispaniæ, sed et fidelium ubique traditio, cui refragari nemo queat. Jacobus ergo in Hispanias profectus est sub annum Christi 37. Ergo eodem cæteri quoque in sua loca abiisse videntur.

*Tertio*, quia Christus jusserat Apostolis ut manerent Hierosolymis usque dum reciperent Spiritum Sanctum in Pentecoste, ut eo recepto linguis igneis irent prædicatum per totum orbem, ut patet *Act.* I; si enim decem annos mansissent in Judæa, tarde admodum executi essent mandatum Christi de prædicando Gentibus per totum orbem, et parum temporis ad id exequendum habuissent. Plerique enim anno trigesimo apostolatum cum vita et martyrio finierunt. Adde, pauci fuerunt, puta duodecim, et tamen hi remotissimas et plurimas gentes, vastas et amplas adire et convertere debebant.

Quarto.

*Quarto*, quis credat eos omnes decennium integrum posuisse apud paucos perfidos et obstinatos in sua lege Judæos, cum scirent totum orbem sibi a Christo præscriptum et demandatum esse? Sane pauci anni sufficiebant ad prædicandum per totam Judæam, præsertim cum ibidem Diaconos et Presbyteros ordinassent; quin et S. Jacobum, fratrem Domini, constituissent Episcopum.

Quinto.

*Quinto*, quia S. Paulus, *Galat.*, I, 19, ait se post triennium a conversione sua (quæ contigit anno Christi 36, vel, ut alii volunt, 35), puta anno Christi 38, vel 39, ascendentem Hierosolymam, neminem Apostolorum vidisse, nisi S. Petrum et Jacobum, fratrem Domini : quia scilicet cæteri ad evangelizandum toto orbe erant dispersi, ait S. Hieronymus, Anselmus, Claudius Taurinensis et Cajetanus ibid. Hinc et S. Lucas describens acta S. Petri, et ortum progressumque Ecclesiæ in Judæa, nullam aliorum Apostolorum mentionem facit, nisi S. Joannis; utique facturus si in ea diutius mansissent.

Tertia sententia, anno Christi 37.

Ob hæc ergo argumenta probabilius videtur, Apostolos longe ante annum Christi 44, qui fuit decimus a morte ejus, in suas provincias discessisse : quo anno discesserint, præcise definire non ausim. Probabile est eos discessisse paulo post conversum a Petro Cornelium : tunc enim apertum est publice per cœleste oraculum ostium fidei Gentibus, iisque jussus est illico Petrus, ac consequenter et cæteri evangelizare. Quocirca ipse mox adiit Antiochiam ibique cathedram constituit anno Christi 37. Videntur ergo sub idem tempus quoque cæteri suas adiisse gentes, in eisque Ecclesias erexisse, ibique suas cathedras posuisse. Quis enim credat eos cœlesti visione Petri admonitos, jam esse tempus prædicandi Gentibus, tardasse et distulisse hujus moniti, imo præcepti divini executionem per septem vel octo annos, puta ab anno Christi 37, usque ad 44? Videntur ergo discessisse sub annum Christi 37, unde et anno Christi 36 Deus convertit Saulum eumque Gentium Apostolum et doctorem designavit. Quod si quis eodem anno Christi 36 contendat Cornelium fuisse conversum, et paulo post Apostolos, saltem aliquos ivisse in suas provincias, non repugnabo. Sub idem enim tempus videtur apertum Gentibus fidei ostium, quo Saulus conversus creatus est a Deo Gentium doctor.



Quarta, anno Christi 43.

Imo noster Gaspar Sanchez, tract. 1 *De Prædic. S. Jacobi in Hispania*, cap. VI, et Christophorus a Castro in *Histor. Deiparæ*, cap. XVIII, pag. 541, censent Apostolos statim a Pentecoste, anno Christi 34, ivisse in suas provincias. Probant id

Prob. Primo.

*primo*, quia ideo in fine illius anni 34, ut tradit Eusebius in *Chronico*, et alii, ordinasse videntur sanctum Jacobum, fratrem Domini, Episcopum Hierosolymæ, ut Judæorum curam pastoralem in ipsum transferrent, ipsi vero discederent ad Gentes.

Secundo.

*Secundo*, id probant ex Melitone Sardensi, quem citat Beda in cap. VIII *Act.*, et ex Prochoro, discipulo S. Joannis : sed utriusque scripta sunt vitiata, apocrypha et fabulosa.

Tertio.

*Tertio*, quia Christus ascendens in cœlum jussit dixitque Apostolis, *Marc.* cap. ult : « In mundum universum euntes, docete omnes gentes, » *q. d.* « Ite, quia jam tempus est, » ait S. Thomas, Hugo et Cajetanus, qui et addit, hoc mandato revocatum esse illud anterius, « In viam Gentium ne abieritis. »

*Quarto*, quia Ecclesia in Officio Pentecostes, in Vesperis secundis, ad *Magnificat* canit : « Hodie completi sunt dies Pentecostes; hodie Spiritus Sanctus in igne discipulis apparuit, et tribuit eis charismatum dona : misit eos in universum mundum prædicare. » Similiter loquitur S. Leo, serm. 1 *in Natali S. Petri et Pauli*. Item Metaphrastes et alii. Unde concludit Sanchez paulo post Pentecosten Apostolos prædicasse Gentibus et ad eas profectos esse ante conversionem Cornelii, quam ipse censet factam anno 36 Christi, qui fuit secundus ab ejus morte. Licet enim posterius eam narret Lucas, eam tamen esse præponendam : Lucam enim per hysterologiam gesta Petri postponere, ut narrata conversione S. Pauli, ejus gesta eodem historiæ filo pertexat, quibus pertextis gesta S. Petri enarrare aggreditur.

Refutatur.

Verum difficile est creditu Apostolos ivisse ad Gentes ante apertum iis cœlitus fidei ostium per conversionem Cornelii. Ideo enim Deus illam cœlesti visione Petro præmonstravit, ut per illam Apostolis iter ad Gentes panderet : alioqui enim Judæi, quales erant plerique primi Christiani, id non permisissent, imo iis restitissent, uti restiterunt S. Petro, cap. XI, vers. 3. Sed Petrus per visionem a Deo acceptam eis satisfecit.

Ad argumentum primum.

Quare argumenta a Sanchez allata probant duntaxat a Pentecoste licuisse Apostolis prædicare Gentibus, uti recte judicavit Gabriel Vasquez, quem citat Sanchez, cap. VIII; imo eosdem prædicasse Gentibus, quæ se Judæis miscebant in concionibus S. Petri et Apostolorum : non tamen probant eos statim a Pentecoste ivisse in suas provincias, tum quia primo satisfacere debebant Judæis, qui prætendebant Messiam sive Christum ejusque Evangelium ad se pertinere, non ad Gentes : illum enim ad se esse missum, eo quod patribus suis fuisset promissus : hoc autem fecerunt ordinando Hierosolymæ Episcopum S. Jacobum, dispergendo se per cæteras Judææ, Galilææ et Samariæ civitates, ibique evangelizando; tum quia exspectabant occasionem et tempus, quo a Deo discedere monerentur, ut hoc Judæis possent obtendere, ne ipsis abeuntibus obstreperent, aut schisma facerent : hoc autem factum est per visionem S. Petro oblatam.

Rursum illa argumenta recte probant Apostolos iter suum non distulisse per multos, v. g. decem annos, sed rebus in Judæa compositis mox discessisse. Hoc autem factum est, cum Petrus obita Judæa, Lydda et Joppe, ubi multos dies mansit, ait Lucas, cap. IX, missus est Cæsaream ad convertendum Cornelium : quod factum est sub annum Christi 37, ut dixi in fine cap. X; ac consequenter tunc pariter videntur Apostoli in suas oras profecti. Sic enim omnia suavi dispositione et concinna narratione connexa cohærent. Nam ab anno Christi 34 usque ad 37, Apostoli omnes, per triennium integrum evangelizando Judæis, abunde eis satisfecerunt : unde eo expleto, anno Christi 37, converso Cornelio et patefacto cœlitus Gentibus ad Ecclesiam ingressu, omnes se ad iter in suas provincias accinxerunt.

Confirmatur *primo*, quia Lucius Dexter, in *Chronico*, et alii tradunt S. Jacobum anno Christi 37 profectum in suam provinciam, puta Hispaniam : ergo idem cæteri plerique fecerunt alternative. Dico, *plerique et alternative*. Nam non omnes simul eodem tempore præcise discesserunt, sed alii citius, alii tardius, pro rerum et negotiorum commoditate, vel necessitate, ut recte advertit Christophorus a Castro, cap. XVIII *Hist. Deiparæ*. Sic S. Joannes diutius ibidem mansit, ut serviret B. Virgini, cui a Christo datus erat custos, imo filius; S. Petrus Judæis vel præsens, vel vicinus esse voluit per decem annos, ex quibus septem egit Pontificem Antiochiæ, sed ita, ut crebro in Judæam et Jerusalem excurreret. Unde S. Paulus anno Christi 39, veniens Hierosolymam, eum ibidem invenit et convenit, *Galat.* I, 19; S. Petrus enim præcipue erat Judæorum Apostolus, sicut Paulus Gentium, *Galat.* II, 9.

Diutius mansit S. Joannes et S. Petrus in Judæa. Cur?

Confirmatur *secundo*, quia Apostolos Hierosolymis non discessisse ante conversionem Cornelii, patet ex eo quod Lucas, cap. XI, vers. 1, dicat illos eam ibidem audivisse : « Audierunt, ait, Apostoli et fratres qui erant in Judæa, quoniam et Gentes receperunt verbum Dei : » ergo ante non receperant, nec eis ex professo prædicarant Apostoli. Quod vero mox post conversum Cornelium discesserint in suas provincias, liquet ex eo quod paulo post Lucas, vers. 22, dicat Barnabam missum esse Antiochiam, non ab Apostolis, utpote jam profectis et absentibus, sed a presbyteris Ecclesiæ. « Pervenit, ait, sermo ad aures Ecclesiæ, quæ erat Hierosolymis, super istis, et miserunt Barnabam usque ad Antiochiam. »

Confirmatur *tertio*, quia ideo Herodes anno

Christi 43 apprehendit Petrum, et Jacobum occidit pro ceteris Apostolis, cap. XII, vers. 1, eo quod cæteri jam abiissent ad suas gentes.

Chronotaxis Apostolorum. Hæc itaque est Chronotaxis Christi, Apostolorum et primitivæ Ecclesiæ.

Christus occisus resurrexit, ascendit in cœlum, indeque misit Spiritum Sanctum in Pentecoste, anno a nativitate sua 34.

Eodem anno S. Petrus prædicans convertit tria et mox quinque hominum millia.

Eodem quoque creati sunt primi septem Diaconi, *Act.* VI.

Eodem anno lapidatus est Stephanus, die 26 decembris.

Et die sequenti puta 27, S. Jacobus Minor creatus est primus Hierosolymorum Episcopus.

Paulus conversus est ad Christum anno Christi 36.

Cornelius, conversus a S. Petro, patefacit ostium fidei Gentibus initio anni 37.

S. Petrus posuit cathedram Antiochiæ eodem anno 37, in eaque sedit septem annos. Hic annus fuit 4 ab ascensu Christi, ut habet *Chronicon Alexandrinum*.

S. Jacobus in Hispanias profectus est, cæterique Apostoli in suas provincias, eodem anno Domini 37.

Fames prædicta ab Agabo toto orbe cœpit anno Domini 42.

S. Jacobus rediens Hierosolymam occisus est ab Herode Agrippa circa Pascha, anno Domini 44.

S. Petrus vinctus est ab Herode, et liberatus ab angelo anno Christi 44.

S. Petrus post septennem sedem Antiochiæ, liberatus e vinculis Herodis, multis locis peragratis, Romam ingreditur, ibique cathedram collocat die 18 januarii, finiente anno 2 Claudii Imperatoris, sub initium anni Christi 45.

Eodem anno 45 Paulus cum Barnaba missus iturusque ad Gentes, rapitur in tertium cœlum; de quo cap. sequent., vers. 2.

Vers. 3. 3. Apposuit ut apprehenderet et Petrum. — Τὸ et æque ac *apposuit* emphasin habent, *q. d.* Occiso Jacobo, crevit animus et improbitas Herodi, ut etiam in ipsum Ecclesiæ Primatem, puta S. Petrum, auderet manus sacrilegas injicere (1). Causam dat S. Chrysostomus, vel potius Proclus, in *Encomio vinculorum S. Petri*, apud Surium die 1 augusti: « Nam putabant (Judæi) illud futurum, ait, ut si Petrum Apostolum de medio sustulissent, facile reliquos Apostolos superarent. Ille enim erat qui contrarias voces mittebat, quique in conciliis, in judiciis et in synagogis cum adversariis certabat, et Jesu nomen palam prædicans, invocato ejus nomine, præcipua quædam miracula faciebat. » Et inferius hosce S. Petro dat titulos: « Vere hic est Apostolorum firmamentum, et sacratus cœlorum magister, arcanorum interpres, nutantium confirmator, lapsos erigens, firmos conservans, pœnitentiæ dux ardentissimus: Petrus denique magnum illud orbis terrarum miraculum, Ecclesiæ jactatio, discipulorum decus, eorum qui recte sentiunt, ornamentum, Theologorum pulchritudo, Christi os, mens cœlestis, Trinitatis pulcherrimum tabernaculum, lapsorum reconciliator, honeste viventium ductor, recte currentium propugnator, omni cœlesti et humana laude, omni præconio dignissimus. Cujus si umbra et lintei morbos profligarunt, certe catenæ quæ venerandum Apostoli corpus contigerunt, quanto propiorem tactum habuerunt, tanto abundantiorem miraculorum vim participarunt, » etc. Subdit hac catena diabolum fugari: « Non enim ferre potest Spiritus Sancti gratiam has catenas obumbrantem, neque scintillas ex divino illarum igne exilientes sustinet, sed ab ipsis incenditur atque comburitur. »

S. Petri elogia.

Erant autem dies azymorum, — qui per septem dies continuos a Paschate celebrabantur, ita dicti, quod in iis nullis panibus nisi azymis, id est fermento carentibus, vesci Judæis liceret. Addit hoc Lucas, tum ut denotet tempus necis S. Jacobi et carceris S. Petri, tum ut indicet causam cur non illico occisus sit S. Petrus, sed dilatus post Pascha, quia scilicet erant dies festi azymorum, quos sanguine effuso maculare et funestare nolebat Herodes; tum denique ut indicet perversitatem Herodis et Judæorum, qui in diebus azymorum, quibus debebant vacare Deo esseque azymi, carentes omni fermento malitiæ et nequitiæ, ut ait Apostolus, I *Cor.* V, 8, exarserunt odio et invidia in Ecclesiam, summumque scelus in ejus caput S. Petrum designarunt. Ita et hodie sæpe fit, ut homines suis cupiditatibus addicti, in majoribus festis majora designent scelera, tum quia festo se suamque malitiam abscondere et latere posse putant; tum quia ad hoc eos instigat diabolus, ut festi sanctitatem atroci scelere profanet et violet. De diebus azymorum et Paschate dixi *Exod.* XII.

4. Tradens quatuor quaternionibus. — Syrus, *tradidit eum sedecim militibus custodiendum*. Causam dat Œcumenius: « Ut singulis noctis vigiliis, hoc est, ternis inæqualibus horis, quatuor advigilarent custodes, » ut scilicet prioribus fessis et dormiturientibus novi et vigiles succederent. Tam arcte S. Petrum custodivit, quia audierat eum facere miracula, ne per ea elaberetur e carcere, præsertim quia cum olim ex carcere cum S. Joanne per angelum evasisse audierat, *Actor.* V, 19.

Post Pascha. — Hinc videtur quod Agrippa S. Jacobum occiderit ante Pascha, ne dies paschales ejus nece et sanguine funestaret. Erat enim ipse judaismi studiosissimus, ideoque in iis noluit occidere S. Petrum, sed causam ejus distulit post Pascha, id est post dies paschales, sive post octavam Paschæ; Pascha enim celebrabatur per septem dies. Secus sentit S. Hieronymus, in cap. XLIII *Ezech.*, Christophorus a Castro, Mariana et alii, quos initio cap. citavi, scilicet S. Jacobum occisum esse die primo vel secundo azymorum: simili enim modo Judæi Christum crucifixerunt primo die azymorum; Petrum vero distulisse post Pascha in gratiam Judæorum, ne illos cultu et religione dierum et sacrificiorum paschalium occupatos, ab iis vel tantillum distraheret, sed iis elapsis plenius Petri, utpote Primatis, causam cognosceret, pleniusque et jucundius in ejus nece, populo jam a sacris ferianti spectaculum daret. Addit S. Chrysostomus, in *Encomio vinc. S. Petri*, apud Surium die 1 augusti, id eum fecisse, ut diuturniore cruciatu carceris, catenarum, famis, metus mortis, vexationis militum, etc., S. Petrum torqueret: quomodo Tiberius Cæsar « vinctorum causas ideo se aiebat serius cognoscere, ne affecti supplicio cito levarentur malis quæ meruerant anteactis sceleribus: nunc dum longiores moras terunt, multo gravius reddi illorum infortunium, » ait Josephus, lib. XVIII *Antiq.*, cap. VIII. Sed S. Petrus, ait Chrysostomus, hisce omnibus fortior evadebat, adeo ut jucunda et secura hilaritate milites confunderet et in ruborem converteret. Ergo in Paschate vinctus fuit Petrus, et tamen festum vinculorum horum celebratur ab Ecclesia die prima augusti: causam dabo vers. 6.

Producere, — *primo*, in publicum tribunal, ut coram populo causam Petri discuteret eumque publica sententia ad mortem damnaret; *secundo*, in theatrum, in quo publice spectante et gaudente populo, eum excruciaret et morte mulctaret. Græce est ἀναγαγεῖν, quod potest verti, *offerre*. Unde Syrus vertit, *volens eum tradere populo*; Lyranus, *volens eum exponere morti ad voluntatem populi*. Unde aliqui censent Herodem, ut magis gratificaretur populo, voluisse ei tradere S. Petrum, ut ad libitum, eo genere mortis quo luberet, illum cruciaret et enecaret.

5. In carcere — intimo, ait S. Chrysostomus, hom. 8 *in Epist. ad Ephes.* Adrichomius, in *Theatro Terræ Sanctæ*, censet hunc carcerem non fuisse civitatis et magistratus, in quem inclusit Petrum et Apostolos, cap. IV, 3, sed regis, eumque situm fuisse in stratopedo, id est in area regiam Herodis undequaque ambiente, ubi regii milites excubias agebant. Alii alio loco eum collocant. Ita Romæ ad radices Capitolii videmus carcerem Mamertinum, profundum et tenebrosum, in quem a Nerone conjectus fuit S. Petrus cum S. Paulo, ex eoque eductus ad martyrium: quem nunc conversum in sacellum pie veneramur, præsertim quia in eo fontem miraculosum S. Petri precibus elicitum, ad baptizandum S. Processum et Martinianum, carceris custodes, etiamnum perennibus et salutiferis aquis manantem intuemur et haurimus.

Ab Ecclesia. — Tota ergo Ecclesia orabat pro S. Petro, quasi pro capite et Pontifice suo, quem intime diligebat et colebat: æstimans si Petrus capite mulctaretur, non tam illi quam sibi caput truncandum. Id etiamnum imitatur Ecclesia, quæ in Canone missæ semper, et crebro in collectis orat pro Summo Pontifice. Ipse enim quasi Atlas Ecclesiæ totum ejus pondus humeris suis sustinet. Porro hæc oratio fuit efficax, et per miraculum S. Petrum e carcere eduxit, tum quia erat densa et communis omnium fidelium, qui tunc fere erant sancti, imo in sanctitate eximii; tum quia erat fervida et continua, etiam noctu: nam noctu veniens e carcere Petrus fideles orantes invenit. Ad cujus imitationem institui solet oratio quadraginta Horarum, in honorem sepulturæ Christi, qui totidem horis in sepulcro decubuit.

Oratio continua pro S. Petro.

6. Cum autem producturus eum esset. — Disce hic Deum sinere S. Petrum et fideles adigi ad extrema, ut probet eorum in se confidentiam, ut tunc illustriori ope eos liberet, etiam per miraculum, si opus sit. Quocirca de ejus ope nunquam desperandum, imo quo magis crescunt pericula et afflictiones, eo magis augenda est spes in Deum. Ipse enim dixit et promisit: « Cum ipso sum in tribulatione, » *Psal.* XC, 15. Et: « Cum transieris per aquas, tecum ero, et flumina non operient te; cum ambulaveris in igne, non combureris, et flamma non ardebit te, » *Isaiæ* XLIII, 2.

Vere Deus in arctis adest.

Erat Petrus dormiens. — Quasi secure quiescens in Dei providentia, cui se curæ esse sciebat, paratusque vel vivere vel mori, prout Deus norat expedire ad majorem sui nominis gloriam et Ecclesiæ bonum. « Dormit corpore Petrus, corde ad Deum vigilat; Deus vero custos ipsius nec dormitat, nec dormit, » ait S. Chrysostomus, hom. 8 *in Epist. ad Ephes.*

Moraliter: Dormit secure in sinu Dei, qui cum illo sentit et dicit: « Quo fata trahunt retrahuntque, sequamur. Quidquid erit, superanda omnis fortuna ferendo est. »

Vinctus catenis duabus. — « Quatuor difficultates cumulant custodiam, carcer, milites, catenæ, custodes, » ait Glossa: eo illustrius fuit Dei auxilium et miraculum, hæc omnia momento disjiciens et superans, Petrumque liberans. Addit Arias binos milites, inter quos medius vinctus erat Petrus, singulos singulas Petri tenuisse catenas, ne quo modo dormientes fallere et elabi posset.

Nota: Has catenas, utpote a S. Petro, principe Apostolorum et Ecclesiæ, quasi sacratas, præ cæterorum Apostolorum et Sanctorum catenis honoravit et honorat non solum Ecclesia, sed et ipse Deus; ut cujus est in ligandis et solvendis alienis vinculis præcipua in Ecclesia potestas, ejus etiam

Vincula S. Petri honoravit Deus.

(1) Solent Nov. Test. Scriptores verbum προστίθημι aliis verbis addere, ita, ut partim adverbialiter ponatur pro *deinde*, *amplius*, *porro*, *præterea*, et indicet aliquem pergere in agendo; partim vero plene abundet. Imitati sunt hac in re Scriptores Hebraicos qui eadem ratione suum יסף aliis verbis addere solent, v. g. *Gen.* VIII, 10; *Deut.* III, 26.



UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
ALERE FLAMMAM VERITATIS
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

vincula a cunctis fidelibus præcipuo in honore habeantur, juxta id quod S. Petro occinimus in festo S. Petri ad vincula :

> Solve, jubente Deo, terrarum, Petre, catenas,
> Qui facis ut pateant cœlestia regna beatis.

Deus enim eas honoravit, *primo*, ex eis miraculose eripiendo S. Petrum per angelum; *secundo*, catenam Herodianam cum Neroniana miraculose connectendo, de quo mox; *tertio*, multa per eas miracula operando, quæ recensent Baronius, Ribadeneira et alii die 1 augusti.

— Eccle- [illegible] 1 primo. Ecclesia et fideles eas honorant, *primo*, celebrando magno urbis confluxu festum Vinculorum S. Petri calendis augusti, non Pauli (quæ tamen hic Romæ in ecclesia S. Pauli videmus et veneramur), non aliorum Apostolorum. Cujus festi occasionem dedit, non Eudoxia, uxor Arcadii Imperatoris, quæ persecuta est S. Chrysostomum, uti putavit Beda, sed Eudoxia, uxor Theodosii Junioris, qui fuit filius Arcadii et Eudoxiæ. Eudoxia enim, sub annum Domini 437, Hierosolymam voti causa profecta, ibidem a Juvenale Patriarcha accepit duas hasce catenas, quibus S. Petrum vinxerat Herodes : unam detulit Constantinopolim, alteram misit Romam ad Eudoxiam Augustam suam filiam, Valentiniani Junioris Imperatoris conjugem : utrobique autem festa dies statuta est, et quasi catenarum dedicatio. Unde paulo post, anno Domini 438, Eudoxia, filia Eudoxiæ, Romæ basilicam in earum honorem erexit, quæ etiamnum exstat in monte Esquilino vocaturque S. Petri ad vincula, vel titulus Eudoxiæ; æque ac mater ejus Eudoxia similem Constantinopoli exstruxit. Porro, cum Eudoxia Pontifici Romano catenam S. Petri Herodianam ostenderet, Pontifex ei vicissim ejusdem Neronianam ostendit; quam cum inter se conferunt, ecce illico una cum altera coaluit; qualem etiamnum quotannis intuemur et reverentes osculamur.

*Secundo*, Alexander, Pontifex et martyr, ordine sextus a S. Petro, incarceratus, S. Balbinæ et sociis ejus vincula deosculantibus dixit : « Desine has osculari boias (id est catenas jam dictas, quasi boum jugum, ait Festus et Isidorus, lib. V *Orig.*), inquire autem Domini mei Petri Apostoli vincula et ea potius osculare. Balbina, his auditis, cum multo studio ac desiderio pervenit tandem ad illa beata vincula, iisque inventis gratias egit Domino nostro Jesu Christo, prosternensque se in oratione dixit : Benedictum sit nomen tuum, omnipotens Deus, qui per famulum tuum Alexandrum mihi ancillæ tuæ thesaurum spiritualem indicasti, cœpitque illa vincula cum multo timore osculari et gratias agere Regi cœlorum. » Ita habent Acta S. Alexandri die 3 maii.

*Tertio*, vincula S. Petri encomio insigni celebrat S. Chrysostomus (vel potius S. Proclus, aut Germanus : nam tempore S. Chrysostomi, necdum Eudoxia hæc vincula repererat), quod exstat apud Surium die 1 augusti, ubi præter alia ex eo jam citata : « Has, ait, catenas composuit Dei Patris Verbum, ejusdem æternitatis et principii particeps, ut ejus de Deo confessionis præmium essent. Ab his dæmonum pravi spiritus illigati enecantur, ab his princeps hujus mundi captivus ducitur, a fidelibus hominibus illuditur. » Subdit hisce Ecclesiam cingi et contra hostes invictam reddi; iisdem Christianorum vertices coronari, ut ab inimicis sint intacti. « His catenis Apostolus ornabatur, his exultans ac gestiens se oblectabat et tanquam regalem aliquem ornatum circumferens exultabat. » Subdit modum quo illæ servatæ sunt, nimirum per aliquos Herodis ministros, qui occulte erant Christiani. « Has, ait, in carcere derelictas ipsi Herodis ministri, quibus divinæ cognitionis lumen affulserat, clam sustulerunt et apud seipsos velut thesaurum conservaverunt. » Et inferius venerationis causam assignans : « Catenas hasce videntes Petrum ipsum, ait, mente inspicere nobis videmur, et eas tangentes, Apostolum a nobis tangi existimamus. Nam has et illum mente formantes, et per fidem ipsam in unum copulantes, ad eum ipsum qui per hæc passus est, totum referimus. » Ac in fine invocans S. Petrum : « His catenis, ait, nostrarum animarum vulnera, quæso, liges. His barbaros ipsos devincias, captivos ducas, et civitati te veneranti hostiles eorum exuvias conferas. His catenis Imperatorem nostrum armes, munias, victoriis et trophæis corones. »

*Quarto*, solebat olim limatura catenarum S. Petri, pro ingenti dono ad reges et principes a Romanis Pontificibus mitti, ac per eam Deus multa edebat miracula. Moris enim erat eam includere aureæ clavi, ab altari S. Petri acceptæ, sicque eam ad absentes transmittere, uti eamdem ad Childebertum, Francorum regem, mittere se scribit S. Gregorius, lib. V, *Epist.* 6, et lib. VI, *Epist.* 23. Eamdem ab Hormisda Papa petiit et impetravit Justinianus, postea Imperator.

Moraliter : Vide S. Chrysostomum, hom. 8 *in Epist. ad Ephes.*, magnis mirisque laudibus celebrantem vincula S. Pauli, ubi ea præfert regnis et sceptris, Regibus et Imperatoribus, imo Angelis et Archangelis, adeoque miraculis et suscitationi mortuorum.

7. Angelus Domini, — in corpore assumpto, Vers. 7.
quod in Novo Testamento post et per resurrectionem Christi, assumere solent gloriosum, id est fulgidum et splendidum; adeo ut hoc splendore suo carcerem totum illustrarit. Unde sequitur : « Et lumen refulsit in habitaculo. » Ita in natali Christi, « angelus Domini stetit juxta illos (pastores), et claritas Dei circumfulsit illos, » *Lucæ* II, 9. Et de angelo post resurrectionem Christi apparente in ejus sepulcro, ait Matthæus, XXVIII, 3 : « Erat autem aspectus ejus sicut fulgur. »

Nonnulli probabiliter opinantur hunc angelum fuisse S. Michaelem : ille enim est præses Eccle-



S. Mi- chael c[illegible] [illegible]tos S. Eccle- siæ : unde sicut ejus curam gerit, ita et capitis ejus, puta S. Petri. Ita Pantaleon Chartophylax, in *Encomio S. Michaelis*, quod recitat Surius die 29 septembris. Censet S. Chrysostomus et Glossa hoc lumen resplenduisse soli Petro, quia scilicet solus ille excitatus fuit ab angelo : custodibus enim, inter quos medius vinctus tenebatur Petrus, angelus immisit gravem soporem, ut nec lumen ejus viderent, nec vocem colloquentis cum Petro, nec strepitum catenarum cadentium audirent : alioqui lumen corporis adeo fulgidi refulsit per totum carcerem, quod utique vidissent custodes si fuissent vigiles, nisi ab angelo fuissent impediti. Hinc Gersonius, III *part.*, tract. 8 super *Magnificat*, hunc angelum ab effectu vocat *Uriel*, id est *fulgor Dei*; hunc enim produxit in carcere : alioqui idem addit hunc angelum fuisse custodem S. Petri, quod et alii multi censent, puta S. Michaelem, uti paulo ante dixi : sicut principes Ecclesiæ non angelum, sed Archangelum aliumve principem angelum custodem habent.

Percussoque latere Petri. — Quia alte dormiebat, ait S. Chrysostomus, quod signum erat animi securi et intrepidi, utpote in Dei providentiam resignati et placide quiescentis.

Surge velociter. — Non quod metueret angelus, ne si moras necteret, excitarentur custodes : ipse enim in eis soporem continuabat, quamdiu volebat; sed quia angeli sunt veloces, alacres et agillimi, utpote spiritus, et velociter Dei jussa peragunt, juxta illud : « Qui facit angelos suos spiritus, et ministros suos flammam ignis, » *Hebr.* I, 7. Unde pariter a Petro aliisque clientibus velocem exigunt actionem et obedientiam. Rursum ait *velociter*, quia somnum Petri excutere volebat : somnolenti enim sunt lenti et tardi. Denique *velociter* significat desiderium incitatum angeli ad liberandum Petrum.

Moraliter de velocitate. Moraliter : Docet hic angelus illud *Eccli.* XXXI, 27 : « In omnibus operibus tuis esto velox, et omnis infirmitas non occurret tibi. » Velox enim et expeditus excutit acediam, torporem, languorem, induitque robur, valorem et vigorem angelicum. Sic de Jonatha et Saule, ducibus Israelis, in prælio cæsis, canit David, II *Reg.* I, 23 : « Aquilis velociores, leonibus fortiores. » Et de Asael, uno fortium Davidis, dicitur *ibid.*, cap. II, 18 : « Porro Asael, cursor velocissimus, fuit quasi unus de capreis quæ moventur in silvis. » Et Gadditæ profugientes ad Davidem, « erant viri robustissimi et pugnatores optimi tenentes clypeum et hastam : facies eorum quasi facies leonis, et veloces quasi capreæ in montibus, » I *Paralip.* XII, 8. Hinc *Prov.* XXII, 29, dicitur : « Vidisti virum velocem in opere suo? coram regibus stabit, nec erit ante ignobiles : » reges enim delectantur ministris qui velociter jussa exequuntur; multo magis Deus. Jeremias, cap. IV, 13, describens robur et impetum Nabuchodonosoris et Chaldæorum invadentium Judæam : « Ecce, inquit, quasi nubes ascendit et quasi tempestas currus ejus : velociores aquilis equi illius. » Unde et subdit : « Væ nobis, quia vastati sumus. » Et de iisdem *Thren.* IV, 19 : « Velociores, ait, fuerunt persecutores nostri aquilis cœli : super montes persecuti sunt nos. » Et de iisdem ait Habacuc, I, 8 : « Leviores pardis equi ejus, et velociores lupis vespertinis. » Denique Isaias XVIII, 2 : « Ite, ait, angeli veloces, ite (o Petre) ad gentem convulsam et dilaceratam, » *q. d.* Ite, o Apostoli, velociter ad Gentes, ad barbaros a dæmone convulsos et vitiis dilaceratos, ut eos liberetis et salvetis. Ita mystice Vatablus, nam alius ejus loci est sensus litteralis, ut ibi dixi.

Et ceciderunt catenæ de manibus ejus. — Quia eas frangendo vel aperiendo et solvendo excussit angelus. Videtur Petrus solis manibus fuisse vinctus : nam pedum hic nulla fit mentio.

8. Præcingere. — « Propter carceris rigorem, Vers. 8.
ait Beda, ligamenta ad horam laxaverat, ut tunica circa pedes demissa, frigus noctis utcumque temperaret. » Non enim interiorem vestem, v. g. interulam et indusium, exuerat Petrus, ut nudus inter milites jaceret (hoc enim fuisset indecens et inverecundum), sed tantum tunicam extimam : hanc ergo induere eaque se cingere jubetur. Unde Proclus, in *Encomio vincul. S. Petri* : « Ad eximendum, inquit, Petro metum, quomodo per dispositas militum custodias pertransiret, tanto angelus illum auxilio et præsidio confirmat, ut otiose pallium induere atque sandalia et laxatam astringere vestem possit. » Orientales enim, qualessunt Judæi, longas gerunt vestes, quas ituri vel operaturi cingunt, quieturi discingunt et solvunt. Ita faciunt Sinæ et Turcæ, qui non nisi tunicis se accingunt, et femoralibus carent. S. Augustinus, *in Psal.* XCII, distinguit hæc quatuor, cingi, succingi, præcingi, accingi; ut primum sit operaturi, secundum ituri, tertium ministraturi, quartum pugnaturi; sed præcingi hic et alibi idem est quod cingi et succingi.

Et calcea te caligas tuas. — Ὑπόδησαι τὰ σανδάλιά σου, id est, *subliga sandalia tua*. Ita Pagninus et Sandalia non calcea. Tigurina. Jam *sandalia* esse tibialia (quæ vulgus Germanorum caligas inferiores vocat) censet Joannes Ferdinandus in *Thesauro S. Scripturæ*, verbo *calceus*. Verum alii passim censent sandalia esse calceos, sive munimenta pedum, non tibiarum vel crurum. Idque ita esse patet *primo*, ex verbo *calcea* : calceamus enim pedes calceis, non tibias tibialibus. *Secundo*, quia veteres Hebræi, Græci et Romani non utebantur tibialibus (imo nec femoralibus, uti dixi *Habacuc* II, 15), sed tibiis et genibus nudis incedebant. Unde Julius Cæsar cum occideretur, « togam manu demisit, ut inferior pars corporis tecta collaberetur, » ait Valerius, lib. IV, cap. V. Sic Romæ in columna Trajani, videmus ipsum et milites ejus nudis tibiis exsculptos. Idem de Augusto docet Suetonius in Vita ejus, cap. LXXXII. Sic Plato, ait S. Hieronymus in cap. X. S. *Matthæi*, « præcepit duas [illegible]

poris summitates non esse velandas, nec assuefieri debere mollitiei capitis et pedum. » Idem Spartanis præcepit Lycurgus et Atheniensibus Phocion, ait Plutarchus in eorum Vita. Achillem, Ajacem, Craterem et alios Philosophos nudipedes incessisse docet Philostratus : idem Christianis suadet Clemens Alexandrinus, lib. II, cap. XI. Et ita priscos fecisse docet Lucianus, dum habitum Christiani describens in *Philopatro* ait : « Pallium putre, sine calceis et tegmine, capite nudo incedens, detonsa coma. » Denique Pompeio fascias tibiales gestanti, causamque ulceris prætendenti, « Favonius inquit : Non refert qua parte corporis sit diadema ; » vocans eum in suspicionem affectati regni, ait Valerius, lib. VI, cap. II. *Tertio*, quia expresse S. Marcus, cap. VI, 9, ait « calceatos sandaliis. » Unde Petrus Faber, in *Agonist.*, lib. II, cap. LXXXIV, asserit sandalia esse « caligulas, sive galliculas, ut habet Glossarium Græcolatinum : unde nostrum *galoches* deductum. » Et Synodus a S. Bonifacio celebrata, cap. CCIX, jubet, « ut unusquisque presbyter Missam ordine Romano cum sandaliis celebret, » id est cum calceis. Judæi enim sacrificabant nudipedes, uti dixi *Exod.* III et XXVIII.

Caligam vocari calceum. Prob. Primo. Quæres hic *primo*, cur ergo Noster vertit « caligas? » Respondeo, quia caliga olim Latinis significabat calceum. Probatur id *primo*, ex *Genes.* cap. XIV, vers. 23, ubi ait Abraham regi Sodomæ : « A filo subteguminis usque ad corrigiam caligæ (id est calcei : hic enim habet corrigiam, non tibiale), non accipiam ex omnibus quæ tua sunt. »

Secundo. *Secundo*, Caius imperator a calceo cognominatus est Caligula : « Quia natus in exercitu fuerat, cognomentum calceamenti militaris (a quo milites caligati vocabantur), id est *caligulæ*, sortitus est, » ait Aurelius Victor, in *Caligula*. Unde Ausonius, in *Monostichis* :

> Caius, cognomen *Caligæ* cui castra dederunt.

Hinc auctor, ut de nimis procero et longo dicatur, ait : « Caliga Maximini, » id est calceus Maximini. « Maximinus enim, inquit Capitolinus in ejus Vita, quia erat pedum octo et prope semis, calceamentum ejus regium constat pede majus fuisse hominis vestigio atque mensura. »

*Tertio*, S. Isidorus Hispalensis, lib. XIX *Origin.*, cap. XXXIV, recensens omnes calceorum species : « Caligæ, ait, vel a callo pedum dictæ, vel quia ligantur ; nam socci non ligantur, sed tantum intromittuntur. » Et S. Gregorius, lib. I *Dialog.*, cap. IV, ait S. Equitium, cum fœnum secaret, calceatum caligis clavatis : solebant enim calceis affigere clavos, ut fortiores essent, uti etiamnum eos inclavant rustici. Et erudite noster Alphonsus Salmeron hic : « Caliga ait, a ligando calce, id est imo pede dicitur, quasi calciliga. Et cum calx a calcando dicatur, et calceus a calce, liquet proprie caligas non esse tibialia, sed soleas, aut genus calceorum quod plantas aut calces muniret. »

*Quarto*, idem patet ex S. Hieronymo, *ad Ageruchiam*, epist. 11 : « Apostoli, inquit, toto orbe peregrini, non æs in zona, non virgam in manu, non caligas (id est calceos plenos) habuere in pedibus. » Et S. Augustinus, in *Epist. 1 S. Joannis*, cap. V : « Forte, inquit, caligis (id est calceis) clavatis conteret pedes tuos. » Et Cassianus, lib. I *Instit.*, cap. X : « Tantummodo caligis (id est calceis) suos muniunt pedes. » S. Benedictus, in *Regula*, cap. LV : « Indumenta pedum, inquit, pedules et caligas : » *pedules* vocat soleas, quæ plantas pedum muniunt. Fusius idipsum probat noster Julius Nigronius in erudito libello *De Caliga*, ubi cap. IV, num. 6, docet caligam, id est calceum militarem, non ascendisse ad mediam usque tibiam, uti nonnulli censent ; sed soleam duntaxat fuisse plantæ inhærentem, pedis calcaneo alligatam loris, sive habenis, ejusque effigiem in fine libri exhibet. Talis enim visitur in columna Trajani et arcu Constantini : unde perones et calcei talares dicebantur, quod talos tegerent.

Sandalium esse soleas. Probat. Primo. Quæres *secundo*, qua forma fuerint calcei vocati « sandalia? » Putant aliqui fuisse forma communi, ita ut totum pedem tam superne quam inferne contegerent. Tales enim fuisse Apostolorum, ut iis per totum orbem inoffenso pede possent discurrere. Verum alii passim censent sandalium duntaxat inferne pedem texisse instar soleæ, quæ superne pedi per ligamina astringebatur : quales modo gestant Capuccini. Tales enim soleas gestasse Christum, docet Clemens, lib. II, cap. XI. Unde etiamnum calcei Apostolici vocantur : talibus enim calceati pinguntur Apostoli in antiquis picturis, etiam in templis Græcorum et Ruthenorum, uti mihi Romæ oculati testes affirmarunt : imo Treviris, in templo Cathedrali, a R. D. Præposito ostensum est mihi sandalium S. Andreæ Apostoli, quod plane formam habebat soleæ. Sic et imago Deiparæ, quæ Romæ extat in basilica S. Mariæ Majoris, picta a S. Luca, puerum Jesum exhibet cum sandaliis, id est soleis, quæ superne per ligacula circumligantur pedi, ita ut Christi pedes et digiti pedum prorsus intecti sint et nudi, ut ego ipse accurate sæpe inspexi.

Secundo. *Secundo*, ita plane cum sandaliis, id est soleis pingitur Isaias, Ezechiel aliique Prophetæ in antiquis imaginibus Basilii Porphyrogeniti imperatoris, quæ exstant in Vaticano, quas curavi depingi et præfigi Prophetis. Talibus ergo usi videntur Petrus et Apostoli, ex præcepto Christi, *Marci* XVI, 9 : « Calceatos, inquit, sandaliis : » nam calceamenta eis vetuit, *Matth.* X, 10, saltem in Judæa, regione calida et saxis aspera : soleæ enim pedes satis muniebant, ne in saxa impingerent. An vero proficiscentes et discurrentes per orbem, contra frigora, fatigationem, imbres,



et cæteras aeris terræque injurias, non mutarint sandalia et soleas in calceos plenos et integros ; merito quis non tantum quærere, sed et suspicari opinarique potest, ac dicere illud de sandaliis Christi præceptum temporaneum tantum fuisse, pro eo scilicet tempore, quo in Judæa degerent. Ita S. Augustinus et S. Chrysostomus in cap. X *S. Matthæi*. Idem de sandaliis docet Beda, qui pro iis vertit *soleas* ; imo S. Augustinus, lib. II *De Consensu Evang.*, cap. XXX : « Ita ut pes neque tectus sit, inquit, neque nudus. » Idem docent Salmeron, verbis paulo ante citatis, Lyranus, Gagneius, Dionysius et alii.

*Tertio*, idem indicat Græcum ὑπόδημα, id est *subliga* : non enim calcei integri, sed soleæ, dum calceantur, pedi subligantur.

Quarto. *Quarto*, idem patet ex imagine antiqua caligæ, id est calcei militaris. Quam exhibet noster Nigronius paulo ante citatus. Nam in arcu Constantini et in columna Trajani milites pinguntur cum solea, ita ut superior pars pedis sit nuda, sed ei solea per corrigiam illigetur sitque calceus fenestratus.

Mystice Beda : « Jubetur, ait, Petrus resumere insignia prædicationis, quæ sunt cingulum et calcei, » *Matth.* X. Porro mysticam causam et significationem duplicem sandaliorum sive calceorum fenestratorum dat Ivo Carnotensis, serm. *De Signific. indum. sacerd.* ; Durandus, in *Rationali* ; Alcuinus, Beda, et ex iis Stephanus Durantus, lib. II *De Ritibus Ecclesiæ*, cap. IX, num. 21. Prior est : quia gressus prædicatoris subter debent esse muniti, ne polluantur terrenis, secundum illud : « Excutite pulverem de pedibus vestris ; » et sursum aperti, quatenus ad cognoscenda cœlestia revelentur. Posterior : sicut sandalia partem pedis tegunt, partem reliquunt apertam ; sic et Evangelii doctores partim Evangelium operire, partim aperire debent : ita videlicet ut fidelis et devotus sufficientem habeat doctrinam, infidelis vero et contemptor non inveniat blasphemandi materiam.

CIRCUMDA TIBI VESTIMENTUM TUUM, — ἱμάτιον, id est *pallium*, *q. d.* Tunicæ injice pallium. Hunc habitum S. Petri imitantur Clerici et Religiosi, qui supra tunicam induunt pallium : imo pallium olim erat vestis et insigne Christianorum. Unde proverbium : « A toga ad pallium, » cum quis a Gentilismo transisset ad Christianismum. Vide Tertullianum, lib. *De Pallio*.

9. ET NESCIEBAT QUIA VERUM EST. — « Maximæ enim res fiebant, quæ præ timore videntur incredibiles, » ait S. Chrysostomus, præsertim cum sunt improvisæ spemque et expectationem superant. Sic Judæorum e Babylone redeuntium tanta fuit felicitas et lætitia, ut Psaltes de iis dicat, *Psalm.* CXXV, 1 : « In convertendo Dominus captivitatem Sion, facti sumus sicut consolati, » hebr. כחולמים *kecholemim*, id est sicut somniantes, *q. d.* Tam novus, tam jucundus, tam admirabilis nobis fuit reditus e Babylone, ut is nobis videretur esse somnium, ut enim non reipsa peragere, sed somniare videremur. Sic cum accepisset Jacob filium Joseph vivere, « quasi de somno evigilans, tamen non credebat eis, » *Genes.* XLV, 26. Idem contigit hic S. Petro. Nam, ut ait Lyranus : « Fortitudo carceris et diligens custodia fecerant illi imaginationem de impotentia evadendi ; propter quod rem gestam somnium æstimabat. » Addit Carthusianus S. Petrum non plene fuisse vigilem, sed semisomnem. Hinc « existimabat se visum videre, » putans per visionem hæc sibi in imaginatione pingi, non revera fieri, sed esse imaginationis ludicra vel somnii ludibria. Unde et Mariana : Æstimabat, ait, se visum videre, id est somniare et ludi in somnio. Plerumque enim somniamus res falsas, fictas, imaginarias et aliquando impossibiles, ob specierum et phantasmatum in somno commixtionem et confusionem. Unde Plato, in *Cratylo*, ψεῦδος, id est *mendacium*, dici putat, quod sit εὕδειν, id est *dormientium stupor*. Aliter S. Gregorius, lib. II *Dialog.*, cap. III, et Macarius, *hom.* 7, putant hoc visum vel visionem Petri fuisse exstasin ; in eam enim raptum S. Petrum fuisse in contemplationis culmine. Verum hic sensus mysticus est ; prior vero litteralis et genuinus, ut patet ex circumstantiis. ψεῦδος quasi εὕδος.

10. TRANSEUNTES AUTEM PRIMAM ET SECUNDAM CUSTODIAM — militum custodientium Petrum. Unde patet, ab eis visum non fuisse Petrum, eo quod angelus in eos immisisset gravem soporem, vel certe ἀορασίᾳ, id est avidentia, eos percussisset, æque ac Sodomitas, *Genes.* XIX, 11, ut ibi dixi.

VENERUNT AD PORTAM FERREAM, QUÆ DUCIT AD CIVITATEM. — Hinc Arias, Lorinus et alii censent carcerem hunc fuisse extra civitatem juxta montem Calvariæ : in eum enim conjectos fuisse sceleratiores morte damnatos, vel certo damnandos, ut vicini essent loco supplicii, puta monti Calvariæ. Verum Cajetanus, Baronius, Adrichomius et alii censent eum fuisse intra civitatem, uti passim carceres sunt in ipsis urbibus ; adeoque in ipso Herodis regis palatio : in hoc enim erat porta ferrea, et tres turres munitissimæ, scilicet Hippicus, Phaselus et Mariamne, teste Josepho, lib. VI *Belli*, cap. VI. Unde mox ait : « Processerunt vicum unum, » puta unam civitatis plateam. Porro ait, « quæ ducit ad civitatem, » scilicet veterem, quæ filia Sion et vulgo Jerusalem vocabatur. Hæc enim fuit prima civitas, cui deinde adjecta est civitas secunda, in qua erat hoc palatium Herodis, ex quo per portam ferream ibatur in civitatem primam, sive veterem. Vide tabulas Adrichomii. Sic Romæ, qui habitant in urbe trans Tiberim in Burgo, si in aliam urbis partem quæ cis Tiberim est, pergant, dicunt se ire Romam, quia scilicet vetus Roma fuit cis Tiberim, illaque etiamnum ita habitata et cele- Carcer ubi?

brata est, ut ea sola ab indigenis Roma nuncupetur: quo fit ut qui in Transtiberina urbis parte habitant extra urbem habitare videantur, esto habitent juxta Vaticanum et basilicam S. Petri intra muros Romæ.

QUÆ ULTRO APERTA EST EIS, — angelo occulte æris reductis eam aperiente. Festive Arator:

> Ferrea quid mirum si cedunt ostia Petro?
> Quem Deus æthereæ custodem deputat aulæ,
> Inferuum superare jubet.

Mystice Beda: ferrea porta quæ ducit ad Jerusalem cœlestem, est crux, mortificatio, tribulatio, martyrium, quæ Petri et Apostolorum vestigiis nobis facta est meabilis et pervia, qui sanguine proprio eam reseraverunt: sicut portæ Caspiæ, quæ et ferreæ dicuntur, sunt angustiæ inter Caspios montes et rupes, pene imperviæ, penetrandæ tamen iis qui in Assyriam pergunt, de quibus Statius, lib. IV *Sylvarum*:

> Aut ferrum servare fatus, metuendaque portæ
> Limina Caspiacæ.

Hoc est quod ait Christus: « Intrate per angustam portam, quia lata porta et spatiosa via est quæ ducit ad perditionem, » *Matth.* VII, 13.

Ex hoc loco Rupertus, lib. XIV, et Maldonatus, cap. XX S. *Joannis*, vers. 19, censent intima ostia carceris fuisse clausa, ac proinde S. Petrum ea vi divina penetrasse, sicut Christus ea penetravit post resurrectionem, quando, iis clausis, intravit ad discipulos. Ex eo enim quod Lucas ait extimam portam, scilicet ferream, fuisse Petro apertam, videtur colligi intimam carceris portam non fuisse apertam, sed clausam, ideoque a Petro miraculose penetratam.

*An Petrus penetravit ostia clausa?*

Verum probabilius videtur contrarium; majus enim fuisset miraculum penetrationis, quam apertionis: quare si hoc expressit Lucas, utique nec illud tacuisset. Rursum Deus non solet facere miracula frustra. Hic autem penetratio frustra fuisset: poterant enim ostia ab angelo aperiri, sicut aperta est porta ferrea. *Tertio*, penetratio est dos propria corporis gloriosi: unde Christus, ut se tale habere ostenderet, clausis ostiis penetravit ad discipulos. Petrus vero adhuc habebat corpus mortale et crassum, non subtile et gloriosum. Denique omnia hæc fiebant per angelum. Angelus autem non potest facere ut unum corpus penetret aliud; hoc enim proprium est omnipotentiæ et virtuti divinæ. Itaque res hæc sic peracta videtur: angelus assumpsit corpus in stratopedo, id est in area palatii Herodis, ex aere vicino: inde æris occulte reseratis, aperuit ostia carceris, sicque ingressus carcerem, Petrum solvit eduxitque per ostia, jam ante tam pro suo corpore assumpto, quam pro Petri corpore a se aperta. Aperta enim ea fuisse indicat Lucas v, 10. Transeuntes « autem primam et secundam custodiam, venerunt ad portam ferream, » *q. d.* Transeuntes ostia jam aperta, non sunt visi ab ostiorum custodibus, utpote ab angelo sopitis; sed venerunt ad portam palatii ejusque arcæ extimam, puta ferream, quam clausam aperuit angelus, et per eam apertam, extra palatium Herodis, Petrum jam omnino liberum eduxit in civitatem.

PROCESSERUNT VICUM UNUM. — Non statim a carcere, nec a palatio Herodis angelus dimisit Petrum, sed « vicum, » id est plateam integram, eum deduxit, tum ut eum loco plane securo poneret: nam juxta palatium Herodis erant excubitores et milites, in quos potuisset Petrus incidere, qui eum in carcerem reduxissent; tum ut Petrus in platea diutius cum angelo deambulando domosque et palatia urbis spectando et agnoscendo, ex mentis stupore ad se plane rediret, sciretque se non visionem videre, sed reipsa ab angelo liberari et deduci. Porro Hebræi tradunt Jerusalem distributam fuisse in 24 vicos, sive plateas celebriores.

ET CONTINUO DISCESSIT ANGELUS AB EO. — Nimirum disparuit, dimittendo corpus assumptum, illudque in aerem et sua elementa resolvendo. Sicut enim natura et Deus nec desunt in necessariis, nec redundant in superfluis; sic et angeli. Satis erat angelo Petrum in tuto collocasse sibique restituisse: non ergo ulterius cum eo progreditur, sed quasi officio et legatione sua perfunctus discedit; reliquum Petri industriæ committit. Ita S. Chrysostomus.

11. ET PETRUS AD SE REVERSUS. — Græce γενόμενος ἐν ἑαυτῷ, id est *factus in seipso*, quasi qui extra se fuisset, mente a se alienata raptus quasi in exstasin. Mystice Richardus de S. Victore, lib. V *De Contemplatione*, cap. XIII: Petrus, ait, id est mens sancta piis exercitiis sublimata, ne superbiat, incarceratur ab Herode, id est a stimulis carnis et concupiscentiæ. Herodes enim hebraicum idem est quod *conceptionem triturans*, vel *pellis glorians*, ait Pagninus. Hæc suis et aliorum orationibus liberatur ab angelo, vel proprie dicto, vel mystico, puta a verbo Dei, deique gratia, quam menti immittit Deus, ut humiliata et in se reversa relegat vestigia pristinæ puritatis, orationis et contemplationis. Plura vide apud Innocentium III et Petrum Blesensem, serm. *De Vinculis S. Petri*.

MISIT DOMINUS ANGELUM SUUM. — Ita invisibiliter fideles suos a periculis et afflictionibus liberat Deus per angelos, quasi suos administros et nostros custodes, ut iis grati simus eorumque beneficia celebremus. Id multis exemplis ostendi *Exodi* cap. XXIII, vers. 23.

ET DE OMNI EXSPECTATIONE (Syrus, *machinatione*) PLEBIS (id est populi) JUDÆORUM, — præsertim Scribarum et Pontificum, qui in Petro quasi in capite conabantur exscindere novam Ecclesiam et Christianismum. Hæc enim erat eorum machinatio et expectatio: hi proinde hic nomine plebis censentur. Sed Deus eorum consilia et spes evertit ac convertit in majus Ecclesiæ bonum et majorem Petri gloriam, mittendo angelum e cœlo qui eum liberaret. Ita humanis omnibus præsidiis deficientibus, in extrema necessitate et quasi desperatione suis adest Deus; sicut Davidem e manibus Saulis, Eliseum a latrunculis Syriæ, Danielem e lacu leonum, Ezechiam e manu Sennacherib, Susannam a falsis testibus et judicibus, etc., miraculose eripuit.



12. CONSIDERANSQUE, — scilicet Dei hoc per angelum beneficium et miraculum, perrexit ad fideles congregatos in domo Mariæ, ut eos de se suspensos anxietate liberaret, gaudium suum in eos transfunderet, omnesque ad Dei laudem et gratiarum actionem excitaret. *Secundo*, considerans suum periculum, seque jam ab angelo sibi relictum, ita considerate gressus suos direxit, ut caveret ne rursum in Herodianorum manus incideret, ideoque recta ivit ad domum Mariæ, ut inter suos tutus esset.

*Moraliter de providentia in actionibus.*

Moraliter, disce hic sapientis esse prius considerare suas vias, opera et verba, antequam ea proloquatur, vel exequatur. « Verba, ait S. Bernardus, bis ad limam veniant, quam semel ad linguam. » Hoc est quod monet Sapiens: « Palpebræ tuæ præcedant gressus tuos. Dirige semitam pedibus tuis, et omnes viæ tuæ stabilientur, » *Prov.* cap. IV, vers. 25. Omnis enim error, omne vitium, omne peccatum oritur ex defectu considerationis. Si enim peccator consideraret circumstantias, effecta, pœnas et damna peccati, utique illud non perpetraret. Unde *Prov.* XLIV, 22, dicitur: « Errant qui operantur malum. » *Errant*, quia non considerant malitiam mali quod perpetrant. Vide S. Thomam, I II, *Quæst.* LXXVII, art. 2 in corpore.

Præclare S. Bernardus, lib. I *De Consideratione ad Eugen.*, cap. VII: « Consideratio, ait, mentem purificat, regit affectus, dirigit actus, corrigit excessus, componit mores, vitam honestat et ordinat. Postremo, divinarum pariter et humanarum rerum scientiam confert. Hæc est quæ confusa determinat, hiantia cogit, sparsa colligit, secreta rimatur, vera vestigat, verisimilia examinat, ficta et fucata explorat. Hæc est quæ agenda præordinat, acta recogitat, ut nihil in mente resideat, aut incorrectum, aut correctione egens. Hæc est quæ in prosperis adversa præsentit, in adversis quasi non sentit; quorum alterum fortitudinis, alterum prudentiæ est. »

VENIT AD DOMUM MARIÆ, — in qua erat Ecclesia et cœtus fidelium orantium pro Petro, de qua dixi cap. I, vers. 13.

QUI COGNOMINATUS EST MARCUS. — Alius est Marcus Evangelista, qui comes S. Petri Romæ scripsit Evangelium, inde Alexandrinam fundavit Ecclesiam, ab hoc Joanne Marco, qui fuit socius peregrinationis S. Pauli et Barnabæ, de quo sæpe inferius. Ita S. Basilius, lib. V *Contra Eunom.*, cap. ult.; S. Hieronymus, lib. *De Script. Ecclesiasticis*; Dorotheus, in *Synopsi*; Isidorus, lib. *De Obitu Sanctorum*, et ex iis Baronius. Perperam ergo Origenes, Euthymius, Victor Antiochenus, Œcumenius et alii quos citat Sixtus Senensis, lib. II et III *Biblioth.*, censent hos duos esse unum eumdemque. Joannes Marcus ascriptus est catalogo Sanctorum; de eo enim sic legimus in *Martyr. Rom.*, die 27 septembris: « Bybli in Phœnicia S. Marci Episcopi, qui et Joannes a B. Luca nominatur. »

UBI ERANT CONGREGATI ET ORANTES. — Hinc videtur quod fideles nocturnas egerint vigilias in oratione: noctu enim liberatus e carcere Petrus ad eos venit, et orantes invenit. Unde hæ primæ sunt fidelium vigiliæ, quas deinde Ecclesia eorum exemplo in festis majoribus olim celebravit, sed tandem ob abusum abolevit; perdurant tamen eæ in officio Ecclesiastico trium nocturnorum quod noctu decantant Cœnobitæ, de quo vide Francolinum, tract. *De Horis Canon.*, cap. II. Vide et S. Chrysostomum hic, et S. Hieronymum, *Contra Vigilantium*, vigilias improbantem, quem proinde Dormitantium appellat.

13. PULSANTE AUTEM EO OSTIUM JANUÆ. — Græcum πυλῶνος et *januæ* et *vestibuli* cum Syro et Pagnino verti potest. Domus enim majores, uti palatia, solent in ingressu habere vestibula et atria quæ suas habent januas, sive portas majores, per quas primus fit in domum ingressus, puta in vestibulum, et inde in domum.

PROCESSIT PUELLA, — παιδίσκη et *puellam* significat, quasi femininum a παῖς, id est *puer*, et *ancillam*, uti vertit Chrysostomus et Pagninus; ostiariæ enim esse solent ancillæ. Noster autem Interpres, æque ac Syrus, *puellam* vertentes, subindicant non fuisse ancillam, sed honestam, forte filiam, vel neptem domus. Unde et nomen ejus exprimit Lucas, quod vocata sit *Rhode*: illa ergo vel ex curiositate, vel instinctu divinitus, annon forte esset Petrus pro quo fiebat communis in domo oratio, præsertim quia is noctu veniebat et pulsabat, processit ad videndum quis pulsaret.

AD AUDIENDUM. — Ita Romanum, idque significat græcum ὑπακοῦσαι; aliqui tamen codices legunt, *ad videndum*, id est ad audiendum; visus enim pro quovis sensu sumitur, ut alibi dixi: Nec enim noctu pulsanti aperiri solent fores, ut videatur quis sit, sed interrogari quis pulset, ut ex voce audiatur an amicus sit, an inimicus.

NOMINE RHODE. — *Rhode* hebraice idem est quod *visio fortitudinis*, ait Glossa. Verius est *Rhode* esse nomen Græcum, et *rosam* significare. Sic enim Rhodus insula ita dicta est a rosa, vel quod rosæ speciem referat, vel quod amœna rosis abundet. Unde et soli sacra fuit, ait Diodorus, lib. VI, qui puellam nomine Rhodiam, sive Rhodem amans, ab ea Rhodum nominavit. Nam ut scribit Solinus, nunquam ita cœlum nubilum est, ut in sole Rhodus non sit. Aut quod capulo rosæ illic invento sit ædificata, ait Strabo. Licet Pagninus ex Nica, Rhodum dictam putet a ῥόδον, id est

*Rhode unde dicta?*

*Rhode, id est rosa.*

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ® DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

fluxu vertentis pelagi, quod antequam insula appareret, multus ibi pelagi fluxus volveretur. Porro rosa est flos florum, quia purpura punicat, candore nitet et flammeo colore rutilat. Quare si quis omnibus laudibus sit cumulatus, *rosa* nuncupatur. Unde S. Hieronymus, lib. II, *epist.* 15, de puella laudatissima : « Universa, inquit, propinquitas rosam ex se natam gaudeat. »

Talis fuit hæc Rhode, de qua sic scribit Helecas, Episcopus Cæsaraugustæ, in *Addit.* ad *Chronicon* Lucii Dextri et M. Maximi, quod nuper inventum et editum est : « Rhode, quæ Rosalia dicta est, in persecutione Trajani (ut idem refert Maximus super Acta) passa est pro fide, cum aliis martyribus in Sardinia. »

Similis ei et nomine et martyrio fuit S. Rosula, quæ cum S. Cypriano, Episcopo Carthaginensi sub Valerio Imperatore, gloriosum obiit martyrium die 14 septembris, ut habet *Roman. Martyr.* Et S. Rosa, virgo Franciscana, quæ velut rosa inter spinas resplenduit virginitate, virtutibus et miraculis, migravitque ad Dominum anno Christi 1254, Viterbii prope Romam, ubi etiamnum ejus virgineum corpus non tantum integrum, sed et flexile (quod proinde vestiri se sinit) ostenditur, quæ proinde in *Martyr. Romano* Sanctis ascripta legitur die 4 septembris. Rosa enim suo odore et colore roseo, typus est virginis et virginitatis. Hæc quippe inter cæteros hominum status est, quod rosa inter flores, nimirum « florum pyropus, hortorum purpura, odorum sapphirus, aprilis oculus, veris phœnix, naturæ pompa, » ut ait Orator. Et Symposius poeta hoc dat ænigma rosæ :

Rosa symbolum virginitatis.

> Purpura sum terræ pulchro perfusa rubore,
> Septaque ne violer, telis defendor acutis.
> O felix, longo si possim vivere fato!

Est ergo rosa virgo, nimirum :

> Virgineus roseo cernitur ore pudor.

Sappho apud Achillem Tatium, lib. II *De Leucippe* : « rosam indigitat florum reginam, terræ ornamentum, plantarum decus, oculum florum, prati ruborem, pulchritudinem coruscantem, terræ risum. »

Quocirca S. Dorothea virgo martyrium obiens in hiemis rigore, puta 6 februarii, misit ad Theophilum rosas, quibus quasi rhododaphne, id est rosario, sive rosacea corona coronanda erat ejus virginitas a sponso Christo in Paradiso, uti habet ejus Vita.

Et S. Ludovicus primogenitus Caroli II, Siciliæ regis, ideoque nepos S. Ludovici, regis Franciæ, spreto regno, Ordinem S. Francisci amplexus, indeque a Bonifacio VIII creatus Episcopus Tolosanus, moriens visus est rosam ex ore emittere ob meritum virginitatis, quæ tanta in eo fuit, ut nec matrem osculari, nec feminam in vultu aspicere unquam voluerit, ut habet ejus Vita die 19 augusti apud Ribadeneiram.

Et S. Joscio vel Josbertus, monachus S. Bertini, moriens anno Domini 1161, quinque rosas e vultu emisit, unam ex ore cui inscriptum erat nomen B. Virginis Mariæ, eo quod vivens quotidie rosarium quinque psalmorum inchoantium a litteris nominis *Maria*, in honorem ejusdem recitaret, uti habent Annales ejus monasterii, quos ibidem vidi, et ex iis asserunt S. Antoninus, Thomas Cantipratensis et Joannes Molanus in Sanctis Belgii die 30 novembris. Ipsa enim est « rosa mystica, » ut canit Ecclesia in Litaniis, et ut ait S. Bernardus in deprecatione ad B. Virginem, pag. 64 : « Ipsa est viola humilitatis, lilium castitatis, rosa charitatis. » Ergo

> Necte rosas generosa,
> Plecte flores, Virgo rosa,
> Rosarum pulcherrima.

14. Præ gaudio non aperuit januam, sed intro currens nuntiavit. — *Primo*, ut mœrentes et mœrore pene absorptos ob carcerem Petri, ejus liberati nuntio exhilararet et quasi ad vitam revocaret. *Secundo*, ut omnes obviam Petro procederent reverentiæ causa, illi liberationem tam inexpectatam gratulaturi; simulque ut suæ verecundiæ virginali, quam nomine præferebat, consuleret. Nam, ut ait S. Hieronymus *ad Rusticum* : « Ostendam tibi variorum pulchritudinem florum, quid in se lilia habeant puritatis, quid rosa verecundiæ possideat, quid violæ purpura promittat in regno. » Idem *ad Salvinam*, ejus filiolam, vocat « rosarum et liliorum calathum, eboris ostrique commercium. »

Insanis. — Deliras; Syrus, *perterrita*, *perculsa es*, scilicet ex imaginatione vehementi, qua putas te vidisse spectrum, vel umbram Petri : terror enim facit hominem emotæ mentis, indeque delirum et insanum.

15. Angelus ejus est. — Hinc liquet communem Vers. 15.
tum fidelium opinionem fuisse, quod quilibet a Deo haberet sibi deputatum angelum Custodem, uti ex hoc loco evincit S. Chrysostomus, hom. *De Ascensione*; quod nota contra hæreticos nostri temporis, qui id negant, ac perperam pro angelo accipiunt nuntium a Petro missum. Unde et Isidorus clarius vertit, *nuntium*. Aut per *angelum* impertinenter et contorte accipiunt visionem angelicam Petro vel aliis de Petro factam. Ita Beza, qui visionem hanc ex suo cerebro effingit, cum nullum ejus hic sit indicium; quid enim hæc visio facit ad hanc historiam? Æque insulse Calvinus, lib. I *Instit.*, cap. XIV, num. 7, respondet hunc angelum fuisse datum custodem Petro tempore carceris duntaxat, non per omnem vitam. Sed unde hoc tam audacter asseveras, imo fingis, Calvine? Unde fideles sciebant ei in carcere duntaxat a Deo destinatum esse angelum? Quis eum viderat? cui Petrus eum ostenderat, vel revelarat? Tu nihil admittis, nec credendum censes nisi in S. Scriptura expressum, ubi hoc scriptum vel expressum legisti?



Nota hic angelos subinde induere speciem et personam suorum clientum similiumve hominum, ut eorum res curent et negotia peragant. Sic Raphael comes, imo dux Tobiæ, induit speciem Azariæ : « Ego sum, ait, Azarias, Ananiæ magni filius, » cap. V, vers. 18. Sic cum tribus pueris in fornacem Babylonicam descendit angelus, « similis Filio Dei, » puta Christo, qui eos ab igne illæsos servavit, *Daniel.* III, 92.

Celebre est in Annalibus Hispanorum miraculum Paschalis Vivas, qui Mauros in prælio visus est profligare, cum tamen ipse prælio non interesset, sed sacrificio Missæ : nimirum angelus ejus personam suscepit, et ejus vice pugnavit ac vicit. Ita audiente te devote sacrum, angelus negotia tua geret, melius quam tu.

Simile est in *Chronicis Fratrum Minorum*, lib. I, cap. LVII, de F. Joanne Parmensi, qui cum generalatu Ordinis contemplativæ vitæ studio se abdicasset, Religiosum sui Ordinis habebat Missæ administrum. Contigit eum tempore Missæ obdormiscere : quare angelus ejus specie et habitu Missæ ministravit. Sic quando defuncti vivis apparent, crebro id fit per angelos, qui defunctorum formam assumunt, uti docet S. Augustinus, lib. I *De Cura pro mortuis*, et noster Thyræus, lib. I *De Spirit. apparit.*, cap. XII.

Sic S. Placidus, cum mergeretur aquis, vidit S. Benedictum (qui absens miserat S. Maurum ad Placidum liberandum) astantem, seque ex aquis educentem, teste S. Gregorio, lib. II *Dialog.*, cap. VII.

Sic S. Nicolaus absens apparuit nautis se invocantibus in tempestate, eamque sedavit, ut habet ejus Vita. Idem in somnis apparuit Constantino Magno, jussitque ut tres viros injuste incarceratos dimitteret.

Sic S. Antonius de Padua, existens in Italia, visus est in Lusitania patrem suum calumnia et morte liberans.

Sic S. Franciscus absens apparuit fratribus in curru igneo. Hæc enim omnia facta sunt per angelos, qui simulacrum et speciem Sanctorum dictorum efformarunt aliisque repræsentarunt, uti docet Thyræus, lib. I, cap. X, præsertim quia ipsi qui exhibentur, plerumque se exhiberi ignorant. Unde liquet eos non replicari, nec animam e corpore egredi, ut alibi appareat, uti nonnulli putarunt.

Sic nostro ævo S. Ignatius, fundator Societatis nostræ, Romæ existens, apparuit Coloniæ R. P. Leonardo Kessellio, qui Sociorum erat Superior.

Sic S. Franciscus Xaverius in navi existens, apparuit in scapha vi tempestatis a navi avulsa, eamque cum vectoribus ad navim reduxit, utique per angelum. Ita habet Vita et processus Canonizationis eorumdem. Memorabile est exemplum apud Joannem Moscum, in *Prato Spirituali*, cap. LXVII, de puella Alexandrina, quæ cum sua in pauperes erogasset, indeque depauperata, ex fornicatione victum quærere cogeretur, tandem facti pœnitens, baptismumque poscens, cum nemo ejus vellet esse patrinus et sponsor, angeli aulicorum quorumdam formam assumentes, sponsores se pro ea præbuerunt.

Simile est in Vita S. Stephani I, regis Hungarorum. Cum enim Conradus Imperator ei bellum moveret, jamque exercitus procederet, angeli nuntiorum specie litteras detulerunt, quasi a Conrado scriptas, quibus jubebat suos pedem retro referre domumque redire.

Similia sunt in Vita S. Vinceslai, principis Boemiæ, apud Dubravium, lib. IV et V *Hist. Boemicæ*. Hæc angelorum sunt erga fideles et Sanctos officia et beneficia.

17. Ut tacerent. — « Tacere jubet, ait Glossa, ne clamore gaudentium adventus ejus in civitate agnoscatur. »

Nuntiate Jacobo, — Minori (nam Major jam erat occisus, vers. 1), qui erat Episcopus Hierosolymorum. Unde videtur, quod cæteri Apostoli jam abierant in suas provincias, uti dixi initio capitis : alioqui enim eis pariter suam liberationem nuntiari jussisset Petrus.

Egressus abiit in alium locum, — nimirum Cæsaream, Sidonem, Berythum, Tripolim, Aradum, Antaradum, Antiochiam : inde Galatiam, Cappadociam, Pontum, Asiam, Bithyniam, ubique evangelizans, confirmans fideles et instituens Episcopos, ac tandem iis peragratis hoc eodem anno pervenit Romam, uti ex S. Hieronymo, lib. *De Script. Eccles.*, et S. Leone, serm. 1 *De Apostol. Petro et Paulo*, docet Baronius. Hic enim annus est septimus ab initio cathedræ Antiochenæ : in ea enim sedit septem annos, post quos eam transtulit Romam, uti habet communis Doctorum sententia. Hoc ergo anno Petrus, primus ex Apostolis, adiit Romam, imperii orbisque caput, ut ibi pariter Ecclesiæ caput statueret eique orbem, conversis Romanis principibus, subjugaret. Quare minus verum videtur quod Simeon Metaphrastes in Vita S. Barnabæ tradit, eum primum omnium Evangelium Romæ prædicasse. Unde et S. Clemens, initio lib. *Recogn.*, testatur se S. Barnabam Romæ prædicantem audivisse, et ab eo deductum Cæsaream ad S. Petrum. Verum hic liber multa fabulosa continet, nec est Clementis, vel certe ab Ebione (hic enim, teste Epiphanio, *hæresi* 30, scripta Clementis corrupit) corruptus, ideoque a Gelasio inter apocryphos est rejectus.

S. Petrus e carcere Romæ prædicatur.

Porro Deum jussisse S. Petro ut Romam se conferret, docet S. Marcellus Pontifex, epistola *ad Antiochen.*, et S. Leo, serm. 1 *De S. Petro et Paulo*, ac S. Athanasius, *Apol. pro fuga*; S. Ambrosius, orat. *Contra Auxent.*; S. Maximus, serm. 1 *De S. Petro et Paulo*. Hoc autem fuit urbis Romanæ Episcopatum ad summum orbis terræ Pontificatum evehere, atque certo in loco, qui ad orbem regendum commodior esset, collocare

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN — ALERE FLAMMAM VERITATIS — DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS ®

non autem majori minorem Episcopatum adjungere. Denique S. Petrus Romæ divertit in domum Pudentis, senatoris Romani, eumque cum filiis Timotheo et Novato, ac filiabus Pudentiana et Praxede, ad Christum convertit, uti habent eorum Acta. Unde domum ejus in ecclesiam (quæ prima fuit Romæ) consecravit, quæ postea dicta est Titulus Pastoris, ubi etiamnum altare in quo S. Petrus celebravit, ostenditur. Sedere ergo cœpit Petrus Romæ anno 2 Claudii finiente, qui fuit Christi 43, seditque per annos 25, scilicet usque ad 13 Neronis, Christi 69, quo a Nerone cum S. Paulo martyrio est coronatus. Insuper sanctum Petrum secum felicitatem reipublicæ Romam induxisse, docet Paulus Orosius, lib. VII, cap. VI; nam eo urbem ingresso cessarunt intestini tumultus, invecti a crudelitate Caii Caligulæ. Claudius enim ei succedens indixit omnibus ἀμνηστίαν et injuriarum oblivionem. Rursum Deus compressit Furium Camillum, legatum Dalmatiæ, eum per milites occidendo, ne tyrannice invaderet imperium. Adhæc Britanniam Claudio subjecit sine prælio et sanguine, intra paucissimos dies. Plura habet Dio, lib. LX. Verum cum idem Claudius anno regni sui 9 Christianos cum Judæis urbe expulit, mox fames urbem invasit, ut populus in Claudium insurrexerit, qui furorem populi per posticum fugiens, ægre evasit in palatium, ac paulo post 35 Senatores et trecentos equites Romanos minimis causis interfecit : ipse autem manifestis veneni signis est mortuus. Hæc Orosius.

18. QUIDNAM FACTUM ESSET DE PETRO. — Græce τί ἄρα ὁ Πέτρος ἐγένετο, id est *quid tandem Petrus factus esset*; Tigurina, *quonam devenisset Petrus*, an vi magica vel divina e carcere evasisset, vel in avem, spiritum aliamve rem esset conversus, vel alio raptus. Incertum est an angelus aperiens januas carceris et portam ferream palatii Herodis, eas, educto Petro, post se clauserit, an vero apertas reliquerit : utut fuerit, utrimque ingens erat prodigium. Chrysostomus, hom. *in Matth.*, sentit omnia clausa fuisse, et duorum militum qui cum Petro dormiebant, manus eadem catena, qua cum illo constricti fuerant, colligatas mansisse.

19. INQUISITIONE FACTA DE CUSTODIBUS. — Græce ἀνακρίνας τοὺς φύλακας : ἀνακρίνω multa significat, scilicet *inquirere, examinare, torturæ admovere* : item *judicare* et *condemnare*. Unde Syrus vertit, *condemnavit custodes*.

JUSSIT EOS DUCI, — in carcerem, ait Rabanus, aut Cæsaream, quo Herodes erat venturus : ubi paulo post, occiso Herode, custodes dimissi sunt, ait Cajetanus, Deo ita animum Herodis emolliente, ne Petri solutio alicui noceret, aut custodibus necis esset causa. Melius S. Chrysostomus : « jussit eos duci, » scilicet ad supplicium. Unde Syrus, *jussit eos necari*. Petrus Alexandrinus, *can.* 13, apud Theodorum Balsamonem, tradit eos suffocatos sive strangulatos fuisse.

DESCENDENSQUE A JUDÆA IN CÆSAREAM. — Quæ prius *Stratonis turris* dicta est : ubi solemnes ludos celebravit Herodes Agrippa pro salute Cæsaris, ad quam magna multitudo Nobilium et procerum ex tota provincia convenerat, ait Josephus, lib. XIX *Antiq.*, cap. VIII. Simul ut se vindicaret de Tyriis et Sidoniis, ut sequitur.

20. IRATUS. — Θυμομαχῶν, q. d. *Animo molliens bellum*; Tigurina, *bellum animo agitabat in Tyrios*; alii, *pugnacem et infensum gerens animum*. Causa iræ Herodis nos latet. Baronius suspicatur fuisse, quod Sidonii Petrum e carcere elapsum suscepissent, ab eoque facti Christiani, Episcopum ab eo accepissent. Verum id aliis minus placet.

BLASTO, QUI ERAT SUPER CUBICULUM REGIS. — Puto præfectus cubiculi, primus regis cubicularius, ideoque ipsi familiarissimus.

EO QUOD ALERENTUR REGIONES EORUM AB ILLO. — Græce ἀπὸ τῆς βασιλικῆς, scilicet, χώρας, uti præcessit, id est *ex regione*, vel *ditione regis* Herodis. Ita Syrus. Ex Judæa ergo subministrabatur eis frumentum omnisque annona. Pacem ergo petunt, ne hanc frumenti exportationem prohibeat Herodes, itaque eos fame conficiat.

21. STATUTO AUTEM DIE. — Syrus, *die percelebri*. Erat enim dies secundus ludorum pro Cæsaris salute, ait Josephus loco jam citato. Illo ergo die Herodes in magnificentia regia sedit pro tribunali, ut Tyriorum et Sidoniorum causam et postulationem, aut potius satisfactionem et submissionem cognosceret, deque iis ad libitum statueret. Unde et concionabatur ad eos, scilicet Tyrios et Sidonios, uti præcessit. Ita Lyranus.

VESTITUS VESTE REGIA. — « Vestis regia » complectitur purpuram, sceptrum et coronam; hisce induti judicabant : hæc enim regni æque ac judiciariæ potestatis sunt symbola. Unde et Josephus, lib. XVII *Antiq.*, cap. XI, de Herode ad sepulcrum elato sic scribit : « Eratque ipse mortuus circumamictus purpureis vestimentis, caput ejus diademate coronatum, sceptrum quoque in manu ejus, velut si a vivo teneretur, erat appositum. » Porro Agrippæ vestis ex argento erat, mirabili opere contexta, ait Josephus, quæ radiis solis percussa divinum fulgorem emittebat. Gestabat ergo purpuram, coronam auream in capite, et sceptrum, quæ sunt regum insignia, eaque supra modum splendida. Quare modum et modestiam vestitus excessit superbus Herodes, ansamque dedit Tyriis et Sidoniis supplicibus, adulantibus ei, acclamandi dandique divinos honores. Ita Isidorus Pelusiota, lib. I, *epist.* 74. Quocirca sapienter Justinus Imperator moriens, Tiberium successorem monuit, dicens : « Ne te in errorem ducat vestis splendor, neque illustris ornatus illarum rerum quæ sub aspectum cadunt, te decipiat, quibus ipse in fraudem impulsus, meipsum gravissimis suppliciis obnoxium reddidi. Non elevet te habitus, sicut me. Ecce Deus qui benefecit tibi : hunc habitum dedit tibi, non



ego. Honora illum ut tu quoque honoreris ab eo. » Testis est Evagrius, lib. V, cap. XIII. Æque sapienter S. Bernardus, lib. II *De Consider. ad Eugenium*, cap. XII, eum monens, ne ex monacho factus Pontifex, in tanto culmine sibi applaudat : « Magnus, ait, cui præsens felicitas si arrisit; non irrisit. Hæc enim incautis ad disciplinam relaxandam est, quod ignis ad ceram, quod solis radius ad nivem vel glaciem. »

Vers. 22. 22. POPULUS AUTEM ACCLAMABAT : DEI VOCES, ET NON HOMINIS. — q. d. Agrippæ regis vestium fulgor et orationis majestas ita nos perstringit, ut videamur Deum videre et audire, non hominem. Acclamatio hæc orta a Tyriis et Sidoniis, qui gratiam Herodis aucupabantur, proserpsit ad reliquum Cæsariensium populum. Vide hic quantum malum sit adulatio, quæ ex rege facit Deum; ideoque ex homine cadaver : ipsa enim regem occidit. Frequens hoc malum in aulis principum : unde aulator est adulator, sed et κόλαξ est κόραξ, id est adulator est corvus, effodiens oculos eorum quibus adulatur. Præclare Curtius, lib. VIII : « Perniciosa adulatio perpetuum regum malum est, quorum opes assentatio sæpius, quam hostis evertit. »

Vers. 23. 23. CONFESTIM (Syrus, *eadem hora*) AUTEM PERCUSSIT EUM ANGELUS DOMINI, — zelotes et vindex honoris divini qui hic a Deo abreptus, sacrilege dabatur Herodi. Unde videtur fuisse angelus hic bonus, licet noster Lorinus censeat fuisse malum et dæmonem.

Morbus Herodis, quis? PERCUSSIT, — id est, plaga lethali illum ferit. Plaga hæc fuit dolor viscerum et tormina, ait Josephus : item corporis putrefactio et fœtor; inde enim vermes ebullierunt. Sic avus ejus Herodes Ascalonita infanticida, qui sanctos innocentes occidit, a pediculis consumptus interiit. Addit Josephus, bubonem visum fuisse super caput Herodis, quasi calamitatis nuntium, uti ei olim Romæ prædixerat Germanus quidam, teste eodem Josepho, lib. XVIII, cap. III. Œcumenius vero pro bubone angelum fuisse visum scribit.

EO QUOD NON DEDISSET HONOREM DEO, — id est, eo quod non defendisset honorem Dei; sed cum sibi arrogasset, consentiendo insanæ assentationi et In ultionem S. Petri et Jacobi. acclamationi populi. Narrat hanc Herodis punitionem S. Lucas occasione occisionis S. Jacobi et incarcerationis S. Petri : hæc enim duo ejus immania in Christum et Ecclesiam scelera meruerunt ejus excæcationem et prolapsum in hanc idololatriam, ob quam a Deo, sui honoris et divinitatis justo zelote et vindice punitus est morte, ut appareret esse mortalis, imo mortuus, qui concupierat esse Deus.

Sic Lucifer ambiens divinos honores, ex primo angelo factus est teterrimus cacodæmon. Sic Alexander Magnus occisus est a suis, quod vellet ab eis adorari ut deus, uti Hermolaus quidam e conjuratis ei exprobrat apud Curtium, lib. VIII. Sic Nabuchodonosor, qui in statua aurea a se erecta, *Daniel.* III, adorari voluit, a Deo mutatus est in bestiam, *Daniel.* IV, 28. Sic Antiochus Epiphanes qui ex fastu deum terrestrem se putabat, percussus dolore viscerum et a vermibus corrosus, æque ut hic Herodes, interiit, II *Machab.* IX, 12. Quare omnes hi fuerunt typi Antichristi, qui sedebit in templo voletque adorari ut Deus, ideoque a Deo adigetur in tartara, *Apoc.* XIII.

Nota : Peccavit Herodes tacendo : sic enim tacite assensus est blasphemæ acclamationi : debebat enim Dei honorem tutari, ideoque eum a se amoliri populumque graviter reprehendere, quod Deo hanc tam insignem injuriam intulisset, uti fecerunt S. Paulus et Barnabas, quos Lycaonii adorare volebant, hunc ut Jovem, illum ut Mercurium. « Scissis enim tunicis suis, exilierunt in turbas, clamantes et dicentes : Viri, quid hæc facitis? et nos mortales sumus, similes vobis homines, » *Actor.* XIV, 13. Tali enim casu verum est istud : « Qui tacet, consentire videtur : » præsertim si sit Superior, aut vir sapientia et auctoritate pollens.

ET CONSUMPTUS A VERMIBUS (Græce, *factus esca vermium*), EXPIRAVIT. — Sic superbos dejicit sideratque Deus. Juste Herodes volens esse deus, fit esca vermium, ut humiliatus se non tantum mortalem, sed et putidum discat, dicatque illud Job, cap. XVII, 14 : « Putredini dixi : Pater meus es : mater mea et soror mea, vermibus. » Per « vermes, » accipe pediculos qui e corpore putido et fœtido per singula membra ebulliunt, de quo morbo vide Galenum, lib. *De Compos. medic. secundum loca*, cap. VII. Addit S. Chrysostomus, hom. 26 *in Epist. ad Hebr.*, quod « crepuit et effusa sunt viscera ejus. »

Hac phthiriasi, id est morbo pediculari et vermium morte punire solet Deus blasphemos, hagiomachos, fidelium persecutores; sed maxime divinitatis appetitores, uti Antiochum Epiphanem, Herodem infanticidam, de quibus paulo ante dixi, Hunnericum regem Arianum persequentem Orthodoxos, de quo Victor Uticensis, lib. III *Wand. Histor.*; eodem modo periit Pherecydes, Pythagoræ præceptor, atheus et omnis numinis contemptor, de quo ex Aristotele, Plutarcho, Æliano et Plinio Rhodiginus, lib. XIX, cap. XXX; et Maximianus, in imperio et persecutione socius Diocletiani, de quo Eusebius, lib. VIII, cap. XXVIII; et Julianus Apostata, de quo Sozomenus, lib. V, cap. VII; et blasphemus Nestorius, teste Nicephoro, lib. XIV, cap. XXXVI; et impius Calvinus, teste Bolseco in ejus Vita. Præclare Drogo Cardinalis, tract. *de Sacramento Domin. passion.*, tom. II *Biblioth. SS. Patrum* : « Quid veste, inquit, nitida gloriaris? subter te sternetur tinea, et operimentum tuum vermis est. Hæc tua vestis est. Illuserunt tibi, qui chlamyde coccinea circumdederunt. Sic Antiochus et Herodes duo, alienis vestibus depositis, in suis vestibus expirarunt. »

Denique historiam mortis hujus Herodis gra-

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

phice describit Josephus, lib. XIX, cap. VIII, ubi tamen in honorem suæ gentis et regis, eam emollit, et parum fideliter æquanimitatem Herodis commendat : ac tacet ejus vermes, solumque tormina, quæ nimirum vermes erodentes viscera causabant, commemorat. Sic enim ait : « Jamque tertium Judææ totius regni annum exegerat (Herodes), cum pervenit in urbem Cæsaream, quæ prius Stratonis turris dicta fuit, ubi solemnes ludos celebravit pro salute Cæsaris; ad quam festivitatem magna multitudo Nobilium ac procerum convenerat ex tota provincia. Ejus celebritatis die secunda processit mane in theatrum, amictus veste tota ex argento mirabili opere contexta, quæ radiis exorientis solis percussa et mirandum quemdam fulgorem emittens, venerationem cum horrore incutiebat spectantibus. Moxque adulatores alius aliunde acclamantes, deum consalutabant, rogantes ut faveret propitius : hactenus enim ut hominem reveritos, nunc agnoscere et fateri in eo quiddam mortali natura excellentius. Hanc impiam adulationem ille nec castigavit, nec repulit; pauloque post suspiciens vidit supra caput suum bubonem, funi extento insidentem : moxque ut sensit hunc esse calamitatis nuntium, qui olim felicitatis fuerat, ex intimis præcordiis indoluit. Secuta sunt ventris tormina statim a principio vehementia. Conversis igitur in amicos oculis : En, ait, ego ille vestra appellatione Deus, vitam relinquere jubeor, fatali necessitate coarguente vestrum mendacium, et quem immortalem salutastis, ad mortem rapior. Sed ferenda est voluntas cœlestis Numinis : neque enim male viximus, imo tanta felicitate, ut omnes me beatum prædicarent. Hæc locutus, crescente dolore, discruciabatur. Propere igitur relato in regiam, rumor sparsus est brevi esse moriturum. Quamobrem confestim totus populus una cum uxoribus atque liberis saccum indutus, more patrio supplicabat Deo pro salute regis, omnia miscens lamentis et ejulatibus. Rex autem in celsiore decumbens cubiculo, et in faciem stratos humi prospiciens, ne ipse quidem temperabat sibi a lacrymis. Cruciatu deinde per continuos quinque dies nihil se remittente, confectus vitam finiit, annum natus quartum supra quinquagesimum postquam regnasset per septennium. Quatuor enim annos sub Caio Cæsare obtinuit regnum, primum in Philippi tetrarchia per triennium, cui quarto demum anno accessit et Herodis tetrarchia : tribus deinde annis sub Claudio Cæsare, præter jam dictam ditionem, in Judæa quoque regnavit : et Samaria simulque Cæsarea. »

Subdit deinde huic Herodi in regno successisse filium, scilicet Herodem Agrippam juniorem annorum 17, coram quo Paulus captus causam suam egit, cap. XXV, 22; in quo Herodis Ascalonitæ stirps desiit, æque ac reges regnumque Judææ, eversum a Tito et Vespasiano : insuper eum superstites reliquisse tres filias, Mariamnem, Bernicem, quæ nupsit Felici præsidi, et Drusillam, quarum mentionem facit Lucas, cap. XXIV, 24, et XXV, 13. Addit Josephus Cæsareenses et Sebastenos mortuum Herodem conviciis impetivisse, æque ac viventem, præsentem et videntem impetiverant in publica comœdia Alexandrini : in qua iisdem ludibriis eum affecerunt, quibus Judæi, quorum rex erat Herodes, paulo ante affecerant Christum præponentes ei Barabbam, coronantes spinis, vestientes chlamyde purpurea, et irrisorie regem Judæorum salutantes. Insanum enim quemdam, nomine Carabbam (Baronius suspicatur legendum *Barabbam*), qui Herodis personam referret, in theatrum induxerunt, cujus capiti diadema imposuerunt papyraceum, pro paludamento induerunt storea, pro sceptro frustum arundinis in manum dederunt. Marim, id est dominum, eum acclamantes, uti narrat Philo in Flaccum, cap. XXXI. Ita Deus justo suo judicio, Agrippæ et Judæis talionem irrisi Christi reddidit.

24. VERBUM AUTEM DOMINI CRESCEBAT. — *q. d.* Vers. 24
Persecutione Herodis Agrippæ adeo non decrevit, ut vehementer creverit Christianorum numerus et virtus, præsertim ubi viderunt persecutorem a Deo punitum et a vermibus consumptum. Recte S. Nilus, hom. 2 *De Christi Ascensione*, Ecclesiam comparat viti, quæ quo diligentius putatur, eo fit feracior. « Succidebantur, ait, Ecclesiæ palmites, et fidei fructus augescebat, et florem non marcescentem proferebat : e radice enim illa hi palmites nati sunt, quæ verissime dixit : Ego vici mundum. Ego sum vitis, vos palmites. Stephanus tanquam ramus excidebatur, et alius martyrum palmes pullulabat. Jacobus et Petrus resecabantur, et alius rursum martyr exoriebatur : et hoc resecto, alius rursum multifer palmes e radice hac emittebatur. Vindemiabatur Paulus, et alius martyrii racemus maturescens Thomas apparebat : et undique radix vindemiata, copiam uberiorem, præ eo quod isti vindemiarant, ac germen durabilius efferebat. Et quidem isti excisores brevi marcescentes exterminati sunt : hæc vero semper gravata fructibus, terræ fines suis germinibus complexa est. » Præclare Tertullianus, *Apologet.*, cap. XXVII : « Et illos dæmones, ait, nunquam magis detriumphamus, quam cum pro fidei obstinatione damnamur. » Et cap. ult. : « Plures efficimur, quoties metimur a vobis. Semen est sanguis Christianorum. » Ita crescebant Hebræi persecutione Ægyptiorum, « quantoque opprimebant eos, tanto magis multiplicabantur, » *Exodi* I. Unde S. Chrysostomus, homil. 40 *in Juventinum et Maximinum martyres* : « Sicut plantæ irrigatæ, inquit, magis crescunt; ita et fides nostra oppugnata magis floret, et vexata plus exuberat : neque ita hortos aquarum irrigatio reddere fœcundos solet, ut martyrium sanguis irrigare natus est Ecclesias. » Et S. Leo, serm. I



*de Natali S. Petri et Pauli* : « Non minuitur persecutionibus Ecclesia, sed augetur. Et semper Dominicus ager segete ditiori vestitur, dum grana quæ singula cadunt, multiplicata nascuntur. » Idem a pari, vel suppari, fit in quovis fideli. Ille enim in tentatione et adversitate, virtute et viribus crescit, instar palmæ.

25. BARNABAS AUTEM ET SAULUS REVERSI SUNT AB HIEROSOLYMIS. — « Reversi, » scilicet Antiochiam, ut habet Syrus, unde missi fuerant, ut eleemosynam deferrent Hierosolymitis pauperibus et fame laborantibus, ut dictum est cap. XI, vers. 28.

ASSUMPTO JOANNE, QUI COGNOMINATUS EST MARCUS. — Hinc colligit Salmeron, Saulum et Barnabam latuisse in domo hujus Joannis Marci eo tempore quo Herodes plexuit Jacobum et incarceravit Petrum. Unde veniens e carcere Petrus eosdem ibi reperit.

# CAPUT DECIMUM TERTIUM.

## SYNOPSIS CAPITIS.

*Saulus et Barnabas jussu Spiritus Sancti mittuntur ut evangelizent Gentibus : in Cypro Saulus convertit Sergium Paulum proconsulem, et Elymam magum excæcat. Inde Antiochiæ Pisidiæ in synagoga concionatur Paulus, sed per Judæos expulsus, excusso pulvere pedum cum Barnaba pergit Iconium.*

1. Erant autem in Ecclesia, quæ erat Antiochiæ, Prophetæ et doctores in quibus Barnabas et Simon, qui vocabatur Niger, et Lucius Cyrenensis, et Manahen, qui erat Herodis Tetrarchæ collactaneus, et Saulus. 2. Ministrantibus autem illis Domino, et jejunantibus, dixit illis Spiritus Sanctus : Segregate mihi Saulum et Barnabam, in opus ad quod assumpsi eos. 3. Tunc jejunantes et orantes, imponentesque eis manus, dimiserunt illos. 4. Et ipsi quidem missi a Spiritu Sancto abierunt Seleuciam, et inde navigaverunt Cyprum. 5. Et cum venissent Salaminam, prædicabant verbum Dei in Synagogis Judæorum. Habebant autem et Joannem in ministerio. 6. Et cum perambulassent universam insulam usque Paphum, invenerunt quemdam virum magum pseudoprophetam, Judæum, cui nomen erat Barjesu, 7. qui erat cum proconsule Sergio Paulo viro prudente. Hic, accersitis Barnaba et Saulo, desiderabat audire verbum Dei. 8. Resistebat autem illis Elymas magus (sic enim interpretatur nomen ejus), quærens avertere proconsulem a fide. 9. Saulus autem, qui et Paulus, repletus Spiritu Sancto, intuens in eum, 10. dixit : O plene omni dolo et omni fallacia, fili diaboli, inimice omnis justitiæ, non desinis subvertere vias Domini rectas. 11. Et nunc ecce manus Domini super te, et eris cæcus non videns solem usque ad tempus. Et confestim cecidit in eum caligo, et tenebræ, et circuiens quærebat qui ei manum daret. 12. Tunc proconsul cum vidisset factum, credidit admirans super doctrina Domini. 13. Et cum a Papho navigassent Paulus et qui cum eo erant, venerunt Pergen Pamphyliæ. Joannes autem discedens ab eis, reversus est Hierosolymam. 14. Illi vero pertranseuntes Pergen, venerunt Antiochiam Pisidiæ; et ingressi Synagogam die sabbatorum, sederunt. 15. Post lectionem autem legis et Prophetarum, miserunt principes Synagogæ ad eos, dicentes : Viri fratres, si quis est in vobis sermo exhortationis ad plebem, dicite. 16. Surgens autem Paulus et manu silentium indicens, ait : Viri Israelitæ, et qui timetis Deum, audite : 17. Deus plebis Israel elegit patres nostros, et plebem exaltavit cum essent incolæ in terra Ægypti, et in brachio excelso eduxit eos ex ea. 18. Et per quadraginta annorum tempus mores eorum sustinuit in deserto. 19. Et destruens gentes septem in terra Chanaan, sorte distribuit eis terram eorum, 20. quasi post quadringentos et quinquaginta annos : et post hæc dedit Judices usque ad Samuel prophetam. 21. Et exinde postulaverunt regem : et dedit illis Deus Saul, filium Cis, virum de tribu Benjamin, annis quadraginta. 22. Et amoto illo, suscitavit illis David regem, cui testimonium perhibens, dixit : Inveni David, filium Jesse, virum secundum cor meum, qui faciet omnes



UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

phice describit Josephus, lib. XIX, cap. VIII, ubi tamen in honorem suæ gentis et regis, eam emollit, et parum fideliter æquanimitatem Herodis commendat : ac tacet ejus vermes, solumque tormina, quæ nimirum vermes erodentes viscera causabant, commemorat. Sic enim ait : « Jamque tertium Judææ totius regni annum exegerat (Herodes), cum pervenit in urbem Cæsaream, quæ prius Stratonis turris dicta fuit, ubi solemnes ludos celebravit pro salute Cæsaris ; ad quam festivitatem magna multitudo Nobilium ac procerum convenerat ex tota provincia. Ejus celebritatis die secunda processit mane in theatrum, amictus veste tota ex argento mirabili opere contexta, quæ radiis exorientis solis percussa et mirandum quemdam fulgorem emittens, venerationem cum horrore incutiebat spectantibus. Moxque adulatores alius aliunde acclamantes, deum consalutabant, rogantes ut faveret propitius : hactenus enim ut hominem reveritos, nunc agnoscere et fateri in eo quiddam mortali natura excellentius. Hanc impiam adulationem ille nec castigavit, nec repulit ; pauloque post suspiciens vidit supra caput suum bubonem, funi extento insidentem : moxque ut sensit hunc esse calamitatis nuntium, qui olim felicitatis fuerat, ex intimis præcordiis indoluit. Secuta sunt ventris tormina statim a principio vehementia. Conversis igitur in amicos oculis : En, ait, ego ille vestra appellatione Deus, vitam relinquere jubeor, fatali necessitate coarguente vestrum mendacium, et quem immortalem salutastis, ad mortem rapior. Sed ferenda est voluntas cœlestis Numinis : neque enim male viximus, imo tanta felicitate, ut omnes me beatum prædicarent. Hæc locutus, crescente dolore, discruciabatur. Propere igitur relato in regiam, rumor sparsus est brevi esse moriturum. Quamobrem confestim totus populus una cum uxoribus atque liberis saccum indutus, more patrio supplicabat Deo pro salute regis, omnia miscens lamentis et ejulatibus. Rex autem in celsiore decumbens cubiculo, et in faciem stratos humi prospiciens, ne ipse quidem temperabat sibi a lacrymis. Cruciatu deinde per continuos quinque dies nihil se remittente, confectus vitam finiit, annum natus quartum supra quinquagesimum postquam regnasset per septennium. Quatuor enim annos sub Caio Cæsare obtinuit regnum, primum in Philippi tetrarchia per triennium, cui quarto demum anno accessit et Herodis tetrarchia : tribus deinde annis sub Claudio Cæsare, præter jam dictam ditionem, in Judæa quoque regnavit : et Samaria simulque Cæsarea. »

Subdit deinde huic Herodi in regno successisse filium, scilicet Herodem Agrippam juniorem annorum 17, coram quo Paulus captus causam suam egit, cap. XXV, 22 ; in quo Herodis Ascalonitæ stirps desiit, æque ac reges regnumque Judææ, eversum a Tito et Vespasiano : insuper eum superstites reliquisse tres filias, Mariamnem, Bernicem, quæ nupsit Felici præsidi, et Drusillam, quarum mentionem facit Lucas, cap. XXIV, 24, et XXV, 13. Addit Josephus Cæsareenses et Sebastenos mortuum Herodem conviciis impetivisse, æque ac viventem, præsentem et videntem impetiverant in publica comœdia Alexandrini : in qua iisdem ludibriis eum affecerunt, quibus Judæi, quorum rex erat Herodes, paulo ante affecerant Christum præponentes ei Barabbam, coronantes spinis, vestientes chlamyde purpurea, et irrisorie regem Judæorum salutantes. Insanum enim quemdam, nomine Carabbam (Baronius suspicatur legendum *Barabbam*), qui Herodis personam referret, in theatrum induxerunt, cujus capiti diadema imposuerunt papyraceum, pro paludamento induerunt storea, pro sceptro frustum arundinis in manum dederunt. Marim, id est dominum, eum acclamantes, uti narrat Philo in Flaccum, cap. XXXI. Ita Deus justo suo judicio, Agrippæ et Judæis talionem irrisi Christi reddidit.

24. VERBUM AUTEM DOMINI CRESCEBAT. — *q. d.* Vers. 24
Persecutione Herodis Agrippæ adeo non decrevit, ut vehementer creverit Christianorum numerus et virtus, præsertim ubi viderunt persecutorem a Deo punitum et a vermibus consumptum. Recte S. Nilus, hom. 2 *De Christi Ascensione*, Ecclesiam comparat viti, quæ quo diligentius putatur, eo fit feracior. « Succidebantur, ait, Ecclesiæ palmites, et fidei fructus augescebat, et florem non marcescentem proferebat : e radice enim illa hi palmites nati sunt, quæ verissime dixit : Ego vici mundum. Ego sum vitis, vos palmites. Stephanus tanquam ramus excidebatur, et alius martyrum palmes pullulabat. Jacobus et Petrus resecabantur, et alius rursum martyr exoriebatur : et hoc resecto, alius rursum multifer palmes e radice hac emittebatur. Vindemiabatur Paulus, et alius martyrii racemus maturescens Thomas apparebat : et undique radix vindemiata, copiam uberiorem, præ eo quod isti vindemiarant, ac germen durabilius efferebat. Et quidem isti excisores brevi marcescentes exterminati sunt : hæc vero semper gravata fructibus, terræ fines suis germinibus complexa est. » Præclare Tertullianus, *Apologet.*, cap. XXVII : « Et illos dæmones, ait, nunquam magis detriumphamus, quam cum pro fidei obstinatione damnamur. » Et cap. ult. : « Plures efficimur, quoties metimur a vobis. Semen est sanguis Christianorum. » Ita crescebant Hebræi persecutione Ægyptiorum, « quantoque opprimebant eos, tanto magis multiplicabantur, » *Exodi* I. Unde S. Chrysostomus, homil. 40 *in Juventinum et Maximinum martyres* : « Sicut plantæ irrigatæ, inquit, magis crescunt ; ita et fides nostra oppugnata magis floret, et vexata plus exuberat : neque ita hortos aquarum irrigatio reddere fœcundos solet, ut martyrium sanguis irrigare natus est Ecclesias. » Et S. Leo, serm. I



*de Natali S. Petri et Pauli* : « Non minuitur persecutionibus Ecclesia, sed augetur. Et semper Dominicus ager segete ditiori vestitur, dum grana quæ singula cadunt, multiplicata nascuntur. » Idem a pari, vel suppari, fit in quovis fideli. Ille enim in tentatione et adversitate, virtute et viribus crescit, instar palmæ.

25. BARNABAS AUTEM ET SAULUS REVERSI SUNT AB HIEROSOLYMIS. — « Reversi, » scilicet Antiochiam, ut habet Syrus, unde missi fuerant, ut eleemosynam deferrent Hierosolymitis pauperibus et fame laborantibus, ut dictum est cap. XI, vers. 28.

ASSUMPTO JOANNE, QUI COGNOMINATUS EST MARCUS. — Hinc colligit Salmeron, Saulum et Barnabam latuisse in domo hujus Joannis Marci eo tempore quo Herodes plexuit Jacobum et incarceravit Petrum. Unde veniens e carcere Petrus eosdem ibi reperit.

# CAPUT DECIMUM TERTIUM.

## SYNOPSIS CAPITIS.

*Saulus et Barnabas jussu Spiritus Sancti mittuntur ut evangelizent Gentibus : in Cypro Saulus convertit Sergium Paulum proconsulem, et Elymam magum excæcat. Inde Antiochiæ Pisidiæ in synagoga concionatur Paulus, sed per Judæos expulsus, excusso pulvere pedum cum Barnaba pergit Iconium.*

1. Erant autem in Ecclesia, quæ erat Antiochiæ, Prophetæ et doctores in quibus Barnabas et Simon, qui vocabatur Niger, et Lucius Cyrenensis, et Manahen, qui erat Herodis Tetrarchæ collactaneus, et Saulus. 2. Ministrantibus autem illis Domino, et jejunantibus, dixit illis Spiritus Sanctus : Segregate mihi Saulum et Barnabam, in opus ad quod assumpsi eos. 3. Tunc jejunantes et orantes, imponentesque eis manus, dimiserunt illos. 4. Et ipsi quidem missi a Spiritu Sancto abierunt Seleuciam, et inde navigaverunt Cyprum. 5. Et cum venissent Salaminam, prædicabant verbum Dei in Synagogis Judæorum. Habebant autem et Joannem in ministerio. 6. Et cum perambulassent universam insulam usque Paphum, invenerunt quemdam virum magum pseudoprophetam, Judæum, cui nomen erat Barjesu, 7. qui erat cum proconsule Sergio Paulo viro prudente. Hic, accersitis Barnaba et Saulo, desiderabat audire verbum Dei. 8. Resistebat autem illis Elymas magus (sic enim interpretatur nomen ejus), quærens avertere proconsulem a fide. 9. Saulus autem, qui et Paulus, repletus Spiritu Sancto, intuens in eum, 10. dixit : O plene omni dolo et omni fallacia, fili diaboli, inimice omnis justitiæ, non desinis subvertere vias Domini rectas. 11. Et nunc ecce manus Domini super te, et eris cæcus non videns solem usque ad tempus. Et confestim cecidit in eum caligo, et tenebræ, et circuiens quærebat qui ei manum daret. 12. Tunc proconsul cum vidisset factum, credidit admirans super doctrina Domini. 13. Et cum a Papho navigassent Paulus et qui cum eo erant, venerunt Pergen Pamphyliæ. Joannes autem discedens ab eis, reversus est Hierosolymam. 14. Illi vero pertranseuntes Pergen, venerunt Antiochiam Pisidiæ ; et ingressi Synagogam die sabbatorum, sederunt. 15. Post lectionem autem legis et Prophetarum, miserunt principes Synagogæ ad eos, dicentes : Viri fratres, si quis est in vobis sermo exhortationis ad plebem, dicite. 16. Surgens autem Paulus et manu silentium indicens, ait : Viri Israelitæ, et qui timetis Deum, audite : 17. Deus plebis Israel elegit patres nostros, et plebem exaltavit cum essent incolæ in terra Ægypti, et in brachio excelso eduxit eos ex ea. 18. Et per quadraginta annorum tempus mores eorum sustinuit in deserto. 19. Et destruens gentes septem in terra Chanaan, sorte distribuit eis terram eorum, 20. quasi post quadringentos et quinquaginta annos : et post hæc dedit Judices usque ad Samuel prophetam. 21. Et exinde postulaverunt regem : et dedit illis Deus Saul, filium Cis, virum de tribu Benjamin, annis quadraginta. 22. Et amoto illo, suscitavit illis David regem, cui testimonium perhibens, dixit : Inveni David, filium Jesse, virum secundum cor meum, qui faciet omnes

voluntates meas. 23. Hujus Deus ex semine secundum promissionem eduxit Israel salvatorem Jesum, 24. prædicante Joanne ante faciem adventus ejus baptismum pœnitentiæ omni populo Israel. 25. Cum impleret autem Joannes cursum suum, dicebat : Quem me arbitramini esse? non sum ego, sed ecce venit post me, cujus non sum dignus calceamenta pedum solvere. 26. Viri fratres, filii generis Abraham, et qui in vobis timent Deum, vobis verbum salutis hujus missum est. 27. Qui enim habitabant Jerusalem, et principes ejus, hunc ignorantes, et voces Prophetarum, quæ per omne sabbatum leguntur, judicantes impleverunt : 28. et nullam causam mortis invenientes in eo, petierunt a Pilato, ut interficerent eum. 29. Cumque consummassent omnia quæ de eo scripta erant, deponentes eum de ligno, posuerunt eum in monumento. 30. Deus vero suscitavit eum a mortuis tertia die : qui visus est per dies multos his, 31. qui simul ascenderant cum eo de Galilæa in Jerusalem : qui usque nunc sunt testes ejus ad plebem. 32. Et nos vobis annuntiamus eam, quæ ad patres nostros repromissio facta est : 33. quoniam hanc Deus adimplevit filiis nostris, resuscitans Jesum, sicut et in psalmo secundo scriptum est : Filius meus es tu : ego hodie genui te. 34. Quod autem suscitavit eum a mortuis amplius jam non reversum in corruptionem, ita dixit : Quia dabo vobis sancta David fidelia. 35. Ideoque et alias dicit : Non dabis Sanctum tuum videre corruptionem. 36. David enim in sua generatione cum administrasset, voluntate Dei dormivit : et appositus est ad patres suos, et vidit corruptionem. 37. Quem vero Deus suscitavit a mortuis, non vidit corruptionem. 38. Notum igitur sit vobis, viri fratres, quia per hunc vobis remissio peccatorum annuntiatur; et ab omnibus quibus non potuistis in lege Moysi justificari, 39. in hoc omnis, qui credit, justificatur. 40. Videte ergo ne superveniat vobis quod dictum est in Prophetis : 41. Videte, contemptores, et admiramini, et disperdimini : quia opus operor ego in diebus vestris, opus quod non credetis, si quis enarraverit vobis. 42. Exeuntibus autem illis, rogabant ut sequenti sabbato loquerentur sibi verba hæc. 43. Cumque dimissa esset Synagoga, secuti sunt multi Judæorum et colentium advenarum, Paulum et Barnabam, qui loquentes suadebant eis ut permanerent in gratia Dei. 44. Sequenti vero sabbato pene universa civitas convenit audire verbum Dei. 45. Videntes autem turbas Judæi, repleti sunt zelo, et contradicebant his quæ a Paulo dicebantur, blasphemantes. 46. Tunc constanter Paulus et Barnabas dixerunt : Vobis oportebat primum loqui verbum Dei; sed quoniam repellitis illud, et indignos vos judicatis æternæ vitæ, ecce convertimur ad Gentes. 47. Sic enim præcepit nobis Dominus : Posui te in lucem Gentium, ut sis in salutem usque ad extremum terræ. 48. Audientes autem Gentes gavisæ sunt, et glorificabant verbum Domini, et crediderunt quotquot erant præordinati ad vitam æternam. 49. Disseminabatur autem verbum Domini per universam regionem. 50. Judæi autem concitaverunt mulieres religiosas et honestas, et primos civitatis, et excitaverunt persecutionem in Paulum et Barnabam; et ejecerunt eos de finibus suis. 51. At illi, excusso pulvere pedum in eos, venerunt Iconium. 52 Discipuli quoque replebantur gaudio et Spiritu Sancto.

1. ANTIOCHIÆ, — ad Orontem, quæ erat metropolis Syriæ, et a Justiniano imperatore vocata est *Theophilis* : unde antonomastice vocatur *Antiochia*; cæteræ vero cum addito, Antiochia Pisidiæ, Antiochia Epiphaniæ, etc. (1).

PROPHETÆ, — proprie dicti. Spiritus Sanctus enim in Ecclesiæ exordiis, inter alia charismata dabat donum prophetiæ, ut patet *Joel.* II, 28; *Act.* II, 17; I *Corinth.* XIV. Licet noster Lorinus *Prophetas* censeat eosdem esse cum Doctoribus, puta explanatores S. Scripturæ. Turrianus vero, lib. I *De Hierarch. Ordin.*, cap. XX, per *Prophetas* accipit Episcopos, per Doctores Presbyteros. Episcopi enim, ut ait S. Dionysius, cap. VI *Eccles. Hierarch.*, sunt divinorum judiciorum denuntiatores, quia nihil agere debent hierarchicum, nisi ut a Deo acti. Et nos rursus in iis quæ illi hierarchice operantur, ad eos tanquam a Deo actos accedere debemus. Unde et a S. Clemente, lib. II *Constit.*, vocantur Prophetæ laicorum; imo ordinatio Episcopi vocatur prophetia a S. Paulo, I *Timoth.* IV, 14.

SIMON, QUI VOCABATUR NIGER, — a colore atro, ut videtur, sicut a flavo vocabantur Flavii, ab albo Albini, a rufo Rufi apud Romanos.

LUCIUS CYRENENSIS. — Quem Cyrenæ fuisse Episcopum tradit Beda, Ado, Usuardus, imo *Martyr. Rom.* die 6 maii, ubi Sanctorum catalogo ascribitur.

MANAHEN. — De quo in *Rom. Martyr.* die 24 maii, sic legimus : « Antiochiæ S. Manahen, Herodis Tetrarchæ collactanei, Doctoris et Prophetæ sub gratia novi Testamenti, in eadem urbe requiescentis. »

HERODIS TETRARCHÆ, — Herodis Antipæ, qui fuit filius Herodis Ascalonitæ, et patruus Herodis Agrippæ, de quo cap. XII, vers. 1. Hic Antipas Christum induit veste alba et irrisit, ac Joannem Baptistam occidit.

COLLACTANEUS. — Quia puer cum puero Herode fuerat enutritus, et ejusdem nutricis lacte lactatus. Significat Manahen fuisse insignis et illustris familiæ, utpote qui Herodi fuerit collactaneus.

2. MINISTRANTIBUS AUTEM ILLIS DOMINO. — Græce λειτουργούντων, id est *sacrificantibus*, ut vertit Erasmus, et Tigurina, *cum operarentur Domino. Sacris* enim, vel Deo operari, est sacrificare. Sacrificium enim est opus Deo soli debitum et proprium : licet Scholia, Vatablo ascripta, *operari Domino* exponant per *prædicare Evangelium*, uti et Œcumenius et Cajetanus, quod avide arripit Calvinus et Beza, qui negant Missæ sacrificium. Syrus, *cum preces auspicarentur Deo*, puta publicas et solemnes, quæ fiunt in sacrificio. Inde enim sacrificium Missæ vocatur *Liturgia*; licet enim liturgia significet ministerium in genere, tamen antonomastice significat sacrificium, ut patet ex Liturgia S. Jacobi, S. Basilii, S. Chrysostomi, Mozarabum, etc. Idem evincit vox *Domino*; nullum enim ministerium tam proprie Domino exhibetur, quam sacrificium : Evangelium enim prædicatur hominibus, non Deo. Unde et sequitur : « Imponentesque eis manus, » scilicet in Missæ sacrificio per impositionem manuum ordinando eos Episcopos, uti Apostolos facere solitos tradit S. Dionysius, *Eccles. Hierarch.* part. I, cap. II. Vide Bellarminum, lib. I *De Missa*, cap. XIII.

Dices, per sacrificium hic accipi posse Aaronicum, puta immolationem ovis aut vituli : adhuc enim fideles servabant legem Mosi, non ex obligatione, sed ut Judæos non offenderent. Respondeo id dici non posse : nam sacrificium hoc oblatum est Antiochiæ, cum Aaronicum non nisi Hierosolymis in templo Salomonis offerri posset, juxta legem, *Deut.* cap. XVI, 6.

JEJUNANTIBUS. — Jejunium enim ex Apostolorum usu et traditione solet præmitti ordinationi, tum ut fideles Dei gratiam, ad idoneos ministros Ecclesiæ ordinandos, jejunio implorent; tum ordinandi jejunio se disponant ad recipiendam ordinationis gratiam. Ita S. Chrysostomus hic.

DIXIT — instinctu interno, quem prophetis et primoribus Ecclesiæ ingessit.

SEGREGATE MIHI SAULUM AC BARNABAM IN OPUS. — Segregate Saulum quasi vas electionis, id est selectum et eximium per singulare judicium Dei, quo ab æterno decrevit et segregavit Saulum in Apostolum Gentium et orbis Doctorem. Ita S. Chrysostomus. Unde et Paulus vocat se segregatum, *Galat.* I, 15. « Segregate » ergo eum per executionem et missionem, quem Deus ab æterno segregavit per electionem ad hanc missionem.

Porro Saulus jam ab initio suæ conversionis a Deo designatus et auctoratus erat Apostolus Gentium, *Act.* IX, 15, sed in actu primo et secrete : hic vero in actu secundo et publice designatur Apostolus earumdem, ut eos evangelizando obeat et percurrat. Hactenus enim Damasci et Antiochiæ duntaxat prædicaverat.

Segregatus fuit quoque Barnabas et sublimatus ad apostolatum, ob insignem ejus virtutem et zelum, quo omnes suas facultates ad pedes Apostolorum posuerat, IV, 36, ut expeditus esset ad ubique evangelizandum. Quocirca S. Barnabam hisce elogiis ornat Alexander monachus, initio Vitæ ejus : « Barnabas, inquit, magnus Ecclesiæ orator, Evangelicæ prædicationis tuba, magna Christi vox, Spiritus Sancti cithara, divinæ gratiæ plectrum, Christi miles robustissimus, Christiani ovilis dux certus, Dei Paradisus, fidei germen, charitatis rosa suavissima odorem emittens, spei flos incorruptus, immortalitatis racemus, mel distillans, patientiæ propugnaculum. Barnabas consolationis filius, pietatis magister, fidei columna ac fastigium, turris firma et immobilis, fundamentum stabile, crepido indissolubilis, fluctuantium portus, architectus nobilissimus, qui cœlestem in terris tenuit semitam, et parem angelis vitam duxit, adjutor pauperum, viduarum consolatio, orphanorum procurator et pater. Barnabas Christi mysteriorum thesaurus, orthodoxorum minister, ægrotantium medicus, Christiani gregis custos vigilantissimus, Gentium dux, Ecclesiarum præco, virtutum cœlestem odorem spirantium rosetum, Christi gratiarum ager fertilissimus, virginitatis margarita, castitatis beryllus, temperantiæ gemma Christum in se loquentem habens, electum Dei vas, sanctæ Trinitatis templum. »

IN OPUS — scilicet evangelizandi ubique Gentibus.

AD QUOD ASSUMPSI EOS, — προσκέκλημαι, id est *accersivi eos*. Ita Pagninus et Tigurina; alii, *in auxilium advocavi eos*. Meminerint ergo Apostoli et viri apostolici se in auxilium vocari a Spiritu Sancto ad animas sanctificandas, ideoque Dei in opere divino et nobilissimo esse cooperatores et adjutores, ut ait S. Paulus, I *Cor.* III, 9. Porro

(1) Incipit hic tertia hujus historiæ Apostolicæ epocha, usque ad finem libri pertinens, quæ historiam de Pauli meritis et itineribus comprehendit.

Spiritus Sanctus Saulum et Barnabam accersivit hac ipsa vocatione et jussione, dicens : « Segregate mihi Saulum, etc., » nec enim aliam uspiam legimus. *Secundo*, planius, « assumpsi, » id est assumere decrevi et ab æterno prædestinavi. Verba enim realia apud Hebræos sæpe per mentalia exponenda sunt.

3. TUNC JEJUNANTES. — Græce sunt aoristi, quos Syrus vertit, *postquam igitur jejunassent ac preces auspicati fuissent, imposuerunt* (melius, *et imposuissent*) *eis manus, et dimiserunt eos.* Ita Pagninus, Vatablus et alii.

An Saulus et Barnabas sit Episcopus?

IMPONENTESQUE EIS MANUS. — Quæritur, an hæc impositio manuum fuerit sacramentum Ordinis, puta consecratio in Presbyteros vel Episcopos? Negat Arias hic, et Cajetanus, cap. VI, 6, quin et Franciscus Suarez, tom. III, in III *part.*, disp. XXXIV, sect. I (et alii), ubi hanc impositionem manuum asserit fuisse precatoriam, non ordinativam. Ratio est : *Primo*, quia jam ante a Deo Saulus erat ordinatus Apostolus, *Act.* IX, 15. Unde *Galat.* II, 6, ait, quod cæteri Apostoli nihil sibi contulerunt. Hic ergo tantum imponitur ei apostolatus executio, puta mittitur ad evangelizandum : ad quod non opus erat nova ordinatione. Simili modo Paulus, II *Cor.* VIII, 19, ait de socio suo quod ordinatus, id est constitutus sit comes peregrinationis suæ. *Secundo*, quia Paulus videtur ordinatus Presbyter et Episcopus a S. Petro et Apostolis, quorum nemo hic nominatur.

Verum melius alii affirmant dicuntque Saulum et Barnabam hic ordinatos esse Episcopos. Nam plane verisimile est eos jam ante ordinatos fuisse Presbyteros. Jam enim per annum Antiochiæ turbam multam docuerant, ut ait Lucas, cap. XI, vers. 26; hoc autem est proprium Presbyterorum, ut recte advertit Turrianus, lib. I *De Hierarch. Ordin.*, cap. XXVI. Ratio est : *Prima*, quia id circumstantiæ videntur exigere, scilicet liturgia, jejunium prævium et impositio manuum. Inde enim quasi ex usu et exemplo Apostolorum, Ecclesia solet præmittere jejunia et preces ante impositionem manuum, id est ante consecrationem ordinandorum, easque peragere in Liturgia Missæ. *Secunda*, quia nusquam legimus Saulum et Barnabam ordinatos fuisse Episcopos, nisi hic : unde et mox cap. XIV et seq., Episcopalia munia obierunt, ordinando per civitates Presbyteros. *Tertia*, quia hæc impositio manuum facta est sub anno Christi 45, ut deducit Baronius et liquet ex dictis, cap. XII, vers. 1, quando Paulus raptus est in tertium cœlum, et audivit arcana verba, quæ non licet homini loqui, uti ostendi II *Cor.* XII, 2; nimirum quia decebat ut Saulus jam proxime futurus Gentium doctor, et legationem suam ad eas auspicaturus, in cœlum raperetur, ut quasi cœlestis doctor, instar Mosis e cœlo ad eas mitti videretur. Quare congruum fuit tunc quoque ei ultimam manum ordinationis, per consecrationem in Episcopum imponi. *Quarta*, quia Christus ordinavit Apostolos Episcopos, hi alios et alios : ergo et Paulus ab iis ordinatur : hoc enim postulat ordo hierarchicus a Christo institutus, ut cum ipse Petrum et Apostolos ordinarit, cæteri omnes ab eis vel eorum successoribus ordinentur. Sic multi censent S. Jacobum Minorem ordinatum esse Episcopum Hierosolymorum a S. Petro, Joanne et Jacobo Majore. Citat eos Henriquez, lib. *De Ordin. Sacram.*, cap. III. Nusquam autem apparet quod ab hominibus ordinatus sit Saulus, nisi hic. Ita docet S. Chrysostomus hic. Et S. Leo, *epist.* 81, vel juxta aliam editionem 79, *ad Dioscorum Alexand.*, sancit ut jejunium præmittatur ordinationi, eo quod illud hic præmiserunt Apostoli ordinationi Sauli et Barnabæ.

Dices *primo* : Quomodo ergo ait Paulus de cæteris Apostolis, « Mihi nihil contulerunt ? » *Galat.* II, 6. Respondeo id intelligi de doctrina et Evangelio ; hoc enim ipse a Christo didicit, non ab Apostolis. Nam alioqui Ananias contulit ei baptismum, Apostoli Confirmationem et Ordinem.

Dices *secundo* : Quis hic Apostolus et Episcopus eos ordinavit ? Non Petrus, ut vult Arator, quia jam abierat Romam. Non Jacobus Zebedæi, quia jam occisus erat ab Herode. Non cæteri Apostoli, quia jam discesserant in suas provincias. Respondet Lyranus Antiochiæ fuisse Episcopos ab Apostolis ordinatos, qui eos ordinarunt. Œcumenius censet Lucium et Manahen eis manus imposuisse. Potuit quoque e Judæa advocari S. Jacobus, Episcopus Hierosolymorum ; S. Joannes, S. Matthias, aut quis alius vicinior Apostolus. Unde S. Leo loco jam citato ait, eos ordinatos ab Apostolis.

Quæres *secundo*, quo anno ordinatus fuit Saulus cum Barnaba, ac apostolatum suum ad Gentes est auspicatus ? Respondeo : Beda censet id fuisse anno 13 ab ascensione Christi, qui fuit a Christi nativitate 47. *Secundo*, *Chronicon Alexand.*, sive *Fasti Siculi*, scribunt id contigisse anno quinto Claudii imperatoris, qui fuit Christi 49.

Verius est eum ordinatum fuisse anno Christi 44, concurrente cum anno 3 Claudii imperatoris ; nam initio hujus anni 45, Petrus e carcere liber venit Romam ibique cathedram constituit, uti ostendi capite præcedenti, vers. 1. Hæc enim præcedenti capiti subnexa, paulo post carcerem Petri contigisse videntur. Ita Baronius et alii : nimirum congruebat ut, quo anno Saulus adibat Gentes eas subjugaturus Christo, eodem Petrus, Apostolorum Princeps, peteret Gentilismi arcem, puta Romam, eamque Christo subderet. Addit S. Leo, epist. citata *ad Dioscor., Alex. Episcopum*, Saulum et Barnabam ordinatos fuisse die Dominico, ideoque sancit, ut idem deinceps fiat. Unde hæc Leonis sanctio relata est in *Jus Canonicum*, et habetur dist. LXXV, can. 5 : « Quod die Dominico ordinationes sacerdotum celebrentur, » etc.

Denique notat S. Hieronymus, epist. 85 *ad Evagrium*, hanc ordinationem ministrorum Ecclesiæ adumbratam fuisse in veteri Testamento, ex eoque usurpatam in novo. Quod enim, inquit ipse, Aaron et filii ejus, ac Levitæ in templo fuerunt, hoc Episcopi, Presbyteri et Diaconi vindicant in Ecclesia : unde etiam Aaron et filii ejus impositione manuum Mosis ordinati sunt, *Exod.* XXIX, 9 et seq.



4. ABIERUNT SELEUCIAM. — Quia hæc vicina erat Antiochiæ, unde mittebantur, eratque urbs frequens et celebris. Condita et nominata est a Seleuco Nicanore, uno e ducibus Alexandri Magni, qui primus post Alexandrum, anno scilicet duodecimo post mortem ejus, diadema Asiæ sibi imposuit, indeque incipiunt et numerantur anni Græcorum (id est Macedonum, posterorum Seleuci) in libris *Machabæorum*. Tradit Volaterranus, lib. XI *Geogr.*, Seleucum urbes sedecim vocasse Antiochias, in honorem patris sui Antiochi ; a se novem Seleucias ; a matre Laodice, quinque Laodiceas ; ab uxore Apamia, tres Apamias (1).

ET INDE NAVIGARUNT CYPRUM, — quia e Seleucia commodius est trajectus in Cyprum.

5. SALAMINAM — quæ postea a Constantino Imperatore dicta est *Constantia*, cujus Episcopus fuit S. Epiphanius ; nunc *Famagosta*, quasi Fama augusta dicitur, a septuaginta annis expugnata a Selymo, Turcarum imperatore.

IN SYNAGOGIS JUDÆORUM. — A Judæis ordiuntur, ne hi contentiosiores fierent, ait S. Chrysostomus, si vidissent Gentes sibi in Evangelio præponi.

HABEBANT AUTEM ET JOANNEM (cognomento Marcum, de quo cap. XII, vers. 25) IN MINISTERIO. — Græce ὑπηρέτην, id est *ministrum*, *q. d.* Joannes Marcus ministrabat Saulo et Barnabæ, præsertim in cura victus, vestitus rerumque temporalium, eosque adjuvabat ut facilius et plenius evangelizarent.

6. CUI NOMEN ERAT BARJESU. — Multi codices legunt *Barjeu*, vel *Barjehu*, *q. d.* Bar Jehova, id est filius Dei, puta Jovis. Sicut Simon Magus vocabat se virtutem Dei, cap. VIII, vers. 10. Unde Paulus huc alludens vers. 10, idque refelliens, vocat eum filium, non Dei, sed diaboli. Verum legendum est *Barjesu* (ita enim legunt Græca et Romana correcta), id est filius salvatoris, hoc est salvator. Hoc enim nomen impostor sibi arrogabat, eo quod per magiam multos ægros sanaret. Adde, videtur quod pater ejus vocatus sit Jesus : a Josue enim, primo Hebræorum duce percelebri, qui eos induxit in terram promissam, multi vocati sunt Josue, sive Jesus : ita Sanchez. Quare minus recte Syrus pro *Barjesu*, legit *Barschoumo*, id est *filius nominis*, hoc est nominatus, celebris et famosus, quasi *Elymas* inverse idem sit quod *Schoumo*, de quo mox.

7. QUI ERAT CUM PROCONSULE. — « Proconsul » erat quasi vicarius consulis, quia scilicet nomine consulis Romani, potestate consulari provinciam administrabat : unde et ejus præses, vel præfectus dicebatur. Rursum, proconsules Romæ vocabantur exconsules, qui scilicet præcedenti anno fuerant consules. Hi enim obitæ dignitatis nomen ex parte retinebant, et sæpe ut proconsules mittebantur ad regendas provincias. Vide Sigonium, *De Magistrat. Roman.* (1).

DESIDERABAT AUDIRE VERBUM DEI. — Ἐπεζήτησε, id est *studiose quæsivit et expetiit* : unde et meruit fieri voti compos. Solet Deus eis quibus fidem et gratiam destinat, prius illius desiderium injicere, ut per hoc se ad donum tantum præparent, illudque efflagitent, et obsecrando quasi emereantur. Unde S. Chrysostomus miraculo deputat, quod Sergius Paulus præoccupatus a mago, adeo desiderarit audire Apostolos.

8. ELYMAS MAGUS : SIC ENIM INTERPRETATUR NOMEN EJUS. — Varii hoc varie exponunt. *Primo*, Cajetanus pro αὐτοῦ, id est *ejus*, vertens *suum* (Hebræi enim idem habent pronomen reciprocum, quod absolutum) sic transfert et explicat, *q. d.* Barjesu voluit dici *Elymas*, id est *Dei mensura* vel *census*, fingens et mentiens id significare *Barjesu*. Sic enim ipse interpretabatur nomen suum Hebræum apud Græcos ; sed quasi magus et impostor mentiebatur et fallebat eos. Nam *Barjesu* vocabatur quasi *filius Jesu*, quod nihil commune habet cum Elyma, id est censu Dei. Alii minus improbabiliter sic explicant, *interpretatur*, id est alio nomine vocatur, *q. d.* Barjesu alio nomine vocabatur Elymas magus. Sicut si dicas : Petrus interpretatur, id est alio nomine vocatur Simon. *Secundo*, alii volunt Barjesu hebraice significare magum ; sed hoc est ignorantium linguam hebræam, in qua Barjesu idem est quod filius Salvatoris. *Tertio*, Gagneius Elymam interpretatur cæcum : hic enim, inquit, hebraice dicitur *Elimana*, vel *Eliman*, quia Elymas excæcatus fuit a S. Paulo. Sed et hoc falsum est, æque ac impertinens, quia S. Lucas Elymam interpretatur magum, non cæcum. *Quarto*, Arias ex Syro : *Elymas*, inquit, inverse idem est quod *Samuel*, id est nomen Dei, vel nomen forte et magnificum, qualia in suis incantationibus adhibere solent magi. *Quinto*, Mariana : Elymas, inquit, dicitur magus, ab Elymaide regione Persidis, in qua abundant magi : sicut Chaldæus idem est quod astrologus vel magus, quia Chaldæi

Vers. 8. Elymas, idest magus, qua radice? Resp. Primo.

(1) Cum plures fuerint urbes Seleuciæ nomine insignibe, quærunt interpretes quamnam meminerit hic Lucas. Juxta Rosenmullerum, non est Seleucia *Ciliciæ*, sed potius Seleucia *Syriæ* ad Orontem fluvium. Conf. Rosenmulleri *Bibl. Alterthumsk.* Vol. I, part. II, p. 261.

(1) Duplicis generis magistratus eo tempore in provincias mittebantur. Nonnullæ enim provinciæ erant Cæsareæ ; atque in has mittebantur proprætores, qui iis præessent. Aliæ erant provinciæ senatus populique Romani, et in eas mittebantur proconsules. Cyprus antea quidem fuerat provincia Cæsarea, sed Augustus eam donaverat populo ; unde fiebat ut per proconsulem administraretur.

Astrologiæ erant dediti. *Sexto*, Vatablus : Elymas, inquit, græce idem est quod præstigiator, incantator, impostor. Sed a quo themate? et quo auctore? Aliqui deducunt ab ὄρφνος, id est niger, ut niger sit idem quod magus, sicut Germani et Belgæ artes nigras vocant magicas, quin et magia vulgo *nicromantia* dicitur, sed forte pro *necromantia*. Alii Elymas vertunt, *corruptor, perditor, vastator*, quales sunt magi; ut sit idem quod λυμεών, id est *perditor*, a λύμη, id est *pernicies* : verbum enim λυμαίνω significat *perdere, corrumpere, vastare*, idque videtur plausibile. *Septimo*, alii censent Elymas esse nomen Hebræum, sed varie : nam *primo*, S. Hieronymus, in *Nominib. Hebr.*, et ex eo Beda : « Elymas, inquit, idem est quod *ad transgressionem*, vel *transgressionem faciens*. » *Secundo*, Beza *Elymas* deducit ab אֵל יוֹעֵץ *el joets*, id est Dei consiliarius : magi enim erant Persarum sapientes et consiliarii, et Mahamet impostor finxit se esse consiliarium Dei. Verum *Elymas* longe distat ab *el joets*. *Tertio*, Lyranus : *Elymas*, inquit, idem est quod *Eli mas*, id est Dei tributum, Dei census, Dei mensura. *Quarto*, Bibliander apud Bullingerum censet Elymas per metathesin idem esse quod Elias, vel Eliseus, aut Elia Moses : hoc enim innuit vox μετεμψύχωσις, scilicet hoc nomen per aliquam litterarum transpositionem vel commutationem exponendum esse : μετὰ enim significat *trans*, quasi Elymas finxerit se esse Eliam, aut habere animam Eliæ et Mosis. Verum, quid hæc ad nomen Magus, quo vocem *Elymas* interpretatur Lucas. *Quinto*, alii volunt esse nomen Syrum : *Elyma* enim Syre significat iracundum, ira ebrium et quasi furiosum, uti magi et energumeni furiis dæmonis aguntur. *Sexto*, Elias Hutterus, in versione hebraica Novi Testamenti, hoc loco pro *Elymas* vertit אֵלִי מָשִׁיחַ *eli maschiach*, id est *Eli messias*, hoc est Deus meus Messias, quasi magus hic finxerit se esse Deum Messiam, sive Christum, ac pro *Elimessias* per crasin vocarit se *Elymas*; ideoque nomen suum *Barjehu*, vel *Barjesu* interpretatus sit per *Elymas*, id est, *Elimessias* : *Barjehu* enim est filius Dei, *Barjesu* est filius Salvatoris, id est Salvator; qui utique non est alius quam Elimessias, id est Deus Christus; sicut nos Iesum interpretamur, addendo et indigitando Christum. Verum perperam pro *Elymas* substituit *Eli Maschiach* quod habet litteram *chet*, qua caret *Elymas*. Rursum *Eli* scribitur per *iod*, *Elymas* per *upsilon*. Nullus enim per *Elymas* intellexit aut intelligit significari Messiam. Nusquam enim Messiæ nomen per crasin contrahitur, sed ubique integrum ponitur et pronuntiatur. Adde nomen proprium ejus fuisse *Elymas*, quod interpretatur *Magus*; Barjesu enim ejus cognomen fuit a parente, *q. d.* Elymas filius Iesu. Sic Simon cognominatus est Bar Jona, id est filius Jonæ.

*Septimo* et verisimillime Sanchez : Elymas, ait, videtur esse barbarum nomen, ac forte Cyprium priscum, significans magum : sicut Barnabas olim Cypria lingua significabat filium consolationis, uti dixi cap. I, vers. 36. Certe Hebræi עָלַם *alam* vocant abscondere et occultare; et inde Græci εἰλύω vocant involvere, implicare, et εἴλυμα vel εἴλημα vocant involucrum, occultum; atque Arabes ab Hebr. *alam*, sapientiam vocant *alilm*, vel *talim*, id est rem arcanam; ac *olim* vocant scientem, litteratum, doctum, quasi similiter Elymas apud Cyprios idem fuerit quod impostor, præstigiator, magus, mystes, qui occultorum scientiam, mysteria artesque arcanas profiteretur. Ita nonnulli linguarum periti. Sic et Pagninus, in *Interpret. nomin. Hebr.* : Nomen Elymas, ait, significat magum, sive corruptorem, vel perniciosum, aut tegmen et involucrum, ab εἰλύω, id est *involvo, in limo implico* : unde et φωλεός, id est *latibulum, lustrum, spelunca*, ubi cum dæmone colloqui et magica sua tractare solent magi; et εἰλυσπᾶσθαι, id est *ad modum serpentis moveri*. Dæmon enim sæpe in forma serpentis magis apparet. Sane Elymas videtur ex peregrina lingua, uti et alia multa, irrepsisse in Græcum. Græce enim loquuntur Cyprii, ut et olim locuti videntur, uti mihi Romæ asseruerunt Cyprii, et indicat Aristoteles, lib. *De Poetica*, cap. XXI; ubi tamen innuit eos propriam habuisse dialectum. Porro sicut S. Petro certamen fuit cum Simone Mago, S. Joanni cum Apollonio Thyanæo pariter mago, sic et hic Paulo cum Elyma mago. Diabolus enim per suos magos validissime se opposuit Christo, Apostolis et Ecclesiæ, uti etiamnum opponit. Valde enim crescit magorum et sagarum secta, quæ in fidelium corpora animasque grassatur (1).

9\. Saulus autem qui et Paulus. — Hic primum Saulus vocatur *Paulus*, quod nomen deinceps semper ei tribuit Lucas. Unde videtur quod occasione Sergii Pauli proconsulis et apostolatus sui ad Gentes, nomen Hebræum *Saulus*, in Romanum et Græcum *Paulus* commutarit, ut facilius et blandius se Romanis et Græcis, quasi re et nomine Romanus, insinuaret. Vide dicta *Rom.* I, 1. Vers. 9

Repletus Spiritu Sancto. — Novum sensit hic Paulus Spiritus Sancti ardorem et instinctum ad opus arduum et miraculosum aggrediendum, nimirum ad Elymam magum confutandum excæcandumque, eaque ratione convertendum Sergium Paulum proconsulem. Vide dicta cap. II, 4.

Intuens in eum. — Iracundis et ardentibus oculis Elymæ arcanam malitiam penetrans, perspiciens et castigans. « In oculis, ait Plinius, lib. XI, cap. XXXVII, animus inhabitat. Ardent, intenduntur, nictant, connivent. Animo videmus : oculi seu vasa quædam, visibilem ejus partem accipiunt atque transmittunt. » In oculis ergo cernitur animus ejusque passiones et motus iræ, indignationis, amoris, benignitatis, etc. Idque verius in Sanctis et Apostolis, quorum animos indeque oculos inhabitat regitque Spiritus Sanctus

(1) Juxta hodiernos interpretes, *Elymas* non est nomen proprium hujus viri, sed æquipollet voci sequenti ὁ μάγος. Est idem qui, vers. 6, dictus fuerat *Barjesu*. Plene ergo vocabatur Barjesu Elymas, id est Barjesu magus, ad indicandam ejus sapientia... In lingua arabica et persica *Elymon* non solum sapientem, qui res divinas et humanas scrutatur, sed etiam *Magum, magicas artes exercentem*, significat.



10\. O plene omni dolo (interno) et omni fallacia — externa : Pagninus et Tigurina, *omni versutia*. Syrus, *omnibus flagitiis* : hæc enim facile, instigante diabolo, perpetrant magi; et Græcum ῥᾳδιουργία significat propensionem ad quodvis facinus patrandum, ait Vatablus.

Fili Diaboli. — « Fili, » non generatione, sed instinctu et imitatione, quia ejus contra Christum suggestiones et dolos opere perficis. Diabolus enim quasi serpens, dolosissimus et vaferrimus est. Nam, ut ait S. Cyrillus, in cap. VI *Joan.*, lib. IV, cap. XXX : « Sicut qui adhæret Deo, unus spiritus fit cum illo; ita qui diabolo, diabolus quodammodo efficitur. » Unde et Judas, quia dolosus et proditor Christi, ab eo « diabolus » vocatur, *Joan.* VI, 70. Vere S. Justinus apud Damascenum, lib. I *Paral.*, cap. XXIV : « Vitæ, ait, a ratione aversæ dux et gubernator, dæmon est. »

Inimice (non casu, non lapsu infirmitatis, sed studio, proposito, firma malitia et destinata voluntate) omnis justitiæ. — *Primo*, quia Elymas adversabatur Evangelio Christi, quod tradebat Paulus, in quo continetur omnis justitia. Ita S. Chrysostomus. *Secundo*, « omnis, » id est humanæ et divinæ; quia impediebat fidem Christi, per quam solam vera justificatio datur, quæ nos justos facit tum coram Deo, quam coram hominibus. *Tertio*, « justitiæ, » id est virtutis : nam, ut ait Aristoteles, lib. V *Ethic.*, justitia generalis est virtus, quæ in sese virtutes continet omnes : omnis enim vera virtus nititur fide et gratia Christi, cui resistebat Elymas. Ita Arias. *Quarto*, « justitiæ, » id est æqui ac justi, puta legis divinæ, quæ præscribit id quod justum est, *q. d.* Tu es hostis legis Evangelicæ, quæ in se omnem legem, scilicet naturæ et Mosaicam, divinam et humanam complectitur. Ita Dionysius. *Quinto*, omne subinde idem est quod integrum, perfectum : ut *Eccles.* XII, 13 : « Deum time, et mandata ejus observa. Hoc est enim omnis homo : » omnis, id est totus, perfectus, vel quidquid est homo. Sæpe enim Hebræi per catachresin totum universale sumunt pro toto integro, id est omne pro toto, *q. d.* Omne bonum, omne officium, omnis perfectio, finis et felicitas hominis in hac vita consistit in timore Dei ejusque legis observantia. Aut : Hoc est quod spectare debet omnis homo, quantus quantus est, in dictis factisque suis omnibus et tota vita, ut sibi jugiter et ubique ob oculos ponat Dei timorem, indeque impellatur ad servanda ejus præcepta. Nam, ut ait ibidem Salonius, qui aliter vivit et facit, non homo est, sed bestia, quia non rationaliter, quæ est natura hominis, sed bestialiter vivit, nimirum si gulose, ut lupus; si dolose, ut vulpes; si superbe, ut leo; si crudeliter, ut tigris; si libidinose, ut porcus; si acediose, ut asinus.

Justitia quadruplex.

Non desinis subvertere vias Domini rectas? — Nervosius Græca et Syrus habent, *non desines?* *q. d.* Quousque non desines subvertere, et, ut Tigurina, invertere vias Domini rectas? « Viæ Domini » sunt Evangelium, fides, lex et gratia Christi, cui resistebat Elymas, pro eis supponens et opponens suas artes magicas, quibus colebatur diabolus. Illis enim quasi viis animam ingreditur, eamque quasi templum suum inhabitat.

11\. Ecce manus, — id est vindicta et punitio, quæ fit manu. Est metonymia. Mystice et Chrysostomus : Erat, inquit, hæc manus medica Dei, quia dirigebatur non ad ultionem, sed ad sanationem Elymæ, ut ille excæcatione oculorum percussus aperiret oculos mentis, Christumque per fidem agnosceret.

Et eris cæcus. — Quia enim alios in mentis cæcitatem et errorem inducis, juste et congrue punit te Deus cæcitate oculorum, ait Beda.

Non videns solem usque ad tempus. — Temporariam, non perpetuam, ut vult Glossa, cæcitatem illi inflixit Paulus, ut resipisceret. Censent aliqui eum ad tempus resipuisse, Paulo credidisse et a cæcitate curatum esse. Ita Isidorus Pelusiota, lib. I, *epist.* 354. Sed postea ad judaismum et magiam rediisse liquet : nam S. Dionysius, cap. VIII *De Divin. Nominib.*, asserit Elymam postea rursum restitisse Paulo, ac nominatim arguisse ejus dictum : « Deus seipsum negare non potest, » II *Timoth.* II, 13, quasi inde sequeretur, quod Deus non esset omnipotens. Unde Beda Elymam æternæ Dei ultioni subjicit, ob insanabile peccatorum pondus.

Caligo, — quæ instar nubis, vaporis vel nebulæ oculos velaret, eisque vim usumque cernendi adimeret : unde ea postea a Deo sublata, rursus recte vidit.

12\. Tunc proconsul cum vidisset factum, — puta Elymæ excæcationem et in eo superatum a Paulo diabolum, credidit, admirans, ἐκπλησσόμενος, id est perculsus, attonitus, sacro horrore perfusus, super doctrina Domini; nimirum eam esse tam potentem tamque thaumaturgam, ut illico ei resistentem Elymam, licet magum et mirabilium opificem, cæcitate percutiat. Porro hic proconsul, quasi illustres primitiæ spoliorum Pauli e Gentibus, ei nomen suum dedit, ut pro Saulo vocaretur Paulus. Fuit enim a Paulo creatus Episcopus ac spiritu Apostolico claruit, ideoque inter Sanctos relatus est. De eo imprimis sic scribit Lucius Dexter in *Chronico* ad annum Christi 76 : « Sergius Paulus Hispali, Cordubæ, Barcinonæ, Cæsaraugustæ, secuntiæ et in plurimis aliis

Hispaniæ urbibus prædicat, totasque Hispaniæ provincias peragrat. » Rursum eum factum esse Episcopum Narbonæ in Gallia, docet Prudentius, *Peri Stephan.*, Hymno 4 : « Surget et Paulo speciosa Narbo. » Et *Martyrol. Romano*, die 22 martii, de eo sic habet : « Narbonæ in Gallia natalis S. Pauli Episcopi, Apostolorum discipuli, quem tradunt fuisse Sergium Paulum proconsulem, qui a Paulo Apostolo baptizatus, et cum in Hispaniam pergeret apud Narbonam relictus, ibidem Episcopali dignitate donatus est : ubi prædicationis officio non segniter expleto, clarus miraculis migravit in cœlum. »

Paulus proconsul Episcopus Narbonæ.

13. Joannes autem (cognomento Marcus) discedens ab eis, reversus est Hierosolymam, — ex pusillanimitate aliqua nolens tot itinera conficere et tanta subire pericula, ait S. Chrysostomus et Baronius. Hinc ortum est dissidium et divisio Pauli et Barnabæ, de qua cap. seq.

14. Die sabbatorum, — id est die sabbati, sive uno die e sabbatis : variа enim per annum et menses singulos occurrebant sabbata.

15. Post lectionem legis et Prophetarum. — Lectione enim peracta, aliquis vel e Synagoga, vel advena habebat concionem, uti in ecclesiis parochialibus post lectionem Epistolæ et Evangelii in Missa habetur concio, idque ex instituto Apostolorum, uti testatur S. Clemens, lib. VIII, *Constit.* 4. Hinc et in Horis Canonicis post Psalmos, Epistolas et Evangelia leguntur homiliæ Patrum. Porro solebant advenas, si idonei videbantur, ad hanc concionem faciendam ex humanitate invitare, uti hic invitant Paulum. Idem de Episcopis, cum alium Episcopum aliamque civitatem adeunt, ut ad concionem invitentur, sancit Concilium Carthaginense IV, can. 33, et S. Clemens, lib. II *Constit.*, 58. Exempla in *Vitis Sanctorum* hac de re passim sunt obvia.

Si quis est in vobis sermo exhortationis. — Tigurina, *si est vobis in animo sermone exhortari populum*, si lubet sermocinari et exhortari.

16. Manu silentium indicens. — Sic ait Persius :

> Fecisse silentia turbæ
> Majestate manus.

Hoc enim gestu olim verba facturi silentium indicebant.

Viri Israelitæ. — Hic est primus sermo S. Pauli descriptus a S. Luca, plenus sapientia et spiritu Apostolico, imo Paulino, cujus summa est hæc, ait Lyranus : Deus ille qui tot patribus antiquis contulit beneficia, olim vobis in semine David redemptionem promisit, hanc nunc in Jesu Nazareno adimplevit : illi ergo ut redemptori credite et adhærete.

Et qui timetis Deum. — *Primo*, quasi hoc sit expositio et epithetum Israelitarum, sensus est, *q. d.* Vos qui estis Israelitæ, posteri Israelis, sive Jacobi Patriarchæ, ideoque timetis Deum. Ita Chrysostomus. *Secundo* simplicius, ut hoc sit disparatum ab Israelitis : illud enim indicat copula *et*, *q. d.* Et vos, o proselyti, sive Gentiles conversi ad judaismum, qui timetis, id est reveremini et colitis, Deum verum. Timor enim in Scripturis significat Dei cultum. Nam proselyti cum Judæis in sabbatis conveniebant in Synagogam ad audiendam legem. Ita Arias, Lorinus et alii.

17. Elegit patres nostros, — ex omnibus gentibus, ut essent populus et Ecclesia Dei. Elegit autem in Abraham, Isaac et Jacob, vocando eos ad sui cultum, et promittendo eis sese fore eorum Deum ac ex semine eorum producturum Christum; atque in Mose, qui in Sina accepit legem a Deo et ritum sacrorum, quibus Israelitæ colerent Deum.

Et plebem exaltavit, — per Mosen, qui decem plagas Pharaoni in Ægypto inflixit, quibus eum coegit Israelitas e servitute liberos dimittere, quique populi ex Ægypto exeuntis fuit dux potens et gloriosus, utpote ductus et directus a Deo, ab eoque instructus et ornatus oraculis et prodigiis cœlestibus.

Brachio excelso, — maximo robore et potentia.

18. Mores eorum (inconditos, rudes, duros, rebelles) sustinuit. — Erat enim populus duræ cervicis : perinde ac mater sustinet non tantum pueriles, sed et malitiosos mores et gestus sui filioli, quem unice diligit. Vide *Deuter.* xxxii, 10, et *Num.* xi, 11 (1).

19. Terram eorum, — earum, scilicet Gentium. Vers. 19.

20. Quasi post quadringentos et quinquaginta annos. — Varie hos annos subducunt Abulensis, Julius, Hilarion, Gagneius, Cajetanus, Arias, Joannes, Benedictus. Dico breviter eos inchoandos esse a nativitate Isaac : nam ille fuit hæres promissionum a Deo factarum Abrahæ patri suo, de terra promissa, non Ismael ejus frater ex Agar. Inde enim usque ad egressum ex Ægypto fluxerunt anni 405, quibus adde 40 annos, quibus Hebræi vagati sunt in deserto, et quinque, vel septem, ut multi volunt, annos bellorum Josue, quibus finitis divisa est Hebræis terra per sortes, habebis annos 450, aut 452. Solet enim Scriptura negligere parvos numeros excrescentes, et consignare numeros integros et rotundos, quales sunt 450. Ita Beda, Glossa, Lyranus, Hugo, Dionysius et alii. Vers. 20.

In Græcis et Syris hic est error, ut fatetur etiam Lutherus et Beza. Habent enim sic : « Et post hæc annis circiter quadringentis et quinquaginta dedit eis Judices. » Hoc enim falsum esse, liquet ex libro et chronologia Judicum : constat enim eos non præfuisse 400 annis. Unde nonnulli pro 450 legendum censent 350; tot enim circiter præfuerunt Israeli Judices. Vide de his annis dicta *Exod.* cap. xxxii, vers. 40.

(1) Pro ἐτροποφόρησεν, *mores alicujus tulit, indulgenter tractavit*, alii legunt ἐτροφοφόρησεν, id est ἔτρεφεν. Significat nempe hoc verbum *ut nutrix aliquem ferre*, ut nutrix; deinde summam curam et amorem indicat : quæ notio optime convenit contextui orationis. Accedit quod hanc lectionem exhibent bonæ notæ codices vetusti, versio Syra antiqua cum nonnullis aliis versionibus, et Patres nonnulli.



21. Saul, etc., annis quadraginta. — In his 40 annis includuntur anni Samuelis, quibus ipse ante Saulem præfuit Israeli. Ita Josephus, lib. XIII *Antiq.*, in fine; Eusebius, in *Chronico*; Severus Sulpitius, lib. I *Histor. sacræ*; Abulensis, in I *Paral.* cap. xix, vers. 9, et alii passim, excepto Melchiore Cano, lib. XI *De Locis*, cap. v et seq., qui post Samuelem soli Sauli assignat annos regni 40, secutus Eusebium, lib. X *Præpar.*, cap. iii. Sed Eusebius id retractat in *Chronico*. Paulus enim hic Samuelem non inter Judices, sed inter Prophetas reponit, adeoque tempus Judicum finit in morte Heli, qui Samuelem præcessit. Ait enim : « Et post hæc dedit Judices usque ad Samuel prophetam. » Ergo tempus Samuelis non Judicibus, sed Regibus, qui Judices secuti sunt, annumerat : ac proinde totum illud tempus quod, ab exitu Judicum, seu a morte Heli fluxit usque ad finem regni Saulis (in quo utique Samuelis Judicis tempus comprehenditur), quadraginta annis definit. Ita Torniellus anno mundi 2979.

22. Qui faciet omnes voluntates meas, — id est omnia volita, puta omnia præcepta mea, « excepto sermone Uriæ Hethæi, » uti additur II *Reg.* cap. xi, vers. 2. Scilicet excepto adulterio et homicidio Davidis, in quo tamen rursum fecit voluntatem Dei, cum illud humiliter confessus est, amare planxit et per pœnitentiam abolevit. Ita S. Augustinus *ad Dulcitium*, Quæst. VIII, tom. IV. Nam peccatum numerationis populi, uti et alia nonnulla, nec tantum fuit, nec tam Davidis, quam populi, de quo II *Reg.* cap. xxiv, vers. 1. « Omnes » ergo, id est plerasque, pene omnes; cum enim in magno cumulo, v. g. hominum, unus alterve tantum deest, dicimus omnes adesse.

23. Eduxit Israel, — suscitavit Israeli salvatorem Jesum : græce enim est dativus τῷ Ἰσραήλ.

24. Ante faciem adventus (græce *introitus*) ejus, — id est ante adventum ejus, id est ante eum advenientem, vel etiam coram eo adveniente et introeunte ad Israel. Joannes enim fuit præcursor Christi, et ante Christum prædicavit pœnitentiam, ut venienti Christo viam aptaret, populumque præpararet ad gratiam, justitiam et salutem a Christo recipiendam. Sicut enim Lucifer præit solem, ita Joannes Christum.

Baptismum pœnitentiæ, — id est baptismum qui erat symbolum et incitamentum pœnitentiæ, ad remissionem peccatorum et justitiam baptismo Christi recipiendam. Baptismus ergo Joannis fuit pœnitentiæ, Christi vero justitiæ. Vide *Matth.* iii, 11, et *Act.* i, 5.

25. Cursum suum, — scilicet tam vitæ quam sui ministerii : quod erat Christo dare testimonium, eumque Israeli ostendere, ac corda hominum ad eum recipiendum præparare.

Quem me arbitramini esse. — *q. d.* Vos putatis me esse Messiam, sive Christum : fallimini, ego non sum Christus; sed ecce Christus post me illico veniet, quem ego non sum dignus discalceare.

Nota hic humilitatem S. Joannis, qua non tantum recusavit Messiæ nomen et honorem sibi a Judæis oblatum, sed et infra pedes Christi se abjecit, dicens se non esse dignum Christi calceos tangere, utpote qui esset non tantum homo, sed et Deus omnipotens, atque hac humilitate meruit exaltari, nec tantum pedes, sed et caput Christi tingere eumque baptizare, imo esse ejus paranymphus et Sponsi amicissimus.

27. Judicantes (id est condemnantes Jesum ad crucem) impleverunt (scilicet) voces Prophetarum, — qui uno ore prædixerunt Christum pro salute nostra passurum et moriturum. Ita Syrus. Vide dicta cap. iii, vers. 18.

32. Quæ ad patres repromissio facta est, — de Christi incarnatione et redemptione mundi.

33. Hanc Deus adimplevit filiis nostris. — Græce, *filiis eorum*, puta patrum nostrorum, scilicet *nobis*. Ita Pagninus, Vatablus, Erasmus et alii. « Nostris » ergo, id est patrum nostrorum, puta nostræ generationi, nostræ genti, nostro sæculo. Alii legunt, *filiis vestris*. Eodem omnes hæ lectiones recidunt.

In psalmo secundo. — Quidam Græci codices legunt *primo*, quia nonnulli psalmum secundum cum primo in unum conflant. Melius alii legunt *secundo* : nam communiter alii psalmum secundum a primo dispescunt, uti fuse docet Lorinus et Franciscus Lucas hic, in *Annot.* (1).

Dixit. — Objiciebat olim Eunomius, quo verbo dixit? Filius enim est primum unicumque Dei Verbum, per quod creavit omnia. Ergone eodem verbo dixit ad ipsum Verbum? Respondeo omnino : Verbum enim est id quod dicitur, et dicendo producitur gigniturque; ac simul est id cui dicitur : « Filius meus es tu. » Nam, ut dixi, dicendo gignitur : est enim verbum mentis, quod intelligendo dicendoque gignitur, non seminando, uti creaturæ suos filios et fœtus producunt. Nec alio verbo dicitur, cum sit primum (alioqui enim esset progressus in infinitum), sed seipso. Simili modo Pater et Filius non alio, sed eodem amore amant Spiritum Sanctum, quo ipsum spirant et producunt.

Ego hodie genui te. — Hunc vers. *Psalmi* ii tripliciter exponunt Interpretes. *Primo* et optime, de divina Christi generatione; *secundo*, de ejusdem incarnatione : vide dicta *Hebr.* i, v; *tertio*, de ejusdem a morte resuscitatione : hæc enim Tripliciter Pater genuit Filium.

(1) Imo aliqui censent neutrum a Lucæ manu scriptum fuisse, tum quia Nov. Test. Scriptores non solent citare numeros et capita, tum quia in quibusdam codd. reperit Griesbachius ubi mox ἐν τῷ ψαλμῷ, nullo numero addito.

in Scriptura vocatur regeneratio. Unde et Christus vocatur primogenitus mortuorum. Apostolus enim hisce verbis videtur velle probare resurrectionem Christi : in ea enim totus est. Nec male congruit hic sensus iis quæ dicuntur *Psal.* II de Gentibus et populis contra Christum insurgentibus, eum scilicet occidendo, *q. d.* Etsi Judæi insurgant in Christum eumque occidant et conentur ejus nomen abolere; ego tamen eum resuscitabo et secundo quasi gignam; ac resuscitato, ob meritum passionis ejus et mortis, dabo gentes in hæreditatem, ut habeat regnum et nomen æternum. Ita S. Hilarius, Chrysostomus, Jansenius, Vatablus, Flaminius, Vatlenius, *in Psal.* II, et S. Ambrosius, lib. III *De Sacerd.*, cap. I.

Quocirca triplicem hujus loci esse sensum : primum de generatione divina, secundum de incarnatione, tertium de resurrectione, concedunt Suarez, tom. II *De Incarn.*, disp. IV, sect. 1; Viegas, in cap. I *Apoc.*; Gregorius de Valentia, I *part.*, de ipsa Theolog., disp. I, *Quæst.* I, puncto 5; Molina, I *part.*, *Quæst.* XXVII, art. 1, disp. II, et alii, ut sensus sit : *Primo*, ego hodie, id est in æternitate, quæ est quasi punctum semper durans, et quasi unum idemque hodie, te illum meum Deum genui. *Secundo*, ego pariter generatione humana in B. Virgine, te, o Christe, hominem genui hodie, puta in hoc die incarnationis et nativitatis. *Tertio*, ego hodie, id est hoc die Paschatis, resuscitavi te. Verum quia aliis dura videtur hæc tertia expositio, et

Tertius sensus re[illegible] dat. Fr. Lucæ Primo.

quia Apostolus, *Hebr.* I, explicat hunc locum de æterna Christi generatione, facilius dici potest de eadem hic eum ... exponere. Hæc enim verba non est necesse referre ad τὸ *resuscitans*, quod immediate præcessit; sed remotius ad τὸ *annuntiamus eam, quæ ad patres nostros repromissio facta est* : hæc enim repromissio est Christus, sive Christi Filii Dei missio in carnem et mundum : Christum enim Dei Filium advenisse redemptorem et jam natum esse, utique probandum erat Paulo et Apostolis. Alterum vero de ejus resurrectione probat in sequentibus. Id ita esse, indicat id quod sequitur.

34. QUOD AUTEM SUSCITAVIT EUM A MORTUIS, etc., ITA DIXIT. — Ubi nota τὸ *autem*, *q. d.* Probavi Christum esse verum et naturalem Dei Filium ex *Psal.* II : « Filius meus es tu : ego hodie genui te. » Quod autem idem a Judæis occisus, a Deo Patre sit resuscitatus, probo ex *Isai.* LV, 3 : « Quia dabo vobis sancta David fidelia. » *Tertio*, quia per τὸ *ego hodie genui te*, tantum probat et explicat id quod præcessit, « Filius meus es tu, » *q. d.* Filius meus es tu, quia ego hodie, id est in instanti æternitatis, genui et semper gigno te. Christus autem non est Filius Dei constitutus per resurrectionem, sed per primævam generationem : Christi enim divinitatem ubique inculcant Apostoli, ne videatur fuisse merus homo, uti credebant Judæi, idemque postea crediderunt Nestorius, Arius, aliique hæretici. Ita Œcumenius, S. Augustinus, Beda, Cajetanus, Lyranus, Dionysius, Ribera, *ad Hebræos.* I; Genebrardus, *in Psal.* II; Bellarminus, lib. I *De Christo*, cap. V. Et huc tandem accedit S. Ambrosius, qui sic exponit, *q. d.* Ego hodie proprie genui te, et rursum hanc tui generationem hodie confirmavi, cum te peremptum in vitam revocavi, iterumque quasi hodie genui te. Resuscitatio enim Christi fuit index divinitatis ejusdem, quia vi divina resuscitavit se Christus nobisque eamdem resurgendi potestatem et gratiam elargitus est. Qui sensus medius est, et utramque expositionem conciliat, imo jungit. Sæpe enim verba activa Hebræorum non actionem, sed actionis, probationem, ostensionem et confirmationem significant, ut illud tunc fieri dicatur, cum factum esse demonstratur. Ita Sanchez et Vasquez, I *part.*, *Quæst.* I, disp. XVIII, num. 6. Sic ergo *genui te*, id est, ostendi te genitum ex me, sive ostendi quod ego genuerim te.

Verum prior sensus de ipsissima æterna Christi generatione, uti simplicior, ita germanior est. De illa enim proprie dicitur : « Ego hodie genui te. » Nam in æternitate et in æterna generatione, « ubi dies nec hesterni fine inchoatur, nec initio crastini terminatur, semper hodiernus est, » ait S. Augustinus. Hodie ergo proprie competit æternitati. Nam « hodie præsentiam significat, atque in æternitate nec præteritum quidquam est, quasi esse desierit; nec futurum, quod nondum sit, sed præsens tantum : quia quidquid æternum est, semper est, » ait S. Augustinus *in Psal.* II. Idem tamen competit humanitati, sive Christo homini, tum primum ex B. Virgine genito, quam postea a morte resuscitato, quatenus per resuscitationem rursum factus est hic homo, qui hypostatice unitur Deo estque Filius Dei. De eo enim vere dicitur, quod sit ab æterno a Deo genitus, quod sit Dei Filius, omnipotens, immensus, etc., per communicationem idiomatum, uti recte docet Molina loco jam citato. Per hanc ergo communicationem, hic locus referri potest ad Christum resurgentem.

QUOD AUTEM SUSCITAVIT. — Hic probat Christi resurrectionem, sicut paulo ante divinitatem.

AMPLIUS JAM NON REVERSURUM IN CORRUPTIONEM, — id est in mortem : mors enim est corruptio hominis et naturæ humanæ. Christus enim semel mortuus et resurgens, amplius non moritur : alioqui nec in prima morte corruptus, id est putrefactus et incineratus est, uti mox dicetur.

DABO VOBIS SANCTA DAVID FIDELIA. — « Sancta, » id est sanctas, pias et munificas promissiones Dei factas Davidi, faciam fideles, id est ratas, firmas et stabiles : quia eas opere complebo, præstando quidquid ei promisi de Christo ex semine ejus nascituro. Inter alia autem quæ de Christo ei promisi, est resurrectio et regnum æternum illius, et omnium fidelium per illum, *Psalm.* XV, 10 : « Quoniam non derelinques animam meam in inferno, nec dabis Sanctum tuum videre corruptionem. » Citat *Isaiæ* LV, 3 : « Feriam vobiscum pactum sempiternum, » per Christum, « misericordias David fideles. » *Misericordias* vocat promissa, quæ scilicet Deus misericorditer promisit de Christo, quæ Septuaginta vocant ὅσια, id est *sancta, pia, religiosa*, uti vertit Tertullianus. Ubi Nota, Hebr. חסיד *chasid*, quod Septuaginta vertunt ὅσιον, id est *sanctum*, significare pium, misericordem, et per metalepsim, sanctum, quia signum et causa sanctitatis est pietas, seu misericordia et eleemosyna, uti alibi dixi. Vide dicta *Isaiæ* LV, 3.

35. NON DABIS SANCTUM TUUM (Christum Christique corpus) VIDERE CORRUPTIONEM, — id est putrefactionem et incinerationem, uti dixi cap. II, 31. Unde R. Isaac vertit, « non dominabitur post mortem scolex aut vermis. » Aliter hic sumitur « corruptio » quam vers. præced., ibi enim mortem significat, hic putrefactionem : mors enim est initium corruptionis et via ad putrefactionem.

36. DAVID ENIM IN SUA GENERATIONE (sua ætate, sua vita et sæculo) CUM ADMINISTRASSET (id est inserviisset) VOLUNTATI DEI. — Fuit enim vir secundum cor Dei, faciens omnes voluntates ejus, vers. 22. Tigurina, Pagninus et Vatablus vertunt, *David cum suæ generationi ministrasset*, id est rexisset populum suæ ætatis, *voluntate Dei dormivit.* Melius vertit Noster : melius enim dicitur David serviisse voluntati Dei quam suæ generationi.

DORMIVIT, ET APPOSITUS EST AD PATRES SUOS, — id est mortuus est, relatus in numerum patrum jam mortuorum, aggregatus mortuis, quasi in tumulum et cumulum; quod alibi dicitur : Dormivit cum patribus, vel : Appositus est ad populum suum, vel : Ingressus est viam universæ carnis : hæc enim via est mors quæ fideles ducit ad immortalitatem.

37. QUEM VERO DEUS SUSCITAVIT (puta Christus), NON VIDIT CORRUPTIONEM, — *q. d.* Ergo locus ille *Psalmi* : « Non dabis Sanctum tuum videre corruptionem, » ad Christum pertinet, non ad Davidem, utpote qui mortuus sit et corruptus.

38. ET AB OMNIBUS (*q. d.* Annuntiatur vobis remissio a peccatis, æque ac ab omnibus cæremoniis et legis veteris oneribus) QUIBUS NON POTUISTIS JUSTIFICARI. — *q. d.* Christus liberavit vos non tantum a peccatis, sed etiam ab omnibus cæremoniis, quæ quia innumeræ et graves, erant onera legis, non commoda. Nam eæ vos justificare et salvare non poterant, sed solus Christus ejusque fides, gratia et Sacramenta.

39. IN HOC (id est per hunc, vel in hunc, scilicet Christum) OMNIS QUI CREDIT (fide non mortua, sed viva, quæ per charitatem operatur), JUSTIFICATUR, — non per imputationem meritorum et justitiæ Christi, ut argumentatur Calvinus, sed per gratiam et justitiam infusam, quam scilicet Deus animæ ob merita Christi infundit et indit.

40. IN PROPHETIS, — in uno e Prophetis minoribus, qui apud Hebræos simul in uno codice jungi ac proinde simul quoque citari solent, puta in *Habacuc* I, 5.



41. VIDETE CONTEMPTORES. — Paulus secutus Septuaginta legit בֹּגְדִים *bogedim*, id est prævaricatores, contemptores : sed Noster, Aquila, Symmachus, Theodotion et Chaldæus legunt בַגּוֹיִם *baggoim*, id est in Gentibus. Vide dicta *Habacuc* I, 5.

DISPERDIMINI. — Ita lege cum Romanis, non *dispergimini*. Sic et Græca habent ἀφανίσθητε : ἀφανίζω enim idem est quod *evanesco, destruor, disperdor, e conspectu auferor.*

OPUS OPEROR. — Ad litteram opus hoc fuit vindicta quam Deus per Chaldæos exercuit in gentes impias impiosque Judæos. Mystice, hoc opus est excæcatio, reprobatio et perditio Judæorum fidei et Apostolis rebellium, ac vocatio et electio Gentium. Minus recte Theophylactus et Hugo accipiunt Christi incarnationem, Lyranus passionem et resurrectionem, Cajetanus baptismum.

42. EXEUNTIBUS AUTEM ILLIS, — e Synagoga, ut habent Græca.

ROGABANT. — Græci plerique codices habent *rogabant eos Gentes*. Per *Gentes* Gagneius et Cajetanus accipiunt Gentiles; sed Chrysostomus, Theophylactus et alii accipiunt turbam et multitudinem Judæorum : ad hos enim pertinebat Synagoga. Verisimile est τὸ *Gentes* e margine in textum irrepsisse. Nam illud omittit Noster, Syrus et multi Græci.

UT SEQUENTI SABBATO. — Ita quoque vertit Syrus, Œcumenius, Pagninus, Tigurina; accedit et Vatablus qui vertit, *intercurrente*, vel *intermedio sabbato*. Perperam ergo Scaliger, in *Emend. temp.*, lib. VI, pag. 250, corrigit textum Græcum sicque legit : εἰς τὸ μεταξὺ σαββάτων, id est *in medio sabbatorum*, *q. d.* Diebus ferialibus, qui intercurrunt inter duo sabbata (1).

43. COLENTIUM ADVENARUM, — id est proselytorum, ut habent Græca, qui Deum verum colebant, non idola, quæ prius coluerant cum cæteris Gentibus. Unde vocantur εὐσεβεῖς, id est pii, religiosi, colentes Deum. Aliqui σεβόμενοι passive vertunt, *culti*, *honorati*, *celebres*, quasi fuerint viri illustres.

IN GRATIA DEI, — qua præventi cœperant sequi fidem Christi et Apostolorum.

45. ZELO, — invidia et indignatione.

46. INDIGNOS VOS JUDICATIS, — et judicando facitis. Dum enim judicatis spernendam esse Christi fidem, tacite pariter judicatis vos indignos vita æterna. Illa enim nemo dignus est, nisi qui fidem Christi capessit.

47. PRÆCEPIT. — Dum enim prædixit per Isaiam se decrevisse et velle ut Christus sit lux et salus Gentium, consequenter hoc ipso decrevit et voluit præcepitque Apostolis, quos Christi præcones destinavit, ut Gentibus Christum prædicent,

(1) Et Rosenmullero optimum videtur, τὸ μεταξὺ σάββατον interpretari de *sabbato proxime insequenti*, quo sensu paulo insolentiori τὸ μεταξὺ apud Josephum occurrit, *Bell. Jud.*, lib. II, XI, 4; lib. V, IV, 2, etc., et apud alios auctores.

itaque ejus lucem et salutem illis impertiant. Apostoli enim a Deo electi fuerunt ad hoc, ut essent ejus in hoc opere administri et voluntatis ejus executores.

Posui, — certo ponam : prophetice enim ponitur præteritum pro futuro, ob futuri certitudinem, quasi jam non esset futurum, sed præteritum. Vide dicta *Isaiæ* XLIX, 6.

Vers. 48. Prædestinati ad vitam æternam, qui? 48. Et crediderunt quotquot erant præordinati ad vitam æternam. — Ex hoc loco Dionysius Carthusianus et alii probare contendunt, electionem efficacem hominum ad gloriam factam esse a libera et mera Dei voluntate, non ex meritis electorum, imo ante eorum prævisionem. Sensum enim esse, *q. d.* Quotquot crediderunt, ideo crediderunt, quia ab æterno a Deo absolute præordinati et prædestinati erant ad vitam æternam. Efficax enim intentio finis causat efficacem electionem mediorum quæ ad finem intentum assequendum sunt necessaria. Quia ergo Deus efficaciter eos præordinarat ad gloriam, hinc ut finem hunc assequerentur, dedit eisdem efficacia media, puta fidem et gratiam congruam, quibes hoc fine potirentur.

Resp. Primo. Verum quidquid sit de hac sententia, certe illa ex hoc loco efficaciter probari aut evinci nequit. Nam *primo*, pro *præordinati*, Græce est [illegible], id est ordinati et dispositi erant veluti milites in acie et ordine suo, ut videlicet eo tempore ponerentur in ordine et via ad vitam æternam. Sic enim [illegible] vocantur ordines militares. Et Leo Imperator scripsit [illegible], id est præcepta et modum instruendi aciem ad prælium; ut sensus sit : Crediderunt, quotquot jam ordinati et dispositi erant ad vitam æternam, quotquot scilicet habebant verum vitæ æternæ desiderium sibi a Deo injectum, quotquot studebant suæ saluti, quotquot vestigabant modum et iter quo se salvare et ad vitam æternam pertingere possent. Ii enim videntes hoc iter manifeste a Paulo ostendi esse fidem in Christum, illico illam capessiverunt et amplexi sunt. Unde non videtur obstare quod Noster verterit *præordinati*, quia illud ex Græco exponi potest, ut sit idem quod prædispositi, scilicet ex libera sua dispositione sibi a Deo indita, quæ erat, ex salutis suæ desiderio et sincero veritatis studio, attendere prædicationi S. Pauli, illam examinare et videre bene probatam consonamque oraculis Prophetarum, rationi et veritati. Ita Isidorus Clarius, Salmeron et alii. Vox enim [illegible] militaris est, eosque significat qui in censum, numerum et classem militum quasi ascripti, sub Christi ducis vexillo, recta via et ordine contendebant in cœlum et enitebantur ad vitam æternam.

*Secundo*, *præordinati ad vitam æternam* non exprimit, nec definit an hæc præordinatio fuerit generalis, conditionata, inchoata et communis omnibus fidelibus, an vero specialis, absoluta, completa et propria solis electis. Vide can. 13 in S. *Paulum*. Rursum, non significat an facta sit per fidem et post merita, an sine fide et ante merita prævisa. Unde Doctores qui tenent electionem efficacem ad gloriam factam esse ex prævisis meritis, accipiunt hic præordinationem generalem, conditionatam et inchoatam, quæ est omnium fidelium, huncque dant sensum : crediderunt quotquot ab æterno a Deo præordinati erant, ut in tempore, prædicante S. Paulo, per vocationem gratiæ congruæ et efficacis ponerentur in ordine, via et cursu ad vitam æternam, utque iter ad illam, gratiæ Dei cooperando, capesserent et inirent. Hoc enim iter est, credere et obedire Evangelio, aggregari Ecclesiæ, censeri inter fideles. Simili modo dicas de duodecim Apostolis : secuti sunt Christum vocantem ad apostolatum, quotquot præordinati erant (ut ponerentur in ordine et via) ad lauream Apostolicam in cœlis; et tamen unus ex iis fuit Judas, qui culpa sua ab hac præordinatione et laurea excidit, eamque irritam fecit : dum enim Christum prodidit, apostolatu, gratia Dei, suo ordine et salute privatus est. Sic recte dicitur : Omnes fideles præordinati sunt ad vitam æternam, quia Deus per fidem et gratiam suam omnes eo vocat et ordinat, omnesque certo ad illam pervenient, si continuo usque ad finem vitæ, gratiæ et vocationi Dei obsequantur : sed quia multi non obsequuntur, hinc ea excidunt et pereunt.

Porro per *ordinationem*, non absolutam et completam, sed conditionatam et inchoatam accipiendam esse colligunt. *Primo*, ex eo quod non sit verisimile S. Lucam hic, ubi tantum de fide et initio salutis agit, velle dicere hos omnes usque ad unum perseverasse in fide et gratia Dei, esseque salvatos, multo minus eum voluisse omnes illos certos et securos reddere de sua salute. Quocirca nonnulli adversæ sententiæ sic exponunt, *q. d.* Crediderunt, quotquot præordinati erant ad vitam æternam, scilicet per piam opinionem, conjecturam et confidentiam, *q. d.* Crediderunt, quotquot dabant signum et initium suæ prædestinationis. Sed incertum est, an hoc signum et initium fuerit efficax, et in omnibus de facto causarit salutem. Rursus id colligunt ex eo quod non videatur Lucas velle dicere neminem præter eos, qui jam crediderunt, esse salvatum, quod ex prima illa expositione sequitur : nam multi postea crediderunt et salvati sunt. Statim enim subdit Lucas : « Disseminabatur autem verbum Domini per universam regionem. »

*Secundo*, quia sic erit manifesta antithesis cum vers. 46, quam hic spectare videtur Lucas, *q. d.* Vos, o Judæi, repellitis fidem, ideoque indignos vos facitis vitæ æternæ, et ab ejus via omnino devialis et aberratis : Gentiles vero, qui credunt in Christum, ea se dignos faciunt : unde a Deo ab æterno præordinati sunt ad eam, sed inchoate duntaxat et conditionate, si videlicet continenter credere et secundum dictamen fidei vivere pergant usque ad finem vitæ; alioqui si ipsi sponte vel a fide, vel a vita quam fides dictat, recedant, recedent pariter a via cœli et vitæ æternæ, et viam quæ eos recta ducit ad infernum, inibunt. Sic S. Paulus, *Ephes.* I, omnes Christianos Ephesios vocat prædestinatos et electos, scilicet inchoate per fidem et gratiam, non complete : alioqui enim omnibus assecurasset salutem. Ita S. Prosper, lib. *De Libero arbitrio*; Salmeron, Stapletonus et Sanchez hic; Gabriel Vasquez, tomo I, in III *part.*, disp. XXXIII, cap. XII. Qui et addunt, « vitam æternam » hic metonymice posse accipi pro via ad vitam æternam, uti accipitur *Joan.* XVII, 3 : « Hæc est autem vita æterna (id est via ad vitam æternam) ut cognoscant te solum verum Deum, et quem misisti Jesum Christum. » Et I *Joan.* III, 15 : « Omnis homicida non habet vitam æternam (id est gratiam, quæ est via ad vitam æternam) in semetipso manentem. » Sic sæpe in Evangeliis regnum cœlorum vocatur Ecclesia, quia hæc per Sacramenta, fidem et gratiam nos dirigit ducitque ad cœlum. Verum id dicere non est opus, cum et via et ordo includatur in voce *præordinati*.



Porro perperam ex hoc loco colligit Calvinus, omnes fideles esse prædestinatos, eo quod fides semel accepta non possit amitti : multi enim a fide excidunt fiuntque infideles; plures fideles infideliter vivunt. Denique Arias sic legit et explicat : « Crediderunt ii (scilicet Gentiles) qui (non minus quam Judæi) præordinati erant ad vitam æternam : » videtur enim Lucas agere hic de vocatione Gentium. Verum græce est ὅσοι, id est *quotquot*, ut vertit Noster, Tigurina, Pagninus et passim alii : *quotquot* autem innuit non omnes credidisse, sed eos duntaxat qui præordinati erant ad vitam æternam.

Addit hoc S. Lucas, ut demonstret dignitatem fidei et Christianismi per ejus finem, scopum et præmium, nimirum fideles omnes qui credunt et obediunt Christo, ab æterno præordinatos, et in tempore ordinatos, vocatos et destinatos esse ad vitam æternam, beatam et gloriosam in cœlis, *q. d.* Christianismus est vocatio ad vitam cœlestem et æternam, Christianismus est sublimatio fidelium a terra in cœlum, Christianismus exaltat fideles a vita humana ad Evangelicam, beatam et divinam, juxta illud II *Petri*, cap. I, vers. 3 : « Qui vocavit nos propria gloria et virtute, per quem (Christum) maxima et pretiosa nobis promissa donavit, ut per hæc efficiamini divinæ consortes naturæ. » Et *Epistola* I, cap. I, vers. 3 : « Benedictus Deus, et Pater Domini nostri Jesu Christi, qui secundum misericordiam suam magnam regeneravit nos in spem vivam, per resurrectionem Jesu Christi ex mortuis, in hæreditatem incorruptibilem, et incontaminatam, et immarcescibilem, conservatam in cœlis in vobis, qui in virtute Dei custodimini per fidem in salutem, paratam revelari in tempore novissimo. » Et cap. II, vers. 9 : « Vos genus electum, regale sacerdotium, gens sancta, populus acquisitionis, ut virtutes annuntietis ejus qui de tenebris vos vocavit in admirabile lumen suum. »

50. Mulieres religiosas. — puta zelosas pro gentilismo, vel judaismo, id est superstitiosas, quæ a Gentilibus et Judæis religiosæ videbantur et vocabantur. Mulieres enim sunt blandiloquæ, pertinaces, illices, zelosæ pro sua fide vel perfidia, in pietatem vel pietatis speciem pronæ : unde Evangelium valde vel promovere, si ei credant, vel impedire, si non credant, possunt, uti hic Paulum impediverunt, immo expulerunt. Audi Anastasium Nicænum, tomo VI *Bibliothec.* SS. *Patrum*, Quæst. LXII, § *Omnis qui aspexerit* : « Quid est, ait, mulier? cordis lancea, Sanctorum calumnia, quies serpentis, fornax succensa, os effrænatum, dux tenebrarum, magistra delictorum, vestita vipera, domus tempestas, viri naufragium, immitis fera, » etc. Quocirca S. Hieronymus, *ad Ctesiphontem*, tom. II, docet omnes hæreses propagatas esse per mulieres. « Simon Magus, ait, hæresim condidit, adjutus auxilio Helenæ meretricis. Nicolaus Antiochenus, omnium immunditiarum conditor, choros duxit femineos. Marcion quoque Romam præmisit mulierem ad majorem lasciviam. Apelles Philomenem comitem habuit. Montanus Priscam et Maximillam primum auro corrupit, deinde hæresi polluit. Arius, ut orbem deciperet, sororem principis ante decepit. Donatus Lucillæ opibus adjutus est. In Hispania Agape Helpidium, mulier virum cæcum cæca duxit in foveam, successoremque sui Priscillianum habuit, cui juncta Galla alterius et vicinæ hæreseos reliquit heredem. »

51. At illi, excusso pulvere pedum in eos. — Vers. 51.
Jusserat Christus Apostolis ut id facerent apud eos qui Evangelium admittere nollent, *Matth.* X, 14. Idque *primo*, in signum contempti ab eis Evangelii; *secundo*, ut significarent se frustra pro iis tantum iter, tot molestias et fatigationes suscepisse; *tertio*, ut nihil e terra hominum impiorum, quasi maledicta et anathematizata, secum efferrent; neque in ullo cum illis participarent. (Excussio pulveris quid [illegible]) Sic III *Reg.* XIII, 9, Propheta a Deo missus in Bethel ad idololatras, jussus est alia via redire, quasi propria et recta via in Bethel esset polluta, neve vir fidelis et sanctus vel viam cum infidelibus haberet communem. Sic hic excutiunt pulverem, quasi impium utpote civitatis impiæ, idque in incolas impios, ut hoc signo denotent eos esse quasi anathema, execratos, et condemnationi æternæ obnoxios, ac proinde se eorum nihil, ne pulverem quidem velle habere sibi adhærentem. *Quarto*, ut hic pulvis in aerem excussus, quasi in cœlum vindictam clamet, ac in die judicii contra infideles quasi testis et accusator insurgat. Unde subdit Christus, « in testimonium supra illos, » *Luc.* IX, 5. Et : « Tolerabilius erit

terræ Sodomorum et Gomorrhæorum in die judicii, quam illi civitati. » *Matth.* x, 15. Ita S. Hieronymus, Hilarius, Chrysostomus, Ambrosius, Beda et alii ibidem. Ita S. Franciscus Xaverius, Malacensi præfecto, eo quod iter suum in Sinas impediret, excommunicato, illico « Malaca discedit. » In urbis porta pulvere de calceis (uti Christus Apostolis præceperat) excusso, civitati cœlestem iram multasque et graves denuntiat clades. Et denuntiationi respondit eventus. Nam brevi fame, bellis, morbis urbs exhausta est, ut fere ad solitudinem redigeretur, » ait Tursellius, lib. V Vitæ ejus, cap. VII.

Iconium. — Urbs est famosa in Lycaonia ad Taurum montem, de qua Plinius, lib. V, cap. XXVII. Altera ejusdem nominis est priore hic agitur.

52. Discipuli quoque replebantur gaudio. — Hoc enim Deus fidelibus aspirare solet in persecutione, præsertim cum vident doctorum suorum (uti hic Pauli et Barnabæ) in ea constantiam et alacritatem.

Et Spiritu Sancto, — puta robore fidei, spei et charitatis aliorumque donorum Spiritus Sancti. « Nam crescit adversis agitata virtus : » tum quia adversa sunt stimuli ad acriorem luctam roburque colligendum ; tum quia Deus congruum hoc merito patientiæ præmium rependit, ut athletæ suo generose certanti animos addat viresque adaugeat.

# CAPUT DECIMUM QUARTUM.

## SYNOPSIS CAPITIS.

*Paulus et Barnabas Iconii multos convertunt : inde pulsi a Judæis fugiunt Lystram, ubi sanantes claudum, honores divinos Jovis et Mercurii, sibi a Gentibus delatos refutant ; hic rursum opera Judæorum lapidati, fugiunt Derben, ac tandem relegentes suum iter, confirmatis fidelibus ordinatisque Presbyteris, redeunt Antiochiam.*

**1. Factum est autem Iconii, ut simul introirent in synagogam Judæorum, et loquerentur, ita ut crederet Judæorum et Græcorum copiosa multitudo. 2. Qui vero increduli fuerunt Judæi, suscitaverunt, et ad iracundiam concitaverunt animas Gentium adversus fratres. 3. Multo igitur tempore demorati sunt, fiducialiter agentes in Domino, testimonium perhibente verbo gratiæ suæ, dante signa et prodigia fieri per manus eorum. 4. Divisa est autem multitudo civitatis ; et quidam quidem erant cum Judæis, quidam vero cum Apostolis. 5. Cum autem factus esset impetus Gentilium et Judæorum cum principibus suis, ut contumeliis afficerent et lapidarent eos, 6. intelligentes confugerunt ad civitates Lycaoniæ, Lystram et Derben, et universam in circuitu regionem, et ibi evangelizantes erant. 7. Et quidam vir Lystris infirmus pedibus sedebat, claudus ex utero matris suæ, qui nunquam ambulaverat. 8. Hic audivit Paulum loquentem. Qui intuitus eum, et videns quia fidem haberet ut salvus fieret, 9. dixit magna voce : Surge super pedes tuos rectus. Et exilivit, et ambulabat. 10. Turbæ autem cum vidissent quod fecerat Paulus, levaverunt vocem suam, lycaonice dicentes : Dii similes facti hominibus, descenderunt ad nos. 11. Et vocabant Barnabam Jovem, Paulum vero Mercurium ; quoniam ipse erat dux verbi. 12. Sacerdos quoque Jovis, qui erat ante civitatem, tauros et coronas ante januas afferens, cum populis volebat sacrificare. 13. Quod ubi audierunt Apostoli, Barnabas et Paulus, conscissis tunicis suis exilierunt in turbas, clamantes, 14. et dicentes : Viri, quid hæc facitis ? et nos mortales sumus, similes vobis homines, annuntiantes vobis ab his vanis converti ad Deum vivum, qui fecit cœlum, et terram, et mare, et omnia quæ in eis sunt. 15. Qui in præteritis generationibus dimisit omnes gentes ingredi vias suas : 16. Et quidem non sine testimonio semetipsum reliquit, benefaciens de cœlo, dans pluvias et tempora fructifera, implens cibo et lætitia corda nostra. 17. Et hæc dicentes vix sedaverunt turbas ne sibi immolarent. 18. Supervenerunt autem quidam ab Antiochia et Iconio Judæi : et persuasis turbis, lapidantesque Paulum, traxerunt extra civitatem, existimantes**



**eum mortuum esse. 19. Circumdantibus autem eum discipulis, surgens intravit civitatem, et postera die profectus est cum Barnaba in Derben. 20. Cumque evangelizassent civitati illi, et docuissent multos, reversi sunt Lystram et Iconium, et Antiochiam. 21. Confirmantes animas discipulorum, exhortantesque ut permanerent in fide : et quoniam per multas tribulationes oportet nos intrare in regnum Dei. 22. Et cum constituissent illis per singulas ecclesias presbyteros, et orassent cum jejunationibus, commendaverunt eos Domino, in quem crediderunt. 23. Transeuntesque Pisidiam, venerunt in Pamphyliam, 24. et loquentes verbum Domini in Perge, descenderunt in Attaliam : 25. Et inde navigarunt Antiochiam, unde erant traditi gratiæ Dei, in opus quod compleverunt. 26. Cum autem venissent et congregassent Ecclesiam, retulerunt quanta fecisset Deus cum illis, et quia aperuisset Gentibus ostium fidei. 27. Morati sunt autem tempus non modicum cum discipulis.**

Vers. 1. 1. Factum est autem Iconii, ut, etc., loquerentur (id est evangelizarent Christi fidem et legem), ita ut crederet Judæorum et Græcorum (id est Gentilium) copiosa multitudo. — Ita S. Chrysostomus. Inter Græcos hic conversos illustrissima

Conversio S. Theclæ. fuit S. Thecla miris laudibus a Patribus celebrata et nuncupata Apostolica, ac primogenita S. Pauli. Hæc enim desponsa juveni nobilissimo, ditissimo et formosissimo, ait S. Epiphanius, *hæres.* 78, audito Paulo ardenter de virginitate disserente, sponso relicto, ad castrum Christi cœlestis sponsi thalamum advolavit, eique sese voto virginitatis sacravit, ideoque a matre et sponso accusata, plurima et maxima tormentorum genera constanter subiit, ac illæsa superavit, nimirum ignes, serpentes, leones, ursos, tauros, etc., in quibus astitit ei Christus, præ se ferens vultum S. Pauli, eam confortans. Tradit S. Chrysostomus hic, *hom.* 25, Theclam, ut custodem carceris quo Paulus Iconii detinebatur inclusus, sibi conciliaret, gemmis ac mundo muliebri distractis, pecuniam inde acceptam illi donasse, ut ad Pauli colloquium admitteretur. « Audi, ait, de beata Thecla illa, ut Paulum videret, aurum suum dedit : tu autem, ut Christum videas, nec obolum das. » Addit S. Hieronymus, epist. *ad Oceanum*, tom. IX : « Thecla, ait, post tentationem passionis Antiochiæ, a Paulo prohibetur pariter pergere. » Nam, ut habetur in Actis S. Theclæ, quæ probat Baronius, Thecla a tormentis libera, verbi cupida, magistri avida, profecta est Antiochiam Pisidiæ ad Paulum : sed ipse, ne quod offendiculum daret Evangelio, eam dimisit.

Præclare S. Ambrosius, lib. II *De Virg.*, eas exhortans : « Thecla, ait, doceat immolari, quæ copulam fugiens nuptiarum, et sponsi furore damnata, naturam etiam bestiarum veneratione virginitatis mutavit : namque parata ad feras, cum aspectus quoque declinaret virorum, ac vitalia ipsa sævo offerret leoni, fecit, ut qui impudicos detulerant oculos, pudicos referrent. Cernere erat lingentem pedes bestiam cubitare humi, muto testificante sono, quod sacrum virginis corpus violare non posset. Ergo adorabat prædam suam bestia, et propriæ oblita naturæ, naturam induerat, quam homines amiserant. » Et S. Zeno, Episcopus Veronensis, serm. *De Timore* : « Adversus Theclam, ait, accusator acerrimus eximit linguæ gladium, cum suis sibi ministris publicæ leges inserviunt. Stimulis acuitur feritas in ferocitatem, et tamen mitior hominibus invenitur. Ne quid sane tam diræ inhumanitatis deesse videatur, immittuntur et marina monstra. Laciniis omnibus expoliatur puella, vestitur incendio. Inter tot instrumenta mortis spectatore metuente, secura calcat genera universa terrorum. Incolumis quasi orbe subacto, de illo feralis caveæ loco jam non miserabilis, sed mirabilis funereo habitu excedit, victi sæculi triumphum reportans, quam tot suppliciis omnes crediderant perituram. » Et S. Nazianzenus, in *Præcept. ad Virgin.* :

Quis Theclam necis eripuit flammaque periclo?
Quis validos ungues vicit rabiemque ferarum?
Virginitas ; o res animi mirabilis ævo!
Virginitas fulvos potuit sopire leones.

Quocirca ab Isidoro Pelusiota, epist. *ad Thrasium*, et ab aliis, Thecla vocatur « Protomartyr, » eo quod inter feminas prima pro Christi in theatrum descenderit, impietatem per tormenta prostraverit, et triumphum fidei ac virginitatis egerit. Unde idem Isidorus Pelusiota, lib. I, epist. 180 : Adde, inquit, muliebrium victoriarum ac trophæorum caput, hoc est, illam omnibus laudibus celebratam Theclam, quæ tanquam immortalis pudicitiæ columna prostat, quæque e media turbidarum affectionum tempestate, tanquam fax incensa, ad portum ab omnibus fluctibus immunem appulit. » Hinc S. Hieronymus, in *Chronic.*, celeberrimam illam Melaniam comparat Theclæ. Et S. Gregorius Nyssenus, frater S. Basilii, epist. *ad Olympium monachum*, asserit sororem suam Macrinam, ob egregium sanctitatis meritum, dicendam esse Theclam, idque ex cœlesti prænuntio. Defuncta est Thecla anno ætatis circiter 90, sepulta Seleuciæ, ubi miraculis clara, totius

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ® DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

terræ Sodomorum et Gomorrhæorum in die judicii, quam illi civitati. » *Matth.* x, 15. Ita S. Hieronymus, Hilarius, Chrysostomus, Ambrosius, Beda et alii ibidem. Ita S. Franciscus Xaverius, Malacensi præfecto, eo quod iter suum in Sinas impediret, excommunicato, illico « Malaca discedit.» In urbis porta pulvere de calceis (uti Christus Apostolis præceperat) excusso, civitati cœlestem iram multasque et graves denuntiat clades. Et denuntiationi respondit eventus. Nam brevi fame, bellis, morbis urbs exhausta est, ut fere ad solitudinem redigeretur, » ait Tursellius, lib. V Vitæ ejus, cap. VII.

Iconium. — Urbs est famosa in Lycaonia ad Taurum montem, de qua Plinius, lib. V, cap. XXVII. Altera ejusdem nominis es priore hic agitur.

52. Discipuli quoque replebantur gaudio. — Hoc enim Deus fidelibus aspirare solet in persecutione, præsertim cum vident doctorum suorum (uti hic Pauli et Barnabæ) in ea constantiam et alacritatem.

Et Spiritu Sancto. — puta robore fidei, spei et charitatis aliorumque donorum Spiritus Sancti. « Nam crescit adversis agitata virtus : » tum quia adversa sunt stimuli ad acriorem luctam roburque colligendum ; tum quia Deus congruum hoc merito patientiæ præmium rependit, ut athletæ suo generose certanti animos addat viresque adaugeat.

# CAPUT DECIMUM QUARTUM.

## SYNOPSIS CAPITIS.

*Paulus et Barnabas Iconii multos convertunt : inde puls. a Judæis fugiunt Lystram, ubi sanantes claudum, honores divinos Jovis et Mercurii, sibi a Gentibus delatos refutant ; hic rursum opere Judæorum lapidati, fugiunt Derben, ac tandem relegentes suum iter, confirmatis fidelibus ordinatisque Presbyteris, redeunt Antiochiam.*

**1. Factum est autem Iconii, ut simul introirent in synagogam Judæorum, et loquerentur, ita ut crederet Judæorum et Græcorum copiosa multitudo. 2. Qui vero increduli fuerunt Judæi, suscitaverunt, et ad iracundiam concitaverunt animas Gentium adversus fratres. 3. Multo igitur tempore demorati sunt, fiducialiter agentes in Domino, testimonium perhibente verbo gratiæ suæ, dante signa et prodigia fieri per manus eorum. 4. Divisa est autem multitudo civitatis ; et quidam quidem erant cum Judæis, quidam vero cum Apostolis. 5. Cum autem factus esset impetus Gentilium et Judæorum cum principibus suis, ut contumeliis afficerent et lapidarent eos, 6. intelligentes confugerunt ad civitates Lycaoniæ, Lystram et Derben, et universam in circuitu regionem, et ibi evangelizantes erant. 7. Et quidam vir Lystris infirmus pedibus sedebat, claudus ex utero matris suæ, qui nunquam ambulaverat. 8. Hic audivit Paulum loquentem. Qui intuitus eum, et videns quia fidem haberet ut salvus fieret, 9. dixit magna voce : Surge super pedes tuos rectus. Et exilivit, et ambulabat. 10. Turbæ autem cum vidissent quod fecerat Paulus, levaverunt vocem suam, lycaonice dicentes : Dii similes facti hominibus, descenderunt ad nos. 11. Et vocabant Barnabam Jovem, Paulum vero Mercurium ; quoniam ipse erat dux verbi. 12. Sacerdos quoque Jovis, qui erat ante civitatem, tauros et coronas ante januas afferens, cum populis volebat sacrificare. 13. Quod ubi audierunt Apostoli, Barnabas et Paulus, conscissis tunicis suis exilierunt in turbas, clamantes, 14. et dicentes : Viri, quid hæc facitis ? et nos mortales sumus, similes vobis homines, annuntiantes vobis ab his vanis converti ad Deum vivum, qui fecit cœlum, et terram, et mare, et omnia quæ in eis sunt. 15. Qui in præteritis generationibus dimisit omnes gentes ingredi vias suas : 16. Et quidem non sine testimonio semetipsum reliquit, benefaciens de cœlo, dans pluvias et tempora fructifera, implens cibo et lætitia corda nostra. 17. Et hæc dicentes vix sedaverunt turbas ne sibi immolarent. 18. Supervenerunt autem quidam ab Antiochia et Iconio Judæi : et persuasis turbis, lapidantesque Paulum, traxerunt extra civitatem, existimantes**



**eum mortuum esse. 19. Circumdantibus autem eum discipulis, surgens intravit civitatem, et postera die profectus est cum Barnaba in Derben. 20. Cumque evangelizassent civitati illi, et docuissent multos, reversi sunt Lystram et Iconium, et Antiochiam. 21. Confirmantes animas discipulorum, exhortantesque ut permanerent in fide : et quoniam per multas tribulationes oportet nos intrare in regnum Dei. 22. Et cum constituissent illis per singulas ecclesias presbyteros, et orassent cum jejunationibus, commendaverunt eos Domino, in quem crediderunt. 23. Transeuntesque Pisidiam, venerunt in Pamphyliam, 24. et loquentes verbum Domini in Perge, descenderunt in Attaliam : 25. Et inde navigarunt Antiochiam, unde erant traditi gratiæ Dei, in opus quod compleverunt. 26. Cum autem venissent et congregassent Ecclesiam, retulerunt quanta fecisset Deus cum illis, et quia aperuisset Gentibus ostium fidei. 27. Morati sunt autem tempus non modicum cum discipulis.**

Vers. 1. 1. Factum est autem Iconii, ut, etc., loquerentur (id est evangelizarent Christi fidem et legem), ita ut crederet Judæorum et Græcorum (id est Gentilium) copiosa multitudo. — Ita S. Chrysostomus. Inter Græcos hic conversos illustrissima fuit S. Thecla miris laudibus a Patribus celebrata et nuncupata Apostolica, ac primogenita S. Pauli. Hæc enim desponsa juveni nobilissimo, ditissimo et formosissimo, ait S. Epiphanius, *hæres.* 78, audito Paulo ardenter de virginitate disserente, sponso relicto, ad castrum Christi cœlestis sponsi thalamum advolavit, eique sese voto virginitatis sacravit, ideoque a matre et sponso accusata, plurima et maxima tormentorum genera constanter subiit, ac illæsa superavit, nimirum ignes, serpentes, leones, ursos, tauros, etc., in quibus astitit ei Christus, præ se ferens vultum S. Pauli, eam confortans. Tradit S. Chrysostomus hic, *hom.* 25, Theclam, ut custodem carceris quo Paulus Iconii detinebatur inclusus, sibi conciliaret, gemmis ac mundo muliebri distractis, pecuniam inde acceptam illi donasse, ut ad Pauli colloquium admitteretur. « Audi, ait, de Beata Thecla illa, ut Paulum videret, aurum suum dedit : tu autem, ut Christum videas, nec obolum das. » Addit S. Hieronymus, epist. *ad Oceanum*, tom. IX : « Thecla, ait, post tentationem passionis Antiochiæ, a Paulo prohibetur pariter pergere. » Nam, ut habetur in Actis S. Theclæ, quæ probat Baronius, Thecla a tormentis libera, verbi cupida, magistri avida, profecta est Antiochiam Pisidiæ ad Paulum : sed ipse, ne quod offendiculum daret Evangelio, eam dimisit.

Conversio S. Theclæ.

Præclare S. Ambrosius, lib. II *De Virg.*, eas exhortans : « Thecla, ait, doceat immolari, quæ copulam fugiens nuptiarum, et sponsi furore damnata, naturam etiam bestiarum veneratione virginitatis mutavit : namque parata ad feras, cum aspectus quoque declinaret virorum, ac vitalia ipsa sævo offerret leoni, fecit, ut qui impudicos detulerant oculos, pudicos referrent. Cernere erat lingentem pedes bestiam cubitare humi, muto testificante sono, quod sacrum virginis corpus violare non posset. Ergo adorabat prædam suam bestia, et propriæ oblita naturæ, naturam induerat, quam homines amiserant. » Et S. Zeno, Episcopus Veronensis, serm. *De Timore* : « Adversus Theclam, ait, accusator acerrimus eximit linguæ gladium, cum suis sibi ministris publicæ leges inserviunt. Stimulis acuitur feritas in ferocitatem, et tamen mitior hominibus invenitur. Nequid sane tam diræ inhumanitatis deesse videatur, immittuntur et marina monstra. Laciniis omnibus expoliatur puella, vestitur incendio. Inter tot instrumenta mortis spectatore metuente, secura calcat genera universa terrorum. Incolumis quasi orbe subacto, de illo feralis caveæ loco jam non miserabilis, sed mirabilis funereo habitu excedit, victi sæculi triumphum reportans, quam tot suppliciis omnes crediderant perituram. » Et S. Nazianzenus, in *Præcept. ad Virgin.* :

Quis Theclam necis eripuit flammæque periclo?
Quis validos ungues vinxit rabiemque ferarum?
Virginitas, o res omni mirabilis ævo!
Virginitas fulvos potuit sopire leones.

Quocirca ab Isidoro Pelusiota, epist. *ad Thrasium*, et ab aliis, Thecla vocatur « Protomartyr, » eo quod inter feminas prima pro Christi in theatrum descenderit, impietatem per tormenta prostraverit, et triumphum fidei ac virginitatis egerit. Unde idem Isidorus Pelusiota, lib. I, epist. 180 : Adde, inquit, muliebrium victoriarum ac trophæorum caput, hoc est, illam omnibus laudibus celebratam Theclam, quæ tanquam immortalis pudicitiæ columna prostat, quæque e media turbidarum affectionum tempestate, tanquam fax incensa, ad portum ab omnibus fluctibus immunem appulit. » Hinc S. Hieronymus, in *Chronic.*, celeberrimam illam Melaniam comparat Theclæ. Et S. Gregorius Nyssenus, frater S. Basilii, epist. *ad Olympium monachum*, asserit sororem suam Macrinam, ob egregium sanctitatis meritum, dicendam esse Theclam, idque ex cœlesti prænuntio. Defuncta est Thecla anno ætatis circiter 90, sepulta Seleuciæ, ubi miraculis clara, totius

Orientis concursu olim visitabatur. Relata inter Sanctos in *Martyrol. Romano* legitur die 23 septembris.

Præter alios scripsit Vitam S. Theclæ Basilius, Seleuciæ Episcopus, sub annum Domini 450, qui Concilio Constantinopolitano et Calcedonensi interfuit, cujus exemplar Græcum Romæ exstat in *Biblioth. Sfortiana*, quam nuper lustravi, quod in Latinum idioma transtulit Petrus Pantius, Decanus Bruxellensis. In ea multa Basilius narrat de S. Paulo, quæ Lucas prætermisit, ut quod Christus Pauli specie Theclæ ad ignem damnatæ astiterit, eamque confortarit et ab igne intactam servarit : quod Paulus ob Theclam a se conversam fuerit incarceratus, flagellatus, et in exilium actus delituerit cum Onesiphoro ejusque filiis in sepulcro, ibique plures dies cibo abstinens oraverit pro Thecla ad rogum damnata, quæ liberata ad Paulum accessit, cum eoque Antiochiam perrexit, ubi bestiis objecta, sed a Deo erepta, Paulum requirens, ab eo Iconium remissa fidei propagandæ causa; postquam multos ibidem et Seleuciæ ad Christum convertisset, post multos agones et miracula, « haudquaquam vita defuncta est, sed viva subsidens, in terram ingressa, quæ Deo ita volente in ejus gratiam discessit, seque illi aperuit eo in loco quo in divina ac sacra Liturgiæ mensa constructa, in orbe columnis argentoque undique fulgente cincto, est constituta. Unde tanquam ex canali virginalis suæ beneficentiæ, copiose ibidem profluentis, contra omnem dolorem atque ægritudinem salutares remediorum fontes egentibus postulantibusque emittit : ita ut locus ille publica jam medicinæ officina, et commune terrarum orbis propitiatorium sit effectus. » Hæc Basilius, quem laudat Baronius, in *Martyr.*, die 23 septembris. Eadem habent Althelmus, Metaphrastes et alii in Vita S. Theclæ. Non quod S. Thecla non sit mortua, sed quod instar S. Joannis, in locum subterraneum sibi a Deo destinatum descendens, ibi animam virgineam uni Christo dicatam debitamque reddiderit. Adjicit deinde Basilius librum secundum de Miraculis S. Theclæ. Simili modo Deus Mosi in monte Nebo, S. Clementi in mari, S. Catharinæ in Sina, S. Agathæ et aliis per angelos paravit et adornavit sepulcrum, imo mausoleum. Denique Basilius S. Theclam quoque vocat Protomartyrem, quia prima multoties martyrium passa est, esto Deus eam miraculose a morte præservarit. Eamdem vocat Apostolam, quia fidem Christi disseminavit. Eadem virginum fuit dux et primiceria. Horum omnium doctor et incentor fuit S. Paulus, qui et S. Theclæ abeunti, ultimumque sanctitatis et perfectionis monitum a se poscenti, hoc dedit : « Bene se habent rationes tuæ, o virgo. In omnibus fidei robur tuæ excelluit, et jam Apostolicos labores curriculaque superasti, etc. Abi igitur, et verbum doce, Evangelicumque cursum perfice, et in partem mei pro Christo laboris veni. Eo enim te Christus mea opera selegit, ut ad Apostolicum te etiam munus proveheret, et urbem aliquam nondum Christianæ religionis præceptis imbutam tibi committeret. Nam et tibi tua talenta multiplicanda sunt. » Hæc et plura Basilius, qui subdit Theclam profectam Seleuciam, ibi multos convertisse, ac tandem ibidem in pace quievisse. Quocirca S. Chrysostomus dilaudans S. Theclam, eam ob tot tantosque agones fortiter superatos « magnum, ante victoriam martyrii, martyrium appellat. »

Iconii quoque Paulus convertit S. Tryphænam et Tryphosam, quas proinde salutat et laudat, quod laborent in Domino, puta in promovenda fide et pietate Christiana, *Rom.* XVI, 12; de quibus in *Romano Martyrologio*, die 20 novembris, ita legimus : « Iconii in Lycaonia SS. mulierum Tryphænæ et Tryphosæ, quæ S. Pauli prædicatione et exemplo Theclæ, in Christiana disciplina plurimum profecerunt : » de quibus habentur plura in actis S. Theclæ.

2. AD IRACUNDIAM CONCITAVERUNT (ἐκάκωσαν, id est *malignitate impleverunt*, *fecerunt malos*, hoc est, malevolos, aversos, offensos, iracundos) ADVERSUS FRATRES, — id est Christianos, præsertim Apostolos, quasi novatores essent et turbatores Reipublicæ, inducentes novum Deum crucifixum ejusque novam fidem et religionem. Nonnulli Græci codices, teste Beda, et Latini manuscripti addunt : « Deus autem et pacem fecit, » *q. d.* Deus malignitatem hanc et malevolentiam discussit convertitque in benevolentiam, sic Gentiles benignos et benevolos Apostolis effecit, juxta illud, *Proverb.* XVI, 7 : « Cum placuerint Domino viæ hominis, inimicos quoque ejus convertet ad pacem. » Idem per omnia hodie experiuntur viri pii, præsertim Apostolici et qui animas Deo lucrifaciunt. Idem experta S. Theresia in propagando suo Ordine, dicebat se comperisse illa monasteria fuisse utilissima, quæ initio plus contradictionis et persecutionis sustinuissent. Quocirca neminem debere animo cadere, cum in primordiis magnorum operum odia insurgunt : hoc enim evidens esse signum secuturi fructus; sicut aspera hiems et nives signum, imo causa sunt copiosæ frugis et messis securæ.

3. MULTO IGITUR TEMPORE DEMORATI. — Vox *igitur* respicit versum primum, esto remotiorem, scilicet « ut crederet Judæorum et Græcorum copiosa multitudo : » hæc enim causa, scilicet copiosa conversio, fecit Paulum et Barnabam diutius ibidem demorari. Aut certe respicit id quod est in Græcis nonnullis : « Deus autem pacem dedit. » Pax enim sinebat Apostolos ibidem commorari et fiducialiter evangelizare. Denique ad proxime præcedentia referas hoc sensu, *q. d.* Quia Judæi averterant animos Gentilium a Paulo et Barnaba, hac de causa iidem ibidem diutius commorati sunt, ut sua patientia, constantia, sanctitate, zelo et miraculis eos ad se et ad Chris-



tum converterent. Unde et sequitur, vers. 4 : « Divisa est autem multitudo civitatis, » etc.

FIDUCIALITER AGENTES IN DOMINO, — confidenter, libere et intrepide evangelizantes verbum Domini : hoc enim est παῤῥησία, de qua dixi, cap. IV, vers. 29 : « in Domino, » id est in negotio Domini, puta in Christi Evangelio propagando; vel « in Domino, » id est ope Domini. Vide can. 25 *in S. Paulum*.

VERBO GRATIÆ SUÆ. — Evangelium vocatur « verbum gratiæ, » hic et cap. XX, vers. 24 et 32 : *primo*, quia summam gratiam annuntiat et affert, nimirum Dei amicitiam, justitiam, salutem et vitam æternam; *secundo*, quia doctrina ejus et præcepta sunt gratiosa, nimirum blanda, suavia et efficacia, quæ animos etiam duros et ferinos flectunt, molliunt, incurvant.

4. DIVISA EST, — ἐσχίσθη, id est *scissa est*, *schismate secta et divisa est*.

CUM APOSTOLIS — Paulo et Barnaba, qui a Spiritu Sancto, cap. XIII, vers. 2, missi sunt evangelizare, æque ac duodecim illi primi a Christo.

5. UT CONTUMELIIS AFFICERENT. — Melius transtulit Interpres græcum ὑβρίσαι, quam Pagninus, Erasmus et Vatablus, qui vertunt, *ut vim facerent*; quia Apostoli contumelias non timebant, hinc eis vim intentant, ait Erasmus : sed neque vim, lapidationem aut mortem timebant, et Græcum ὕβρις proprie significat injuriam et contumeliam verborum, non vim verberum.

ET LAPIDARENT EOS, — quasi blasphemos.

6. INTELLIGENTES — Apostoli hanc Judæorum et Gentilium contra se conspirationem. Unde Tigurina vertit, *re intellecta*.

7. INFIRMUS PEDIBUS, — ἀδύνατος, id est *impotens*, *invalidus*, qui scilicet pedibus non poterat consistere, nec ambulare : unde perpetim sedebat vel jacebat. Similem claudum simili modo sanavit S. Petrus, cap. III, vers. 1.

8. QUI INTUITUS EUM, — ἀτενίσας αὐτῷ, id est cum in eum oculos defixisset, cum intento et fixo obtutu eum esset intuitus.

ET VIDENS QUIA FIDEM HABERET, UT SALVUS FIERET. — Nimirum quod crederet dictis Pauli, speraretque se ab eo curandum et sanandum, ac tacite sanitatem ab eo peteret et efflagitaret. « Nam ejus desideria vultus, oculi, gestus, attentio in audiendo, satis prodebant, » ait Beda. Rursum spiritu prophetico Paulus penetravit in animum claudi, viditque ejus fidem, spem et desiderium sanitatis. Simili dono discretionis spirituum S. Hilarion videbat secreta cordium, teste S. Hieronymo, in ejus Vita. Idem donum habuit S. Antonius, S. Franciscus, S. Catharina Senensis, S. Ignatius, S. Xaverius et alii : hinc infert S. Chrysostomus animam hujus claudi prius sanatam esse per fidem, quam corpus.

9. DIXIT MAGNA VOCE, — ut tota multitudo et claudus, qui longius aberat, eam audirent, scirentque non esse magicam mussitationem et incantationem. Rursum magna vox indicium et effectus erat magnæ fidei et spei, qua Paulus hoc miraculum patravit. Mystice, magna voce evocandus est, qui per pravam consuetudinem malitiam fere vertit in naturam, cujus symbolum fuit Lazarus mortuus quatriduanus, quem Christus valido clamore et lacrymis e sepulcro evocavit, dicens : « Lazare, veni foras, » *Joan.* XI, 43. Ita ex S. Augustino Beda.

SURGE. — Græca, Syra et nonnulli Latini codices addunt : *Tibi dico : In nomine Domini Jesu Christi, surge*, etc. Ubique enim Apostoli Jesum Christum prædicabant, eoque invocato miracula patrabant, ut populis ostenderent ipsum esse Salvatorem mundi.

EXILIVIT, — illico in pedes se erexit, tum ex agilitate pedum sibi a Paulo restituta, tum ex lætitia, juxta oraculum *Isaiæ* XXXV, 16 : « Tunc saliet sicut cervus claudus. »

10. DII SIMILES FACTI HOMINIBUS (græce ὁμοιωθέντες, id est *assimilati*, puta assumentes speciem humanam) DESCENDERUNT AD NOS. — Sicut Christiani e Sanctis Scripturis et Historiis norunt angelos sæpe hominibus apparuisse in corpore assumpto : sic idem de suis diis credebant Gentiles. Unde Poetæ multa fabulantur de Jovis, Saturni, Mercurii aliorumque deorum descensu in terram, amoribus, præliis, facinoribus et gestis. Porro ignorarunt Gentiles Filii descensum in carnem per unionem hypostaticam, quo factus est homo. Hinc patet Paulum et Barnabam supra hominem divinum quid spirasse in vultu, voce, moribus, miraculis, ut viderentur non tam homines esse, quam angeli, imo dii de cœlo lapsi. Vide Eusebium, lib. III *Præpar. Evang.*, cap. IX. Vir ergo Apostolicus eos imitetur, ut inter homines, ait S. Chrysostomus, quasi angelus angelice vivat, et angelorum sanctitatem, spiritum, beneficentiam, suavitatem et gratiam imitetur. Hinc Apostolus, *ad Galat.* scribens, cap. IV, vers. 14 : « Sicut angelum Dei, inquit, excepistis me, sicut Jesum Christum. » Sic S. Petrum quasi angelum Dei veneratus est Cornelius, *Act.* X, 25. Ita S. Bernardus, S. Dominicus, S. Franciscus colebantur a populis quasi homines cœlo delapsi. Vide dicta *Malach.* II, 7, ubi sacerdos vocatur angelus Domini exercituum. Sic et Alexander Magnus, Judæis licet infensus, adoravit Jaddum Pontificem eorum, eique omnia postulata concessit.

11. ET VOCABANT BARNABAM JOVEM. — *Primo*, quia Barnabas statura et forte ætate erat grandior, ait Lyranus, Paulus vero parvo, contracto et incurvo corpore. Unde de eo ait S. Chrysostomus, « tricubitalis est, et cœlos transcendit. » Idem tradit Nicephorus, formam et figuram Pauli describens, lib. II *Historiæ*, cap. XXXVII. *Secundo*, quia Barnabas, ait S. Chrysostomus, vultu erat pulchro et joviali, æque ac moribus liberalis, benignus, beneficus; sicut Jupiter dicitur a juvando, ait Varro, quasi juvans pater; ac Græci



UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

sum vocant Ζῆνα, quod vitæ sit auctor. Unde Cicero, lib. II *De Natura deorum* : « A Poetis, inquit, dicitur Divum atque hominum pater, a majoribus autem nostris Optimus Maximus. Et quidem ante optimus, id est beneficentissimus, quam maximus, quia majus est certeque gratius prodesse omnibus, quam opes magnas habere. » Nihil enim ita divinitati est proprium, atque benefacere : ipsa enim est velut mare bonorum, in omnia exundans, et quasi sol radiis suis omnia quaquaversum illustrans, calefaciens, fœcundans. Quocirca nil hominem ita similem Deo reddit, ac beneficentia in omnes. Hinc Nazianzenus, orat. *De Cura pauperum* : « Esto, ait, calamitoso Deus. » Quapropter Gentiles Jovem coronabant corona ex olea, quæ semper est virens, pinguis, benefica et multæ utilitatis. Nam, ut de eo canit Orpheus,

> Jupiter omnipotens est primus, et ultimus idem.
> Jupiter est caput et medium : Jovis omnia munus.
> Jupiter est fundamen humi, ac stellantis Olympi.

*Tertio*, quia Barnabas sua specie et gravitate silens assistebat Paulo, eique quasi nuntio et præconi suo annuebat, uti Jupiter annuit Mercurio eoque præcone utitur. Unde nonnulli putant Jovem ab Hebr. *Jehova*, et per crasin *Jova*, qui per Mosen et Prophetas est locutus, esse nuncupatum. Certe Varro Jovem Judæorum Deum esse putavit, ait S. Augustinus, lib. I *De Consensu Evang.*, cap. XXII. Sic Moses fuit quasi Deus Pharaonis et Ægypti, cujus Mercurius, id est os et interpres fuit Aaron. Audi Deum ad Mosen loquentem, *Exodi* VII, 1 : « Ecce constitui te Deum Pharaonis, et Aaron frater tuus erit propheta tuus. » Modum subdit et explicat : « Tu loqueris ei omnia quæ mando tibi, et ille loquetur ad Pharaonem, ut dimittat filios Israel de terra sua. »

Paulus Mercurius.

PAULUM VERO MERCURIUM, QUONIAM IPSE ERAT DUX VERBI. — Mercurius fuit Jovis filius, ex Maia, Atlantis filia, genitus; habitus est deus sermonis et facundiæ : dictus est Mercurius, quasi *medicurrius*, id est medius inter homines currens, inquit Arnobius, et S. Augustinus, lib. I *De Civit.*, cap. XIV, eo quod sermo inter homines currat medius. Græce dictus est Ἑρμῆς, *Hermes* (isque Trismegistus, id est ter maximus) ἀπὸ τοῦ εἴρειν καὶ μηχανᾶσθαι, quod loqui excogitaverit et machinatus sit, ait Plato in *Cratylo*, et ibidem Proclus : vel ut Phavorinus, ἀπὸ τοῦ εἴρω, id est *annuntio*. Unde et Iris dicta, quasi nuntia Deorum, cœli et pluviæ. Hinc Horatius, lib. I *Carm.*, ode 10 :

> Mercuri, facunde nepos Atlantis,
> Qui feros cultus hominum recentum
> Voce formasti catus, et decoræ
> More palæstræ :
> Te canam, magni Jovis et Deorum
> Nuntium, curvæque lyræ parentem.

Unde et mercibus præerat : inde Mercurium nuncupatum esse censet Festus, quasi mercium curam, eo quod inter vendentes et ementes sermo sit medius, quo paciscuntur et contractum ineunt. Ideo et alas in capite et pedibus ipsi addunt, volentes signare velocem ferri per aera sermonem : ideo et nuntius dicitur, quia per sermonem omnia enuntiantur, ait S. Augustinus, lib. VII *De Civit.*, cap. XIV. Hinc *secundo*, Mercurius dictus est deus oratorum, mercatorum, negotiorum, palæstræ, viarum et itinerum dux : unde pedibus ejus dant talaria, eumque *alitem* et *alipedem* vocant. Denique dictus est cordis et sermocinationis dominus, rationis et veritatis deus. Hinc victimarum linguas offerebant Mercurio, teste Homero : ita Pierius, *Hieroglyp.* lib. XXXIII, cap. XL et XLII. Ubi addit Mathematicos docere linguam regi a stella Mercurii; sicut splen regitur a Saturno, hepar a Jove, sanguis a Marte, cor et cerebrum a Sole, renes et genitura a Venere, stomachus a Luna. *Tertio*, Cicero, Aristides et alii tradunt Mercurium invenisse non tantum litteras, sed et musicam et palæstram, luctamque ac Geometriam. Unde a Galeno, in *Suasoria*, Mercurius vocatur artium omnium parens. Idcirco Maiæ et Jovis filius dicitur, hoc est, τοῦ νοῦ καὶ φρονήσεως, eo quod ex mente et prudentia oratio dicatur; vel, ut Phurnutus ait, ideo Maia natus est, id est ex speculatione et inquisitione : μαῖα enim, id est obstetrix, quæ obstetricandi officium parturientibus gerit, ita dicta est, quod scrutando et inquirendo fœtus in lucem producat. Juniorem quoque effingebant Mercurium, eo quod non senescat oratio; et quadratum, propter firmitatem et veri sermonis robur. *Quarto*, Mercurius erat caduceator, interpres, præco et nuntius Deorum ad homines : unde ab Orpheo vocatur Jovis angelus, et ab Hesychio εὐάγγελος, quia evangelium, id est bonum nuntium, affert. Hinc et pingitur cum caduceo ac duobus draconibus virga implicatis, quod hoc initium fuerat Mercurio pacis. Quocirca Martialis de eo sic canit, lib. VII :

> Cyllenes, cœlique decus, facunde minister,
> Aurea cui torto virga dracone viret.

Isidorus vero : Mercurius, inquit, virgam tenet, quæ serpentes dividit, id est venena : nam bellantes et dissidentes interpretum oratione sedantur. Virgilius autem, IV *Æneidos*, sic de eo canit :

> Tum virgam capit : hac animas ille evocat Orco.

Unde a Laertio vocatur Quæstor animarum, quod eas post mortem suscipiat, quasi potestatem habens tam in cœlum, quam in infernum. Hinc et Nomius, id est legifer, quod leges ferat, appellatur æque ac χαριδότης, id est *gratiæ dator*. Hæc Giraldus, *Syntagm.*, lib. IX, et Pierius, *Hieroglyp.*, lib. XXXIII. Denique proverbium est, κοινὸς Ἑρμῆς, id est *communis Mercurius*, significans opes et bona in commune esse conferenda, publicæque utilitati studendum, de quo Lucianus in *Votis*.



Paulus ergo vocatur *Mercurius* : *Primo*, quia Barnabæ non tantum erat interpres, sed et dux verbi : facundia enim præcellebat Barnabam. *Secundo*, quia non tantum eloquens erat, sed et efficax in dicendo. Unde S. Hieronymus, *Apolog. ad Pammach.*, pro lib. *Contra Jovin.* : « Quotiescumque, ait, Paulum Apostolum lego, videor mihi non verba audire, sed tonitrua, etc.; quocumque respexeris, fulmina sunt. » *Tertio*, quia pollebat sapientia, eaque verbis exprimebat : unde Festus præses eam admirans, dicebat : « Insanis, Paule; multæ te litteræ ad insaniam convertunt, » *Actor.* XXVI, 24. *Quarto*, quia in tertium cœlum raptus, cœlestis videbatur orator, et nuntius e cœlo ad homines missus, qui non nisi cœlestia spirans, homines Orco addictos revocare, cœlestes efficere et in cœlum transmittere satagebat; ideoque draconum, id est dæmonum, suggestiones discussit, bella et litigia sustulit, pacem plenam induxit, legem et gratiam Christi propagavit, totique orbi communem fecit.

12. SACERDOS QUOQUE JOVIS, QUI (scilicet Jupiter, ut patet Græco, non sacerdos) ERAT ANTE CIVITATEM. — *q. d.* Qui (Jupiter) in suburbiis suam habebat aram et templum, æque ac suum sacerdotem et sacrificulum. Ita Græca et Syrus (1).

TAUROS ET CORONAS, — id est tauros coronatos. Est hendiadys, qualis est illa Virgilii, II *Georg.*,

> Victori velatum auro vittisque juvencum,

id est velatum aureis vittis.

Victimæ coronabant. Cur?

ET CORONAS, — quas capiti victimæ, puta tauri, imponebant, iisque illum coronabant, ut significarent victimam hanc dari Jovi, qui est rex regum. Unde et apud Persas, non tantum sacerdotes ejus coronas gestabant in capite, sed et quotquot præsentes aderant : quin et templi fores, aras, columnas, etc., sertis et coronis exornabant. Idem fecere Judæi parta victoria, I *Machab.* IV, vers. 57. Idem fecerunt olim et etiamnum faciunt Christiani. Unde S. Paulinus, *in Natali* III *S. Felicis*, ait :

> Spargite flore solum, prætexite limina sertis.

Porro corona primitus soli Jovi et diis dabatur. Corona enim symbolum est absolutæ perfectionis, cumuli bonorum, regni, victoriæ, triumphi, felicitatis et gloriæ, quæ soli Deo competit. Audi Plinium, lib. XVI, cap. IV : « Antiquitus nulla corona nisi Deo dabatur; » postea heroibus quoque data est. Unde subdit Plinius : « Feruntque primum omnium Liberum patrem imposuisse capiti suo ex hedera; postea deorum honori sacrificantes sumpsere, victimis simul coronatis. » Idem, lib. XII, cap. XIX : « Coronas ex cinnamo interrasili auro inclusas, primus omnium in templis Capitolii et Pacis dicavit Imperator Vespasianus. » Ita Pausanias, in *Eliacis*, memorat Jovem ex auro et ebore factum ac olea coronatum in sede sua sedere. Vide Tertullianum, lib. *De Corona militis*. Hoc exemplo Samii ob placatum sibi ab Æsopo (ut habet ejus Vita) Crœsum, Æsopo ad eos redeunti, velut salutari cuidam numini, coronas attulerunt. Hinc irrisus fuit Metellus Pius, « qui se in Hispania deum faciebat, dum patiebatur sibi in transenna sedenti a demisso Victoriæ simulacro, cum tonitruum machinato strepitu, sicuti capiti cœlesti, coronas imponi sibique adeo supplicari, » ait Valerius Maximus, lib. IX, cap. I, et Macrobius, lib. II *Saturn.*, cap. XIV. Victimas ergo coronabant, quia Deo coronato non nisi coronata, id est absoluta, selecta, perfecta et eximia offerenda sunt. Unde Ovidius, XV *Metamorph.* :

> Victima labe carens, et præstantissima forma
> Sistitur ante aras, vittis præsignis et auro.

Ibidem, lib. I *Fastor.* :

> State coronati plenum ad præsepe juvenci.

Ita Iphigenia, Agamemnonis filia, cum immolanda duceretur ad sacrificium, coronata fuit, teste Euripide in *Iphigenia*. Plutarchus quoque in *Paulo Æmilio* : « Post hos, inquit, ducebantur auratis cornibus armentales boves centum viginti, mitris ornati et corollis. » Insuper sæpe coronæ hæ erant ex illa herba, vel flore, qui deo, cui sacrificabatur, erat sacer : puta ex hedera, si Baccho; ex pinu, si Pani; ex olea, si Minervæ, etc., sacrificaretur : communiter tamen erant ex cupressu, quia hæc erat feralis indexque mortis. Unde Prudentius, in *Apoth.* :

> Pontificum festis ferienda securibus illic
> Agmina vaccarum steterant, vittataque revincta
> Fronte coronales umbrabat festa cupressus.

ANTE JANUAS. — Tigurina, *ad vestibula* : utrumque enim significat Græcum πυλῶνας, et vestibula, sive atria domorum, sunt in introitu earum juxta januas. Syrus, *ad fores atrii, ubi commorabantur*, scilicet Paulus et Barnabas in civitate. Sacerdos ergo Jovis habitans extra civitatem juxta fanum Jovis, non ibi voluit sacrificare Paulo et Barnabæ, utpote absentibus et degentibus in civitate; sed comitatus turba populi cum pompa ingressus est civitatem, adiitque domum in quam, peracto miraculo, fugientes humanas laudes, ait Cajetanus, se receperant Apostoli, ibique ante januam voluit eis sacrificare : quod illi videntes, e domo exilierunt et sacrificium imo sacrilegium prohibuerunt.

VOLEBAT SACRIFICARE, — tam Mercurio quam

(1) Recte observavit ad h. l. Heinsius, intelligi Jovem Προπύλαιον, qui ante urbem coleretur, quod πολιοῦχος, urbis deus tutelaris, custos et conservator esset. Addit Lucas hoc epithetum quia in urbe una unum sæpe numen pro diversis epithetis singularia beneficia designantibus, in diversis templis cultum est, diversaque sacra et diversos sacerdotes habuit.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

Jovi, id est tam Paulo quam Barnabæ : utrumque enim credebant esse deum. Ita Syrus. Sic Nabuchodonosor Danielem, cum ei exposuisset suum somnium, « adoravit, et hostias et incensum præcepit ut sacrificarent ei, » *Daniel.* II, 46.

13. Quod ubi audierunt, — scilicet tam voces clamantium : « Dii similes hominibus ad nos descenderunt, » quam strepitum et apparatum sibi sacrificare volentium. Habebant enim donum linguarum, æque ac cæteri Apostoli, ac proinde Lycaones lycaonice loquentes recte intelligebant, esto id negare videatur S. Chrysostomus.

Conscissis tunicis suis. — Solebant enim Judæi audientes blasphemiam et sacrilegium (quale hoc erat sacrificare Apostolis quasi diis), in ejus detestationem et execrationem scindere vestes, ut hoc signo sibi cor intimo dolore tangi et quasi scindi testarentur, ac blasphemiam cum blasphemo dignam esse quæ plane dirumperetur et discinderetur. Quocirca vestes frequentius scindebant a collo secundum humeros usque ad pectus, ubi est cor et doloris sensus, ut tradunt Hebræi in libro *Misnaioth de volum. parvo*, cap. III. Idem fecisse Æneam tradit Virgilius, *Æneid.* V :

> Tum pius Æneas humeris abscindere vestem,
> Auxilioque vocare deos et tendere palmas.

Exilierunt, — εἰσεπήδησαν, id est insilierunt in turbam, ut eam compescerent; sicut herus insilit in domum incendio flagrantem, ut illud extinguat.

Moraliter : Disce hic quam Apostoli alieni fuerint ab honoris ambitu, ac vicissim quam zelosi honoris divini, ut illum a se amolirentur, inviolatumque Deo, quasi debitum et proprium conservarent. Vide hic S. Chrysostomum ample de humilitatis laude disserentem.

14. Mortales sumus, similes vobis homines. — Græce ὁμοιοπαθεῖς ἐσμεν ὑμῖν ἄνθρωποι, id est *nos similibus passionibus et malis obnoxii, quibus vos, sumus homines* : inter has autem passiones et mala, præcipua est mors. Unde Noster apte vertit, *mortales*, *q. d.* Sumus homines mortales, non dii immortales ; præsertim quia tota hominis vita est cursus ad mortem, imo perpetua et longa quædam mors. Nam, ut ait S. Gregorius, hom. 37 *in Evang.* : « ipse quotidianus defectus corruptionis, quid est aliud quam quædam prolixitas mortis? »

Moraliter, remedium superbiæ est meditatio mortis.

Hinc moraliter disce, contra superbiam efficax remedium esse memoriam et meditationem mortis. Ita Salomon in omni sua gloria dicebat, *Sap.* VII, 1 : « Sum quidem et ego mortalis homo, similis omnibus, » etc. Et Antiochus humiliatus et percussus a Deo : « Justum est, ait, subditum esse Deo, et mortalem non paria Deo sentire, » II *Machab.* IX, 12. Alexander Magnus, teste Curtio, in morte agnovit se hominem infirmum et imbellem : « En, ait, morior, quem falso deum esse dicebatis. » Constantius Imperator Romam ingressus, Hormisdæ Persæ ostendens ejus magnificentiam, petiit quid sibi de ea videretur? Cui ille : « Romæ, æque ac alibi, homines moriuntur, » *q. d.* Mors omnem hanc magnificentiam tecum, cum magnificis tuis sepeliet. Ita Fulgosius, lib. VII, cap. II. Alfonsus, Aragoniæ rex, rogatus, « quæ res reges et privatos, divites et pauperes, claros et obscuros, denique omnes prorsus exæquaret? » respondit : « Cinis. » Quis enim ex cineribus aut ossibus humanis terra erutis dignoscat, dicatque : Hic fuit rex, ille plebeius ; hic dives, ille pauper? Ita Panormitanus, lib. IV *De Gestis Alfonsi*. Nam ut Secundus philosophus, rogatus ab Adriano Imperatore : « Quid esset mors? » respondit : « Mors est æternus somnus, dissolutio corporum, divitum pavor, pauperum desiderium, inevitabilis eventus, incerta peregrinatio, latro hominis, somni pater, fuga vitæ, vivorum discessio, resolutio omnium. » Ita Laertius. Quocirca Musonius interrogatus : « Quis optime extremum diem claudere posset? ait : Qui semper postremum vitæ diem sibi instare proposuerit. » Ita Maximus, *serm.* 36. « Facile enim contemnit omnia, qui semper cogitat se moriturum, » ait Hieronymus *ad Paulinum*. Hinc Ægyptii cadaver ligneum in convivio circumferebant, dicentes : « In hunc intuens pota et oblecta te, talis post mortem futurus, » teste Herodoto, lib. III.

Annuntiantes vobis ab his vanis (a Jove, Mercurio aliisque idolis, quæ non sunt aliud quam vani et mendaces dii) converti ad Deum unum, — vivum et verum. Nam, ut ait Lactantius, lib. I *De Falsa Religione*, cap. XI : « Jupiter mortalis fuit, imbecillis et nihili : quippe qui potuit et tunc cum nasceretur extingui (a patre Saturno), sicut frater ejus ante genitus extinctus est ; qui, si vivere potuisset, nunquam minori concessisset imperium : ipse autem furto servatus furtimque nutritus, Ζεὺς sive Ζῆν appellatus est, non, uti isti putant, a fervore ignis cœlestis (quasi ἀπὸ τοῦ ζεῖν, id est *fervere*, quasi ipse sit igneus et fervida substantia, uti censuit Tertullianus, lib. I *Contra Marc.*, cap. XIII), vel quod vitæ sit dator, vel quod animantibus inspiret animas : quam enim possit inspirare animam, quam ipse accipit aliunde? sed quod primus ex liberis Saturni maribus vixerit, latitans in specu. » Unde Seneca in *Hercul. furente* :

Jupiter dicitur Ζεὺς, Cur? quasi vivens e filiis Saturni.

> Quid? qui gubernat astra, qui nubes quatit,
> Non latuit infans rupis exesæ specu?

Subdit Lactantius Jovis libidines, fraudes, rapinas, etc. Similiter « Mercurius fur ac nebulo, quid ad famam sui reliquit, nisi memoriam fraudum suarum? Cœlo scilicet dignus, quia palæstram docuit, et lyram primus invenit, » inquit Lactantius, *ibidem*, cap. X. Unde Mercurius a Poetis vocatur furum, furtorum, somni et fraudum deus. Vide S. Augustinum, lib. VII *De Civit.*, cap IX et seq.

15. Dimisit Gentes ingredi vias suas, — sequi



suas concupiscentias, errores et ficta numina ; « dimisit » autem, non quasi eis omne virtutis et veritatis auxilium abstulerit. Sic enim necessario errassent et impie egissent, ac proinde non peccassent. Nam usque adeo peccatum voluntarium est malum, ut nullo modo sit peccatum, si non sit voluntarium, ait S. Augustinus, lib. *De Vera Relig.*, cap. XIV. Sed quod generalia et modica duntaxat gratiæ et fidei præsidia eis elargitus sit, specialia et magna reservans Christo et legi gratiæ, idque ex arcano ejus judicio et beneplacito. Ita se explicat Apostolus, dum subdit : « Et quidem non sine testimonio semetipsum reliquit, » etc. Et *Rom.* I, 20, docet Gentiles potuisse et debuisse Deum ex creaturis agnoscere, imo multos agnovisse : « Deus enim illis manifestavit. Invisibilia enim Dei, per ea quæ facta sunt, intellecta conspiciuntur, sempiterna quoque ejus virtus et divinitas, ita ut sint inexcusabiles : quia cum cognovissent Deum, non sicut Deum glorificaverunt, nec gratias egerunt : propterea, ait, tradidit illos Deus in desideria cordis eorum, » etc. Vide ibi dicta, et S. Augustinum, *epist.* 49, cap. II, et S. Prosperum, lib. I *De Vocat. Gent.*, cap. IV, V et seq.

Impie et imperite Calvinus hæc adaptat Ecclesiæ, quasi illam pari modo permiserit Deus ire in errores, donec veniret Calvinus, qui illos sua luce dispelleret : aliud enim est Gentilismus et Paganismus, aliud Christianismus et Ecclesia, quæ est domus Dei, columna et firmamentum veritatis, ut ait Apostolus, I *Timoth.* III, 15, cum qua Christus se mansurum promisit usque ad consummationem sæculi, *Matth.* cap. ult., vers. ult.

16. Dans pluvias, — quæ terram fœcundent ad producenda omnia fructuum genera. Porro in Ægypto, ubi non pluit, Deus loco pluviæ dat Nilum qui statis temporibus exundans, eam facit fertilissimam, adeo ut olim horreum Romanorum vocaretur. Memorabile est quod scribit Socrates, lib. I *Histor.*, cap. XIV : « Cum Gentiles, ait, affirmarent Serapidem esse, qui Nilum ad agros Ægypti irrigandos introduceret, propterea quod ulna quædam, id est mensura aquæ inundantis, in templum Serapidis esset deportata ; Imperator (Constantinus Magnus) ulnam illam ad Ecclesiam Alexandrinam transferri jubet, » quasi mensuram exundantis Nili Serapidi adimens, et Deo, cujus erat, adscribens. « Cum autem sermo percrebresceret, Nilum præ Serapidis ira deinceps minime inundaturum, non modo flumen anno sequenti extra ripas diffluxit, sed etiam inde reipsa planum factum est, Nilum non propter hujusmodi superstitiosam religionem, sed propter divinæ providentiæ decreta in[illegible]are consuevisse. » Simile est quod scribit Sozomenus, lib. VII, cap. XX : « Cum Theodosius Imperator, ait, idolorum, ac consequenter Nili (quem quasi deum suum, ob fœcundationem agrorum, colebant Ægyptii) cultum publico edicto sustulisset, Nilus tunc solito tardius ad primum exundationis gradum constitit. Indignabantur ergo Ægyptii, quod non liceret sibi more solito Nilo sacrificare, ut ab eo exundationem impetrarent. Verum paulo post adeo præter solitum intumuit et exundavit, ut Ægyptii metuerent ne Alexandropolim, quæ Libyæ pars erat, inundaret. Unde in theatris exclamabant, quod fluvius, velut senex ac delirus, eminxisset, ac ex eo plurimi Ægyptii patria superstitione damnata, ad Christianismum transierunt. »

Nili exundatio a Deo.

Tempora fructifera. — Suis enim temporibus sibi invicem succedentibus, varios fructus et fruges producit Deus, quibus homini fastidium adimat, et perpetua novitate appetitum acuat et oblectet. Sic cerasis succedunt ficus, ficubus pruna, prunis pyra, pyris poma, pomis uvæ, etc. Unde Joannes Alba Electorum, caput XCXIV, per hypallagen sic exponit : « Dans tempora fructifera, » hoc est, dans fructus temporibus suis. Vide simile, cap. I, 18.

17. Vix sedaverunt turbas. — Sacerdotis Jovis nulla hic fit mentio. Unde suspicatur Dionysius Carthusianus eum, cum audiret Jovem suum a Paulo despici et vanum vocari, venerationem in odium Pauli convertisse, eoque relicto domum abiisse.

Supervenerunt autem. — Studio id fecerunt ex zelo Judaismi, et odio Christianismi ac Pauli, ut illum everterent.

18. Persuasis turbis, — quod Paulus et Barnabas quasi novorum, non deorum, sed dæmonum essent præcones, ideoque exitium urbi allaturi, forent lapidandi et occidendi, ut Iconii, quasi magi, paulo ante lapidati fuerant. Unde Græci quidam codices sic habent : « Et cum illi fortiter disputarent, persuaserunt turbis, ut ab eis desciscerent, dicentes quod nihil veri dicerent, sed omnia mentirentur. »

Lapidantesque Paulum, — λιθάσαντες, id est *cum lapidassent Paulum*. Unde videtur Paulus solus, quia dux erat verbi, lapidatus, non Barnabas, idque intra civitatem : nam paulo post « traxerunt extra civitatem, existimantes eum mortuum esse; » Syrus, *propterea quod putarent eum mortuum esse*. Cadavera enim efferebant extra civitatem, ne eam contaminarent, et in agris sepeliebant. Lapidatur hic Paulus, quia prius lapidarat ipse Stephanum : congrue ergo patitur id quod alteri irrogavit. Sed irrogavit ut Saulus, patitur ut Paulus.

Moraliter, disce hic vulgi mobilitatem et inconstantiam : paulo ante, imo eodem, ut videtur, die, Paulum ut Mercurium adorare volebat, mox ad sibilum Judæorum, eum ut sacrilegum lapidat. Vide dicta *Num.* XI, 4, et XX, 3.

19. Circumdantibus autem eum discipulis, — ut vel mortuum sepelirent, uti vult Cajetanus, vel vivum tegerent et Judæis absconderent : ita Lyranus et Hugo.

SURGENS. — Miraculo Deus illico restituit sanitatem et vires Paulo, ut qui lapidibus obrutus, confractus et quasi enecatus jacebat, illico surgeret, ac postridie quasi valens validusque pergeret in Derben. Ita Lyranus, Dionysius et Lorinus. Sic S. Sebastianus sagittis confixus, ac pro mortuo relictus, illico Dei virtute convaluit, adiensque Diocletianum ejus impiam crudelitatem redarguit, ut habent ejus Acta.

20. CUMQUE EVANGELIZASSENT. — Ecce persecutione crescit, non decrescit animus virtusque Paulo, ut illico valentius et audacius iisdem in locis quibus lapidibus fuerat appetitus, evangelizet. Unde S. Gregorius, lib. XXXI Moral., cap. XV, vel juxta aliam editionem, XXV, Paulum vocat equum generosum Dei : « Ecce, ait, lapidibus obruitur, nec tamen a veritatis sermone removetur. Occidi potest, superari non potest : velut extinctus extra urbem projicitur, sed intra urbem die alio illæsus prædicator invenitur. O quam fortis huic viro inest infirmitas! o quam victrix pœna! o quam dominatrix patientia! Ad arguendum repulsione provocatur, ad prædicandum salutem plagis erigitur, et ad propellendum laboris lassitudinem pœna refovetur. » Ita S. Abraham eremita, uti refert S. Ephrem in ejus Vita, missus ad convertendum Paganos, feros et barbaros, ab eis assidue irrisus, vexatus, verberatus, sed fortior assurgens, et majorem amorem semper ostendens, per triennalem hanc patientiam, amorem et constantiam tandem eos convertit. Ergo « tu ne cede malis, sed contra audentior ito. »

21. QUONIAM PER MULTAS TRIBULATIONES. — Crux enim a Deo statuta est via paradisi, quam Christum inire et nobis præire voluit. Infert hinc S. Hieronymus, epist. ad Ocean. de ferendis opprobr. : « Si, inquit, per multas tribulationes quibusdam cœlestis regni aditus aperitur, illis utique clauditur, qui nolunt sustinere vel paucas. » Idem, epist. 1 ad Heliodorum : « Delicatus, inquit, es, si et hic vis gaudere cum seculo, et postea regnare cum Christo. » Scripsit hac de re totum cap. ult. lib. II De Imitat. Christi, Noster Thomas Theodidactus (falso Gerson indigitatus), aureis refertum gnomis; illudque hac sententia concludit : « Omnibus ergo perfectis et scrutatis, sit ista finalis conclusio : quoniam per multas tribulationes oportet nos intrare in regnum Dei. » Porro dixit hoc Paulus occasione persecutionis suæ, quam assidue patiebatur a Judæis, ne Gentiles conversi ea offensi, resilirent a fide, præsertim cum similia eis ob fidem pati contingeret. Præmunit ergo eos, ut sciant sibi causa fidei multa esse toleranda.

Nota τὸ *oportet*, *q. d.* Necesse est, ita fieri debet, aliter fieri nequit : idque *primo*, quia ita sanxit et decrevit Deus, *q. d.* Æterna et irrevocabili Dei lege sancitum est, ut via ad cœlum sit tribulatio; et ab hoc decreto neminem excepit, sed eo omnes inclusit : ergo nemo ab eo se excipiendum putet : velis, nolis, crux ab æterno a Deo decreta, tibi subeunda est : subi ergo eam volens, ne, si nolens, pœnam tibi duplices, ac meritum et coronam amittas. *Secundo, oportet*, quia decet et congruit ut tantum Dei regnum emereamur heroicis operibus, agendo et patiendo multa ardua pro Deo et cœlo : nec enim datur corona, nisi post agonem. « Non enim sunt condignæ passiones hujus temporis, ad futuram gloriam, quæ revelabitur in nobis. » Quocirca Joannes Abbas dixit « portam cœli esse injuriarum perpessionem. Hæc, inquit, est porta Dei, per quam patres nostri per multas tribulationes et injurias gaudentes ingressi sunt civitatem Dei. » Ita in *Vitis Patr.*, lib. III, n. 84, auctore Ruffino. Et num. 85, narratur de alio, qui rogans dicensque : « Da mihi, Pater, unam rem quam custodiam, et salver per eam ; » audivit : « Si potueris injuriari et affici conviciis, et portare ac tacere, magna est hæc res et super alia mandata. » *Tertio, oportet*, quia Christus, caput nostrum, per crucem ingressus est in cœlum : membra autem decet conformari suo capiti. « Si enim compatimur, et conglorificabimur, » *Rom.* VIII, 17. *Quarto, oportet*, quia Patriarchæ, Apostoli, Martyres, Virgines, Anachoretæ Sanctique ad unum omnes hac via ingressi sunt in cœlum : nos ergo diversam ingredi non convenit. *Quinto, oportet*, quia tribulatione veluti nitro et lixivio peccata expianda sunt, et concupiscentiæ motus restinguendi et expurgandi. *Sexto, oportet*, quia vita hæc plena est miseriis, tentationibus, persecutionibus, etc., quas nemo evadere potest. Quocirca Ptolemæus, ut habetur in præfatione Almagesti, inter alias gnomas hanc edidit : « Qui in mundo permanere voluerit, cor patiens adversitatibus præparet. » Et Menander : « Necesse est mortalem multa perpeti mala. » Solon vero Crœso regi ditissimo beatum se æstimanti : « O Crœse, inquit, homo est quædam gravis calamitas. Quare ante mortem nemo beatus censendus est. » Ægre accepit id Crœsus, sed reipsa id verum esse didicit, quando captus a Cyro rogoque adjudicatus, « Solon, Solon, inquit, quam vera dixisti! » Ita Herodotus, lib. I. Quocirca Seneca, lib. I *De Vita beata*, cap. XV : « Ad hoc sacramentum, inquit, adacti sumus, ferre mortalia, nec perturbari his quæ vetare nostræ potestatis non est. In regno nati sumus : Deo parere libertas est. » *Septimo, oportet*, quia qui pietati studet, hostes habet infensissimos, nimirum dæmones omnes, mundum, carnem, ac sæpe amicos, cognatos, fratres et parentes, qui eum tentant, vexant, tribulant, juxta illud : « Omnes qui pie volunt vivere in Christo Jesu, persecutionem patientur, » II *Timoth.* III, 12. *Octavo, oportet*, quia dulcia non meruit qui non gustavit amara : nemo enim sentit quam dulce sapiat, nisi qui sensit quam amarum desipiat. Hinc Christus « favos post fella gustavit, » ait Tertullianus, *De Corona militis*, cap. XIV; post gustatum enim fel, optime sapit mel. Sic œnopolæ, ut



vina sua hospitibus commendent, eis libanda dant nonnulla insipida et acerba. Cum proficiscerer Romam per Germaniam, vir prudens hoc mihi dedit consilium : in hospitiis hospiti vinum propinanti, rogantique num bonum sit, respondeto, esse bonum, illudque laudato : tum enim melius et melius dabit, ut ostendat se optimis vinis abundare. Si enim dicas esse malum illudque vituperes, hospes dabit pejus semper et pejus, ut cogaris repetere prius, dicereque illud fuisse longe melius. Itaque mihi res evenit. Sic et Deus congrue suis electis dat hic fel et vinum austerum tribulationis, ut post illud eis melius sapiat mel et nectar consolationis et fruitionis Dei in cœlo. Vide dicta de tribulationis utilitate, *Gen.* XXII, 1, et cap. XXXIII in fine, et cap. XLII, 21; *Rom.* VIII, 17; *Daniel.* XI, 35, et alibi. Ita S. Urbanus Pontifex, magister S. Cæciliæ, cum eum in carcere inclusum visitarent Fortunatus et Justinus presbyteri, flentesque dicerent : « Ora pro nobis, sanctissime Pater, quia tempus persecutionis imminet; » respondit : « Nolite ex hoc flere, sed magis gaudete : per multas enim tribulationes oportet nos introire in regnum Dei, » ac paulo post productus ad tribunal gloriosum martyrium obiit anno Christi 233. Ita habent ejus Acta.

Vers. 22. χειροτονία et Ordinatio Episcopi non laici.

22. ET CUM CONSTITUISSENT ILLIS PER SINGULAS ECCLESIAS PRESBYTEROS. — Græce χειροτονήσαντες, quod Erasmus, Pagninus et Tigurina (et innuit Syrus) vertunt, *cum per suffragia elegissent*, vel *creassent eis Presbyteros*, quasi hi Presbyteri creati sint a laicis, puta suffragiis populi : χειροτονία enim est *manus extensio*; solebat enim populus manum elevando ferre suffragium. Hoc verum est in creatione Magistratuum civilium, at non Ecclesiasticorum : hi enim non a laicis, sed ab Ecclesiasticis, puta ab Episcopis, creantur et ordinantur.

Id ita esse patet *primo*, quia τὸ χειροτονήσαντες spectat Paulum et Barnabam, non populum, ut patet intuenti textum. Ergo Paulus et Barnabas erant χειροτονήσαντες, id est *manus extendentes*, sive *manus imponentes* super Presbyteros, atque hac manuum impositione eos sacro ritu ordinantes, non populus.

*Secundo*, quia Paulus, I *Timoth.* IV, vers. 14 : « Noli, ait, negligere gratiam, quæ tibi data est per impositionem manuum Presbyterii, » id est cœtus Presbyterorum. Presbyteri ergo manus imponebant ordinandis, non laici. Et cap. V, 22 : « Manus cito nemini imposueris. » Et II *Timoth.* I, 6 : « Admoneo te ut resuscites gratiam Dei, quæ est in te per impositionem manuum mearum, » non populi.

*Tertio*, quia χειροτονία in Novo Testamento est χειροθεσία, id est *manus impositio*, hoc est sacra Ordinatio, ut patet ex locis jam citatis : idque diserte docet S. Chrysostomus, hom. 10 in *Epist. I ad Timoth.*; S. Hieronymus, in cap. LVIII *Isaiæ*; Theodoretus, lib. I *Histor.*, cap. IX, et Græci passim, qui χειροτονίαν vocant Ordinationem, qua Episcopi manus non elevant ad dandum suffragium, sed imponunt ordinando, ut cum Episcopum vel sacerdotem consecrent. Idem patet ex canon. I Apostol. et ex Concilio Nicæno, quod citat Theodoretus loco jam dicto, et Concilio Laodicensi, cap. V.

*Quarto*, idem patet ex continua et immemorabili praxi Ecclesiæ, quæ Ecclesiæ ministros constituit per impositionem manuum Episcopi, non per suffragia populi; esto aliquando Episcopi ex indulgentia concesserint populo jus eligendi et præsentandi ordinandos, uti etiamnum multi principes habent jus patronatus præsentandi Abbates et Episcopos : verum ita, ut eos non constituant, nec ordinent, sed constituendos et ordinandos offerant Pontifici.

*Quinto*, quia ita Christus per se ordinavit Apostolos in Episcopos et Presbyteros, sine ullo populi suffragio. Atque idem facere jussit Apostolis, non solum suo exemplo, sed et verbo, dicens in ultima cœna, cum eos ordinavit Sacerdotes : « Hoc facite. » Christus enim instituit modum ordinandi, æque ac conferendi reliqua Sacramenta.

PRESBYTEROS, — tum summos, id est Episcopos; tum minores, id est Sacerdotes. Episcopi ergo nomine Presbyterorum comprehenduntur, uti dixi I *Timoth.* III, vers. 1 et 8.

ET ORASSENT CUM JEJUNATIONIBUS. — Est hysterologia, oratio enim et jejunium præmissum fuit Ordinationi Presbyterorum, æque ut præmissum fuit in Ordinatione Pauli et Barnabæ, cap. præcedenti, vers. 2 et 3, atque etiamnum præmittitur Ordinationi, quæ proinde fit prævio jejunio Quatuor Temporum. Idipsum liquet ex Græco, ubi non est conjunctio, etc., sed tantum aoristus προσευξάμενοι, id est *postquam orassent*, *q. d.* Cum post orationem et jejunium constituissent eis Presbyteros. Porro Lyranus per orationem accipit hic sacrificium Missæ : in ea enim est solemnis et publica oratio, in qua proinde ordinari solent Ecclesiæ ministri. Vide dicta capite præcedenti, vers. 2 et 3.

COMMENDAVERUNT (puta Paulus et Barnabas) EOS (fideles Lystrenses, Iconienses, etc., cum Presbyteris quos eis constituerant) DOMINO IN QUEM CREDIDERUNT, — ut is eos in fide suscepta conservaret et promoveret. Minus recte ergo nonnulli inverse sic explicant, *q. d.* Fideles conversi commendarunt Paulum et Barnabam Domino, ut is eorum iter et prædicationem dirigeret et secundaret, utpote « in quem crediderunt, » id est cujus providentiæ totos se commiserunt et tradiderunt.

24. ATTALIAM. — Perperam Vatablus legit, *Italiam*. Sic et interpres Syri male legit et vertit, *Litaleia*, cum alio puncto legere et vertere debuisset *Lataliа*, id est *in Italiam*. Longe enim

aberant hi Apostoli ab Italia : nec Paulus venit in Italiam ante annum secundum Neronis, quo Romam ad eum vinctus missus est a Festo, *Actor.* XXVII, 1. Errant ergo qui aliter sentiunt. Attalia urbs est et regio in Pamphylia : ita Ptolemæus, lib. V, cap. VI, et Strabo, lib. XIV; vel certe juxta Pergamum, cujus rex fuit Attalus, unde vestes Attalicæ, quæ ibi fiebant. Opus enim Attalicum est, in quo staminibus sericis aurea subtegmina intexuntur : nos telam auream vocamus. De quo Plinius, lib. III, cap. XLVIII : « Acum facere Phryges invenerunt, ideoque Phrygiones appellati sunt. Aurum intexere in eadem Asia invenit Attalus rex : unde nomen Attalicis. Colores diversos picturæ intexere Babylon maxime celebravit et nomen imposuit. Plurimis vero liciis texere, quæ polymita appellant, Alexandria instituit; scutulis dividere Gallia. »

25. UNDE ERANT TRADITI GRATIÆ DEI, — puta traditi Spiritui Sancto, eos exposcenti ac dicenti cap. XIII, 2 : « Segregate mihi Saulum et Barnabam in opus ad quod assumpsi eos. » Spiritus Sanctus enim est Spiritus gratiæ, qui gratis et copiose suis, præsertim præconibus, dona quælibet gratiarum ad ministerium hoc opportuna aspirat et subministrat. Gratia ergo Dei hic significat Spiritus Sancti directionem, roborationem, illustrationem, quibus animabat Paulum et Barnabam, eosque suo spiritu et zelo igniebat ad efficaciter et ardenter evangelizandum, et ad patrandum miracula, quibus converterentur Gentiles. *Secundo,* « traditi gratiæ, » id est gratuito apostolatui et legationi ad Gentes : apostolatus enim ingens est gratia. Unde nonnulli per hypallagen sic exponunt : ubi traditi erant gratiæ Dei, id est ubi tradita erat eis gratia Ordinationis et apostolatus, hoc est ubi ordinati erant Episcopi, et constituti Apostoli jussu Dei. *Tertio,* « *gratiæ* » notat faustas Antiochensium Presbyterorum et fidelium apprecationes, quibus Paulo et Barnabæ abeuntibus ad apostolatum omnia fausta omnemque Dei gratiam et benedictionem apprecabantur, commendantes eos Deo ejusque misericordiæ et gratiæ. Unde hanc gratiam explicans Lucas, vers. 26, ait : « Quanta fecisset Deus cum illis : » Deus enim ejusque gratia erat quasi pædagogus et auriga Pauli. Hic sensus videtur planissimus, ut Paulus dicatur traditus gratiæ Dei per hypallagen, hoc est commendatus Deo, qui omnis gratiæ liberalissimus est donator viris Apostolicis.

IN OPUS (ad opus Apostolatus) QUOD COMPLEVERUNT, — id est fideliter, plene et perfecte obiverunt. Sic Paulus jubet Timotheo, *Epist.* II, cap. IV, 5, dicens : « Ministerium tuum imple. » Et Christus angelo, id est Episcopo Sardensi arguens dicit, *Apocalyp.* III, 2 : « Esto vigilans, et confirma cætera quæ moritura erant; non enim invenio opera tua plena coram Deo meo. » Vide ibi dicta. Baronius censet Barnabam et Paulum in hoc opere peregrinationis et apostolatus sui posuisse quinque annos. Exiisse enim Antiochia ad prædicandum anno Christi 44, qui fuit Claudii Imperatoris 2 vel 3, rediisse vero anno Christi 49, qui fuit Claudii septimus, et majori ex parte octavus.

26. ET QUIA APERUISSET GENTIBUS OSTIUM FIDEI, — hoc est Gentes per prædicationem vocasset ad fidem, ac per fidem et baptismum vocasset et admisisset in suam Ecclesiam et cœtum fidelium : Ecclesiæ enim ostium est fides et baptismus. Ostium ergo fidei est prædicatio Evangelii et fidei, tum externa per Paulum, tum interna per Spiritum Sanctum, qua Spiritus Sanctus intellectum et voluntatem movet, ut intendat prædicationi externæ eique credat et obediat; per prædicationem enim quasi per ostium aurium, sermo fidei fidesque ingreditur in animam, ac seipsam animæ insinuat et persuadet : atque vicissim anima ingreditur in fidem, ei se submittendo, credendo et tradendo in obsequium Dei, Christi et Apostolorum ejus. Sic moraliter Deus fidelibus aperit ostium humilitatis, patientiæ, charitatis, vitæ religiosæ et Apostolicæ, dum eis inspirat pias affectiones, motus et desideria humilitatis, patientiæ, charitatis, vitæ religiosæ et Apostolicæ, juxta illud quod ait Christus de sua passione et obedientia usque ad mortem crucis, *Isaiæ* cap. L, vers. 5 : « Dominus Deus aperuit mihi aurem : ego autem non contradico, retrorsum non abii. »

27. MORATI SUNT AUTEM TEMPUS NON MODICUM CUM DISCIPULIS — Antiochiæ. Baronius censet Paulum et Barnabam, post reditum Antiochiæ, mansisse biennium, puta anno Christi 49 et 50, usque ad Concilium primum Hierosolymitanum, quod celebratum esse asserit anno Christi 51, de quo capite sequenti.



# CAPUT DECIMUM QUINTUM.

## SYNOPSIS CAPITIS.

*Antiochiæ oritur quæstio, an Gentiles Christiani debeant circumcidi et servare legem Moysi? Ad eam solvendam mittitur ad Apostolos Hierosolymam Paulus cum Barnaba. Apostoli cogunt primum Concilium, in quo respondent et definiunt Christianos non obligari lege Mosis. Responsum hoc Antiochiam refert Paulus et Barnabas; qui paulo post separati, Paulo assumente Silam, Barnaba Joannem Marcum, pergunt evangelizare Gentibus.*

1. Et quidam descendentes de Judæa, docebant fratres : Quia nisi circumcidamini secundum morem Moysi, non potestis salvari. 2. Facta ergo seditione non minima Paulo et Barnabæ adversus illos, statuerunt ut ascenderent Paulus et Barnabas, et quidam alii ex aliis, ad Apostolos et Presbyteros in Jerusalem, super hac quæstione. 3. Illi ergo deducti ab Ecclesia, pertransibant Phœnicen et Samariam, narrantes conversionem Gentium, et faciebant gaudium magnum omnibus fratribus. 4. Cum autem venissent Hierosolymam, suscepti sunt ab Ecclesia, et ab Apostolis, et senioribus, annuntiantes quanta Deus fecisset cum illis. 5. Surrexerunt autem quidam de hæresi Pharisæorum, qui crediderunt, dicentes : Quia oportet circumcidi eos, præcipere quoque servare legem Moysi. 6. Conveneruntque Apostoli et seniores videre de verbo hoc. 7. Cum autem magna conquisitio fieret, surgens Petrus dixit ad eos : Viri fratres, vos scitis quoniam ab antiquis diebus Deus in nobis elegit, per os meum audire Gentes verbum Evangelii, et credere. 8. Et qui novit corda Deus, testimonium perhibuit, dans illis Spiritum Sanctum sicut et nobis; 9. et nihil discrevit inter nos et illos, fide purificans corda eorum. 10. Nunc ergo quid tentatis Deum, imponere jugum super cervices discipulorum, quod neque patres nostri, neque nos portare potuimus? 11. Sed per gratiam Domini Jesu Christi credimus salvari, quemadmodum et illi. 12. Tacuit autem omnis multitudo : et audiebant Barnabam et Paulum narrantes quanta Deus fecisset signa et prodigia in gentibus per eos. 13. Et postquam tacuerunt, respondit Jacobus, dicens : Viri fratres, audite me. 14. Simon narravit quemadmodum primum Deus visitavit sumere ex Gentibus populum nomini suo. 15. Et huic concordant verba Prophetarum, sicut scriptum est : 16. Post hæc revertar, et reædificabo tabernaculum David, quod decidit : et diruta ejus reædificabo, et erigam illud; 17. ut requirant cæteri hominum Dominum, et omnes gentes, super quas invocatum est nomen meum, dicit Dominus faciens hæc. 18. Notum a sæculo est Domino opus suum. 19. Propter quod ego judico, non inquietari eos qui ex Gentibus convertuntur ad Deum; 20. sed scribere ad eos ut abstineant se a contaminationibus simulacrorum, et fornicatione, et suffocatis, et sanguine : 21. Moyses enim a temporibus antiquis habet in singulis civitatibus qui eum prædicent in synagogis, ubi per omne sabbatum legitur. 22. Tunc placuit Apostolis, et senioribus cum omni Ecclesia, eligere viros ex eis, et mittere Antiochiam cum Paulo et Barnaba Judam, qui cognominabatur Barsabas, et Silam, viros primos in fratribus, 23. scribentes per manus eorum : Apostoli et Seniores fratres, his qui sunt Antiochiæ, et Syriæ, et Ciliciæ, fratribus ex Gentibus, salutem. 24. Quoniam audivimus quia quidam ex nobis exeuntes, turbaverunt vos verbis, evertentes animas vestras, quibus non mandavimus : 25. placuit nobis collectis in unum, eligere viros et mittere ad vos, cum charissimis nostris Barnaba et Paulo, 26. hominibus, qui tradiderunt animas suas pro nomine Domini nostri Jesu Christi 27. Misimus ergo Judam et Silam, qui et ipsi vobis verbis re-

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ® DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

ferent eadem. 28. Visum est enim Spiritui Sancto et nobis, nihil ultra imponere vobis oneris, quam hæc necessaria; 29. ut abstineatis vos ab immolatis simulacrorum, et sanguine, et suffocato, et fornicatione; a quibus custodientes vos, bene agetis. Valete. 30. Illi ergo dimissi, descenderunt Antiochiam, et congregata multitudine tradiderunt epistolam. 31. Quam cum legissent, gavisi sunt super consolatione. 32. Judas autem et Silas, et ipsi cum essent Prophetæ, verbo plurimo consolati sunt fratres, et confirmaverunt. 33. Facto autem ibi aliquanto tempore, dimissi sunt cum pace a fratribus ad eos qui miserant illos. 34. Visum est autem Silæ ibi remanere: Judas autem solus abiit Jerusalem. 35. Paulus autem et Barnabas demorabantur Antiochiæ, docentes et evangelizantes cum aliis pluribus verbum Domini. 36. Post aliquot autem dies, dixit ad Barnabam Paulus: Revertentes visitemus fratres per universas civitates, in quibus prædicavimus verbum Domini, quomodo se habeant. 37. Barnabas autem volebat secum assumere et Joannem, qui cognominabatur Marcus. 38. Paulus autem rogabat eum (ut qui discessisset ab eis de Pamphylia, et non isset cum eis in opus) non debere recipi. 39. Facta est autem dissensio, ita ut discederent ab invicem, et Barnabas quidem, assumpto Marco, navigaret Cyprum. 40. Paulus vero, electo Sila, profectus est, traditus gratiæ Dei a fratribus. 41. Perambulabat autem Syriam et Ciliciam, confirmans Ecclesias: præcipiens custodire præcepta Apostolorum et Seniorum.

1. Et quidam descendentes de Judæa. — Judæi ergo hujus litis et quæstionis fuere auctores: nam pro suo judaismo certantes, prætendebant solis Judæis promissum et missum esse Messiam ejusque gratiam et salutem: ac proinde Gentiles non esse capaces Messiæ et Christianismi, nisi prius fiant Judæi. Horum auctor fuit Cerinthus, teste Epiphanio, *hæres.* 28, et Philastrio, lib. *De Hæret.* cap. VIII: «Hic, inquit, sub Apostolis quæstionem seditionis commovit, dicens debere circumcidi homines: cujus causa contra ipsum et hæresin ejus decreverunt de suis Actibus Apostoli sententiam, non debere jam homines judaismo, id est circumcisioni aliisque talibus superstitionis vanæ parere carnalibus, qui de Gentibus venientes credebant in Christum Dominum nostrum Salvatorem.» Idem habet S. Augustinus, in *Catalogo hæresum*, et S. Hieronymus, *epist.* 89. Unde et Cerinthus fideles concitavit contra S. Petrum, eo quod baptizasset Cornelium, ut vidimus cap. X; et rursum concitavit Judæos, ut Paulum quasi Judaismi hostem caperent, uti audiemus cap. XXI. Cerinthi assecla fuit Ebion, qui mentiebatur Paulum esse Gentilem, sed factum esse proselytum, ut Hierosolymis filiam sacerdotis in uxorem ducere posset: verum hac spe dejectum, factum esse hostem Judæorum et Judaismi. Ita Epiphanius, *hæres.* 30.

Quia nisi circumcidamini. — Sub circumcisione per synecdochen, totam legem Mosis et Judaismi intellige, hujus enim initium, ingressus et professio erat circumcisio, æque ac baptismus legis novæ et Christianismi, ut docet Apostolus, *Galat.* cap. V, vers. 3.

Secundum morem Moysi, — a Mose præscriptum in lege. Unde Syrus vertit, *ritu legis.*

2. Facta ergo seditione. — Græce στάσεως καὶ ζητήσεως, id est *facta contentione et disceptatione*: στάσις enim significat non tantum *seditionem*, sed et *secessionem, dissensionem, discordiam, certamen, contentionem*: et sic Noster Interpres sumit hic seditionem pro secessione et acri contentione, *q. d.* Paulus et Barnabas secesserunt et dissenserunt a Cerintho et Judaizantibus, atque contra eos acriter contenderunt Gentiles non debere circumcidi et servare legalia. Unde Syrus vertit, *ortus est tumultus plurimus et disceptatio.* Ex clamosa enim contentione partium litigantium oritur tumultus, schisma et seditio. Est catachresis et metalepsis: seditio enim ponitur pro contentione, ex qua consequi solet: alioqui Paulus proprie seditiosus dici nequit, sed potius Cerinthus et Judaizantes: cum seditiosis autem seditiose agendum; sicut enim bellum non nisi bello propulsatur, sic et tumultus non nisi tumultu, seditio non nisi seditione, contentio non nisi contentione superatur et sedatur. Nisi enim hæreticis fortiter sese opponant Catholici, suosque omnes in partem suam ad resistendum evocent, a factione et furore hæreticorum opprimentur. Dicitur enim *seditio* quasi *seorsum itio.* Unde Cicero, lib. VI *De Republ.*, cap. VII, declarat seditionem a dissensione civium dictam esse, quod seorsum eant alii in alium. Idem, actione 3 in *Verrem*: «Malus civis, inquit, improbus Consul, seditiosus homo Cneius Carbo fuit.» Seditio ergo bona, vel mala est, prout causa bona, vel mala est. Denique seditio hæc potius populo tribuenda est, quam Paulo, *q. d.* Populus fidelis, audito jugo legis, quod ei imponere volebant Judaizantes, concitavit tumultum et seditionem, ac tumultuans adortus est Paulum et Barnabam, eosque coegit insurgere contra Judaizantes, ac populi libertatem Christianam propugnare.



Ut ascenderent Paulus, — cum Tito, ait Theodoretus, quem maxime impetebat Cerinthus, ejusque asseclæ, eo quod, cum esset Gentilis et conversus ad Christum a Paulo, non tamen fuisset circumcisus, uti ait Apostolus, *Galat.* II, 1. Ubi et asserit se non tantum missum ab Antiochenis, sed et *secundum revelationem*, id est, accepto oraculo jussuque Dei, ascendisse in Jerusalem, ut Evangelium, quod prædicabat Gentibus, conferret cum Apostolis, ne Judæi criminari possent eum quasi Christi posthumum dissentire ab Apostolis, qui cum Christo vixerant ab eoque edocti erant.

Et quidam alii ex aliis. — Ex parte adversa Cerinthi et Judaizantium, ut utraque dissidentium pars suas rationes proponeret Apostolis, quibus auditis ipsi pronuntiarent sententiam litemque deciderent. Minus recte aliqui per *alios* accipiunt Titum et alios Paulo et Barnabæ adhærentes. Nam τὸ *alii ex aliis*, significat eos fuisse ex parte adversa; atqui in judicio debet utraque pars audiri. Ita Mariana.

Ad Apostolos, — S. Petrum, Jacobum et Joannem, ut patet *Galat.* II, 9; cæteri enim Apostoli dispersi erant per orbem. Joannes enim facile Epheso poterat evocari, uti et Matthias, et si qui alii in locis viciniis degebant. Jacobus aderat, utpote Episcopus Hierosolymorum. Alter enim Jacobus Zebedæi, frater Joannis, jampridem erat occisus; S. Petrus Roma expulsus cum cæteris Judæis a Claudio, ut patet cap. XVIII, vers. 2, pariter in Jerusalem quasi fidelium matricem, nutu Dei redierat. Hoc ergo Concilium tribus primariis Apostolis constabat. Ita Baronius. Addit S. Clemens, lib. VI *Constit.*, cap. XII, omnes duodecim Apostolos per orbem dispersos, instinctu Dei in Jerusalem convenisse, et quæstionem hanc definivisse. Verum id magnam habet difficultatem. Nam Jacobus Zebedæi, qui erat unus e duodecim Apostolis, quemque mox, cap. XIV, expresse nominat Clemens, huic Concilio interesse non potuit, utpote jam pridem occisus ab Herode. Quare liber hic a Baronio, Bellarmino et aliis censetur apocryphus. Nam et lib. III, cap. VI, distinguit Mariam Magdalenam a Maria, sorore Lazari, cum constet unam eamdemque fuisse; lib. III, cap. II, quartas nuptias vocat libidinem et manifestam impudicitiam; lib. VII, cap. XXIV, jubet servari festum Sabbati, æque ac Dominicæ; lib. VI, cap. XIV, Jacobum, fratrem Domini et primum Episcopum Hierosolymorum, constituit extra numerum duodecim Apostolorum, ponitque tres Jacobos, primum Zebedæi, secundum Alphæi, quos ait fuisse Apostolos, tertium fratrem Domini, quem negat fuisse Apostolum, sed Episcopum duntaxat fuisse asserit. Esto hæc mitigare et excusare contendat noster Turrianus, qui censet hos libros germanos esse S. Clementis et incorruptos.

Et Presbyteros, — tum sacerdotes, tum Episcopos. Episcopi enim soli sunt judices, habentque jus suffragii in Concilio; Presbyteri autem intersunt ut consiliarii et doctores, qui controversiam in utramque partem agitant et explicant, ut Episcopi deinde eam decidant. Vide Bellarminum, lib. I *De Conciliis*, cap. XV et XVI.

5. Surrexerunt autem quidam. — Hæc verba accipi possunt vel ut Pauli et Barnabæ, vel ut Lucæ: ut Pauli et Barnabæ, si cum Syro subaudias, *sed inquiunt*, quasi hic incipiant ipsi proponere suam cum Judæis controversiam; ut Lucæ, si dicamus, Paulo perorante et Gentium conversionem celebrante, exsurrexisse ejus adversarios eum criminantes quod Gentes admitteret ad Christianismum, nec tamen cogeret eas circumcidi fierique prius Judæos. Hunc secundum sensum videntur præ se ferre plana Lucæ verba; et verisimile est Pauli accusatores et hostes, eo loquente causamque suam agente, non tacuisse. Priorem tamen exigere videtur ipsa narratio, et connexio historiæ. Plane enim videtur Paulus loquens simul statum controversiæ, ob quam mittebatur, exposuisse. Idque exposcit vox *eos*, cum subdit: *dicentes, quia oportet circumcidi eos*: quos? Utique Gentiles, quorum conversionem celebrabat Paulus. Sæpe enim Hebræi suppositum vel nomen substantivum intelligendum relinquunt ex historiæ circumstantia. Idem exposcit narratio hujus historiæ, quam facit S. Petrus apud S. Clementem, lib. VI *Constitut. Apostolor.* cap. XII.

De hæresi (secta) Pharisæorum. — Erat hæc primaria secta Judaismi, quæ proinde acrius pugnabat pro Judaismo, etiam post conversionem ad Christum, ut nobilitatem suam, quam habuerat et acceperat ex Judaismo, tueretur. Pharisæi hi litem moverant Paulo Antiochiæ, futuri pariter actores contra eumdem, vel per se, vel per suos apud Apostolos. Sin juxta secundum sensum jam datum mavis eos fuisse in Jerusalem, dicito subornatos fuisse a Judæis Antiochenis, Pauli hostibus, ut Judaismi causam contra Paulum Hierosolymis agerent. Pharisæi enim erant honorati inter Judæos, ac consequenter et inter Christianos, utpote qui ex Judæis prodierant.

Circumcidi eos, — Gentiles, quorum causa hic agebatur, quosque nominavit vers. 3, et cap præcedenti, vers. 26.

Præcipere quoque servare (id est ut servent Gentiles) legem Moysi, — æque ac servant Judæi.

6. Conveneruntque Apostoli et Seniores, — puta Presbyteri, de quibus vers. II. Hic ergo fuit primus conventus Ecclesiæ primumque Concilium, in quo acta est causa Christianismi contra Judaismum. Porro hoc Concilium celebratum fuit anno 14 a conversione S. Pauli, ut ipse ait *Galat.* cap. II, vers. 1, qui fuit annus a passione Christi 16, ab ejus nativitate 51, Claudii Imperatoris nonus, quo anno a Claudio Judæos expulsos fuisse

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ® DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

Roma, et consequenter S. Petrum, tradit Orosius, lib. VII *Histor.*, cap. VI. Ita Baronius, Bellarminus, in *Chronolog.*; Lorinus et Pererius, præfatione in *Epist. ad Rom.*, disp. I, num. 34; licet S. Hieronymus et alii, numerando illos annos 14 non a conversione S. Pauli, sed a triennio post eam acto Damasci in Arabia, de quo *Galat.* I, 18, censeant hoc Concilium celebratum triennio tardius, nimirum anno 17 a conversione S. Pauli, qui fuit annus Christi 54, Claudii Imperatoris 12 vel 13. Vide dicta *Galat.* II, 1. Sic post trecentos fere annos, puta anno Christi 325, secundum Concilium celebratum est, nimirum Nicænum primum, sub Constantino Imperatore et Sylvestro Pontifice, in quo acta est causa divinitatis Christi contra Arium. Deinde post annos 56, puta anno Christi 381, sub Theodosio Seniore celebratum est tertium Concilium Œcumenicum, puta Constantinopolitanum primum, in quo acta est causa divinitatis Spiritus Sancti contra Macedonium. Quartum Concilium generale fuit Ephesinum, celebratum anno Domini 430, in quo acta est causa unius personæ in Christo contra Nestorium. Quintum fuit Chalcedonense sub Leone I Pontifice et Marciano Imperatore, anno Domini 451, in quo acta est causa duarum naturarum in Christo contra Euthychetem. Hisce ultimis quatuor Conciliis S. Gregorius quasi quatuor Evangeliis honorem haberi voluit.

Surgens Petrus, — quasi princeps Apostolorum et primas Ecclesiæ, qui audita controversiæ in utramque partem disceptatione, hic eam primus, quasi judex definit. Unde mox ejus sententiam sequitur S. Jacobus, et cæteri omnes. Ita S. Hieronymus, *epist.* 89, quæ est inter epistolas S. Augustini, capite III, ubi ait Petrum fuisse principem hujus decreti. Et Theodoretus, epist. *ad Leonem Papam* : « Si Paulus, inquit, præco veritatis, tuba Sancti Spiritus, ad magnum Petrum cucurrit, ut iis qui Antiochiæ de legalibus institutis contendebant, ab ipso afferret solutionem; multo magis nos qui abjecti sumus et pusilli, ad Apostolicam vestram sedem currimus, ut Ecclesiarum vulneribus medicinam a vobis accipiamus. Vobis enim per omnia primos esse convenit. »

Quoniam ab antiquis diebus, — id est jampridem, jamdiu, ab olim, puta *primo*, in actu exercito a conversione Cornelii, quæ contigit sub annum Christi 37, uti ostendi cap. X, in fine : inde enim computando usque ad annum Christi 51, quo hæc dixit Petrus, fluxerunt anni 14 de quibus recte dici potest, « ab antiquis diebus, » puta ab initio nascentis Evangelii et prædicationis apud Gentes. *Secundo*, in actu signato, *Matth.* XVI, 18, ubi Petrus audivit a Christo : « Tu es Petrus, et super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam. » Id autem dixit Christus sub annum vitæ suæ 33, hoc est, ante octodecim annos. Aliqui exponunt, « a diebus antiquis, » id est ab æterno. Ita Prosper, lib. II *De Vocat. Gent.*, cap. XVIII. Verum minus genuine.

Deus in nobis elegit per os meum. — *q. d.* Deus inter nos me primum et principem elegit Apostolum, per cujus os Gentes audiant Evangelium et credant. S. Chrysostomus, pro *in nobis*, legit *in vobis*, explicatque *in Palæstina*, vel *præsentibus vobis*.

8. Et qui novit corda Deus, — ὁ καρδιογνώστης Θεός, id est, *Deus qui est cardiognostes*, hoc est arcanorum cordis scrutator et inspector, scilicet novit corda Gentilium credentium Evangelio sincere quærere Deum et salutem suam, ac proinde capacia esse gratiæ, justitiæ et salutis allatæ a Christo; ac consequenter eos admittendos esse ad Ecclesiam et Christianismum. Unde et hujus sinceritatis et capacitatis « testimonium perhibuit, dans illis Spiritum Sanctum, » in visibili specie ignis vel linguarum ignearum, « sicut et nobis, » uti dedit Cornelio ejusque familiæ, *Act.* X, 44.

9. Et nihil discrevit inter nos et illos — scilicet inter Judæos et Gentiles, quoad gratiam, justitiam et salutem, *q. d.* Deus non est acceptor personarum, ut Judæos in Christianismo præferat Gentilibus.

Fide purificans corda eorum. — Occurrit objectioni Judaizantium; dicebant enim : Gentiles sunt impuri, utpote idololatræ et scelerati : ergo non sunt admittendi ad puritatem Christianismi. Respondet Petrus Gentiles in Gentilismo fuisse impuros, sed Deum per fidem eos purificasse tum ab idololatria, tum a sceleribus : per fidem enim agnoverunt idola esse falsos deos, Deumque verum esse unum in essentia, et trinum in personis. Rursum, per fidem purificati, id est justificati sunt a peccatis. Intellige fidem, non nudam, sed sese exerentem in actus spei, contritionis, charitatis, observationis mandatorum et bonorum operum; sive, ut ait Paulus, fidem quæ per charitatem operatur. Vide canones 2 et 3 in S. *Paulum*.

10. Nunc ergo quid tentatis Deum? — Tentat Deum, qui ejus clara certaque dicta et jussa in dubium revocat. Talis enim tentat Deum, an vere et serio, non joco hoc dixerit et jusserit; aut certe an in dictis et jussis suis sit firmus et constans, *q. d.* Deus clare et certo manifestavit suam voluntatem esse, ut Gentiles admittantur ad Christianismum, cum in eos visibiliter misit Spiritum Sanctum; quid ergo, o Judaizantes, eam in dubium revocatis, itaque Deum tentatis, an serio hoc velit, aut in voluntate sua sibi constet et perseveret? Illud enim est facere Deum ludionem et ridiculum, hoc levem et inconstantem. *Secundo*, tentatis Deum : quia conamini ejus voluntatem agnitam ad vestram, quæ contraria est, inflectere, ut, contra id quod decrevit, imponat jugum legis Gentilibus, quia id vos vultis et cupitis. *Tertio*, ait Cajetanus, « tentatis Deum, » id est ad iram et vindictam provocatis, dum vultis experiri an ipse incredulitatem et injuriam, quam Vers. 10. Tentare triplex.



non credendo ei irrogatis, ulcisci possit et velit.

Imponere, — ἐπιθεῖναι. Tigurina et Pagninus vertunt, *ut imponatur*, scilicet a Deo, sive, ut imponat eis Deus jugum legis pene importabile : quod S. Augustinus, serm. 9 *De Verbis Dom.*, vocat sarcinam innumerabilium observationum, qua dura cervix Judæorum premenda erat, ne ad idola et idololatras respiceret. Rabbi Moses, lib. III *Doctoris dubiorum*, cap. VI, numerat præcepta legis affirmativa 248, tot quot sunt membra in homine, negativa vero 365, tot scilicet, quot sunt dies in anno. Porro Christus non abolevit Decalogum, puta præcepta moralia et naturalia legis, sed tantum cæremonialia et judicialia : quia pro cunctis laciniosæ legis cæremoniis dedit verbum abbreviatum, id est brevissimum fidei et dilectionis præceptum, ait S. Hieronymus in *Isaiæ* X.

Neque nos portare potuimus, — hoc est ægre, difficulter portavimus : impossibile ergo moraliter hic cape pro valde difficili : Deus enim physice impossibilia non præcipit, hoc enim faciunt tyranni. Quocirca multi hoc legis jugum portarunt, ut Elizabeth et Zacharias, de quibus dicitur *Luc.* cap. I, 6, quod « erant justi ante Deum, incedentes in omnibus mandatis et justificationibus Domini sine querela. » Idem dicitur de Davide, *Act.* XIII, 22; de Josue, XI, 15; de Josia, IV *Reg.* XXIII, 25, et aliis.

11. Sed per gratiam Jesu Christi credimus salvari quemadmodum et illi, — scilicet Patres nostri Judæi : ergo multo magis Gentiles non nisi per gratiam Christi salvari possunt. Hinc patet neminem ab Adæ lapsu fuisse justificatum, nisi per gratiam Christi. Errarunt ergo Pelagiani, qui docuerunt « homines ante legem salvos factos esse per naturam, deinde per legem, postremo per Christum, evacuantes quod dictum est, I *Tim.* cap. II, vers. 5 : Unus Deus, et unus mediator Dei et hominum homo Christus Jesus, » ait S. Augustinus, lib. II *Contra epist.* II *Pelag.*, cap. XXI.

12. Tacuit autem omnis multitudo. — Hoc suo silentio reverens Petrum ejusque dicta approbans, ipsius sententiæ definitioni acquievit, eamque confirmarunt Paulus et Barnabas, « narrantes quanta Deus fecisset signa et prodigia in Gentibus per eos. »

13. Respondit Jacobus, — id est orsus est post Petrum primus sententiam dicere, Petrique sententiam roborare : erat enim ipse Hierosolymorum (ubi Concilium hoc agebatur) Episcopus. Unde decebat eum primum post Petrum loqui. Quare inepte et falso Abulensis, in cap. XVII *Matth.*, Quæst. XIII, ad 1, quem sequitur Calvinus, censet Jacobum quasi Episcopum Hierosolymorum præfuisse huic Concilio, et quasi majorem Petro definitivam pronuntiasse sententiam. Hanc enim ante Jacobum pronuntiarat Petrus, quam Jacobus secutus est, adjungens tamen paucula, quæ Judæos, quorum ipse erat Episcopus, placarent et Gentibus conciliarent. Porro Rupertus, lib. I in *Cant.*, merito censet B. Virginem quasi magistram Apostolorum, omnem hanc quæstionem definivisse, non quod ipsa Concilio interfuerit (hoc enim feminam non decebat), sed quod privatim consulta ab Apostolis, prima sententiam hanc pronuntiarit. B. Virgo resolvit quæstionem legalem.

14. Simon — Petrus : qui enim antea dicebatur *Simon*, a Christo vocatus est *Cephas*, id est Petrus, *Joan.* I, 42. Græce est Συμεών. Quare idem est nomen Simon et Simeon; Hebræi enim dicunt שמעון per *sceva* quiescens; sed Septuaginta *scevа* illud faciunt mobile, dicuntque Συμεών, ut patet *Genes.* cap. XXIX, vers. 33. Porro Hebræum *Simon* idem est quod *audiens*, *obediens*, a radice שמע *scama*, id est audivit, obedivit. Toletus vero, in cap. I *Joannis*, annot. 64, deducit a radice שמן *scaman*, id est impinguavit, ut *Simon* idem sit quod pinguis, vel impinguatus oleo et gratia Spiritus Sancti.

Primum, — id est primitus, sive ab antiquis diebus, ut Petrus, vers. 7.

Deus visitavit sumere ex Gentibus populum nomini suo. — Est Hebraica metathesis sive transpositio vocum; illæ enim sic ordinandæ videntur : Deus visitavit in Gentibus, id est Gentes, ut ex iis sumat populum nomini suo. Alludit ad Zachariæ Canticum : « Benedictus Dominus Deus Israel, quia visitavit et fecit redemptionem plebis suæ, » *Luc.* I, 68. Deus enim Gentes miseras, cæcas et perditas visitavit, quasi doctor, medicus et salvator, cum per Petrum et Apostolos eas imbuit fide et gratia Christi, qua a peccatis justificarentur et salvarentur. S. Cyprianus, lib. II *Contra Judæos*, cap. VII, pro *visitavit*, legit, *prospexit*; alii, *providit*; alii, *cogitavit*, destinavit; alii, *consideravit*, inspexit. Hæc omnia enim significat Græcum ἐπεσκέψατο, et Hebræum פקד *paked*.

Nomini suo, — id est sibi ipsi. Nomen enim Dei est Deus nominatus, per metonymiam. Sic dicitur *Proverb.* XVIII, 10 : « Turris fortissima nomen Domini, » id est Dominus nominatus et invocatus. Unde et subdit : « Ad ipsum currit justus, et exaltatur : » currit enim ad Deum, ab eoque exaltatur, non a nomine Dei. *Secundo*, « nomini suo, » qui scilicet invocat nomen Dei, et vicissim vocatur nomine Dei, puta Ecclesia et populus Dei. Ita Glossa, Hugo et Vatablus. *Tertio*, « nomini suo, » id est ad nomen, laudem et gloriam suam, per quem scilicet laudetur et glorificetur nomen Dei.

15. Prophetarum, — prophetæ Amos, cap. IX, vers. 11 et 12. Est enallage numeri pluralis pro singulari.

16. Reædificabo tabernaculum David, — id est Ecclesiam, in qua habitat et regnat Christus filius Davidis, cujus olim typus fuit tribus Juda cum Benjamin, in qua tabernaculum et sedem quasi rex et moderator fixit David. Juda enim adhæsit Deo, cum cæteræ tribus ad idola et vitulos aureos deflexerunt. Hoc tabernaculum cecidit in Judæis

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ® DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

incredulis, qui Christum recipere noluerunt; suscitatum est in Apostolis et aliis credentibus e Judæa; sed plane restauratum ex Gentibus, quæ loco Judæorum huic tabernaculo et domui Dei, ex toto orbe quasi vivi lapides inædificatæ sunt. Ita S. Hieronymus, in *Amos* IX, 11. Vide ibi dicta.

18 NOTUM A SÆCULO EST DOMINO OPUS SUUM. — *q. d.* Deus ab æterno sapientissime præcogitavit, prædisposuit et prædestinavit hoc opus fabricæ tabernaculi Davidis, id est Christi, puta Ecclesiæ Christianæ ædificandæ ex Gentibus, quamvis vobis, o Judæi, novum id et paradoxum videatur: acquiescite ergo in Dei sapientissima ordinatione, nec Gentes repellite a Christianismo, cogendo eas ad Judaismum, quasi per illum capaces fieri debeant Christianismi: quia si id feceritis, resistetis Deo Deique prædestinationi, sed frustra. Deus enim, vobis invitis et male mulctatis, perficiet suum hoc opus, quod ab æterno facere decrevit. Nota: « Sæculum » non significat hic spatium centum annorum, quod sæculum dicitur a senio, quasi spatium senescendorum hominum, ait Varro, lib. V *De Lingua Latina*; sed sæculum hic est æternitas, quod hebraice *olam* dicitur, græce αἰών.

19. NON INQUIETARI. — μὴ παρενοχλεῖν, id est *non turbandos*, vel *obturbandos esse*. Ita Pagninus et Tigurina. Aut, *non addendam esse molestiam*; vel, *non esse exhibendum eis negotium*. Ita Vatablus.

20. SED SCRIBERE AD EOS, UT ABSTINEANT SE A CONTAMINATIONIBUS SIMULACRORUM, — hoc est, ab idolothytis, puta a carnibus et cibis qui immolati erant idolis, ideoque contaminati censebantur, quos qui comedebat, censebatur immolationis et idololatriæ esse particeps, ac consequenter esse idololatra. Vide dicta I *Corinth*. VIII, initio capitis (1).

Fornicationem putabant Gentes non esse peccatum.

ET FORNICATIONE, — quia Gentes putabant fornicationem simplicem non esse peccatum, saltem mortale: unde idipsum expresse dedocendi erant. Eumdem errorem Græcis tribuit Guido Carmelita. Quin et Durandus, in IV, *Dist.* XXXIII, Quæst. II, docet fornicationem non esse peccatum mortale jure naturæ, sed jure positivo, tam divino, quam humano. Verum certum est eam etiam jure naturæ esse peccatum mortale, tum ob alias causas, tum quia repugnat bonæ prolis educationi, ipsique matrimonio. Ita D. Thomas, II II, *Quæst.* CLIV, art. 2 et alii passim (2).

Suffocata vetantur!

ET SUFFOCATIS, — tum quia Gentiles censebant suffocata esse dæmonum cibum, ait Origenes, lib. VIII *Contra Celsum*; tum quia in suffocatis non est expressus, sed adhuc inest sanguis, cujus esus vetatur, ob causas mox afferendas; tum quia Judæi a suffocatis ex legis præscripto abhorrebant.

Ut igitur Judæi non abhorrerent a Gentibus, jubentur et hæ a suffocato et sanguine abstinere. Ubi nota vetari hic Christianis esum suffocati et sanguinis, non idcirco quod lex Mosis Judæis illa vetarit, quasi lex illa adhuc obligaret, et ad Gentiles quoque extendenda esset: utrumque enim est falsum: nam paulo ante edixit tam Petrus, quam Jacobus, legem et legalia non obligare Christianos: sed quod illorum esus vetitus esset a Deo ante legem Noe et posteris ejus, paulo post diluvium, *Genes.* IX, 4. Hoc ergo præceptum positivum a se datum olim toti mundo, hic renovat Deus Gentilibus, ut eos cum Judæis illud observantibus conciliet. Ita S. Augustinus, lib. XXXII *Contra Faustum*, cap. XIII. Alioqui, uti dixi, lex de animalibus immundis non comedendis, vel tangendis, lata *Levit.* XI, in lege nova a Christo fuit abrogata. Unde et Rabbini, in *Midras Tehillim*, id est in explicatione Psalmorum, ad illum versum, *Psal.* CXLV: « Dominus solvit compeditos, » scribunt in adventu Messiæ Hebræos cibos omnes sine delectu comesturos.

ET SANGUINE. — Causam dat Cyrillus Hierosolymitanus, *Catechesi* 4, ut fideles recedant a more Barbarorum. « Multi, inquit, homines feri et immanes more canum viventes, sanguinem lingunt instar belluarum, etc.; tu vero Domini Dei servus, cum vesceris, vescere cum religione: » quasi hic tantum vetetur lingere sanguinem more canum. Sic et Justinus, in *Quæst.* cap. CXLV: « Ut separaret, inquit, nos Deus a belluarum similitudine. » Scythæ enim et Tartari solent in siti equo cui insident venam aperire, ejusque sanguinem potare. Unde Martialis, in *Amphitheatro*:

> Venit et epoto Sarmata pastus equo.

Et Claudianus, *in Ruffinum*:

> Et qui cornipedes in pocula vulnerat audax
> Massagetes. ——

Et Plinius, lib. XVIII, cap. X: « Sarmatæ, ait, hac pulte aluntur, et cruda etiam farina equino lacte vel sanguine e cruris venis admixto. » Quin et Romani in sanciendo fœdere mutuum hauriebant sanguinem, uti de Catilina scribit Sallustius. Alias causas dedi *Genes.* IX, 4, ubi et dixi omnem omnino sanguinis esum vel haustum hic prohiberi, quomodocumque is fiat.

Tropologice, per sanguinem vetatur homicidium (imo illud hic ad litteram vetari censet Tertullianus, lib. *de Pudicitia*; et Cyprianus, lib. *ad Quirinum*, legit, « a sanguinis effusione »); per suffocatum, vis et rapina; per idolothyta, idololatria. Unde cum olim Gentiles criminarentur Christianos, quod infantes occiderent eorumque sanguinem haurirent, eo quod aliquid de Eucharistia in qua sub speciebus panis et vini editur et bibitur caro et sanguis Christi, inaudissent, illudque crudele et carnaliter intelligerent, æque ac Capharnaitæ, *Joan.* VI, 60 et 61, Christiani eos hac lege confutant et convincunt. Audi S. Blandinam martyrem apud Eusebium, lib. V, cap. I: « Multum, inquit, erratis, o viri, quod putetis infantium carnibus vesci eos, qui ne mutorum quidem animalium sanguine utuntur. » Et Minutius Felix, in *Octavio*: « Nobis, inquit, homicidium nec videre fas, nec audire: tantumque ab humano sanguine cavemus, ut nec edulium pecorum sanguinem in cibum noverimus. »

Usu abolita fuit hæc lex cessante dissidio Judæorum et Gentium, cum utrique plane in unam Ecclesiam coaluerunt. Unde S. Augustinus, loco jam citato, scribit eam suo tempore non amplius fuisse in usu, scilicet apud suos Hipponenses aliosque vicinos Africanos: nam nonnulli, post ætatem S. Augustini, ad reverentiam Apostolorum qui eam tulerant, illam observarunt, præsertim Græci (qui etiamnum eam observant), ut patet ex Concilio Gangrensi, cap. II, et Leone Imperatore, in *Novel. Constit.* 58, ubi hanc Apostolorum legem renovat: quin et Latini aliqui, ut Aurelianenses, quibus hoc edicitur in Concilio Aurelianensi II, cap. XX, ac Wormatienses, Moguntini aliique Germani, ut patet ex Concilio Wormatiensi, cap. LXV; et ex Zacharia Papa, in epist. *ad Bonifacium*. Verum nunc a multis centenis annis lex ista ubique gentium (exceptis Græcis) usu contrario abolita est. Unde nunc sanguinem in farciminibus, quæ fiunt ex intestinis porcorum et boum sanguine infartis, comedimus.

21. MOYSES ENIM. — Hoc dicit Jacobus ad placandam partem adversam, puta Judaizantes pugnantes pro Mose et lege. Non est quod nos Christiani solliciti simus de honorando Moyse et lege; Moyses enim et lex satis honorantur et celebrantur a Judæis in Synagogis suis. Judæi ergo qui Moysis honorem zelant, ejus synagogas adeant ibique eum celebrent: nobis enim Christianis sufficit in Ecclesia Christum, ad quem Moyses nos remisit, *Deuter.* XVIII, 18, ejusque legem celebrare. Precones ergo Mosis sint Judæi, Christi vero Christiani. Ita S. Chrysostomus (1).

22. CUM OMNI ECCLESIA, — quæ decretum Concilii non condidit, sed ab Apostolis conditum probavit et sparsit. Unde et Epistola nomine Apostolorum scribitur, in eaque ipsi loquuntur, non Ecclesia.

CUM PAULO ET BARNABA, — qui in controversia hac pars una fuerant: unde ut eis credat pars adversa, junguntur eis Silas et Judas, qui decretum Apostolorum perferant, Pauloque et Barnabæ causam ab eis adjudicatam significent.

JUDAM, QUI COGNOMINABATUR BARSABAS. — Alius est hic Judas a Joseph; forte ejus fuit frater: namque uterque cognominatur « Barsabas; » Judas hic, Joseph cap. I, vers. 23.

ET SILAM. — *Silas* hebr. significat *Apostolum*, ait S. Hieronymus, *epist.* 143, ubi et eumdem esse censet cum Silvano, comite S. Pauli, II *Cor.* I, 1. Nam hunc Silam socium fuisse apostolatus S. Pauli, patebit vers. 40, et capite sequenti, vers. 19, et cap. XVII, vers. 4. Ascriptus est catalogo Sanctorum in *Martyr. Roman.*, die 13 julii, ubi hæc ei elogia dantur: « In Macedonia B. Silæ, qui cum esset de primis fratribus et ab Apostolis ad Ecclesias Gentium una cum Paulo et Barnaba destinatus, prædicationis officium gratia Dei plenus instanter consummavit, atque in passionibus suis Christum clarificans postmodum requievit. »

VIROS PRIMOS, — ἡγουμένους, id est *primarios, præcedentes, præeminentes, et quasi duces cæterorum*. Ita Pagninus, Tigurina et alii. Sic Paulus, *Rom.* XVI, 7, vocat « nobiles in Apostolis, » id est inter Apostolos.

23. SCRIBENTES PER MANUS EORUM. — Non quod manus et digiti Sauli et Silæ has litteras scripserint, dictantibus Apostolis, sed quod scriptas ab Apostolis quasi nuntii detulerint ad fideles Antiochenos. Sic scribimus per tabellarium, id est scriptam epistolam mittimus. Est metalepsis.

24. TURBAVERUNT VOS. — Syrus, *terruerunt*, vel *terrorem incusserunt*, quasi in Christianismo non sit tuta salus, nisi simul suscipiatur Judaismus.

25. EVERTENTES ANIMAS VESTRAS, — id est destruentes pacem et quietem animarum vestrarum, quam habetis in Christo ejusque fide, dum Christum et Evangelium dicunt non sufficere, ad salutem, nisi ei addatur Moses et lex. Unde Græcus et Syrus addunt: *Jubentes vos circumcidi, et servare legem*. Hæreticorum et Schismaticorum

(1) Mos erat Gentilibus, ut sacrificiis peractis, et cum data esset sacerdotibus pars victimæ Diis consecratæ, vel venderentur carnes ex victimis residuæ in macello, vel ex iisdem instituerentur epulæ cum amicis, sive in templis, sive in ædibus privatis. Quare Christianis, qui antea gentiles fuerant, injungendum esse censuit conventus, ut abstinerent a talibus conviviis invitati, tum ne offensioni sint Christianis e Judæis, quibus istæ carnes abominationi erant; tum ob periculum relapsus ad idololatriam; tum ne participes viderentur cultus qui idolis præstabatur.

(2) Cum sermo h. l. est de adiaphoris per se, quibus ex charitatis tantum lege esset abstinendum, ne scilicet impediretur quominus pii ex Gentibus cum piis Hebræis in unam Ecclesiam coalescerent, quærunt interpretes quomodo inter adiaphora fornicatio poterat reponi. Multorum longius quæsita videtur interpretatio. Cæteris probabilior est eorum sententia qui fornicationem intelligunt non in se, sed quoad eam idololatria et cultu Deorum erat conjuncta. Constat enim fuisse quædam sacra publica, in quibus scortatio propemodum licita, et tanquam in parte sacrorum illorum haberetur, veluti Romanorum Lupercalia, sacra Bonæ Deæ, Græcorumque Dionysiaca. Jam Mosis tempore conjunctam fuisse illam veneream nequitiam cum idolorum cultu, patet *Num.* XXV, 1; XXXI, 16. Non igitur mirum, si Apostoli, ut prohibent epulas sacrificales, ita etiam prohibent πορνείαν cum epulis illis conjunctam. Cf. Wetstenium ad h. l.

(1) Juxta alios hujus commatis cohærentia cum præcedenti hæc est, ratio scilicet reddi videtur cur Christiani ex Ethnicis abstinere debeant ab esu ciborum, etc. Revocatur Judæis in memoriam interdictum harum rerum, quoties Moses legitur: quare cavendum ne animi eorum irritentur. Subaudiendum igitur: *Alioquin plurimi* (Judæo-Christianorum) *offenderentur*; sunt enim in singulis urbibus addicti legi Mosis, quoque sabbato recitatæ. De hac legis recitatione per omne sabbatum vid. Josephum, lib. II *Contra Appion.*, et Glaire, op. cit., tom. V, p. 330.

proprium est evertere et perdere animas. Talis fuit Novatianus antipapa et æmulus S. Cornelii Pontificis, quem S. Cyprianus, epist. 1 *ad Cornel.*, his titulis insignit, « desertor Ecclesiæ, misericordiæ hostis, interfector pœnitentiæ, doctor superbiæ, veritatis corruptor, proditor charitatis. »

26. TRADIDERUNT ANIMAS SUAS, — id est seipsos suasque vitas, ut eas vel laborando et prædicando, vel moriendo impendant et expendant pro Christo ejusque gloria. Sic ait Psaltes, *Psal.* CIX : « Anima mea in manibus meis semper, » hoc est, ut exponit Chaldæus : « Anima mea periclitatur, ac si in superficie manus meæ esset, » obvio cuilibet exposita in prædam. Qui ergo amat sincere et ardenter Christum, debet esse prodigus animæ, ut pro eo vitam et valetudinem periculo exponat, imo prodigat et perdat cum res poscit.

28. VISUM EST ENIM SPIRITUI SANCTO ET NOBIS, — id est, visum est nobis inspiratis et directis a Spiritu Sancto : est hendiadys. Hinc liquet Spiritum Sanctum in Concilio adesse et præesse, illudque dirigere, ut in decernendo non erret. Unde dicere solent Patres in Concilio : « Hæc S. Synodus in Spiritu Sancto legitime congregata decernit, » etc.

NIHIL ULTRA, — ex lege Mosaica : num a Decalogo, sive jure naturæ, æque ac lege Christi eos absolvere nec voluit, nec potuit.

29. BENE AGETIS, — id est recte et Christiane facietis, vel feliciter vivetis. Unde Syrus vertit, *cumque conservaveritis animas vestras, bene se habebunt*, scilicet animæ vestræ. Addit S. Clemens, lib. VI *Constit.*, cap. XII, Apostolos congregatos multa alia constituisse. Sic enim ait in eorum persona : « His igitur litteris missis, remansimus nos pluribus diebus Hierosolymis, conquirentes una quæ in communem utilitatem ad correctionem spectabant ; » quæ ipse deinde enarrat. Addit S. Paulus, *Galat.* II, 9, se dextras societatis dedisse S. Petro, ut ipse peculiarem Judæorum gereret curam, Paulus vero Gentium. Porro, post hoc decretum mansisse adhuc aliquid simultatis inter Judæos et Gentiles conversos ad Christum, indicat ibidem Paulus, cum ait se Petro venienti Antiochiam in faciem restitisse, eo quod timens Judæos, subduceret se a Gentibus, itaque suo exemplo eas cogeret judaizare. Vide ibi dicta.

31. GAVISI SUNT SUPER CONSOLATIONE, — quam eis dederunt Apostoli, amoventes ab eis onus et jugum grave legis Mosaicæ ; Syrus, *gavisi sunt et consolationem acceperunt.*

32. CUM ESSENT PROPHETÆ, — tum proprie dicti, ut ait Miltiades apud Eusebium, lib. V *Histor.*, cap. XVI vel XVII ; tum metaphorice, scilicet Prophetæ, id est doctores, prædicatores et exhortatores : horum enim est consolari et confirmare fratres. Vide dicta 1 *Cor.* XIV, initio.

VERBO PLURIMO, — διὰ λόγου πολλοῦ, id est *verbo multo*, puta copioso, vehementi et efficaci ; Syrus, *sermone divite.*

33. CUM PACE, — *q. d.* Controversia de legalibus jam sopita, cum omnes in decreto Apostolorum acquiescerent, itaque pacem mutuam colerent. Aut « cum pace, » id est valedicendo imprecantes eis pacem et prosperitatem, dicentes : Ite in pace, vel Deus pacis pacifice reducat vos, vel. Pax vobis. Hæc enim fuit salutatio Christi, a quo eam didicerunt et usurparunt Apostoli aliique fideles.

AD EOS QUI MISERANT, — ad Apostolos in Jerusalem.

36. VISITEMUS FRATRES. — Non enim sufficit parere filios Christo, sed et oportet eosdem lactare ac enutrire, ut in fide et virtute crescant. Ita Episcopi debent crebro visitare suas parochias. Nam, ut ait Aristoteles, I *Œconom.*, cap. VI, « domini oculus pascit equum, et vestigia pinguem faciunt agrum. » De visitatione hac multa utilia congessit hic noster Lorinus.

38. PAULUS AUTEM ROGABAT, — ἠξίου, id est æquum *et dignum censebat.*

UT QUI DISCESSISSET, — vel metu persecutionis, vel fuga laboris, vel amore matris degentis in Jerusalem. Græce efficacius dicitur, τὸν ἀποστάντα, id est *qui descivisset*, vel *defecisset* : inde enim ἀποστάτης vocatur desertor, defector. Ita Pagninus, Tigurina et alii.

39. FACTA EST AUTEM DISSENSIO, — παροξυσμός. Pagninus et Vatablus, *exacerbatio* ; Tigurina, *acris disceptatio* ; alii, *iræ* vel *animi incitatio*, sive primus iræ motus primaque bilis commotio. Ira utrimque bona esse potest, cum utraque pars legitima ratione movetur, et pro suo jure vel desiderio ardenter contendit et disceptat, uti hic flebat ; esto in excessum venialem facilis sit lapsus. Id factum est nutu Dei, ut Barnabas a Paulo divideretur, itaque separati diversis et pluribus evangelizarent, ait S. Chrysostomus. *Secundo*, ut Joannes, cognomento Marcus, hac disceptatione et severitate S. Pauli notatus ignominia, suam culpam inconstantiæ et ignaviæ agnoscens, animosior et constantior evaderet : uti factum est. Unde et Paulus eum resumpsit eumque et fidum comitem habuit. Ita idem Chrysostomus. Præclare S. Hieronymus, *Apolog. contra Ruffinum* : « Nonne, inquit, Apostoli salvis inter se amicitiis dissenserunt, cum Paulus et Barnabas propter Joannem, cognomento Marcum, stomachati sunt, et separavit eos navigatio, quos Evangelium copulabat ? » Talis dissensio fuit inter S. Petrum et Paulum, *Galat.* II, inter S. Hieronymum et Augustinum, inter S. Chrysostomum et Epiphanium, inter S. Cornelium et Cyprianum circa baptismum hæreticorum non iterandum, etc.

ET BARNABAS QUIDEM, ASSUMPTO MARCO, NAVIGARET CYPRUM. — Lucas deinceps Barnabæ non meminit, sed solius Pauli, cujus discipulus et comes fuit, acta persequitur. Ex peregrinatione S. Barnabæ cum S. Paulo, quam hucusque descripsit Lucas, liquet esse falsum quod ait Clemens in *Recognit.*, et Alexander monachus in *Vita S. Barnabæ*, Barnabam scilicet primo omnium evangelizasse Romæ, indeque Clementem abduxisse Cæsaream ad S. Petrum. Verum post hæc S. Barnabam in Italiam venisse, in Liguria prædicasse, Ecclesiam Mediolanensem erexisse, longe lateque fidem propagasse, firmæ traditiones ejusdemque Ecclesiæ monumenta, pluresque scriptores fidem certam faciunt, ait Baronius. Tandem Barnabas rediit in Cyprum, ibique gloriosum pro Christo obiit martyrium. De eo sic legimus in *Rom. Martyrol.*, die 11 junii : « Natalis S. Barnabæ Apostoli, qui natione Cyprius, a discipulis cum Paulo Gentium Apostolus ordinatus, multas regiones cum eo peragravit, Evangelicæ prædicationis injunctum sibi opus exercens : postremo Cyprum profectus, ibi apostolatum suum glorioso martyrio decoravit : cujus corpus, tempore Zenonis imperatoris, ipso revelante, repertum est, una cum codice Evangelii S. Matthæi sua manu descripto. » Porro eum fuisse unum e 72 discipulis Christi, tradit Eusebius, lib. II *Hist.*, cap. II ; Epiphanius, in *Panar.*, lib. I, sub finem ; Beda, in *Act.* IV, et alii.



40. TRADITUS GRATIÆ DEI. — Vide dicta cap. XIV, vers. 26.

41. PRÆCIPIENS CUSTODIRE PRÆCEPTA APOSTOLORUM. — Ergo non tantum Dei, sed et hominum, puta Superiorum, præcepta servanda sunt, quod negant hæretici. Hæc verba desunt hic in Græco et Syro, sed eadem habentur et repetuntur capite sequenti, vers. 4.

# CAPUT DECIMUM SEXTUM.

## SYNOPSIS CAPITIS.

*Paulus ob Judæos circumcidit Timotheum, eumque socium suæ prædicationis assumit in Asia et Bithynia, ac per visionem evocatur in Macedoniam ; Philippis ergo convertit Lydiam purpurariam, dæmonemque e puella ejicit : quare virgis cæsus, cum Sila noctu orans et laudans Deum ciet terræ motum quo ostia carceris panduntur. His visis, custos carceris convertitur, Paulusque a Magistratu liber cum honore dimittitur.*

1. Pervenit autem Derben et Lystram. Et ecce discipulus quidam erat ibi nomine Timotheus, filius mulieris Judææ fidelis, patre Gentili. 2. Huic testimonium bonum reddebant, qui in Lystris erant et Iconio fratres. 3. Hunc voluit Paulus secum proficisci : et assumens circumcidit eum, propter Judæos qui erant in illis locis. Sciebant enim omnes quod pater ejus erat Gentilis. 4. Cum autem pertransirent civitates, tradebant eis custodire dogmata, quæ erant decreta ab Apostolis et senioribus qui erant Hierosolymis. 5. Et Ecclesiæ quidem confirmabantur fide, et abundabant numero quotidie. 6. Transeuntes autem Phrygiam, et Galatiæ regionem, vetati sunt a Spiritu Sancto loqui verbum Dei in Asia. 7 Cum venissent autem in Mysiam, tentabant ire in Bithyniam ; et non permisit eos Spiritus Jesu. 8. Cum autem pertransissent Mysiam, descenderunt Troadem ; 9. et visio per noctem Paulo ostensa est : vir Macedo quidam erat stans, et deprecans eum, et dicens : Transiens in Macedoniam, adjuva nos. 10. Ut autem visum vidit, statim quæsivimus proficisci in Macedoniam, certi facti quod vocasset nos Deus evangelizare eis. 11. Navigantes autem a Troade, recto cursu venimus Samothraciam, et sequenti die Neapolim. 12. Et inde Philippos, quæ est prima partis Macedoniæ civitas, colonia. Eramus autem in hac urbe diebus aliquot, conferentes. 13. Die autem sabbatorum egressi sumus foras portam juxta flumen, ubi videbatur oratio esse : et sedentes loquebamur mulieribus quæ convenerant. 14. Et quædam mulier nomine Lydia, purpuraria civitatis Thyatirenorum, colens Deum, audivit : cujus Dominus aperuit cor intendere his quæ dicebantur a Paulo. 15. Cum autem baptizata esset, et domus ejus, deprecata est dicens : Si judicastis me fidelem Domino esse, introite in domum meam et manete. Et coegit nos. 16. Factum est autem, euntibus nobis ad orationem, puellam quamdam habentem spiritum Pythonem obviare nobis, quæ quæstum magnum præstabat dominis suis divinando. 17. Hæc subsecuta Paulum, et nos, clamabat dicens : Isti homines servi Dei excelsi sunt, qui annun-



UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ® DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

proprium est evertere et perdere animas. Talis fuit Novatianus antipapa et æmulus S. Cornelii Pontificis, quem S. Cyprianus, epist. 1 *ad Cornel.*, his titulis insignit, « desertor Ecclesiæ, misericordiæ hostis, interfector pœnitentiæ, doctor superbiæ, veritatis corruptor, proditor charitatis.»

26. Tradiderunt animas suas, — id est seipsos suasque vitas, ut eas vel laborando et prædicando, vel moriendo impendant et expendant pro Christo ejusque gloria. Sic ait Psaltes, *Psal.* cix: « Anima mea in manibus meis semper, » hoc est, ut exponit Chaldæus : « Anima mea periclitatur, ac si in superficie manus meæ esset, » obvio cuilibet exposita in prædam. Qui ergo amat sincere et ardenter Christum, debet esse prodigus animæ, ut pro eo vitam et valetudinem periculo exponat, imo prodigat et perdat cum res poscit.

28. Visum est enim Spiritui Sancto et nobis, — id est, visum est nobis inspiratis et directis a Spiritu Sancto : est hendiadys. Hinc liquet Spiritum Sanctum in Concilio adesse et præesse, illudque dirigere, ut in decernendo non erret. Unde dicere solent Patres in Concilio : « Hæc S. Synodus in Spiritu Sancto legitime congregata decernit, » etc.

Nihil ultra, — ex lege Mosaica : num a Decalogo, sive jure naturæ, æque ac lege Christi eos absolvere nec voluit, nec potuit.

29. Bene agetis, — id est recte et Christiane facietis, vel feliciter vivetis. Unde Syrus vertit, *cumque conservaveritis animas vestras, bene se habebunt*, scilicet animæ vestræ. Addit S. Clemens, lib. VI *Constit.*, cap. xii, Apostolos congregatos multa alia constituisse. Sic enim ait in eorum persona : « His igitur litteris missis, remansimus nos pluribus diebus Hierosolymis, conquirentes una quæ in communem utilitatem ad correctionem spectabant ; » quæ ipse deinde enarrat. Addit S. Paulus, *Galat.* ii, 9, se dextras societatis dedisse S. Petro, ut ipse peculiarem Judæorum gereret curam, Paulus vero Gentium. Porro, post hoc decretum mansisse adhuc aliquid simultatis inter Judæos et Gentiles conversos ad Christum, indicat ibidem Paulus, cum ait se Petro venienti Antiochiam in faciem restitisse, eo quod timens Judæos, subduceret se a Gentibus, itaque suo exemplo eas cogeret judaizare. Vide ibi dicta.

31. Gavisi sunt super consolatione, — quam eis dederunt Apostoli, amoventes ab eis onus et jugum grave legis Mosaicæ; Syrus, *gavisi sunt et consolationem acceperunt*.

32. Cum essent Prophetæ, — tum proprie dicti, ut ait Miltiades apud Eusebium, lib. V *Histor.*, cap. xvi vel xvii; tum metaphorice, scilicet Prophetæ, id est doctores, prædicatores et exhortatores : horum enim est consolari et confirmare fratres. Vide dicta 1 *Cor.* xiv, initio.

Verbo plurimo, — διὰ λόγου πολλοῦ, id est *verbo multo*, puta copioso, vehementi et efficaci; Syrus, *sermone divite*.

33. Cum pace, — *q. d.* Controversia de legalibus jam sopita, cum omnes in decreto Apostolorum acquiescerent, itaque pacem mutuam colerent. Aut « cum pace, » id est valedicendo imprecantes eis pacem et prosperitatem, dicentes : Ite in pace, vel Deus pacis pacifice reducat vos, vel, Pax vobis. Hæc enim fuit salutatio Christi, a quo eam didicerunt et usurparunt Apostoli aliique fideles.

Ad eos qui miserant, — ad Apostolos in Jerusalem.

36. Visitemus fratres. — Non enim sufficit parere filios Christo, sed et oportet eosdem lactare ac enutrire, ut in fide et virtute crescant. Ita Episcopi debent crebro visitare suas parochias. Nam, ut ait Aristoteles, I *Œconom.*, cap. vi, « domini oculus pascit equum, et vestigia pinguem faciunt agrum. » De visitatione hac multa utilia congessit hic noster Lorinus.

38. Paulus autem rogabat, — ἠξίου, id est æquum *et dignum censebat*.

Ut qui discessisset, — vel metu persecutionis, vel fuga laboris, vel amore matris degentis in Jerusalem. Græce efficacius dicitur, τὸν ἀποστάντα, id est *qui descivisset*, vel *defecisset* : inde enim ἀποστάτης vocatur desertor, defector. Ita Pagninus, Tigurina et alii.

39. Facta est autem dissensio, — παροξυσμός. Pagninus et Vatablus, *exacerbatio*; Tigurina, *acris disceptatio*; alii, *iræ* vel *animi incitatio*, sive primus iræ motus primaque bilis commotio. Ira utrimque bona esse potest, cum utraque pars legitima ratione movetur, et pro suo jure vel desiderio ardenter contendit et disceptat, uti hic flebat; esto in excessum venialem facilis sit lapsus. Id factum est nutu Dei, ut Barnabas a Paulo divideretur, itaque separati diversis et pluribus evangelizarent, ait S. Chrysostomus. *Secundo*, ut Joannes, cognomento Marcus, hac disceptatione et severitate S. Pauli notatus ignominia, suam culpam inconstantiæ et ignaviæ agnoscens, animosior et constantior evaderet; uti factum est. Unde et Paulus eam resumpsit eumque et fidum comitem habuit. Ita idem Chrysostomus. Præclare S. Hieronymus, *Apolog. contra Ruffinum* : « Nonne, inquit, Apostoli salvis inter se amicitiis dissenserunt, cum Paulus et Barnabas propter Joannem, cognomento Marcum, stomachati sunt, et separavit eos navigatio, quos Evangelium copulabat? » Talis dissensio fuit inter S. Petrum et Paulum, *Galat.* ii, inter S. Hieronymum et Augustinum, inter S. Chrysostomum et Epiphanium, inter S. Cornelium et Cyprianum circa baptismum hæreticorum non iterandum, etc.

Et Barnabas quidem, assumpto Marco, navigaret Cyprum. — Lucas deinceps Barnabæ non meminit, sed solius Pauli, cujus discipulus et comes fuit, acta persequitur. Ex peregrinatione S. Barnabæ cum S. Paulo, quam hucusque descripsit Lucas, liquet esse falsum quod ait Clemens in *Recognit.*, et Alexander monachus in *Vita S. Barnabæ*, Barnabam scilicet primo omnium evangelizasse Romæ, indeque Clementem abduxisse Cæsaream ad S. Petrum. Verum post hæc S. Barnabam in Italiam venisse, in Liguria prædicasse, Ecclesiam Mediolanensem erexisse, longe lateque fidem propagasse, firmæ traditiones ejusdemque Ecclesiæ monumenta, pluresque scriptores fidem certam faciunt, ait Baronius. Tandem Barnabas rediit in Cyprum, ibique gloriosum pro Christo obiit martyrium. De eo sic legimus in *Rom. Martyrol.*, die 11 junii : « Natalis S. Barnabæ Apostoli, qui natione Cyprius, a discipulis cum Paulo Gentium Apostolus ordinatus, multas regiones cum eo peragravit, Evangelicæ prædicationis injunctum sibi opus exercens : postremo Cyprum profectus, ibi apostolatum suum glorioso martyrio decoravit : cujus corpus, tempore Zenonis imperatoris, ipso revelante, repertum est, una cum codice Evangelii S. Matthæi sua manu descripto. » Porro eum fuisse unum e 72 discipulis Christi, tradit Eusebius, lib. II *Hist.*, cap. ii; Epiphanius, in *Panar.*, lib. I, sub finem; Beda, in *Act.* iv, et alii.



40. Traditus gratiæ Dei. — Vide dicta cap. xiv, vers. 26.

41. Præcipiens custodire præcepta Apostolorum. — Ergo non tantum Dei, sed et hominum, puta Superiorum, præcepta servanda sunt, quod negant hæretici. Hæc verba desunt hic in Græco et Syro, sed eadem habentur et repetuntur capite sequenti, vers. 4.

# CAPUT DECIMUM SEXTUM.

## SYNOPSIS CAPITIS.

*Paulus ob Judæos circumcidit Timotheum, eumque socium suæ prædicationis assumit in Asia et Bithynia, ac per visionem evocatur in Macedoniam; Philippis ergo convertit Lydiam purpurariam, dæmonemque e puella ejicit : quare virgis cæsus, cum Sila noctu orans et laudans Deum ciet terræ motum quo ostia carceris panduntur. His visis, custos carceris convertitur, Paulusque a Magistratu liber cum honore dimittitur.*

1. Pervenit autem Derben et Lystram. Et ecce discipulus quidam erat ibi nomine Timotheus, filius mulieris Judææ fidelis, patre Gentili. 2. Huic testimonium bonum reddebant, qui in Lystris erant et Iconio fratres. 3. Hunc voluit Paulus secum proficisci : et assumens circumcidit eum, propter Judæos qui erant in illis locis. Sciebant enim omnes quod pater ejus erat Gentilis. 4. Cum autem pertransirent civitates, tradebant eis custodire dogmata, quæ erant decreta ab Apostolis et senioribus qui erant Hierosolymis. 5. Et Ecclesiæ quidem confirmabantur fide, et abundabant numero quotidie. 6. Transeuntes autem Phrygiam, et Galatiæ regionem, vetati sunt a Spiritu Sancto loqui verbum Dei in Asia. 7 Cum venissent autem in Mysiam, tentabant ire in Bithyniam; et non permisit eos Spiritus Jesu. 8. Cum autem pertransissent Mysiam, descenderunt Troadem; 9. et visio per noctem Paulo ostensa est : vir Macedo quidam erat stans, et deprecans eum, et dicens : Transiens in Macedoniam, adjuva nos. 10. Ut autem visum vidit, statim quæsivimus proficisci in Macedoniam, certi facti quod vocasset nos Deus evangelizare eis. 11. Navigantes autem a Troade, recto cursu venimus Samothraciam, et sequenti die Neapolim. 12. Et inde Philippos, quæ est prima partis Macedoniæ civitas, colonia. Eramus autem in hac urbe diebus aliquot, conferentes. 13. Die autem sabbatorum egressi sumus foras portam juxta flumen, ubi videbatur oratio esse : et sedentes loquebamur mulieribus quæ convenerant. 14. Et quædam mulier nomine Lydia, purpuraria civitatis Thyatirenorum, colens Deum, audivit : cujus Dominus aperuit cor intendere his quæ dicebantur a Paulo. 15. Cum autem baptizata esset, et domus ejus, deprecata est dicens : Si judicastis me fidelem Domino esse, introite in domum meam et manete. Et coegit nos. 16. Factum est autem, euntibus nobis ad orationem, puellam quamdam habentem spiritum Pythonem obviare nobis, quæ quæstum magnum præstabat dominis suis divinando. 17. Hæc subsecuta Paulum, et nos, clamabat dicens : Isti homines servi Dei excelsi sunt, qui annun-



UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ®
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

tiant vobis viam salutis. 18. Hoc autem faciebat multis diebus. Dolens autem Paulus, et conversus, spiritui dixit : Præcipio tibi in nomine Jesu Christi exire ab ea. Et exiit eadem hora. 19. Videntes autem domini ejus quia exivit spes quæstus eorum, apprehendentes Paulum et Silam, perduxerunt in forum ad principes; 20. et offerentes eos magistratibus, dixerunt : Hi homines conturbant civitatem nostram, cum sint Judæi; 21. et annuntiant morem quem non licet nobis suscipere, neque facere, cum simus Romani. 22. Et cucurrit plebs adversus eos : et magistratus, scissis tunicis eorum, jusserunt eos virgis cædi. 23. Et cum multas plagas eis imposuissent, miserunt eos in carcerem, præcipientes custodi ut diligenter custodiret eos. 24. Qui cum tale præceptum accepisset, misit eos in interiorem carcerem et pedes eorum strinxit ligno. 25. Media autem nocte, Paulus et Silas orantes, laudabant Deum; et audiebant eos qui in custodia erant. 26. Subito vero terræ motus factus est magnus, ita ut moverentur fundamenta carceris. Et statim aperta sunt omnia ostia; et universorum vincula soluta sunt. 27. Expergefactus autem custos carceris et videns januas apertas carceris, evaginato gladio volebat se interficere, æstimans fugisse vinctos. 28. Clamavit autem Paulus voce magna, dicens : Nihil tibi mali feceris : universi enim hic sumus. 29. Petitoque lumine, introgressus est, et tremefactus procidit Paulo et Silæ ad pedes; 30. et producens eos foras, ait : Domini, quid me oportet facere, ut salvus fiam? 31. At illi dixerunt : Crede in Dominum Jesum, et salvus eris tu, et domus tua. 32. Et locuti sunt ei verbum Domini, cum omnibus qui erant in domo ejus. 33. Et tollens eos in illa hora noctis, lavit plagas eorum : et baptizatus est ipse, et omnis domus ejus continuo. 34. Cumque perduxisset eos in domum suam, apposuit eis mensam, et lætatus est cum omni domo sua credens Deo. 35. Et cum dies factus esset, miserunt magistratus lictores dicentes : Dimitte homines illos. 36. Nuntiavit autem custos carceris verba hæc Paulo : Quia miserunt magistratus ut dimittamini : nunc igitur exeuntes, ite in pace. 37. Paulus autem dixit eis : Cæsos nos publice, indemnatos, homines Romanos miserunt in carcerem, et nunc occulte nos ejiciunt? Non ita; sed veniant, 38. et ipsi nos ejiciant. Nuntiaverunt autem magistratibus lictores verba hæc. Timueruntque audito quod Romani essent : 39. et venientes deprecati sunt eos, et educentes rogabant ut egrederentur de urbe. 40. Exeuntes autem de carcere, introierunt ad Lydiam, et visis fratribus consolati sunt eos, et profecti sunt.

1. Filius mulieris Judææ. — Ita Romana, Græca et Syrus. Aliqui pro *Judææ* legunt *viduæ*. Vocabatur ea Eunice, id est Victoria, quam æque ac aviam Timothei, nomine Loidem, laudat Apostolus, II *Timoth.* I, 5.

Fidelis, — id est Christianæ, quæ scilicet a Judaismo conversa erat ad Christianismum.

Patre Gentili. — Vetita erant Judæis matrimonia cum Chananæis, *Exodi* XXIV, 32, at non cum aliis Gentilibus. Unde Gentiles uxores duxerunt Jacob, *Genes.* XXIX, 23; Josephus, *Genes.* XLI, 45; Moses, *Exodi* II, 21; et post datam Mosi legem David, II *Reg.* III, 3; Salomon, III *Reg.* III, 1. Esther Judæa nupsit Gentili Assuero, cap. II, vers. 17. Sic primitus Christiani contrahebant matrimonia cum Gentilibus, eaque separari vetat Apostolus, I *Cor.* cap. VII, vers. 12. Postea tamen Ecclesia irritavit hæc matrimonia : unde impedimentum hoc matrimonii vocatur disparitas cultus; cum hæreticis vero conjugium non irritavit, sed prohibuit, ob periculum perversionis. Vide Sanchez, *De Matrimonio*, tract. *De Disparitate cultus.*

2. Huic testimonium reddebant — fidei non fictæ, virtutis et bonæ educationis in studio sacrarum Litterarum, ut patet I *Timoth.* VI, 12, et II *Timoth.* I, 3. Unde Paulus Timotheum vocat filium charissimum, et præ cæteris peregrinationis suæ adjutorem et administrum fidelem et strenuum, ac Ephesinæ Ecclesiæ Episcopum ordinavit, I *Corinth.* IV, 17; *Philipp.* II, 20 et 23; *Rom.* XVI, 21. Vide dicta in utraque epist. ad *Timoth.*

3. Circumcidit eum propter Judæos. — Sponte id fecit Paulus, ne quod illi negotium facesserent Judæi, eo quod Timotheum Gentilem ascivisset in socium prædicationis, utque eos demereretur faciliusque ad Christum traduceret : legalia enim erant mortua, sed necdum mortifera. Titum vero, æque Gentilem, Paulus non est passus circumcidi, quia Judæi eum ad id volebant compellere, ne videretur eorum sententiæ falsæ subscribere, qua docebant circumcisionem esse necessariam ad salutem. Vide dicta *Galat.* II, 3. Laudat discretionem S. Pauli S. Gregorius, lib. XXVIII *Moral.*, cap. VI vel XII : « Plerumque, inquit, virtus cum indiscrete tenetur, amittitur; cum discrete intermittitur, retinetur. » Et S. Chrysostomus tantam conversionem quanta secuta est vers. 5, ascribit studio concordiæ S. Pauli.

Erat Gentilis, — ὑπῆρχε. Syrus, *fuerat Gentilis.* Putant enim nonnulli patrem Timothei hoc tempore fuisse mortuum, itaque dicendum est, si mater ejus erat vidua, uti dixi aliquos legere vers. 1.

4. Dogmata, — non fidei, sed legum, id est præcepta. Unde explicans subdit : « Quæ erant decreta ab Apostolis. » Ergo obligant leges Apostolorum, Episcoporum, Pastorum, etc., quod negant hæretici.

Vers. 6.
Vetatur
Paulus
prædicare in
Asia,
cur?
Resp.
Primo.

6. Vetati sunt a Spiritu Sancto loqui verbum Dei in Asia. — Cur? Perperam aliqui respondent : Quia, inquiunt, Asiani erant a Deo rejecti et reprobati; Deus enim vult omnes homines salvos fieri. Unde et paulo post Asianis fidem per S. Joannem et Paulum communicavit. *Primo*, ergo Œcumenius respondet, quia Paulus prævidebat famem futuram in Asia, quæ hominum curas a fide ad panem quærendum divertit. Unde Beda et Origenes, hom. 9 *in Levit.*, causam dant, quod Paulus prævidebat Asianos contempturos verbum Dei. Et S. Gregorius, hom. 4 *in Evang.* : Ne gravius, inquit, de contempta prædicatione mali auditores judicari mererentur. *Secundo* et melius, S. Chrysostomus : Quia Asia, inquit, servabatur S. Joanni, sicut Bithynia S. Lucæ, ait Gagneius. *Tertio*, quia Asiani adhuc imparati erant et indispositi ad recipiendum Evangelium, paratiores vero erant Macedones, ut patet vers. 9 : ita Sedulius, in cap. I *ad Romanos*. Sicut ex adverso jussit Deus Paulum prædicare Corinthi : « Quoniam, ait, populus est mihi multus in hac civitate, » *Act.* cap. XVIII, 10. *Quarto*, S. Prosperus, lib. II *De Vocat. Gent.*, cap. III, censet arcanam hic fuisse causam, quæ nos latet, ob quam non negata, sed dilata est Asianis gratia prædicationis. Sic Paulus, *Rom.* I, 13, scribit se sæpe proposuisse venire ad eos, sed prohibitum fuisse. Ubi recte notat S. Chrysostomus et Ambrosius a Dei nutu pendere tum verba, tum itinera prædicatorum suorum : hæc enim illi summæ esse curæ.

Moraliter : Moyses Abbas apud Cassianum, *Collat.* I, cap. ult., notat sæpe se expertum quod sibi volenti exhortari defecerit sermo, et quasi arefacta fuerit lingua : « Quibus indiciis, inquit, evidenter agnoscitur Domini gratiam pro merito (intellige ex virtute ejusdem gratiæ) ac desiderio audientium disputantibus aspirare sermonem. » Viri ergo Apostolici et prædicatores toti a Deo pendeant, eique assidue se commendent, ut iter linguamque eorum dirigat eo ubi major erit Dei gloria et animarum fructus, ac vicissim fideles orent, ut tales sibi mittat pastores, doctores, confessarios et prædicatores, qui magis eorum salutem promovebunt.

In Asia — Minori, non tota, quæ complectitur Phrygiam, Pamphyliam, Lycaoniam, Ciliciam, Galatiam, etc., totaque mari cingitur, præter eam partem quæ spectat Orientem; sed quæ finitima est Epheso : hæc enim propriè Asia minor dicitur, in qua paulo post Paulus prædicavit per biennium, *Actor.* XIX, vers. 1 et 10, ac deinde S. Joannes Apostolus.

7. In Mysiam. — A S. Hieronymo, in *Locis Hebr.*, vocatur *Mesia*. Ptolemæus duplicem facit Mysiam, majorem et minorem, et utramque extra Bithyniam in Asia, non procul ab Ida. Mysos alii Thraces, alii Lydos fuisse dixerunt. Et quia Lydi fagum acetosam (quæ multa nascitur in Olympo) Mysam vocavere, ab eo Mysos dictos putaverunt, quibus sermo fuit ex Lydo Phrygioque permixtus. Hæc ergo Mysia fuit in Asia. Alia Mysia est in Europa, quam aliqui vocant Bosniam. Porro Mysi adeo fuere viles et despecti, ut in proverbium abierint, ac de homine vilissimo dicatur, « Mysorum ultimus. » Ubi vide charitatem et humilitatem Pauli, qui vilibus æque ac honoratis evangelizat, memor illius dicti Isaiæ et Christi : « Pauperes evangelizantur (1). »

Non permisit eos (ob causas paulo ante datas) Spiritus Jesu, — puta Spiritus Sanctus, qui a Patre et Filio, puta Christo Jesu, procedit et utrique est proprius et consubstantialis. Unde colligas Spiritum Sanctum non solum a Patre, ut voluere Græci, sed etiam a Filio procedere, ac consequenter vere esse Deum. Ita S. Cyrillus, lib. II *in Joannem*, cap. III, et S. Augustinus, tract. 99 *in Joannem*, ac Concilium Ephesinum, cap. *De resurrectione Christi*. Idcirco enim vocatur Spiritus Jesu, æque ac Spiritus Dei Patris.

8. Descenderunt Troadem. — Troas Asiæ est regio Hellesponto adjacens, ita dicta a Trojanis, ait Pomponius Mela, lib. I : Ptolemæus minorem Phrygiam appellat, in ea urbes nobiliores fuere, Troja, Antandrus, Smyrna, Clazomenæ, Pergamus, Thyatira, Philadelphia, Laodicia, Ida et Tmolus. Porro S. Hieronymus, in *Locis Hebr.*, ac Baronius censent Troadem fuisse urbem in Asia, alio nomine Antigoniam appellatam. Verum Syrus et alii censent esse regionem eam, quam jam

(1) Notum est illud Ciceronis, orat. *pro Flacco*, cap. XXVII : « Namque, ut opinor, Asia vestra constat ex Phrygia, Mysia, Caria, Lydia. Utrum igitur nostrum est, an vestrum, hoc proverbium, Phrygem plagis fieri solere meliorem? Quid de tota Caria? Nonne hoc vestra voce vulgatum est, si quid cum periculo experiri velis, in Care id potissimum esse faciendum? Quid porro in Græco sermone tam tritum atque celebratum est, quam si quis despicatui ducitur, ut Mysorum ultimus esse dicatur? Nam quid ego dicam de Lydia? Quis unquam Græcus comœdiam scripsit, in qua servus primarum partium non Lydus esset? »

descripsi. Utrumque est probabile. Sane cap. xx, 7, Lucas indicat Troadem esse urbem.

9. ET VISIO PER NOCTEM. — Hæc ergo visio fuit somnium a Deo Paulo immissum per angelum. Angelus enim in imaginatione Pauli formavit et pinxit virum habitu Macedonico, ejusque vocem, ut videretur macedonice loqui et dicere : « Transiens in Macedoniam, adjuva nos ; » vel certe ipse angelus viri Macedonis speciem et vocem assumpsit. Videtur hic angelus fuisse tutelaris et præses Macedoniæ.

Simili visione S. Franciscus Xaverius cognovit se vocari in Indiam. Visus est enim sibimet sæpe per quietem, humeris Indum aliquandiu vectare, adeo gravem, ut ipso pondere fatigatus excitaretur a somno : nimirum hoc præsagium erat gravium ærumnarum et laborum, quos pro Indorum salute subiturus erat. Ita Horatius Tursellinus in Vita Xaverii, lib. 1, cap. VIII.

Nunnii visio.

Simili modo ad Africanos, Indicos et Æthiopicos propagandæ fidei agones vocatus est Joannes Nunnius, ex illustri Gusmanorum familia oriundus, is qui primus Patriarcha in Æthiopiam destinatus a Pontifice Maximo, multis exantlatis laboribus, magnam suæ virtutis veræque sanctitatis opinionem posteris reliquit. Cum enim annum integrum supplicasset B. Virgini, ut sibi indicaret quis vitæ status sibi capessendus foret, in somnis apparuit ei B. Virgo, comitata duobus e Societate Jesu, Petro Fabro scilicet et Francisco Strada, dixitque : « Vis servire filio meo usque ad defatigationem ? » Cui Nunnius : « Omnino, Domina. Sequere ergo, ait illa, hos viros. » Mox ille eis obvius factus, in Societatem eorum admitti petiit et impetravit, ac primum in Hispania, deinde in Africa, demum in India pro Christo laboravit usque ad defatigationem. Ita P. Maffeius in Vita S. Ignatii de Loiola, lib. II, cap. VI.

Moraliter : Nota somnia esse indicia vigilantis animi, et virtutis aut vitii. Quæ enim in vigilia animus cogitat, agit et frequentat, hæc et somniat : naturaliter enim ea noctu recurrunt. Somnium ergo est signum rei amatæ, et per frequentem actionem aut meditationem animo penitus insitæ et infixæ. Quocirca Plutarchus, lib. *De Profectu morum*, assignans duodecim signa acquisitæ virtutis, unum ex Zenone dat ex somniis. Si enim somnies de Deo, de amore Dei, de convertendis animabus, certum est interdiu te crebro de Deo Deique amore et convertendis proximis cogitare, agere et satagere; ac consequenter ardere amore Dei et proximi. Ita Paulus jugiter intentus prædicationi et saluti Gentium, de eadem re somniat. Deus tamen illud somnium ita direxit et attemperavit, ut de Macedonia somniaret, potius quam Galatia, vel Asia, ideoque vir Macedo vocans in Macedoniam ei appareret, quia eo illum destinabat. Idem signum dat S. Augustinus, lib. XII *De Genes. ad litter.*, cap. XV, ubi et addit exemplum Salomonis, qui in somnis petiit sapientiam a Deo, III *Reg.* III, quia in vigilia crebro eam desiderabat. Idem alibi : « Memores, ait, Domine, mandatorum tuorum, etiam in somnis peccatis resistimus. » Hinc signum est eximiæ castitatis, si in somnis nunquam occurrat turpis imaginatio ; aut si occurrat, statim ei phantasia resistat, uti fecit S. Franciscus Xaverius resistendo ei usque ad emissionem sanguinis. Sicut enim equi viam sæpe a se initam et tritam ineunt etiam dum auriga dormit, sic idem facit sensus, caro et phantasia, etiam dum mens sopita est et ratio dormit. Perinde ergo ac in repentinis secundum habitum operamur, v. g. si tentatio aut periculum occurrat, illico generose eam repellimus, si alias eam soliti simus repellere, sic et in somnis. Nam, ut ait Aristoteles, III *Ethic.*, cap. VIII : « Ars perfecta non deliberat : tam sibi facilis est actus suus. » Vis ergo cum Paulo pia somniare de Deo, Christo, cœlo, etc., eadem vigilans frequenter et ardenter cogita, ac rumina. Cum enim hujus cogitationis habitum indueris, is quasi naturaliter, etiam noctu, in actum suum sese exercet, præsertim si eam sub somnum renovet eique indormiat.

10. STATIM QUÆSIVIMUS, — scilicet ego Lucas, Paulus, Silas et Timotheus : hic enim adhæsit Paulo, vers. 3, ut per plures magis spargeretur Evangelium. Sic S. Vincentius Ferrerius, sui ævi Paulus, provincias Europæ evangelizando obiens, ducebat secum multos sacerdotes et fratres, tum sui Ordinis, tum aliorum, qui eum adjuvarent, ac præsertim pœnitentium confessiones exciperent, ait auctor Vitæ ejus, lib. II, cap. VII. Solerter notat Baronius et alii Lucam hic loqui in prima persona, dicendo, *quæsivimus*, ac proinde seipsum comprehendere, cum hactenus locutus sit in tertia persona : unde videri, quod Lucas primum adhæserit Paulo Troade, indeque individuus fuerit Pauli comes, ut ait S. Hieronymus, lib. *De Viris illustr.*, in *Luca*, ac proinde deinceps non tam audita, quam visa a se Pauli gesta enarret. Hinc infert Baronius Lucam scripsisse Evangelium anno Christi 58, illo enim Paulus fuit in Achaia et Bœotia (ubi Lucam scripsisse Evangelium asserit S. Hieronymus), non ante.

Verum alii probabilius censent Lucam aliquando abfuisse a Paulo. *Primo*, quia ab hoc versu deinceps per quatuor capita, scilicet usque ad cap. XX, 5, Lucas mutat personam, et a prima redit ad tertiam. Cum enim hoc cap. mutasset tertiam personam in primam dicendo vers. 10 : « Quæsivimus, etc., certi facti quod vocasset nos Deus ; » et vers. 11 : « Venimus Samothraciam ; » et vers. 12 : « Eramus autem ; » et vers. 13 : « Egressi sumus, loquebamur ; » et vers. 16 : « Euntibus nobis ad orationem, etc., Pythonem obviare nobis ; » et vers. 17 : « Subsecuta nos, » ut significet se tunc fuisse comitem Pauli : idem tamen sub finem capitis hujus mutat rursum personam primam in tertiam, ut significet se tunc a Paulo abfuisse, idque facit constanter usque ad cap. XX, 5. Unde ait hoc cap., vers. ult., de Paulo et Sila : « Visis fratribus, consolati sunt eos ; et profecti sunt. » Et cap. XVII, 1 : « Cum autem perambulassent Amphipolim, venerunt Thessalonicam, » etc., quibus evidenter significat se tunc non fuisse in comitatu Pauli. Videtur ergo ab eo abfuisse, usque dum Paulus perambulando regiones, rediit in Græciam, navigaturus in Syriam, cap. XX, 3 ; tunc enim Paulus inter alios socios hujus itineris, qui illo versu nominantur, assumpsit et Lucam. Unde de iis, æque ac de se subdit ibidem Lucas, vers. 5 : « Hi cum præcessissent, sustinuerunt nos Troade : nos vero navigavimus post dies azymorum. » Et vers. 15 : « Venimus contra Chium : » ac deinceps semper eadem persona prima utitur, ut seipsum includat. In illa ergo ex Græcia in Syriam, indeque Romam navigatione, longa et periculosa, Lucas individuus fuit comes Pauli, non ante. *Secundo*, quia, esto fuisset Lucas ante comes Pauli firmus et stabilis (quod tamen non liquet), non idcirco firmiter ei adhæsisset. Crebro enim Paulus suos comites alio amandabat, ad Ecclesias a se erectas confirmandas, uti Titum et Lucam amandavit Corinthum, II *Cor.* VIII, 18 ; Silam Athenas, Titum in Cretam, Timotheum Ephesum, Erastum in Macedoniam, *Act.* XIX, 22. *Tertio*, quia II *Cor.* VIII, 18, per fratrem cujus laus est in Evangelio, quem Paulus ait se mittere Corinthum, S. Hieronymus, Tertullianus, Anselmus, imo S. Ignatius (quos ibidem citavi) intelligunt S. Lucam. Unde sequitur anno Christi 58 (illo enim scripsit Paulus Epist. II *ad Corinth.*), vulgatum jam et celebre Lucæ Evangelium, ac proinde aliquot annis ante illud a Luca fuisse conscriptum, nimirum inter annum Christi 51, quo Lucas hic cœpit adhærere Paulo, et annum Christi 58, quo illud ore omnium laudari asserit Paulus. Ex dictis sequitur, pluribus annis Lucam a Paulo abfuisse. Ubi nota insignem modestiam S. Lucæ, utpote qui nullam sui Evangelii, laborum et opis quam navavit S. Paulo, mentionem facit, cum tamen eam dilaudet Paulus in suis Epistolis. Sua ergo alto premit silentio, ac in gesta Pauli se totum effundit : vice versa Paulus Lucam suum adjutorem vocat et celebrat, epist. *ad Philem.*, vers. 24, ac charissimum nuncupat, *Coloss.* IV, 14. Et in vinculis Romæ agens : « Lucas, inquit, est mecum solus : » cum tamen de aliis suis sociis mox subdat : « Omnes me dereliquerunt : non illis imputetur, » II *Timoth.* IV, 11 et 16.

PROFICISCI IN MACEDONIAM. — Quam cum descripsisset Plinius, lib. IV, cap. X, subdit : « Hæc est Macedonia terrarum imperio potita quondam, hæc Asiam, Armeniam, Iberiam, Albaniam, Cappadociam, Syriam, Ægyptum, Taurum, Caucasum trangressa : hæc in Bactris, Persis, Medis dominata, toto Oriente possesso. Hæc etiam Indiæ victrix per vestigia Liberi patris atque Herculis vagata. Hæc eadem est Macedonia, cujus uno die



Paulus Æmilius Imperator noster 72 urbes direptas vendidit. Tantam differentiam sortis præstitere duo homines. » Hanc nunc S. Paulus Christianus Alexander, et alter Paulus Æmilius, non Romanis, sed Deo et Christo subjecit.

11. SAMOTHRACIAM. — Ita dicta est regio a Samiis et Thracibus vicinis et accolis, vel etiam incolis, teste Diodoro, lib. V, cap. XI. Unde Virgilius, VII *Æneid.* :

Threiciamque Samon, quæ nunc Samothracia fertur.

NEAPOLIM. — Urbs erat, non in Caria, ut vult Dionysius, sed in confinio Thraciæ et Macedoniæ contra Thasum insulam. Hæc enim, non illa, vicina erat Samothraciæ : ita Gagneius, Cajetanus et Arias ; Œcumenius ait suo ævo nuncupatam Christopolim.

12. PHILIPPOS. — Ita dicta est urbs a Philippo, patre Alexandri Magni, qui eam instauravit ; conversa est ad Christum a S. Paulo.

QUÆ EST PRIMA PARTIS MACEDONIÆ CIVITAS. — « Partis, » id est *primo*, regionis vel provinciæ. *Secundo*, propriæ « partis, » id est portionis illius Macedoniæ, quæ e Thracia et Samothracia (unde veniebat Paulus) venientibus occurrit. Ampla enim erat Macedonia, aliasque habebat urbes in provinciis conterminas. *Tertio*, μέρος, id est pars, sumitur pro principio. Sic sumit Virgilius, VII *Æneid.* :

Pars mihi pacis erit dextram tetigisse tyranni.

Ita Budæus in *Comment. linguæ Græcæ* ; *q. d.* Philippi est prima civitas principii Macedoniæ, sive a qua incipit et principium capit Macedonia. Ita Syrus vertit, *quæ est principium Macedoniæ* : et Erasmus, *quæ est in prima parte Macedoniæ*. Unde quis suspicari posset, in Nostro pro *prima*, legendum *primæ* : quæ est primæ partis Macedoniæ civitas, sic enim sensus est clarus ; verum exemplaria Bibliorum Græca et Latina constanter habent *prima*. *Quarto*, ergo planus sensus est hic, *q. d.* Philippi est prima civitas in confinio Thraciæ, quæ ad partem, id est sortem et ditionem Macedoniæ pertinet ; aliæ enim ulteriores pertinent ad partem, id est ad sortem, jus et ditionem Thraciæ ; imo Philipporum urbis pars una ad Thraciam, pars altera eaque potior ad Macedoniam pertinebat (1).

COLONIA — Romanorum, ut patet vers. 21, ideoque jure Romanorum civium gaudens, sicut nobilis Ubiorum civitas Belgio vicina, dicta est Colonia Agrippina, quia Agrippina, uxor Claudii Imperatoris et mater Neronis, eo coloniam Romanorum deduci curavit. Coloni enim dicebantur cives Romani ad aliquam urbem habitandam missi, qui non propriis, sed populi Romani legibus vivebant, ait Cicero, lib. III *De Natura deorum*. Porro colonias ducebant Romani, tum ad exone-

(1) Plura de hac urbe vid. in Rosenmulleri *Handb. d. bibl. Alterthumsk.*

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

randam Romam populis oppletam, eorum examina alio deducendo: tum ad pauperes urbis alendos: his enim alibi dividebant jugera terræ; tum ut iis militibus stipendia solverent, vel præmia largirentur; tum maxime ut illi Romanorum jus et imperium iis in locis, ad quæ mittebantur, tuerentur. Ita Cicero, *De lege Agraria*: « Majores inquit, colonias sic idoneis in locis contra suspiciones periculi collocarunt, ut non oppida Italiæ, sed propugnacula imperii esse viderentur. » Et *pro Fonteio* de Gallia provincia loquens: « Est in eadem provincia Narbo Martius, colonia nostrorum civium, specula populi Romani, ac propugnaculum istis nationibus oppositum et objectum. » Colonia quoque dicebatur urbs donata jure et privilegiis coloniæ, etiamsi ex colonis aliunde missis non esset conflata.

CONFERENTES. — Ita legunt Romana, id est disserentes, disputantes: Græce enim est διατρίβοντες; unde Scholasticæ disputationes vocantur *diatribæ*, idque probat Erasmus. Alii legunt *consistentes*; unde Vatablus et Pagninus vertunt, *commorantes*. Hoc enim quoque significat Græcum διατρίβοντες. Eodem res redit. Nec enim commoratio Pauli fuit otiosa, sed intenta ad disputandum et prædicandum.

13. UBI VIDEBATUR ORATIO ESSE. — Græcum προσευχή et *orationem*, et *oratorium*, sive *locum orationis* (ut vertit Syrus) significat, puta synagogam: hæc enim Judæis erat locus orandi et prædicandi. Unde et Paulus in eo prædicare cœpit. Talia loca extra civitates crebro habuisse Judæos et Samaritas, tradit Epiphanius, *hæresi* 80 (1). Sic Philo ad Caium, Judæorum Synagogas vocat proseuchas. Et Juvenalis, *satyra* 3:

Ede ubi consistas, in qua te quæro proseucha.

Sic cœnatio vocatur *cœnaculum*, in quo fit cœnatio; ambulatio vocatur *ambulacrum*, in quo ipsa fit; *cœtus*, *consilium* et *Ecclesia* vocatur locus, in quo fit cœtus et congregatio populi vel consiliariorum. Unde liquet locum hunc orationis fuisse Judæorum, præsertim quia eo convenit Lydia, quæ colebat Deum, ut dicitur vers. 10. Salmeron tamen censet fuisse idolium, ubi Gentes suos deos colebant et invocabant.

14. NOMINE LYDIA. — Censent aliqui Lydiam dictam, quia oriunda erat e Lydia provincia, cujus rex fuit Crœsus tempore Cyri. Favet quod scribit Plinius, lib. VII, cap. LVI, « Lydos Sardibus primos rationem invenisse lanas purpuras inficiendi. » Verum obstat τῷ *nomine*. Nomen ergo proprium erat Lydia, non cognomen a patria. Adde, cognomina non sumi a provinciis tam amplis, ut regna sint, qualis erat Lydia: potius ab urbe dicenda erat Thyatirena. Lydia Sanctorum catalogo ascripta est in *Martyrol.* die 3 augusti.

PURPURARIA. — Aliqui ita dictam censent, quod purpura vestiretur, utpote nobilis et prognata e stemmate regio: regum enim est purpura. Alii, quod purpuram tingeret. Verum Græce est πορφυρόπωλις, id est *purpuræ venditrix*, quales solent esse divites: imo opes et gloria Tyri consistebant in conficienda et vendenda purpura, uti dixi *Isaiæ* XXIII.

CIVITATIS THYATIRENORUM. — Civitas est Lydiæ, de qua dixi *Apoc.* I, 18; ex ea ergo oriunda erat Lydia.

COLENS DEUM. — Lydia erat Gentilis: cognovit ergo et coluit Deum vel lumine naturæ, ex creatione et gubernatione universi; vel ex institutione majorum, vel ex familiaritate cum Judæis, uti et Cornelius Centurio, *Actor.* X. Unde Lyranus, Hugo, Glossa et Carthusianus censent eam fuisse proselytam.

CUJUS DOMINUS APERUIT COR, — puta illuminavit intellectum et movit voluntatem ejus, ut intenderet iis quæ dicebantur a Paulo, eaque vera esse intelligeret, itaque Christum cognosceret et diligeret. Oret prædicator, ut Deus auditorum corda aperiat: idem orent auditores, si fructum ex concione referre cupiunt.

15. SI JUDICASTIS ME FIDELEM DOMINO. — « Si, » id est *quia*, *q. d.* Quia censuistis me dignam baptismo et fide Christiana, quia me fecistis fidelem et Christianam, divertite ad me, ut ego vestro alloquio, et vos mea hospitalitate gaudeatis. Nec enim decet Christianos, præsertim Apostolos, nisi apud Christianos hospitari.

ET COEGIT NOS. — Hinc colligit S. Gregorius, hom. 23 *in Evang.*, quod peregrini ad hospitium non solum invitandi sint, sed etiam trahendi. Et S. Ambrosius, lib. I *De Abraham*, a Christianis, præsertim Episcopis, requirit ut præsto sint advenientibus, occurrant obviam, itinera explorent, adsint non quærentibus, rapiant prætergredientes, uti fecit Abraham. Sic et discipuli duo coegerunt Christum secum divertere in Emmaus, ideoque eum in fractione panis agnoscere meruerunt, *Lucæ* XXIV, 29.

16. AD ORATIONEM: — ad locum orationis, ad proseucham, uti dixi vers. 13.

HABENTEM SPIRITUM PYTHONEM. — Syrus, *spiritum divinationis*, puta dæmonem familiarem, imo obsidentem, ait Cajetanus et Hugo (nam Paulus illum ex ea expulit), qui de futuris oracula reddebat. Apollo enim cognominatus est Pythius, vel a dracone Pythone, quem in Delo occidit, vel a πυθέσθαι, id est *consulere*, puta a dandis responsis et oraculis. Inde spiritus ille quo afflati prædicabant futura, Pytho vocari cœptus est. Inde etiam Πύθιοι dicebantur, qui Delphos ad consulenda oracula mittebantur, qui publice cum regibus cibaria habebant et vescebantur una, teste Herodoto, lib. VI. Vide dicta *Isaiæ* VIII, 19.

(1) Fuit moris apud Judæos ut *Proseuchæ* quam proxime ad fluvios exstruerentur, quo commodius ipsis suppeteret aqua ad manus lavandas, antequam preces funderent. Insignis in hanc rem est Josephi locus, *Antiq.* XIV, X, 23. Tertullianus quoque, *ad Nat.* lib I, cap. XIII, de ritibus Judæorum disserens, eorum *preces littorales* commemorat. Cf. Glaire, op. cit. tom. V, p. 336. Proseuchæ, seu Oratoria non semper fuerunt ædificia, sed interdum loci subdiales et solitarii, septo circumducti, silvulæ, ubi precandi causa convenirent. Vid. Vitringa, *De Synag. vetere*, p. 119.



17. ISTI HOMINES SERVI DEI EXCELSI SUNT. — Non ait, Jesu Christi, quia hic illi exosus est, utpote qui eum regno suo dispoliavit. Dixit hoc dæmon per puellam, vel coactus a Deo: ita Beda, Glossa, Hugo et Dionysius; vel sponte, ut hac arte ad se plures pelliceret, quasi qui spiritus esset divinus, utpote servos Dei indicans et dilaudans: ita S. Chrysostomus, Œcumenius, Lyranus et Cajetanus. Addit S. Chrysostomus, ut Paulum adulando sibi conciliaret, ne se a puella expelleret, eumque laudando titillaret et ad vanam gloriam incitaret. Verum potior causa petenda videtur ex eventu, quem dæmon sagacissimus uti prævidebat, ita et malitiosissimus intendebat: nimirum prævidebat Paulum non laturum hasce suas voces, sed eum expulsurum, se vero libenter cessurum, ut heros Pythonissæ jam privatus suo divinationis quæstu accenderet in Paulum, ut eum male mulctarent vel occiderent. Pauli enim caput petebat diabolus, ut ejus prædicationem et conversionem Gentium inhiberet; ita factum est: nam Paulus ab eis captus, flagellatus et incarceratus est. Sciebat enim, si Paulum perderet, se plurimos perditurum.

18. DOLENS AUTEM PAULUS, — tum puellæ miseriam, tum diaboli fraudem, qui divinando populos ad se et ad magicas artes attrahebat. Græce pro *dolens* est διαπονηθείς, id est *moleste ferens et indignans*; Erasmus, *tædio affectus*. Noluit hanc laudem et hoc testimonium recipere a diabolo Paulus, tum ut ostenderet eum patrem esse mendacii, et verum subinde dicere, ut deinceps mentienti credatur; tum ut ostenderet omnem cum diabolo communicationem nobis esse interdictam: « Nam beneficia ejus omnibus sunt nocentiora vulneribus, » ait S. Leo, serm. 19 *De Passione*. « Dum enim beneficia præstat, magis nocet, » ait S. Augustinus, lib. VIII *De Civit.*, cap. XXIV.

19. AD PRINCIPES. — Syrus, *ad primores civitatis*, inter quos multi erant e Magistratu: Magistratui enim puniendum obtulerunt Paulum, ut sequitur.

20. CUM SINT JUDÆI. — Conflant invidiam Paulo: Judæi enim Romanis et aliis Gentibus erant exosi ob fidei singularitatem, separationem et morum dissimilitudinem. Idem odium in Christianos, quasi e Judæis oriundos, derivarunt, ut patet ex Tertulliano, *Apolog.* cap. VII, ac ex Apologiis Aristidis, Quadrati, Athenagoræ, Justini et aliorum illius ævi.

21. ANNUNTIANT MOREM, — ἔθη, id est *mores*, *instituta*, puta novam fidem et religionem, novum modum vivendi, novum novi Dei cultum.

CUM SIMUS ROMANI, — puta coloni Romanorum, ac proinde eorum jure viventes. Romani enim sanxerant, ne quis Deus admitteretur, nisi quem Senatus approbasset. Unde cum Tiberius Cæsar, auditis miraculis Christi, vellet eum inter deos referre, Senatus restitit, eo quod se prius non consuluisset, teste Eusebio, lib. II *Histor.*, cap. II.

22. SCISSIS TUNICIS EORUM, — Pauli et Silæ. Id fecerunt tum ad execrationem sceleris, quod scilicet deorum cultum abolere et novum Deum statuere satagerent; tum ut eos notarent ignominia; tum ut eos nudarent ad flagellationem, quæ mox secuta est. Aliter Tigurina et Clarius; vertunt enim, « scissis tunicis suis, » pro αὐτῶν legentes αὑτῶν, quasi magistratus non Pauli, sed suas tunicas sciderint, in detestationem auditæ blasphemiæ et novæ religionis quam prædicabat Paulus. Hanc enim ipsi superstitiosam et blasphemam impiamque censebant.

23. ET CUM MULTAS PLAGAS EIS IMPOSUISSENT, — per virgarum flagellationem. Unde Syrus vertit, *et cum multum eos flagellassent*. Alii, præter virgas, putant Paulum et Silam partim a populo furente, partim a lictoribus, fustibus et pugnis fuisse appetitos: hisce enim proprie plagæ infliguntur. Præclare S. Chrysostomus hic, sub finem *hom.* 39: « Paulus, inquit, verberabatur, et nihil dicebat. Hunc et nos imitemur. Referiamus percutientes mansuetudine, silentio, longanimitate. Difficiliora sunt hæc vulnera: major plaga et onerosior. Gravius enim est percutere animam quam corpus. Multos percutimus, sed ut amici, et delectantur; sed quem percusseris cum contumelia, quoniam cor tetigisti, valde contristasti. Ita magis cor illorum percutimus. Quod autem mititas magis verberet quam temeritas, age demonstremus, » etc. Idem, hom. 6 *De Laudibus S. Pauli*, docet Paulum eidem cui nos infirmitati carnis subjacuisse, sed eam virtute transcendisse: « Non enim, inquit, habere naturam infirmitatibus subditam, sed servire infirmitatibus, criminosum est; ut merito magnus ille habeatur atque mirabilis, qui imbecillitatem naturæ voluntatis virtute superavit, et hoc ipso ostendit, quanta sit liberæ voluntatis potestas, obstruitque ora dicentium: Cur non natura boni facti sumus, nec cum ipsa virtute progeniti? Quid enim refert natura esse, quod potes effici voluntate? Imo præstat sponte coronis et amplissima laude decorari. » Et mox: « Paulus, inquit, fuit statua virtutis, qui bona voluntatis in naturæ firmitatem certavit adducere. Dolebat quidem ille corpus, sed non inferior incorporeis potestatibus, ipsos contemnebat dolores. Quando enim dicit: Mundo crucifixus sum, quid aliud videtur dicere, quam quod etiam ex corpore ipso animi virtute migraverit? »

24. STRINXIT LIGNO, — numella, vel cippo, cui seorsim singuli inserebantur (1).

(1) Τὸ ξύλον, *lignum*, fuit instrumentum ligneum, quivis hinc et inde foraminibus certo invicem spatio diversas

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ® DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

25. MEDIA AUTEM NOCTE PAULUS ET SILAS, ORANTES, LAUDABANT DEUM. — Vide hic Pauli et Silæ in flagellatione et incarceratione constantiam et lætitiam, qua exultantes Deo quasi pro ingenti dono gratias agunt. Idem fecerunt olim Martyres. Rursum, quam brevis somni fuerit Paulus, scilicet dormivit usque ad mediam noctem. *Tertio*, eum solitum media nocte consurgere ad orationem, instar Davidis dicentis, *Psalm*. CXVIII, 62 : « Media nocte surgebam ad confitendum tibi ; » et Isaiæ, cap. XXVI, 6 : « Anima mea desideravit te in nocte. » Hinc fideles olim media nocte solebant ad orationem surgere, tum quia sub id tempus natus est Christus, æque ac passus ; tum quia credebant Christum noctu venturum ad judicium, inquit Lactantius, lib. VII, cap. IX. « Quocirca, inquit Clemens Alexandrinus, II *Pædag*., cap. IX, sæpe noctu e lecto surgendum est, Deusque laudandus : beati enim, qui in ipsum vigilarunt, seipsos assimilantes angelis, quos nos ἐγρηγόρους, id est vigilantes, vocamus. » Idem, exemplo Pauli hoc loco, faciendum esse docet S. Basilius, in *Reg*., interrog. 37, et S. Hieronymus, *ad Demetriadem*, post alias diurnas orandi horas : « Ad vesperam, inquit, media nocte et mane semper est exercendum. » Quin et Plinius de Christianis apud se accusatis ita scribit ad Trajanum, lib. X, *epist*. 77 : « Affirmabant autem hanc fuisse summam vel culpæ suæ, vel erroris, quod essent soliti stato die ante lucem convenire, carmenque Christo, quasi Deo, dicere secum invicem. » Unde liquet non tantum Clericos, sed et laicos olim noctu ad orationem et hymnos convenisse. Atque hinc orti sunt Nocturni, quos quotidie legimus in Officio Ecclesiastico, idque exemplo Pauli et Silæ, qui ὕμνουν, id est *hymnizabant*, *hymnos dicebant*, ait Lucas. Unde Ecclesia in hymno feriæ IV ad Matutinum, sic canit :

Mentes manusque tollimus,
Propheta sicut noctibus
Nobis gerendum præcipit,
Paulusque gestis censuit.

Hinc et S. Hieronymus Eustochio scribit et præscribit dicens : « Esto cicada noctium. » Noctu enim canit cicada. Ita Vincentius Ferrerius, S. Petrus Martyr, Ordinis Prædicatorum, S. Xaverius aliique viri Apostolici per diem prædicabant, noctu orabant, exemplo Christi qui « erat pernoctans in oratione Dei, » *Luc*. VI. Plura vide apud Cassianum, lib. II; Francolinum, lib. *De Horis Canon*., cap. II ; Baronium hic, et in *Martyrol*., ad diem 5 januarii.

*Paulus brevis somni [illegible] est, et primi Christiani. Cur?*

26. SUBITO VERO TERRÆ MOTUS FACTUS EST MAGNUS. — Ut eo ostenderet Deus, se preces Pauli et Silæ exaudisse, eorumque curam gerere, seque eos e carcere liberaturum, ac pro eis terram omniaque elementa concussurum, si opus esset. Vide dicta cap. IX, vers. 31. Hic terræ motus videtur fuisse non tantum in carcere, sed etiam in urbe : eo enim territus Magistratus, illico jussit eos dimitti.

UNIVERSORUM VINCULA SOLUTA SUNT, — vel vi terræ motus, vel potius operatione secreta Angeli : nemo tamen effugit, quia perculsi erant omnes, adeoque non advertebant incarcerati se vinculis esse solutos, ait Chrysostomus.

27. CUSTOS CARCERIS. — Œcumenius censet hunc custodem fuisse Stephanum, cujus se domum baptizasse scribit Paulus, I *Cor*. I, 16, quemque inter primitias Achaiæ commemorat ibidem, cap. ult., vers. 15. Sed obstat quod hæc Philippis sint gesta in Macedonia, non in Achaia; nisi dicas custodem hunc oriundum ex Achaia, migrasse Philippos, ibique conversum a Paulo, rediisse Corinthum in Achaia.

29. INTROGRESSUS EST, — εἰσεπήδησε, id est, ut Tigurina et Pagninus, *irrupit, insiliit*.

30. QUID ME OPORTET FACERE? — Conversus est hic custos per terræ motum, quodque Paulus et Silas soluti vinculis, in iis tamen perstitissent laudantes Deum; inde enim videbat Deum pro Paulo et Sila, quasi legatis suis pugnare.

31. CREDE IN DOMINUM JESUM. — Multa alia credenda erant de Patre et Spiritu Sancto, de Ecclesia aliisque Symboli articulis, quæ proinde sigillatim ei exposuit Paulus, vers. 32; sed horum omnium caput et summa erat fides in Christum : hæc enim includit et docet cætera omnia. Fides enim Christiana credit traditque Symbolum Apostolorum, quo reliqua credenda continentur.

35. DIMITTE HOMINES ILLOS. — Magistratus præcipitarat sententiam contra Paulum et Silam : unde rediens ad se, et causa melius examinata, nimirum quod ob pulsum a muliere Pythonem dæmonem, id est ob beneficium in eam totamque urbem collatum, eum tam male excepisset; forte etiam sentiens, vel a custode per nuntium edoctus de miraculo terræ motus, Paulique innocentia et lætitia, quodque a Deo solutis vinculis, carcere egredi noluisset, eum illico jussit dimitti, Deo ad id ipsum impellente, ne prædicationis Pauli cursus inhiberetur : ita Lyranus, Hugo et Dionysius. Unde quidam Græci codices addunt : « Die autem facto, convenerunt Magistratus in concilium, et memores terræ motum factum, timuerunt ac miserunt lictores; » quæ verba significant terræ motum non tantum fuisse in carcere, sed per totam urbem, uti dixi vers. 26.

37. INDEMNATOS. — Taxat injustitiam Magistratus, quod præcipitarit tam sententiam quam pœnam causa inaudita. Syrus vertit, *innocentes*.

HOMINES ROMANOS. — In *Pandect*., leg. V, tit. 29, lege Julia, de vi publica damnatur, qui civem Romanum ante ad populum, nunc ad imperatorem appellantem, necarit, torserit, verberarit, in vincula duci jusserit. Exaggerat Cicero, actione 5 in *Verrem*, quod Gavium, civem Romanum, Verres flagellarit. Nec ulla vox alia, inquit, istius miseri inter dolorem crepitumque plagarum audiebatur, nisi hæc : « Civis Romanus sum. » Recens erat Rhodiorum exemplum, qui cum peccassent in aliquos Romanos cives, Claudius eos libertate plane privavit, uti narrat Dio, lib. LX. Antiquo enim jure Romanorum nefas erat civem Romanum subjicere flagellis, seu virgis. Id primum statuit lata lege Valerius Publicola apud Valerium Maximum, lib. IV, cap. I. Idipsum confirmatum est lege Porcia et lege Sempronia, teste Cicerone *pro Rabirio*. Vide Sigonium, lib. I *De Antiq. Jur. Roman*., cap. VI (1).

NON ITA, SED VENIANT, ET IPSI NOS EJICIANT. — ἐξαγαγέτωσαν, id est *educant*. Hinc patet Paulum post cibum in domo custodis sumptum rediisse ad carcerem, ut ibi eum Magistratus inveniret, et innocentem pronuntiaret et dimitteret. Vide hic magnanimitatem Pauli, qua carcere egredi non vult nisi Magistratus sententiam ferat de ejus innocentia, idque publice. Simili consilio Socrates noluit e carcere fugere, ne illa fuga reum potius se convinceret, quam innocentem, ait Plato in *Crito*. Idem eadem causa et virtute fecit Ignatius, fundator Societatis nostræ. Lege Ribadeneiram, lib. II Vitæ ejus, cap. XIV. Sapienter Melania, a præside Palæstinæ incarcerata, ut ab ea aurum, quod copiose in monasteria erogabat, exprimeret : « Ego, ait, illius fui filia, hujus vero uxor, qui in terra fuit genere clarus, nunc autem sum Christi ancilla. Neque meum vilem habitum despexeris : possum enim me, si velim, extollere : ne ergo forte ignorans in crimen aliquod incidas, quænam sim tibi declaravi. » Additque documentum : « Oportet enim adversus stolidos, tanquam cane et accipitre uti animi elatione, et in tempore superbiæ in ipsos immittere. Tunc judex se excusavit, et eam adoravit, et jussit eam absque ullo impedimento cum sanctis viris versari : » ita Palladius in *Lausiaca*, cap. CXVII. Hac de causa Paulus subinde animos, quin et iram assumpsit. Ira enim est cos virtutis. « Iram, inquit Chrysostomus, hom. 6 *De Laudibus S. Pauli*, providus creator nobis inseruit, ut dormientes atque resolutas animas ab inertia ac desidia suscitaret. Quasi enim gladio aciem, ita menti nostræ iræ acumen imposuit, ut eo cum oportet, utamur. Propterea igitur et Paulus hoc sæpe usus est affectu, et modeste loquentibus erat melior iratus, cum tempore omnia faciens opportuno pro lucro et commodo prædicandi (1). »

*Magnanimitas Pauli.*

39. DEPRECATI SUNT EOS. — Ecce Paulus suos judices facit sibi supplices. Unde Gagneius et Dionysius : Veniam, inquiunt, deprecati sunt pro injuria violatoque jure civilitatis Romanæ. Græci codices nonnulli addunt Magistratum venisse cum amicis, ac dixisse : « Ignoravimus statum vestrum, et quod estis justi. Et educentes eos rogaverunt dicentes : Exite ex hac urbe, ne forte rursus irruant in vos et vociferentur contra vos. »

40. INTROIERUNT AD LYDIAM, — purpurariam, cap. V, vers. 14, mœstam et orantem pro Pauli liberatione.

ET VISIS FRATRIBUS, — Luca, Timotheo, et si qui alii socii erant Pauli; solus enim Paulus et Silas incarcerati fuerant. Unde pro eo sollicitus erat Lucas et Timotheus. Hinc Paulus consolatus est eos, narrando terræ motum et cætera quæ Deus in carcere pro se operatus erat ad gloriam Christi. Unde quidam Græci codices addunt : « Narraverunt quæcumque fecit Dominus illis. » Nam Philippis hac vice Paulus tantum legitur convertisse Lydiam et custodem carceris; sed hi sparserunt in alios fidei semen. Unde ad eos scripsit postmodum Paulum epistolam *ad Philippenses*, zelo et desiderio martyrii ardentem.

Moraliter, discamus a Paulo eadem alacritate et contentione prædicare paucis ac multis, pauperibus ac nobilibus, feminis et pueris ac viris. Idem dico de doctrina, audiendis confessionibus, catechesi et quavis alia occupatione ac labore.

excavatam. In hæc foramina vel pedes, ut hoc loco, vel etiam cervix, manus et pedes noxiorum inserebantur vinculisque astringebantur. Hinc ποδοκάκη vocatur; Latini *nervum* appellant.

(1) Quæritur quonam jure Paulus se civem Romanum dixerit? Fuerunt qui putarent Tarsum, urbem Pauli patriam, fuisse coloniam Romanam, aut municipium, adeoque Tarsenses habuisse jus civitatis Romanæ. Tarsus autem neque municipium, neque colonia erat, sed *urbs libera* : « Cydnus, ait Plinius, V, XXVII, Tarsum, liberam urbem, paulo a mari secans. » Libertate donati erant Tarsenses ab Augusto, ut eos variis in bello civili cladibus afflictos recrearet. Cf. Appian., *Bell. civil*. V; Dion. Chrysost., in *Tarsica posteriore*. Urbes liberæ suis utebantur legibus, suos habebant magistratus, a jurisdictione Romani præsidis immunes erant, nec præsidiis Romanorum tenebantur; imperium tamen majestatemque populi Romani agnoscere debebant, itaque contra hostes auxilia mittere. Tarsenses non habuisse jus civitatis Romanæ etiam inde patet, quod tribunus militum, quamvis sciret Paulum Tarsensem esse, flagris tamen eum explorari jussit, a quo sibi metuens destitit, simul ac eum Romanum cognovit. Itaque præferenda est eorum sententia, qui statuunt aliquem e Pauli majoribus aut in bellis civilibus jus civitatis Romanæ consecutum esse ob bene de Romanis merita, aut jus illud pecunia redemisse. Julium Cæsarem multis peregrinis civitatem civili bello dedisse, tradit Dio Cassius, lib. XLIII. Imo fuisse in potestate Præsidum provinciarum ut quem vellent, civitate Romana donare possent, ait Cicero, *Verr*. II, 7. Hinc multis in provinciis Præsides, auri cupiditate corrupti, soluta pecunia, civitatem dederunt. Et Judæi solebant ab iis civium Romanorum titulum et jura emere, tum ut facilior et tutior iis negotiatio esset, tum ut possent libere suo more vivere, in iis etiam urbibus quæ Romanæ civitatis jure non gauderent. Cf. Kuinoelium ad h. l.

(1) Sibi ipsi Paulus debuit, ut postularet honestam deductionem ex urbe. Si enim clam abiisset, paulo post rumor fuisset sparsus, effracto carcere ipsum aufugisse, quæ res famæ et auctoritati Apostolicæ apud Philippenses et alios multum nocuisset. Cur vero Paulus se non tuitus est legum Romanarum præsidio adversus duumviros, quum eum virgis cædi juberent? Nempe, ait Kuinoelius in h. l., tumultus in foro obstitit, quominus ad civitatis jura provocaret, aut exaudiretur. Confirmat hanc rationem ipsum vocabulum ἀκατακρίτους, *indemnatos*.

Esto enim initio parvus sit fructus, Deus tamen suo tempore inde majorem eliciet.

Debile principium melior fortuna sequetur.

Ad magna non scanditur nisi per parva : ab iis ergo inchoandum tendenti ad magna. Vide dicta *Zachar.* IV, 10.

# CAPUT DECIMUM SEPTIMUM.

## SYNOPSIS CAPITIS.

*Philippis exiens Paulus contendit Thessalonicam, ubi multos convertit; sed Judæis eum persequentibus abiit Berœam, inde Athenas : ubi ex ara* Ignoto Deo *dicata, demonstrans hunc Deum esse* **Christum**, *multos ad ejus fidem traducit, ac inter eos Dionysium Areopagitam.*

1. Cum autem perambulassent Amphipolim et Apolloniam, venerunt Thessalonicam, ubi erat synagoga Judæorum. 2. Secundum consuetudinem autem Paulus introivit ad eos, et per sabbata tria disserebat eis de Scripturis, 3. adaperiens et insinuans quia Christum oportuit pati, et resurgere a mortuis : et quia hic est Jesus Christus, quem ego annuntio vobis. 4. Et quidam ex eis crediderunt, et adjuncti sunt Paulo et Silæ, et de colentibus Gentilibusque multitudo magna, et mulieres nobiles non paucæ. 5. Zelantes autem Judæi assumentesque de vulgo viros quosdam malos, et turba facta, concitaverunt civitatem; et assistentes domui Jasonis, quærebant eos producere in populum. 6. Et cum non invenissent eos, trahebant Jasonem et quosdam fratres ad principes civitatis, clamantes : Quoniam hi, qui urbem concitant, et huc venerunt, 7. quos suscepit Jason, et hi omnes contra decreta Cæsaris faciunt, regem alium dicentes esse, Jesum. 8. Concitaverunt autem plebem et principes civitatis audientes hæc. 9. Et accepta satisfactione a Jasone, et a cæteris, dimiserunt eos. 10. Fratres vero confestim per noctem dimiserunt Paulum et Silam in Berœam. Qui cum venissent, in synagogam Judæorum introierunt. 11. Hi autem erant nobiliores eorum qui sunt Thessalonicæ, qui susceperunt verbum cum omni aviditate, quotidie scrutantes Scripturas, si hæc ita se haberent. 12. Et multi quidem crediderunt ex eis, et mulierum Gentilium honestarum, et viri non pauci. 13. Cum autem cognovissent in Thessalonica Judæi, quia et Berœæ prædicatum est a Paulo verbum Dei, venerunt et illuc, commoventes et turbantes multitudinem. 14. Statimque tunc Paulum dimiserunt fratres, ut iret usque ad mare : Silas autem et Timotheus remanserunt ibi. 15. Qui autem deducebant Paulum, perduxerunt eum usque Athenas, et accepto mandato ab eo ad Silam et Timotheum, ut quam celeriter venirent ad illum, profecti sunt. 16. Paulus autem cum Athenis eos exspectaret, incitabatur spiritus ejus in ipso, videns idololatriæ deditam civitatem. 17. Disputabat igitur in synagoga cum Judæis, et colentibus, et in foro, per omnes dies, ad eos qui aderant. 18. Quidam autem Epicuræi et Stoici Philosophi disserebant cum eo, et quidam dicebant : Quid vult seminiverbius hic dicere? Alii vero : Novorum dæmoniorum videtur annuntiator esse : quia Jesum et resurrectionem annuntiabat eis. 19. Et apprehensum eum ad Areopagum duxerunt, dicentes : Possumus scire quæ est hæc nova, quæ a te dicitur, doctrina? 20. Nova enim quædam infers auribus nostris : volumus ergo scire quidnam velint hæc esse. 21. (Athenienses autem omnes, et advenæ hospites, ad nihil aliud vacabant, nisi aut dicere, aut audire aliquid novi.) 22. Stans autem Paulus in medio Areopagi, ait : Viri Athenienses, per omnia quasi superstitiosiores vos video. 23. Præteriens enim et videns simulacra vestra, inveni et aram in qua scriptum erat : IGNOTO DEO. Quod ergo ignorantes colitis, hoc ego annuntio vobis. 24. Deus, qui fecit mundum et omnia quæ in eo sunt, hic cœli et terræ cum sit Dominus, non in manufactis templis habitat, 25. nec manibus humanis colitur indigens aliquo, cum ipse det omnibus vitam, et inspirationem, et omnia : 26. fecitque ex uno omne genus hominum inhabitare super universam faciem terræ, definiens statuta tempora, et terminos habitationis eorum, 27. quærere Deum, si forte attrectent eum, aut inveniant, quamvis non longe sit ab unoquoque nostrum. 28. In ipso enim vivimus, et movemur, et sumus; sicut et quidam vestrorum poetarum dixerunt : Ipsius enim et genus sumus. 29. Genus ergo cum simus Dei, non debemus æstimare auro, aut argento, aut lapidi, sculpturæ artis et cogitationis hominis, divinum esse simile. 30. Et tempora quidem hujus ignorantiæ despiciens Deus, nunc annuntiat hominibus ut omnes ubique pœnitentiam agant, 31. eo quod statuit diem in quo judicaturus est orbem in æquitate, in viro, in quo statuit, fidem præbens omnibus, suscitans eum a mortuis. 32. Cum audissent autem resurrectionem mortuorum, quidam quidem irridebant, quidam vero dixerunt : Audiemus te de hoc iterum. 33. Sic Paulus exivit de medio eorum. 34. Quidam vero viri adhærentes ei, crediderunt : in quibus et Dionysius Areopagita, et mulier nomine Damaris, et alii cum eis.



1. CUM AUTEM PERAMBULASSENT AMPHIPOLIM. — Civitas est Macedoniæ vel Thraciæ, vicina Philippis : ita dicta, quod aquis undequaque sit circumdata, isthmo tantum terræ cohærens; ita Pollux, lib. IX. Hæc Philippo Macedoni et Atheniensibus bellorum causam dedit. Hanc Brasides, Lacedæmoniorum dux, bello Peloponnesiaco occupavit : ita Thucydides, lib. IV.

APOLLONIAM. — Hæc vicina est Thessalonicæ. Aliæ enim plures alibi fuerunt urbes eodem nomine.

THESSALONICAM. — Hæc prima, vel inter primas fuit Macedoniæ civitas, ita dicta a νίκη, id est *victoria*, quam de Thessalis ibidem obtinuit Philippus, Macedonum rex. Nunc per apheresin *Salonica* vocatur, in qua Judæi habent synagogam, typographiam, imo dominium : ita Strabo, lib. VII, et Stephanus, lib. *De Urbibus*.

2. SECUNDUM CONSUETUDINEM. — Consueverat enim Paulus, ait Chrysostomus, ubique primo adire synagogas Judæorum, ibique prædicare, etiamsi sæpius ab eis offensus, expulsus et lapidatus, ut constantem in suam gentem amorem ostenderet bonumque pro malo redderet; itaque multos ex eis converteret, reliquos nolentes converti faceret inexcusabiles, ne, si primo Gentibus prædicaret, Judæi prætendere vel objicere possent ipsum non annuntiare verum Messiam, eo quod hic promissus esset Judæis, non Gentibus.

DISSEREBAT EIS DE SCRIPTURIS, — ἀπὸ τῶν γραφῶν, id est *e Scripturis* : ita Tigurina et Pagninus. E Scripturis enim probat Jesum Christum esse Messiam et Salvatorem mundi, cujus fide omnes justificari et salvari debeant. Melius et nervosius vertit Noster, *de Scripturis*. Solebant enim Judæi in Synagogis non aliud tractare quam Scripturas : unde si Paulus aliud tractasset, ac præsertim directe et expresse egisset de Christo crucifixo, explosissent eum Judæi. Thema ergo Pauli erat Scriptura, sed ita, ut ex ea opportunis locis semper ingereret et insinuaret Christum, uti sequitur. Ubi nota solertiam et dexteritatem Pauli, qua Christum artificiose, quasi aliud agens, Judæis invitis et Christum aversantibus insinuat et prædicat. Idem faciendum est iis qui venantur animas vitiis immersas, et sermonem omnem de virtute abhorrentes, ut primo de aliis rebus, quas illis gratas esse sciunt, sermonem faciant, deinde latenter ad vitia et virtutes descendant.

Noster fundator S. Ignatius hoc suis dabat axioma : « Ingredimini cum eo quod est illorum, sed exite cum vestro; » significans initio nos hominibus sæcularibus accommodare debere et omnibus omnia fieri, ut omnes lucrifaciamus, ac tandem virtutem, quam intendimus, eis persuadeamus. Ita venatores avium et ferarum, ac piscatores piscium, eis escam objiciunt, sed sub esca retia et hamos abscondunt, quibus eos illaqueant et capiunt : idem faciat venator et piscator animalium rationalium, quæ instar ferarum et piscium viventia, terrenis inhiant.

Ita S. Barlaam Eremita, fingens se gemmarium gemmamque afferre eximii splendoris et valoris (puta fidem Evangelicam), aditum sibi patefecit, convertitque Josaphat, regis Indiæ filium, uti refert Damascenus in eorum Historia.

Ita S. Abrahamus neptem suam Mariam lapsam in fornicationem, fingens se mercatorem, reduxit in viam salutis, uti refert S. Ephrem in ejus Vita.

Ita in Vita Astionis Martyris legimus, Vigilantium parentes adhuc Gentiles de Astione filio perquirentes mortem ejus celasse, dixisseque eum vivere in regione fortium, puta in cœlo, itaque eos consolatum esse, ac tandem dextere martyrium ejus nobile enarrasse eosque ad Christum convertisse.

Ita S. Xaverius a concubinariis avellebat concubinas, insinuans se in eorum amicitiam, et nunc unam, nunc alteram alio prætextu eis adimens, donec ad unam omnes adimeret. Lege Tursellinum in ejus Vita, lib. VI, cap. x sub finem.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
ALERE FLAMMAM VERITATIS
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

Esto enim initio parvus sit fructus, Deus tamen suo tempore inde majorem eliciet.

Debile principium melior fortuna sequetur.

Ad magna non scanditur nisi per parva : ab iis ergo inchoandum tendenti ad magna. Vide dicta *Zachar.* IV, 10.

# CAPUT DECIMUM SEPTIMUM.

## SYNOPSIS CAPITIS.

*Philippis exiens Paulus contendit Thessalonicam, ubi multos convertit; sed Judæis eum persequentibus abiit Berœam, inde Athenas : ubi ex ara* Ignoto Deo *dicata, demonstrans hunc Deum esse* **Christum**, *multos ad ejus fidem traducit, ac inter eos Dionysium Areopagitam.*

1. Cum autem perambulassent Amphipolim et Apolloniam, venerunt Thessalonicam, ubi erat synagoga Judæorum. 2. Secundum consuetudinem autem Paulus introivit ad eos, et per sabbata tria disserebat eis de Scripturis, 3. adaperiens et insinuans quia Christum oportuit pati, et resurgere a mortuis : et quia hic est Jesus Christus, quem ego annuntio vobis. 4. Et quidam ex eis crediderunt, et adjuncti sunt Paulo et Silæ, et de colentibus Gentilibusque multitudo magna, et mulieres nobiles non paucæ. 5. Zelantes autem Judæi assumentesque de vulgo viros quosdam malos, et turba facta, concitaverunt civitatem; et assistentes domui Jasonis, quærebant eos producere in populum. 6. Et cum non invenissent eos, trahebant Jasonem et quosdam fratres ad principes civitatis, clamantes : Quoniam hi, qui urbem concitant, et huc venerunt, 7. quos suscepit Jason, et hi omnes contra decreta Cæsaris faciunt, regem alium dicentes esse, Jesum. 8. Concitaverunt autem plebem et principes civitatis audientes hæc. 9. Et accepta satisfactione a Jasone, et a cæteris, dimiserunt eos. 10. Fratres vero confestim per noctem dimiserunt Paulum et Silam in Berœam. Qui cum venissent, in synagogam Judæorum introierunt. 11. Hi autem erant nobiliores eorum qui sunt Thessalonicæ, qui susceperunt verbum cum omni aviditate, quotidie scrutantes Scripturas, si hæc ita se haberent. 12. Et multi quidem crediderunt ex eis, et mulierum Gentilium honestarum, et viri non pauci. 13. Cum autem cognovissent in Thessalonica Judæi, quia et Berœæ prædicatum est a Paulo verbum Dei, venerunt et illuc, commoventes et turbantes multitudinem. 14. Statimque tunc Paulum dimiserunt fratres, ut iret usque ad mare : Silas autem et Timotheus remanserunt ibi. 15. Qui autem deducebant Paulum, perduxerunt eum usque Athenas, et accepto mandato ab eo ad Silam et Timotheum, ut quam celeriter venirent ad illum, profecti sunt. 16. Paulus autem cum Athenis eos exspectaret, incitabatur spiritus ejus in ipso, videns idololatriæ deditam civitatem. 17. Disputabat igitur in synagoga cum Judæis, et colentibus, et in foro, per omnes dies, ad eos qui aderant. 18. Quidam autem Epicuræi et Stoici Philosophi disserebant cum eo, et quidam dicebant : Quid vult seminiverbius hic dicere? Alii vero : Novorum dæmoniorum videtur annuntiator esse : quia Jesum et resurrectionem annuntiabat eis. 19. Et apprehensum eum ad Areopagum duxerunt, dicentes : Possumus scire quæ est hæc nova, quæ a te dicitur, doctrina? 20. Nova enim quædam infers auribus nostris : volumus ergo scire quidnam velint hæc esse. 21. (Athenienses autem omnes, et advenæ hospites, ad nihil aliud vacabant, nisi aut dicere, aut audire aliquid novi.) 22. Stans autem Paulus in medio Areopagi, ait : Viri Athenienses, per omnia quasi superstitiosiores vos video. 23. Præteriens enim et videns simulacra vestra, inveni et aram in qua scriptum erat : Ignoto Deo. Quod ergo ignorantes colitis, hoc ego annuntio vobis. 24. Deus, qui fecit mundum et omnia quæ in eo sunt, hic cœli et terræ cum sit Dominus, non in manu-



factis templis habitat, 25. nec manibus humanis colitur indigens aliquo, cum ipse det omnibus vitam, et inspirationem, et omnia : 26. fecitque ex uno omne genus hominum inhabitare super universam faciem terræ, definiens statuta tempora, et terminos habitationis eorum, 27. quærere Deum, si forte attrectent eum, aut inveniant, quamvis non longe sit ab unoquoque nostrum. 28. In ipso enim vivimus, et movemur, et sumus; sicut et quidam vestrorum poetarum dixerunt : Ipsius enim et genus sumus. 29. Genus ergo cum simus Dei, non debemus æstimare auro, aut argento, aut lapidi, sculpturæ artis et cogitationis hominis, divinum esse simile. 30. Et tempora quidem hujus ignorantiæ despiciens Deus, nunc annuntiat hominibus ut omnes ubique pœnitentiam agant, 31. eo quod statuit diem in quo judicaturus est orbem in æquitate, in viro, in quo statuit, fidem præbens omnibus, suscitans eum a mortuis. 32. Cum audissent autem resurrectionem mortuorum, quidam quidem irridebant, quidam vero dixerunt : Audiemus te de hoc iterum. 33. Sic Paulus exivit de medio eorum. 34. Quidam vero viri adhærentes ei, crediderunt : in quibus et Dionysius Areopagita, et mulier nomine Damaris, et alii cum eis.

1. Cum autem perambulassent Amphipolim. — Civitas est Macedoniæ vel Thraciæ, vicina Philippis : ita dicta, quod aquis undequaque sit circumdata, isthmo tantum terræ cohærens; ita Pollux, lib. IX. Hæc Philippo Macedoni et Atheniensibus bellorum causam dedit. Hanc Brasides, Lacedæmoniorum dux, bello Peloponnesiaco occupavit : ita Thucydides, lib. IV.

Apolloniam. — Hæc vicina est Thessalonicæ. Aliæ enim plures alibi fuerunt urbes eodem nomine.

Thessalonicam. — Hæc prima, vel inter primas fuit Macedoniæ civitas, ita dicta a νίκη, id est *victoria*, quam de Thessalis ibidem obtinuit Philippus, Macedonum rex. Nunc per aphæresin *Salonica* vocatur, in qua Judæi habent synagogam, typographiam, imo dominium : ita Strabo, lib. VII, et Stephanus, lib. *De Urbibus*.

2. Secundum consuetudinem. — Consueverat enim Paulus, ait Chrysostomus, ubique primo adire synagogas Judæorum, ibique prædicare, etiamsi sæpius ab eis offensus, expulsus et lapidatus, ut constantem in suam gentem amorem ostenderet bonumque pro malo redderet; itaque multos ex eis converteret, reliquos nolentes converti faceret inexcusabiles, ne, si primo Gentibus prædicaret, Judæi prætendere vel objicere possent ipsum non annuntiare verum Messiam, eo quod hic promissus esset Judæis, non Gentibus.

Disserebat eis de Scripturis, — ἀπὸ τῶν γραφῶν, id est *e Scripturis* : ita Tigurina et Pagninus. E Scripturis enim probat Jesum Christum esse Messiam et Salvatorem mundi, cujus fide omnes justificari et salvari debeant. Melius et nervosius vertit Noster, *de Scripturis*. Solebant enim Judæi in Synagogis non aliud tractare quam Scripturas : unde si Paulus aliud tractasset, ac præsertim directe et expresse egisset de Christo crucifixo, explosissent eum Judæi. Thema ergo Pauli erat Scriptura, sed ita, ut ex ea opportunis locis semper ingereret et insinuaret Christum, uti sequitur. Ubi nota solertiam et dexteritatem Pauli, qua Christum artificiose, quasi aliud agens, Judæis invitis et Christum aversantibus insinuat et prædicat. Idem faciendum est iis qui venantur animas vitiis immersas, et sermonem omnem de virtute abhorrentes, ut primo de aliis rebus, quas illis gratas esse sciunt, sermonem faciant, deinde latenter ad vitia et virtutes descendant.

Noster fundator S. Ignatius hoc suis dabat axioma : « Ingredimini cum eo quod est illorum, sed exite cum vestro; » significans initio nos hominibus sæcularibus accommodare debere et omnibus omnia fieri, ut omnes lucrifaciamus, ac tandem virtutem, quam intendimus, eis persuadeamus. Ita venatores avium et ferarum, ac piscatores piscium, eis escam objiciunt, sed sub esca retia et hamos abscondunt, quibus eos illaqueant et capiunt : idem faciat venator et piscator animalium rationalium, quæ instar ferarum et piscium viventia, terrenis inhiant.

Ita S. Barlaam Eremita, fingens se gemmarium gemmamque afferre eximii splendoris et valoris (puta fidem Evangelicam), aditum sibi patefecit, convertitque Josaphat, regis Indiæ filium, uti refert Damascenus in eorum Historia.

Ita S. Abrahamus neptem suam Mariam lapsam in fornicationem, fingens se mercatorem, reduxit in viam salutis, uti refert S. Ephrem in ejus Vita.

Ita in Vita Astionis Martyris legimus, Vigilantium parentes adhuc Gentiles de Astione filio perquirentes mortem ejus celasse, dixisseque eum vivere in regione fortium, puta in cœlo, itaque eos consolatum esse, ac tandem dextere martyrium ejus nobile enarrasse eosque ad Christum convertisse.

Ita S. Xaverius a concubinariis avellebat concubinas, insinuans se in eorum amicitiam, et nunc unam, nunc alteram alio prætextu eis adimens, donec ad unam omnes adimeret. Lege Tursellinum in ejus Vita, lib. VI, cap. x sub finem.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
ALERE FLAMMAM VERITATIS
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS ®

3. ADAPERIENS, — *q. d.* Sensim et opportune aperiens eis Christum in Scripturis latentem, et ex iis ostendens Christum debuisse pati et crucifigi.

ET INSINUANS, — παρατιθέμενος, id est *proponens, explicans, ostendens*: Pagninus et Tigurina, *allegans*; alii, *componens* et *conferens* gesta et passiones Christi cum verbis Prophetarum, qui illa ipsa prædixerunt, sed occultius et obscurius. Noster solertius et profundius vertit, « insinuans, » ob causam jam dictam: forte etiam legit παρεντιθέμενος, id est inferens, interjiciens, obiter et quasi per parenthesin insinuans. Sic S. Petrus, *Epist.* I, cap. v, vers. 5, ait: « Omnes autem invicem humilitatem insinuate, » id est in sinum immittite quasi occulte et aliud agendo, utpote invitis et reluctantibus. Sic Rhetores utuntur insinuatione, præsertim in re odiosa, ut judicum, vel auditorum animos aversos sibi concilient, et quasi aperiant, de qua Cicero, lib. I *De Invent.*: « Insinuatio, ait, est oratio quadam dissimulatione et circuitione obscure subiens auditoris animum. » Et ut Servius, in XI *Æneid.*: « Est callidus et subtilis aditus ad persuadendum. » Sic insinuare se in amicitiam alterius dicitur is qui non recta, sed per quosdam sinus et diverticula latenter in amicitiam ingreditur, et quasi irrepit.

ET QUIA HIC EST JESUS CHRISTUS QUEM, etc., — *q. d.* Quia hic scilicet Christus, ita celebratus in Scripturis et exspectatus a Patribus, non est alius quam Jesus Christus, quem ego annuntio vobis. Aut, ut Græca: « Quia hic est Christus, » nimirum « hic Jesus quem ego annuntio vobis. » Judæi enim negant Jesum esse Christum, sive Messiam, quem dicunt venturum in fine mundi. Alii ex eis fingunt duos Christos: unum pauperem, patientem et afflictum, et hunc esse nostrum: unde R. Jacob, in *Collectaneis e Thalmud*, dicit quod Christus hic sederat Romæ inter pauperes, miser et dolens (uti refert Lyranus, lib. *Contra Judæos*); alterum nobilem et splendidum instar Salomonis; hunc fore Messiam Judæorum, et venturum in fine mundi. Ita ludiones isti nugantur, aut somniant, cum ex adverso Scripturæ, veteres Rabini, et Patres omnes, unum tantum commemorant Messiam, sive Christum, scilicet Jesum a Judæis crucifixum.

4. ET QUIDEM EX EIS (Judæis, et de quibus sermo præcessit) CREDIDERUNT, etc., ET DE COLENTIBUS, GENTILIBUSQUE MULTITUDO MAGNA. — « Colentes » hic vocantur proselyti, puta Gentiles ad Judaismum conversi: opponuntur enim Judæis gente et genere, ac Gentilibus in gentilismo viventibus. Dicit ergo ex Judæis aliquos fuisse conversos, ex proselytis vero et Gentilibus multos: ita Beda, Hugo, Glossa, Lyranus et Carthusianus. Græci codices et Syrus faciunt hunc versum bimembrem, non trimembrem: eosdem enim faciunt Gentiles et colentes. Sic enim habent: « Et de colentibus Gentilibus multitudo magna, » ut colentes vocentur pii et religiosi Gentiles unum Deum colentes. Unde Syrus vertit, *multique ex Græcis illis qui timebant Deum.* Quocirca Apostolus postea scribens *ad Thessalon.*, eorum in credendo promptitudinem, alacritatem et constantiam dilaudat. Sic enim scribit, I *Thessal.* I et II: « Evangelium nostrum non fuit ad vos in sermone tantum, sed in virtute et Spiritu Sancto, et plenitudine multa, sicut scitis quales fuerimus in vobis propter vos. Et vos imitatores nostri facti estis, et Domini, excipientes verbum in tribulatione multa cum gaudio Spiritus Sancti, ita ut facti sitis forma omnibus credentibus in Macedonia et in Achaia, » etc. Vide ibi dicta.

5. ZELANTES AUTEM JUDÆI, — « increduli, » ut addunt Græca; et, ut Syrus, *scelerati.* Vide Paulum Judæorum horum zelum, invidiam et pravitatem describentem, I *Thessal.* II, 14 et seq.

ASSUMENTESQUE DE VULGO VIROS QUOSDAM MALOS. — Pro *de vulgo*, Græce est τῶν ἀγοραίων, id est *ex circumforaneis*: ita Tigurina et Erasmus. Porro circumforaneos vocat eos qui in foro versari solent, ait Vatablus, quos proinde Pagninus vocat *forenses*, quales sunt vendentes et ementes, ad hæc bajuli, homines inertes et otiosi, item pauperes qui herum quærunt suamque operam ad omne vel fas vel nefas offerunt, quales multi sunt e vulgo in civitatibus amplis, uti erat Thessalonica. Nam, ut ait Sallustius in *Jugurtha*: « Egentissimo omnia cum pretio honesta videntur. » Et Silius Italicus, lib. XIII: « Sceleri proclivis egestas. » Divinius vero Salomon, *Prov.* XXX, 9: « Mendicitatem, inquit, ne dederis mihi, ne egestate compulsus furer, et perjurem nomen Dei mei. »

Porro multi Thessalonicæ erant inertes et otiosi, inde pauperes, inde inquieti, turbulenti, rapaces et fures. Quare hanc eorum inertiam otiumque acriter castigat Apostolus, II *Thessal.* III, 7 et seq. Præclare Diogenes Cynicus, apud Laertium, lib. VI, « Otiosorum negotium dicebat esse amorem et cupiditatem; » quod hic affectus potissimum occupet otio deditos. Ita enim fit ut, dum otio indulgent, in rem negotiosissimam, qualis est cupiditas et desiderium rei alienæ incidant. Et Appius Claudius, teste Valerio Maximo, dicebat « longe melius populo Romano committi negotium quam otium; » quia turba bellis excitatur ad virtutem, in pace et otio defluit ad voluptates et luxum, ex quibus nascitur seditio, cædes, rapinæ et reipublicæ exitium.

MALOS. — Græce πονηρούς, id est *pravos, nebulones, flagitiosos*: item, *egenos, inopes, miseros, ærumnosos.* Improbitas, ait Chrysostomus, hom. 7 *in Acta*, dicitur πονηρία, eo quod πόνον, id est laborem et molestias mille auctori afferat. Adde quod sæpe oriatur ex πενίας, id est ex paupertate et inopia, uti jam dixi. Idipsum verbo et exemplo docuit Bulas, famosissimus latro, qui sub Severo Imperatore, per totam Italiam comparata manu sexcentorum latronum, biennio maximas prædas egit. Cum autem centurionem vitæ suæ insidiantem cepisset, eumdem, raso capite, ad Severum Imperatorem remisit dicens: « Nuntia dominis tuis, ut servos suos alant, ne latrocinentur. » Habebat enim Bulas multos apud se Cæsarianos, partim exigua mercede conductos, partim nullo stipendio; ita Xiphilinus in *Vita Severi.*



ASSISTENTES DOMUI, — ut in eam vi facta irrumperent, ex eaque in populum producerent eos, scilicet Paulum et Silam. Unde Græce est ἐπιστάντες, id est *adorti domum,* sive *urgentes, instantes et irruentes domui*; ita Tigurina, Pagninus, Vatablus et alii.

JASONIS, — apud quem hospitabantur Silas et Paulus. Unde Beda censet hunc Jasonem fuisse Christianum, nimirum conversum a Paulo, per tria sabbata in synagoga Thessalonicensi disputante de Christo e Scripturis, vers. 2. Videtur hic Jason esse idem de quo Apostolus, *Rom.* XVI, ait: « Salutat vos Timotheus adjutor meus, et Lucius et Jason, et Sosipater, cognati mei. » Videtur enim Jason cum Paulo Thessalonica ivisse Corinthum, unde Paulus scripsit ad Romanos anno Christi 58: ita Baronius, Genebrardus, in *Calendario Græcorum*, quod Psalmis præfixit; Sixtus Senensis, lib. II *Biblioth.*, et alii. Quod si verum est, patet hunc Jasonem fuisse Christianum, Pauli cognatum, discipulum et familiarem. Rursum hic Jason videtur esse is qui ascriptus catalogo Sanctorum legitur in *Martyr. Romano,* die 12 julii, his verbis: « In Cypro S. Jasonis, antiqui discipuli Christi, » nam alium Jasonem Christianum sanctumque, illo ævo nunquam legimus, nisi hunc. Ex quibus verbis probabiliter conjiciunt auctores jam citati, hunc Jasonem eumdem esse cum Mnasone, de quo *Actor.* XXI, 16, dicitur: « Adducentes secum apud quem hospitaremur, Mnasonem quemdam Cyprium, antiquum discipulum. » Hæc enim verba plane consentiunt cum verbis Martyrologii, nisi quod pro Jasone vocent eum Mnasonem; sed nonnulla exemplaria pro Mnasone legunt Jasonem. Unde liquet Jasonem fuisse oriundum e Cypro, domum tamen habuisse tam Thessalonicæ, quam Hierosolymæ. *Menologium Græcorum* 29 aprilis, et Dorotheus, in *Synopsi*, asserunt Jasonem fuisse Episcopum Tarsensem; Hippolytus vero, lib. *De 72 Discipulis,* eis annumerat Jasonem facitque Episcopum in Syria. Baronius tamen, in *Martyr.*, die 12 julii, Jasonem illum Martyrologio ascriptum censet esse eumdem cum Mnasone, *Actor.* XXI, 16, fuisseque Episcopum Tarsensem, diversum vero ab hoc Jasone Thessalonicensi, qui fuit Pauli hospes et discipulus. Utrumque est probabile: nihil enim hic est certum et evidens.

QUÆREBANT EOS PRODUCERE IN POPULUM. — Ut scilicet a populo, per Judæos concitato et furente, lapidarentur, vel male mulctarentur Paulus et Silas. Vides hic morem Judæorum similem esse mori hæreticorum, qui per tumultus populi expellunt Catholicos vel urbe, vel senatu: quia sciunt, si ex jure et veritate causam suam quiete agerent in tribunali, apud Judices se causa casuros.

6. TRAHEBANT JASONEM — tumultuarie; ut tumultu furentis populi eum opprimerent apud primores civitatis. Quare minus recte vertit Syrus, *litem intendebant Jasoni*: tumultu enim res agebatur a Judæis, non lite judiciali, esto id prætenderent; idcirco enim ad principes urbis, quasi ad judices traxerunt eum.

ET QUOSDAM FRATRES, — puta Christianos.

QUONIAM, — quod: hoc enim est ὅτι.

Hi (scilicet sunt) QUI URBEM CONCITANT. — Græca pro *urbem* legunt οἰκουμένην, id est *orbem*, sive *totam terram.* Sic et Syrus, Complutenses, Clarius, Vatablus et alii. Sed eodem res redit: per orbem enim intelligunt urbem vastam et amplam hyperbolice, *q. d.* Hi sunt qui tota urbe turbas movent et totum populum ad seditionem concitant. Sic Pharisæi de Christo prædicante in sola Judæa dicunt, *Joannis* XII, 19: « Totus mundus post eum abiit. » Et Athenæus, lib. I, Romam vocat « mundi populum. » Romanæ enim urbis populus videtur esse orbis totius, quia e toto orbe Romam confluxit. Potest tamen Græca lectio alium commodiorem habere sensum, *q. d.* Hi sunt qui ubique in orbe concitant tumultus, atque huc etiam venerunt ut eosdem suscitent. Alioqui si legas cum nostro *urbem*, tunc id quod additur, *et huc venerunt*, sic accipe, *q. d.* Sunt extranei et advenæ, non cives et indigenæ: unde ab eis quasi incognitis, novatoribus et turbatoribus omni modo nobis cavendum est. Reddunt enim eos suspectos, dicendo quod aliunde venerint sintque extranei, ignoti, errones et vagabundi.

7. QUOS SUSCEPIT, — ὑποδέδεκται, id est *clanculum et furtim excepit*, quasi facinorosos, novatores et turbatores; ita Tigurina, Pagninus, Gagneius et alii.

REGEM ALIUM DICENTES ESSE, JESUM. — Crassa hæc calumnia est; aliqua enim specie id Christo vivo objicere potuerunt Pharisæi, *Joan.* X, 1, at non Christo mortuo jam in cœlis regnante, qui e terra et humanis sublatus, omnia hæc sub pedibus velut exilia despicit et calcat, quemque edicta Cæsaris ligare et tangere nequeunt (1).

8. CONCITAVERUNT AUTEM PLEBEM. — Hæc enim movetur solo nomine novi regis, sive tyranni, qualem hic criminabantur esse Christum, nec apprehendit, aut quærit an is vivus sit, an mortuus, an in terra, an in cœlo; forte etiam cogitabant e cœlo posse redire in terram, ut eam totam occupet, eique dominetur, præsertim quia hoc tempore regnabat Claudius Imperator, qui timi-

(1) « Regem alium, » scilicet a Cæsare, qui se mundi *dominum* dicebat, et apud Græcos κύριος et βασιλεὺς audiebat. Christiani vero Jesum quoque vocabant κύριον, non Judææ tantum, de quo apud Pilatum accusatus Jesus fuerat, sed totius humani generis.

dissimus ad solas umbras et rumusculos novi regni et tyrannidis totus percellebatur, uti fuse narrat Suetonius in ejus Vita, cap. XXXV et XXXVI.

9. ET ACCEPTA SATISFACTIONE. — Qualis ea fuerit Scriptura non narrat. Syrus explicat, aitque fuisse fidejussores : « Sed acceperunt, inquit, fidejussores a Jasone, » qui scilicet fidejuberent eos fideles fore Cæsari et Romano Imperio, nihilque novi contra illud moturos, ait Cajetanus. Budæus vero, et ex eo Gagneius et Sanchez per *satisfactionem* accipiunt satisdationem, id est fidejussionem, qua Jason scripsit pro Paulo sponsorem dedit, vel sistendi illum tribunali, vel pro eo satisfaciendi, si in aliquo deliquisse convinceretur. *Tertio*, Dionysius et Lorinus per *satisfactionem* accipiunt excusationem et purgationem, qua Jason ostenderit Paulum non esse seditiosum, nec inducere novum regem terrenum, puta Christum, utpote qui jampridem sit mortuus, cujusque regnum sit spiritale, non corporale, *q. d.* Cum Jason sufficienter satisque ostendisset Paulum non concitasse turbas, dimissus est. *Quarto*, Petrus Alexandrinus, serm. *De Pœnitentia*, per *satisfactionem* accipit mulctam, puta pecuniam, quam Jason pro se redimendo dederit. Verum hoc parum videtur probabile; nec satis dignum generositate et integritate Pauli et Evangelii. Priores ergo sententiæ sunt probabiliores. Miratur Chrysostomus Jasonis virtutem, qui se caputque suum pro Paulo periculo objecerit.

10. BERŒAM. — Urbs est Macedoniæ, non longe a Pella, Alexandri Magni patria (1).

IN SYNAGOGAM JUDÆORUM INTROIERUNT. — Mirare hic animos zelumque Pauli : a Judæis enim iterum et tertio male mulctatus, ad eos rursus ingreditur; non cedit persecutionibus, sed fortior iis exurgit, « ac vehementius in adversarios fertur, et incrementa persecutionis majoris illi fiunt causa constantiæ, instar flammæ, quæ vento agitata magis inardescit, » ait S. Chrysostomus, hom. 7 *De Laudibus S. Pauli*. Ita certat virtus cum vitio, amor cum odio, beneficentia cum maleficiis : certat et vincit. Hic est mos animitus, hic animus fortis et generosi, ut sibi dicat : « Tu ne cede malis, sed contra audentior ito. » Præclare S. Bernardus, epist. 156 *ad Eugenium Pont.* : « Legi, ait, apud quemdam sapientem : Non est vir fortis, cui non crescit animus in ipsa rerum difficultate. Ego autem dico : fideli homini magis est inter flagella fidendum. »

11. HI AUTEM, — *q. d.* Berœa erat nobilior Thessalonica, et cives Berœenses erant nobiliores Thessalonicensibus : ita S. Chrysostomus, Gagneius et Vatablus. At vero aptius Syrus, Lyranus, Hugo et Cajetanus, hæc restringunt ad Judæos, de quibus proxime præcessit, *q. d.* Judæi Berœam habitantes erant nobiliores Judæis habitantibus Thessalonicæ : his enim solis competit id quod sequitur, « Quotidie scrutantes Scripturas; » hæc enim propria erant Judæorum, non Gentilium. Idem confirmat vers. 12, ut ibi patebit.

NOBILIORES, — id est nobilissimi, tum genere et prosapia, tum generositate et indole. Sæpe enim nobilitas generis secum affert nobilitatem animi, puta magnanimitatem, sinceritatem, civilitatem, probitatem, humanitatem, liberalitatem : ita Chrysostomus, Œcumenius, Lyranus et alii. Dicit hoc Lucas, ut ostendat Berœenses nobili indole præditos, magis fuisse dociles, magisque capaces et promptos ad capessendam doctrinam Evangelii. Unde de iis subdit.

QUI (scilicet Berœenses, non Thessalonicenses) SUSCEPERUNT VERBUM (Evangelii prædicatum a Paulo) CUM OMNI AVIDITATE. — Græce προθυμίας, id est *cum animi promptitudine*, sive *libenter et propensis animis*.

SCRUTANTES SCRIPTURAS. — Non enim tenebantur credere, imo prudenter credere non poterant initiis Evangelii, et Paulo novo prædicatori, novum Deum annuntianti, nisi re examinata comperissent, hanc prædicationem esse consonam verbo Dei et oraculis Prophetarum. Quocirca idem de se dixit Christus Judæis, *Joan.* V, 39 : « Scrutamini, ait, Scripturas, quia vos putatis in ipsis vitam habere æternam : et illæ sunt quæ testimonium perhibent de me. » Secus est jam cum Evangelium et fides primitus sat superque examinata, tot sæculis probata et recepta est : et tamen etiamnum possumus scrutari Scripturas, non ut fidem examinemus, sed ut in ea nos confirmemus ejusque mysteria melius et profundius penetremus, nobisque et aliis imprimamus; imo idipsum duntaxat fecisse Berœenses est verisimile. Jam enim susceperant verbum Dei cum omni aviditate : non ergo scrutabantur Scripturas, ut primitus crederent, sed ut in fide suscepta se confirmarent, singula Scripturarum testimonia de Christo a Paulo citata examinando, et cum dictis Pauli conferendo. Quare perperam hæretici contendunt ex hoc loco, hæreses suas esse examinandas ad Scripturas. Cum enim constet eas esse hæreses id est errores, fidei et traditioni Patrum repugnantes, non examinandæ, sed illico damnandæ et explodendæ sunt.

12. ET MULTI QUIDEM CREDIDERUNT EX EIS, — scilicet Judæis Berœensibus : hos enim opponit Gentilibus mulieribus et viris, quorum pariter non pauci crediderunt in Christum. Vide dicta initio vers. 11.

14. ET IRET USQUE AD MARE. — Græce, ὡς ἐπὶ τὴν θάλασσαν, id est *quasi ad mare* : noluerunt enim fratres, ait Cajetanus, ut Paulus aperte fugeret, sed declinaret, tanquam iturus ad mare. Verum Noster pro ὡς, id est *quasi*, legit ἕως, id est *usque*. Nam hoc itinere perrexit continue Paulus, et pervenit Athenas (2).

(1) Hodie vocatur *Veria*, vel *Kara-Veria*.

(2) Rectius : ὡς ἐπὶ, *versus ad*; nam ὡς cum ἐπὶ h. l., ut alias cum εἰς vel πρὸς, fere pleonastice ponitur, ut ὡς ἐπὶ sit idem quod ἕως, *usque ad*. Similia habent Ælianus et Diodorus Siculus.



SILAS AUTEM ET TIMOTHEUS REMANSERUNT IBI, — ut Berœensibus fidei avidis fidem annuntiarent, et eos qui jam crediderunt in ea confirmarent. Solius enim Pauli, quasi choragi, caput petebant Judæi.

15. QUI AUTEM DEDUCEBANT PAULUM, — tum honoris, tum securitatis causa, ne quas insidias, vel periculum a Judæis subiret. Hoc enim est Græcum καθιστῶντες, id est « comitatu suo eum confirmantes et securitatem præstantes. » Id etiamnum faciunt suis prædicatoribus ferventes Catholici in Anglia, Hollandia, Japonia, India.

ATHENAS, — ubi erat schola eloquentiæ et sapientiæ, ac consequenter Poetarum, Oratorum et Philosophorum multitudo, insuper idolorum abundantia, idque patet ex Poetarum de suis diis præconiis et encomiis. Unde Theodoretus, *De Curan. Græc. affect.*, primatum idololatriæ inter cunctas orbis urbes Athenis defert, idemque insinuat Paulus, vers. 16 et 22. Nunc Athenæ sepultæ jacent, et in vicum redactæ. Erat ergo Athenis Apostolo magna messis, præsertim quia ex Athenis quasi ex capite sapientiæ, in reliquam Græciam erat derivanda. Unde celeriter eo vocavit adjutores suos, Silam et Timotheum. Hinc Tertullianus, lib. *De Anima*, cap. III, Athenas vocat linguatam civitatem, aitque ibi caupones fuisse sapientiæ et facundiæ. Græci vero eam vocant Ἑλλάδος Ἑλλάδα, id est *Græciæ Græciam*; sicut Athenæus, lib. I *Dipnosophist.*, Romam vocat ἐπιτομὴν τῆς οἰκουμένης, id est *compendium*, sive *urbem orbis*.

Athenæ quanta? 16. INCITABATUR SPIRITUS EJUS IN IPSO, — παρωξύνετο, id est *irritabatur*, *excandescebat* : ita Pagninus, Tigurina et Vatablus; Syrus, *mœrore afficiebatur*; S. Augustinus, lib. I *Contra Cresconi.*, cap. XII, legit, « irritabatur Spiritu Sancto intra se, » *q. d.* Æstuabat Pauli animus, hinc dolore et compassione tam doctæ et tam cæcæ miseræque civitatis; inde desiderio et zelo eam juvandi, erudiendi et salvandi; aliunde ira et indignatione in idololatriam, ejusque auctorem diabolum. Sic Jeremias, cap. XX, 9, de sermone Dei ait : « Et factus est in corde meo quasi ignis exæstuans, claususque in ossibus meis, et defeci ferre non sustinens. » Ubi S. Hieronymus : « Conceptus animo sermo divinus, ait, nec ore prolatus ardet in pectore. Unde Paulus Athenis videns idololatriæ deditam civitatem tota mente fervebat. »

17. COLENTIBUS, — proselytis, ait Chrysostomus, hoc est, Gentilibus ad Judaismum conversis, aut suæ salutis et veræ religionis studiosis.

IN FORO. — Syrus, *in platea*. Ita primi Societatis nostræ Patres et fundatores, instar Pauli in plateis et foris concionabantur, uti etiamnum Romæ faciunt nostri, spiritus patrum suorum asseclæ et æmuli, magno confluxu et fructu.

18. QUIDAM AUTEM EPICUREI. — Epicurus, Xenocratis discipulus, puer 14 annorum philosophari incipiens in hortis, omne bonum et felicitatem hominis ponebat in voluptate. Hinc negabat numen et providentiam Dei : quocirca plurimos habuit sectatores : esto enim a nonnullis frugalis fuisse dicatur et parcus, a pluribus tamen voluptuarius nuncupatur et porcus, ait S. Augustinus, *De Utilit. credendi*, cap. IV. Unde illud Horatii : « Epicuri de grege porcus. » Negabat enim animæ immortalitatem, et consequenter resurrectionem, dictitabatque : « Ede, bibe, lude, post mortem nulla voluptas. » Unde Sidonius, in *Epithalamio Polemii* : « Ast Epicureos eliminat undique virtus. » Timocrates apud Laertium, lib. X in *Vita Epicuri*, asserit Epicurum bis quotidie præ crapula vomere solitum, ideoque corpore miserabiliter affectum, sic ut per multos annos e lecto surgere non posset : minam quotidie in mensam impendisse; tandem calculo obiisse. Nausiphanes Epicurum ob crapulam appellabat pulmonem, et indoctum, et circumscriptorem, et scortum. Porro natus est Epicurus 3 anno CIX Olympiadis, 7 annis postquam mortuus est Plato : vixit 72 annos.

Hæc ejus axiomata recenset Laertius : « Quod beatum est et immortale, id neque ipsum nego quidquam habet, neque alteri exhibet, ut neque ira, neque gratia moveatur : in quo enim ejusmodi insunt, omne hoc imbecillum est. » Unde inferas Deum non curare res humanas, nec malos punire. « Mors nihil ad nos pertinet. Quod enim dissolutum est, id sensus est expers; quod vero sensus est expers, nihil ad nos pertinet. » Unde colligas animam post mortem nil sentire, unaque cum corpore interire. « Felicitatem sitam esse in voluptate : hanc enim esse initium et finem bene vivendi vitæque beatæ. Mundos esse innumerabiles, eosque ex atomis inter se coeuntibus coaluisse; atomos ergo esse principium rerum omnium, esseque infinitas : » quod hausit a Democrito suo magistro. Unde S. Augustinus, lib. III *Contra Academicos*, cap. X : « Quomodo, inquit, inter Democritum et superiores physicos, de uno mundo et innumerabilibus litem dijudicabimus, cum inter ipsum hæredemque ejus Epicurum, concordia manere non potuerit? Nam iste luxuriosus, cum atomos quasi ancillulas suas, id est corpuscula quæ in tenebris lætus amplectitur, non tenere viam suam, sed in alienos limites passim et sponte declinare permittit, totum patrimonium etiam per jurgia dissipavit. » Itaque Paulo et Christianis acre semper contra Epicureos fuit certamen [illegible].

ET STOICI. — Philosophi fuere ita dicti a στοά, id est porticu, in qua docere et disserere solebat Zeno eorum parens, severi et rigidi, ideoque Epicureis oppositi. Unde Cicero *pro Murena* : « At enim, ait, agit mecum austere et stoice Cato. »

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS ®

Stoicorum paradoxa, et errores Paulo convellendi fuere hi. *Primus*, fatum esse, omniaque regi fato : fatum ergo esse Deum. Deum itaque tollebant Deique providentiam, et pro Deo substituebant fatum ac naturam : omnia enim fluere censebant naturæ cursu et necessitate. Naturam, inquit Lactantius, lib. III, cap. XXVIII, dixerunt esse rerum omnium matrem, quasi dicerent omnia sua sponte esse nata. Præclare S. Eucherius, epist. *ad Valerianum*, sub finem : « Fatum non esse, ait ; interrogent Gentes vel leges suas quæ utique non puniunt, nisi factorum voluntatem. » Factum ergo cujusque elidit fatum, puta libertas necessitatem.

*Secundus* : virtutem, in qua summum bonum ponebant, esse in potestate et industria cujusque ; unde non esse eam petendam a Deo, utpote quæ sita sit in arbitrio hominis : quare cuique in sua virtute esse gloriandum : ita S. Augustinus, tom. VI, tract. *De Epicur. et Stoicis*, cap. IV et sequent. Docebant ergo sapientem sibi sufficere, ac se solo contentum esse : eum solum esse divitem, liberum, regem, beatum, impeccabilem, apathem, imperturbabilem et Deo parem. Vide Justum Lipsium, *Manuductio ad Stoicam Philosophiam*, lib. III, cap. XIV.

*Tertius* : omnes virtutes esse pares et omnia vitia paria ; ac qui unum habet, vel vitium, vel virtutem, omnia et omnes cæteras habere. Rursum vitia, Dei providentia existere, ad varietatem et ornamentum universi ; ita Cicero in Paradoxis, et Plutarchus contra Stoicos.

*Quartus* : non esse ignoscendum reo qui offendit, non esse miserendum, eo quod misericordia sit passio et ægritudo animi, quæ in sapientem non cadit, quodque justitiæ suus dandus sit locus, ut rei puniantur. Unde Cicero *pro Murena* ex Stoicis ait, « neminem misericordem esse nisi stultum et levem. » Et Seneca, lib. II *De Clementia*, cap. IV, damnat misericordiam quasi vitium. Et cap. VI : « Misericordia, ait, vicina est miseriæ, habet enim aliquid trahitque ex ea. Misericordia vitium est animarum nimis miseriæ faventium. » Vide Lipsium loco citato, cap. XIX.

*Quintus* : sapientem sumere aliquando mortem posse, imo decere et debere, ne scilicet misere vivat. Unde Seneca, in *Ajace* : « Aut honeste vivere, aut statim mori generosum oportet. » Ita Cleanthes Stoicus, ulcere in ore nato, cum suasu medicorum cibo abstinuisset ad biduum, meliusque jam factum esset, illis ad cibum revocantibus, abnuit, « nec majore viæ parte confecta, esse rediturum » asseruit. Ita inedia obiit. Zeno ipse 98 annos natus, cum valens et integer e schola veniens pedem offendisset lapsusque esset, manu terram pulsans, illud Euripidis occinuit : « Venio, quid appellas me ? » Vide Senecam Philosophum, lib. III *De Ira*, cap. XV, et *epist.* 70. Idem, in *Sentent.* : « Bona, ait, mors est homini, vitæ quæ extinguit mala. » Unde ipse moriens, uxorem suam mori volentem secum, eam ferro incidi permisit, et ad id animavit.

*Sextus* : omnes deos mortales esse, excepto Jove, et in Jovem transituros : sic in conflagratione mundi, sol, inquiebant, lunam et cæteras stellas in se transmutabit : ita Plutarchus, lib. *Contra Stoicos*. Ubi etiam addit : Stoici Deum aiunt esse corpus mente præditum, mentemque in materia versantem ; non simplicem esse, neque purum, sed ex alio et per aliud esse pronuntiantes. Vide eumdem, lib. *De Stoicorum repugnantiis*.

*Septimus* : Deum esse spiritum et animam mundi. Itaque spiritum qui vegetat mare, esse et vocari Neptunum ; qui terram, Cererem ; qui aera, Junonem ; qui vites, Bacchum ; qui oleas, Minervam ; qui solem et sidera, Apollonem ; qui herbas et pharmaca, Æsculapium ; qui linguas, Mercurium ; qui æthera, Jovem : ita Plutarchus, lib. *De Iside et Osiride*. Quia enim videbant res omnes spiritu et calore nasci, foveri et crescere ; hinc hunc spiritum et calorem, quem vocarunt ignem, censuerunt esse æternum et increatum rerum omnium principium et causam, ideoque esse Deum. Idem ante Stoicos censuit Hippocrates, *De Princip.* : « Videtur mihi, inquit, quod calidum, sive ignem dicimus, immortale esse, et intelligere omnia, et videre, et audire, et scire omnia præsentia et futura. » Quid absurdius dici potest ? nam æternitatem, sensum, intellectum, scientiam et præscientiam tribuit igni. Hinc Possidonius apud Stobæum, Deum definit esse spiritum igneum : « Deus, ait, est spiritus intelligens et igneus, formam ipse non habens, sed in omnes se vertens, et omnibus assimilans. » Et Democritus : « Deus, ait, est mens in igne sphærico. » Et Athenagoras : « Deus est, inquit, fervens substantia juxta Stoicos. » Et Pythagoras de Stoicis prognatus censuit, ait Cicero, lib. I *De Natura deorum*, « Deum esse animum, per naturam rerum omnium intentum et commeantem. »

*Octavus* : mundum esse animal animatum, vivum et rationale : ratione enim regi, spiritu vegetari et irrigari. Denique mundum esse Deum. Audi Manilium, lib. I :

—— Vivere mundum,
Et rationis agi motu, cum spiritus unus
Per cunctas habitet partes, atque irriget orbem
Omnia pervolitans, corpusque animale figuret.

Et rursum :

Quæ pateat mundum divino numine verti,
Atque ipsum esse Deum.

Et Seneca, Stoicorum acutissimus, *epist.* 97 : « Totum, ait, hoc quo continemur, et unum est, et Deus est ; et socii ejus, et membra sumus ; » quem refutat Lactantius, lib. VII, cap. III : « Si hæc omnia, inquit, quæ videmus, Dei membra sunt, jam insensibilis ab his constituitur Deus. »



Quin et Varro, Romanorum doctissimus, idem censuit. Audi S. Augustinum, lib. VII *De Civit.*, cap. VI : « Varro, ait, de naturali Theologia proloquens, dicit Deum se arbitrari animam mundi, et hunc ipsum mundum esse Deum. »

Ex dictis liquet, tam Stoicos, quam Epicureos, habuisse suos atheos : et in re fuisse atheos, imo polytheos, ideoque magis atheos. Qui enim plures deos ponit, hic unum Deum verum, qui solus est, e medio tollit. Hi aliique errores Stoicorum et Epicureorum convellendi erant Paulo, docendo omnem nostram virtutem, bonum et salutem consistere in Christo crucifixo, cujus gratia et potentia resuscitandi simus in vitam immortalem et beatam : ideoque eum solum esse mediatorem Dei et hominum, eorumque salvatorem : cujus proinde doctrina et vita sobria, casta, justa, pia et sancta nobis sit capessenda.

Moraliter, de pernicie voluptatis. Moraliter : ita hodie nulli magis Christianæ disciplinæ et virtuti adversantur, quam Epicurei, id est voluptuarii et deliciis carnis immersi ; ac Stoici, id est arrogantes, suæ sapientiæ et judicio præfidentes, quales sunt hæretici. Unde experientia constat hæresiarchas omnes fuisse Epicureos vel Stoicos, id est ventrosos et venereos, vel superbos ; ideoque in hæresim esse prolapsos. Nunquam enim hæresis est primum peccatum, sed alia ei sunt prævia, quæ hominem ad hoc malorum barathrum sensim deducunt. Apposite Barlaam, apud Damascenum, in *Histor.* cap. XII, Josaphat regi dat parabolam monocerotis, id est mortis, qui hominem insequitur : ille fugiens apprehendit arborem, in qua modicum est mellis, id est voluptatis ; quo se pascens, in subjectum barathrum, puta gehennam, corruit :

Heu ! quam dulce malum mortalibus additum,
Mellis dulcis amor !

Et Boetius, lib. III, metro 7 :

Habet omnis hoc voluptas,
Ubi grata mella fudit,
Fugit et nimis tenaci
Ferit icta corda morsu.

Quocirca Deus Judæis in sacrificio vetuit mel, ut dixi *Levit.* II, 11.

Vere S. Bernardus, serm. 30 *in Cant.* : « Epicurus, ait, voluptatem, Hippocrates autem bonam valetudinem præfert ; Christus vero utriusque contemptum prædicat, dicens : Qui amat animam suam, perdet eam. Perdet, vel ponendo eam ut martyr, vel affligendo ut pœnitens. Quanquam genus martyrii est, spiritu facta carnis mortificare, illo nimirum quo membra cæduntur ferro, horrore quidem mitius, sed diuturnitate molestius. » Quin et Seneca, lib. II *De Vita beata*, VII : « Altum quiddam, inquit, est virtus, excelsum et regale, invictum, infatigabile ; voluptas, humile, servile, imbecillum, caducum, cujus statio ac domicilium fornices et popinæ sunt. Virtutem in templo invenies, in foro, in curia, pro muris stantem, pulverulentam, coloratam, callosas habentem manus : voluptatem, latitantem sæpius, ac tenebras captantem. »

DISSEREBANT CUM EO, — συνέβαλλον, id est *congrediebantur et conflictabantur cum eo*. Ita Pagninus, Vatablus et Tigurina.

QUID VULT SEMINIVERBIUS. — Græce eleganter dicitur σπερμολόγος, id est *spermologus, verbisator*, puta *seminator verborum*, uti legit S. Augustinus, tract. *Contra Epicur. et Stoicos* ; Œcumenius censet alludi ad σπερμολόγον, avem quamdam vilem e genere graculorum, quæ semina colligit, quam proinde vertere et vocare possis *seminilegam*, de qua Aristoteles, lib. VIII *Histor. animal.*, cap. III. Unde Eustathius, in *Odyss.* lib. V, censet ab hac ave vocari spermologos, homines inopes et abjectos, qui in foro colligunt grana e saccis excidentia et neglecta, indeque victitant. Proprie Epicurei Paulum hic vocant spermologum, id est verbosum, garrulum, qui nil nisi verba effutiat, et ad quæstum quidvis garriat, uti faciunt rabulæ forenses et agyrtæ, sive circumforanei, qui suas nugas verbis appretiant et venditant. Vere S. Augustinus, loco paulo ante citato : « Dictum est quidem, inquit, ab irridentibus, sed non respuendum est a credentibus : erat enim revera ille seminator verborum, sed messor morum. » Verba enim ejus non erant verba aerem ferientia, sed tela mentem sauciantia. Spermologi sunt prædicantes Hæreticorum, qui vere se vocant *ministros verbi*, quia reipsa non nisi verba dant, non Dei, sed diaboli.

NOVORUM (ξένων, id est *peregrinorum, novorum*, inauditorum, absurdorum,) DÆMONIORUM. — Syrus, *deos alienos prædicat iste*. Gentiles enim dæmones censebant esse deos minores. Porro cum sint calodæmones et cacodæmones, id est dæmones boni et mali (dæmon enim græce idem est quod sciens, ait Plato in *Cratylo* ; unde vocatur dæmon Socratis : licet Eusebius, lib. IV *Præpar.*, cap. III, nomen *dæmon* derivet a δειμαίνειν, id est *percellere, metum injicere* ; alii a δαίεσθαι, id est *regere*, eo quod homines regant), hinc tam de bonis quam de malis hæc sententia accipi potest : ita Syrus, Vatablus et alii. Apuleius, apud S. Augustinum, lib. VIII *De Civit.*, cap. XVI : « Dæmones definit esse genere animalia, animo passiva, mente rationalia, corpore aerea, tempore æterna. Horum vero quinque tria priora illis esse nobiscum communia, quartum proprium, quintum eos cum diis habere commune. » Sed duo ultima falsa sunt, neque ac primum, nisi per æterna accipias æviterna in futurum, non in præteritum.

QUIA JESUM ET RESURRECTIONEM ANNUNTIABAT. — Jesum, quasi Deum : ἀνάστασιν, id est *resurrectionem*, quasi deam, resurrectionis præsidem, quæ sibi devotos faceret a morte resurgere : ita S. Chrysostomus, Œcumenius et Sanchez. Sic enim Romani fortunam, felicitatem, salutem, ho-



UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ® DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS ALERE FLAMMAM VERITATIS

norem, etc., colebant ut deos, quæ hæc suis cultoribus aspirarent. Vide S. Augustinum, lib. IV *De Civit.*, cap. xi et seq. Verum simplicius, *novorum dæmoniorum annuntiator est*, referri potest ad Jesum, quem annuntiabat Paulus; τῇ vero *anastasei*, ad resurrectionem. Gentiles enim cum lumine naturæ non caperent resurrectionem, eo quod ipsa sit supra naturam et miraculum, ac proinde per Dei omnipotentiam, non per vim naturæ futura; dicebant Paulum, eam prædicantem, *serere verba*, id est prædicare nugas, fabulas, res impossibiles, ut seque impostorem, qui præsentia lucra captet, promittendo montes aureos in futura resurrectione, uti faciunt Bonzii apud Japones.

19. Ad Areopagum duxerunt. — *Areopagus* Græce idem est quod Martis vicus, Martia curia; Ἄρης enim vocatur Mars. Græce est ἐπὶ τὸν Ἄρειον πάγον, id est ad *Martium vicum*; sicut Romæ erat campus Martius. Athenæ enim distributæ erant in quinque pagos sive vicos, e quibus unus erat Areopagus, ita dictus a templo Martis, in quo primum judicium capitis actum fuisse scribit Plinius, lib. VII, cap. lvi. Hoc enim Areopagi judicio nihil erat constantius, nihil severius, nihil fortius, ait Cicero, lib. I *ad Attic.*, epist. 9, ut tot Martes esse viderentur, quot erant judices. Hinc dicti sunt Areopagitæ, judices severissimi, qui in templo, vel juxta templum Martis judicabant. Nam cum Mars homicidii insimularetur, judicantibus duodecim diis in eo pago, sex sententiis absolutus est, ut tradunt Græci; cum enim pares erant sententiæ, absolvebatur reus, utpote cui in dubio et in pari favendum est potius quam actori: nam condemnandus est nemo, nisi convincatur esse reus et nocens.

Refellit hanc sententiam Varro apud S. Augustinum, lib. XVIII *De Civit.*, x. Unde Œcumenius et Isidorus Pelusiota, lib. X, *epist.* 91, ex Pausania tradunt, Martem eo loci accusatum a Neptuno de stupro, capitis damnatum fuisse, indeque dictum Areopagum. Demosthenes vero, orat. *Contra Aristoc.*, censet Areopagum dictum esse, quod in eo causæ Martiæ, de pugnis et homicidiis voluntariis, tractarentur; nam fortuito agebantur in Palladio tribunali. Institutum est Areopagi tribunal a Cecrope, ait Aristoteles, lib. II *Polit.*, et Eusebius, in *Chronico*, anno mundi 3824, semperque etiam sub Tyrannis perduravit. Solon vero decrevit Areopagitas esse rerum omnium speculatores et custodes; unde eos deligi voluit ex iis duntaxat, qui Archontes, id est principes et reipublicæ præfecti fuissent; ita Plutarchus, in *Solone*. Erant ergo Areopagitæ fama integerrimi, virtute spectatissimi et usu rerum perspicacissimi. Unde judicabant noctu in tenebris, ne reorum moverentur lacrymis et aspectu: qui proinde jubebantur simplicibus verbis causam enarrare, et ab omni verborum gestuumque fuco abstinere. Porro sententiam ferebant non loquendo, sed calculum, vel absolutionis, vel damnationis dando. Unde proverbium: « Areopagita taciturnior. » Quocirca gravissimæ causæ toto orbe, etiam a Romanis, teste Gellio, lib. XII, cap. vii, ad Areopagitas judicandæ deferebantur, eorumque tanta erat gravitas et majestas, ut Aristides in *Panath.* asserat eorum sententias oraculis fuisse adæquatas, nefasque duxisse omnes, præ reverentia Areopagi, in ejus ridere conspectu. Unde et ter tantum in mense in Areopagum judicaturi conscendebant, nimirum quarto Calend., tertio et pridie. Hæc et plura Budæus, in *Pandectas*, lege ult., *De Sent.*

Ductus est ergo Paulus ad Areopagum, ut ibi quasi novæ religionis assertor judicaretur, et si reus esset, puniretur. Sic enim Socrates Athenis damnatus est ad mortem 281 sententiis, eo quod novos deos vel dæmones induxisset. Unde S. Chrysostomus: « Ad Areopagum, ait, duxerunt Paulum, non ut quippiam cognoscerent, sed ut punirent et suppliciis afficerent: ibi enim capitalia exercebantur judicia. » Sed Dei providentia hæc in contrarium vertit, fecitque ut magna dignitas Evangelio et religioni accresceret in Areopago, eo quod ibi eam probasset Paulus, adeoque judicem ipsum, puta Dionysium Areopagitam, ad eamdem convertisset.

Symbolice, Areopagus significat eos qui sincere et recte de re quapiam judicare volunt, debere inducere animum virilem et martium, ut nulla cupiditate vel passione effeminari et corrumpi se sinant. Ideo enim feminæ sæpe de rebus male judicant; quia feminæ sunt, et passionibus aguntur, quæ rectum judicium obscurant. Nam, ut ait ille: « Femina aut amat, aut odit; » atque amor et misericordia in quam pronæ sunt feminæ, non minus judicium perturbant, quam odium et sævitia.

Possumus. — Astute, civiliter et humaniter interrogant quasi postulando, dicuntque: « Possumus, » q. d. Placetne tibi hæc nova nobis edisserere? mox deinde animum suum produnt, dum eum urgent, et vi pene responsum extorquent, dicendo: « Volumus ergo scire quidnam velint hæc esse. »

20. Nova. — ξενίζοντα, id est *peregrina*, puta peregrinam fidem, peregrinum Deum, peregrina dogmata; quæ Athenis inaudita, tu aliunde eo inducis et prædicas.

21. Et advenæ hospites. — Tigurina, *et qui illic versabantur hospites*, sive peregrini.

Ad nihil aliud vacabant, nisi aut dicere, aut audire aliquid novi. — Sic et Plutarchus, tract. *De Garrulitate*, tradit Athenienses mire fuisse novorum avidos, datque exemplum tonsoris cujusdam, qui cum magnam Atheniensium in Sicilia acceptam cladem, quam ex servo inde fuga elapso cognoverat, relicta officina, primus in urbe annuntiasset, nec rumoris hujus tristis producere posset auctorem, ipse quasi eum confinxisset, rotæ alligatus ad publicum ludibrium fuit expositus. Mox adfuere nuntii, qui ex ipsa clade profugerant: itaque omnes dissipati sunt ad suos luctus, miserum tonsorem rotæ alligatum relinquentes. Atque is sero solutus, e lictore quæsivit: « Audivissentne etiam de Nicia duce exercitus: quo is modo periisset? » Adeo inexpugnabile et inemendabile malum fit consuetudine, novorum aviditas. Idem, tract. *De Gloria Atheniensium*, ait eos plus in comœdias novitatis officinas, quam in bella insumere solitos: « Laco ille, inquit, non inepte dixit, graviter peccare Athenienses res serias in ludicrum impendentes, hoc est magnarum classium et exercituum commeatum et sumptus in theatrum prodigentes. » Hæc Plutarchus, qui vixit sub ævum S. Pauli et Lucæ, nimirum sub Domitiano imperatore.

Moraliter contra curiosos. Tales et hodie nonnulli sunt. Curiositas enim novi quippiam videndi, vel audiendi, hominibus innata est; nova enim placent, nova delectant. Et quia nova vera non semper suppetunt, hinc multi nova fingunt, nugasque et fabulas narrant, easque sæpe infames, quibus famam proximi lacerant eumque aliis ridendum objiciunt. Quare perniciosa est curiositas, æque ac verbositas. Quocirca Euclides rogatus, quales essent Dii, et qua re delectarentur? « Cætera quidem ignoro, inquit, at curiosos illis odio esse certo scio; » ita Maximus, *sermone* 21. Socrates semper de moribus disserebat, non de astris, aut de meteorologis: rogatus cur? Respondit: « Quæ supra nos, nihil ad nos. » Idem crebra usurpabat illud Homeri:

*Ædibus in vestris quæ prava, aut recta geruntur.*

Ita Laertius in ejus Vita. Zeno adolescentem quemdam curiosius quiddam sciscitantem, adduxit ad speculum, utque se contemplaretur admonuit. Mox rogitavit, an videretur tali vultui convenire tales quæstiones proponere? Ita Laertius, lib. VII, cap. i. Dæmonax cuidam roganti, an mundus rotundus esset et animatus? « Vos, ait, de mundo solliciti estis, et vestram ipsorum immunditiem non curatis; » ita Maximus, *serm.* 21. Narratur de Ægyptio bajulo, qui gestans quiddam velis opertum, cuidam sciscitanti quid portaret, sapienter respondit: « Ideo obvolutum est, ne scires: tu vero cur curiose vestigas quod occultatum est? » Gorgias audiens quemdam inepta quærentem, et alterum inepte respondentem, ait: « Uter stultior, qui mulget hircum, an qui cribrum supponit? » Ægile quidam dixit Athenienses virtutem habere in labris, non in factis, ut Plutarchus in *Lacon.*, quia loquaces non sunt operosi. Unde qui multum garriunt, parum faciunt: animus enim eorum totus est in lingua, non in manu. Vide dicta in illud *Sophon.* cap. iii, 18: « Nugas qui a lege recesserant congregabo. » Sane tales sunt tempiperdæ, verbiperdæ, lucriperdæ, auriperdæ et sæpe animæperdæ; quibus intonat Christus: « Dico vobis: Quoniam omne verbum otiosum quod locuti fuerint homines,



reddent rationem de eo in die judicii. » *Matth.* cap. xii, vers. 36. Quid nova quæris, cum nil novi sit sub sole? *Eccles.* i, 10. « Non saturatur oculus visu, nec auris impletur auditu, » ibidem, vers. 8. Celebre est exemplum Machetis apud Cassianum, lib. V *De Instit. renunc.*, cap. xxix, qui in collatione spirituali longissima nunquam, sed in narratione otiosa et curiosa illico incidebat in somnum. Et cap. xxxi docet dæmonem facere, ut audientes spiritualia obdormiscamus, audientes fabulas expergiscamur et attendamus.

22. Quasi superstitiosiores. — Mitigat reprehensionem *quasi*, et comparativus *superstitiosiores*; magis enim pupugisset, vocando eos in positivo superstitiosos. Syrus vertit, *video vos nimios esse in cultu dæmonum*: græce enim δεισιδαίμων est, qui δέδιε τὰ δαιμόνια, id est *timet dæmonia*, ait Œcumenius. Adde δεισιδαιμονίαν, æque ac superstitionem sæpe in bonum capi pro religione, uti capit Plutarchus, lib. Περὶ δεισιδαιμονίας; Cicero, actione 4 *in Verrem* (cum de Siculis ait, totam provinciam religionem occupasse, et mentes omnium Siculorum superstitionem pervasisse), et alii: alioqui superstitio differt a religione per excessum, quod sit inanis et minima religio: « Nam qui totos dies Superstitio unde dicta? Primo.
precabantur et immolabant, ut sibi sui liberi superstites essent, superstitiosi sunt appellati, » ait Cicero, lib. *De Natura deorum*. Sic et Servius: « A superstite, inquit, superstitio dicta, quæ anicularum propria est, quæ multis per ætatem superstites sunt, et quæ rebus inanibus addictæ, dum volunt nimis esse religiosæ, superstitiosæ fiunt et ita delirant. » Hinc subinde superstitiosus vocatur religiosus, ut apud Terentium, in *Heaut.*: « Ut stultæ et miseræ omnes sumus religiosæ. » Melius Lactantius, lib. II, cap. xxviii, asserit dici superstitionem de colentibus superstitem memoriam defunctorum, tanquam deorum; aut de iis qui parentes suos superstites colebant. Isidorus vero, lib. VIII *Etym.*, cap. iii: *Superstitio*, inquit, dicta est quasi superstatuta et superflua observatio. Et Lucretius, apud Servium, in VIII *Æneid.*: *Superstitio*, ait, est timor inanis superstantium rerum, puta cœlestium et divinarum quæ super nos stant. Denique Nonius Marcellus superstitiosos nuncupari censet quod præ cultu deorum cætera supersedeant, id est negligant; sicut religiosos, quasi relinquosos, quod cæteris relictis, solis sacrificiis deserviant. Verius S. Augustinus, lib. *De Vera Religione*, in fine, religionem nuncupari censet a religando: quia ea fit, « ut ipsis (angelis) adjuvantibus ad unum Deum tendentes, et ei uni religantes animas nostras, unde religio dicta creditur, omni superstitione careamus. Ecce unum Deum colo, unum omnium principium et unam sapientiam, qua sapiens est quæcumque anima sapiens est: et ipsum munus quo beata sunt, quæcumque beata sunt. Quisquis angelorum hunc Deum diligit, certus sum quod etiam me diligit. » Dicit ergo Paulus: Video vos, o Athe-

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
ALERE FLAMMAM VERITATIS
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS ®

nienses, ubique nimis religiosos et superstitiosos : quia ubique video vestros deos, vota, sacrificia, lumina : illi autem dii *primo*, sunt falsi ; *secundo*, nimis multi ; *tertio*, incogniti. Nemo enim prudenter colit id quod non cognoscit quodque ignorat. Ego ergo huc veni, ut superstitionem vestram commutem in veram religionem, ut pro diis falsis agnoscatis et colatis verum, pro multis unum, pro incognitis certum et notum (1).

Præclare S. Augustinus, lib. IV *De Civit. Dei*, cap. XXX : « Agamus, inquit, Domino Deo nostro gratias, qui has superstitiones per altissimam Christi humilitatem, per Apostolorum prædicationem, per fidem Martyrum pro veritate morientium et cum veritate viventium, non solum in cordibus religiosis, verum et in ædibus superstitiosis libera suorum servitute subvertit. » Idem, lib. VIII, cap. XVII : « Quæ igitur causa est, nisi stultitia errorque miserabilis, ut ei (Jovi, Veneri, etc.) te facias venerando humilem, cui te cupias esse vivendo dissimilem ; et religione colas, quem imitari nolis, cum religionis summa sit imitari quem colis. » Et cap. XXIII, citans Mercurium Trismegistum docentem statuas inanimes et insensibiles non esse deos, ac proinde earum cultum evanidum, dicentemque : « An ignoras, ait, o Asclepi, quod Ægyptus imago sit cœli, ac verius terra nostra mundi totius templum? etc. Omnis eorum (Ægyptiorum) sancta veneratio, in irritum casura frustrabitur. » Subdit Augustinus : « In quo videtur hoc tempus prædicere, quo Christiana religio quanto est veracior atque sanctior, tanto vehementius et liberius cuncta fallacia figmenta subvertit, ut gratia Salvatoris liberet hominem ab iis diis quos fecit homo ; et ei Deo subdat, a quo factus est homo. » Quin et Plato, in *Timæo*, docet animos humanos ab opifice Deo temperatos in eodem cratere ex iisdemque elementis, cum cœlestibus animis, puta cum angelis et dæmonibus : unde cavendum ne nos illorum servos velimus, quibus nos fratres Deus et natura coaptavit.

23. VIDENS. — διερχόμενος, id est attentius inspiciens et considerans.

SIMULACRA VESTRA. — *Simulacrum*, usu Ecclesiastico, in malam partem sumitur, pro imagine falsi numinis, sive idolo. Ita dictum a simulando, quia ex desiderio mortuorum, eorum adinstar effictum est, ut qui jam defecerant, vivere viderentur. Unde Plautus in *Mostel.* : « Quando natus est, similem esse arbitrarer simulacrumque habere. » Sic idolum est *simulacrum*, quia simulat et mentitur se esse numen. Lactantius tamen, lib. II *Instit.*, cap. II, *simulacrum* deducit a simulando, quod sit simile rei cujus est imago : sed sic potius dicendum esset similacrum per *i*.

INVENI ET ARAM IN QUA SCRIPTUM ERAT : IGNOTO DEO. — Sic Lucianus, in *Philopatro*, ait Gentiles jurasse per ignotum Athenis.

Quæres, quis hic Deus ignotus? Respondent *primo*, S. Chrysostomus et fusius Œcumenius, cujus hic verba notatu digna ascribam : « Duas, inquit, causas referunt cur apud Athenienses inscriptum fuerit aræ : Ignoto Deo. Siquidem aliqui dicunt quod Athenienses Philippidem miserant ad Lacedæmonios de ferendo auxilio, cum Persæ exercitum ducerent in Græciam. Quorum nuntiis, juxta Parthenium montem, Panis spectrum obvium factum. Athenienses accusabat quod se neglecto alios deos colerent, et auxilium promisit. Cum itaque victoria potiti essent, templum illi erexerunt aramque ædificarunt, et tanquam observantes, ne vel idem sane, vel aliud simile ipsis accideret, si quempiam ignotum sibi Deum prætermitterent, aram illam erexerunt inscribentes : Ignoto Deo ; dicentes : Si quis adhuc alius a nobis ignoretur, in ejus honorem hæc ara a nobis erecta esto, quo nobis propitius sit, licet, cum ignoretur, non colatur. Alii vero aiunt pestem quondam Athenis grassatam fuisse adeoque illos exussisse, ut neque sindones tenuissimas possent tolerare. Cum igitur colerent eos qui apud ipsos dii habebantur, nihil adjumenti senserunt. Intelligentes itaque quemdam *fortasse* esse Deum, quem ipsi absque honore reliquissent, qui pestem immisisset, novam extruxerunt aram, ac inscripserunt : Ignoto Deo. Cumque ipsi sacrificassent, statim curati sunt. Hunc ergo Christum Jesum esse Deum omnium dicit Paulus, quem se illis annuntiare dicebat. Tota autem aræ inscriptio hæc est : Θεοῖς Ἀσίας, καὶ Εὐρώπης, καὶ Λιβύης, Θεῷ ἀγνώστῳ καὶ ξένῳ, hoc est : *Diis Asiæ et Europæ ac Libyæ, Deo ignoto ac peregrino.* »

Verum, ut bene observat Baronius, Athenis multæ fuerunt aræ diis ignotis in plurali inscriptæ ; sed una in singulari inscripta fuit : « Ignoto Deo. » Id enim asserit Paulus.

*Secundo*, Hugo, Lyranus et Sanchez hic, ac Michael Syncellus, in *Laud. S. Dionysii*, censent ignotum Deum Athenis fuisse Christum crucifixum. Cum enim eclipsim factam in morte et ob mortem Christi videret Dionysius, exclamavit : « Deus ignotus in carne patitur, ideoque mundus his tenebris obscuratur, » ait Syncellus. Deum ergo ignotum esse Deum patientem, puta Christum crucifixum. Huic enim præ cæteris aram erexisse Athenienses, quia magnum putabant illum Deum

(1) Hæc Kuinoelius : « Sequitur nunc Pauli oratio in Areopago ad Athenienses habita, cujus summam Lucas memoriæ tradidit. Disserit Paulus in hac oratione, quæ sententiarum delectu, copia et gravitate, verborumque pondere eminet, sapienter auditorum suorum ratione habita, de Deo vero, ejusque puriorem cultum commendat, et doctrinæ Jesu veritatem asserit. Auditorum benevolentiæ captandæ causa, et quo facilius doctrinam suam de Deo vero eorum animis insinuare possit, orationis initio Atheniensium pietatis studium laudat, atque commemorat, se urbem perambulantem, inter alia pietatis monumenta reperisse aram, Deo ignoto dicatam. » Conf. Glaire, op. cit., tom. V, p. 565.



cui natura admirabili mutatione luctuque cœlesti parentasset.

*Tertio*, probabilius Baronius, Lorinus et alii censent Athenienses a Philosophis et Sibyllis, forte etiam a Judæis, intellexisse Deum verum esse invisibilem, absconditum, sublimem, inaccessum et incomprehensibilem, ideoque illi aram statuisse hoc titulo : « Ignoto Deo. » Idcirco enim Hebræi nomen Dei *Jehova*, dicebant esse ἄῤῥητον καὶ ἀνεκφώνητον, id est *ineffabile*, uti dixi *Exodi* VI, 3. Quocirca Clemens Alexandrinus, lib. I *Strom.* IX, et S. Augustinus, lib. I *Contra Crescon.*, cap. XXIX, docent Athenienses unum Deum verum, licet sibi ignotum, coluisse. Et S. Hieronymus, in cap. XVI *Ezech.*, ait Dei majestatem obscure saltem Gentilibus istis incognitam non fuisse, ut non erat Judæis utentibus ineffabili nomine tetragrammato. Unde Lucanus, lib. II : « Incerti natura Dei : » incerti, id est incogniti. Quod enim Deus hic ignotus fuerit verus, non falsus aliquis ex diis Gentium, innuit Paulus cum subdit : « Quod ergo ignorantes colitis, hoc ego annuntio vobis. »

Dices : Cur ergo eos vocat superstitiosos? Respondeo : *Primo*, eo quod cum Deo ignoto colerent simulacra Gentium eaque illi æquarent, juxta illud *Isaiæ* XL, 25 : « Cui assimilastis me et adæquastis? dicit Sanctus. » *Secundo*, quod eum vocarent ignotum : nemo enim colit vel amat id quod non novit. Nam « ignoti nulla cupido. » *Tertio*, quod vere eum non nossent, uti poterant et debebant. Non enim agnoscebant eum esse creatorem cœli et terræ, datorem pluviæ, messis, frugum rerumque omnium ; eum esse præsentem ubique ; in ipsius manu esse nostram vitam et halitum : unde de his eos instruit Paulus. Denique poterat sub nomine ignoti Dei latere et abscondere se diabolus ; uti Nicephorus, lib. VII, cap. I, indicat argonautas numini eos dirigenti simulacrum posuisse, ac postea S. Michaelem Archangelum Constantino Magno significasse se eos direxisse. Sic Christus, *Joan.* IV, 22, arguit Samaritas dicens : « Vos adoratis quod nescitis, nos adoramus quod scimus. »

Egregius plane locus de Deo ignoto extat apud Arnobium, lib. I *Contra Gentes*, ante medium, his verbis : « Prima, inquit, tu causa es, locus rerum ac spatium, fundamentum cunctorum, quæcumque sunt, infinitus, ingenitus, immortalis, perpetuus, solus quem nulla delineat forma corporalis, nulla determinat circumscriptio qualitatis, expers quantitatis, sine situ, motu et habitu, de quo nihil dici et exprimi mortalium potest significatione verborum ; qui ut intelligaris, tacendum est ; atque ut per umbram te possit errans investigare suspicio, nihil est omnino mutiendum. Da veniam, Rex summe, tuos persequentibus famulos, et quod tuæ benignitatis est proprium, fugientibus ignosce tui nominis et religionis cultum. Non est mirum, si ignoraris ; majoris est admirationis si sciaris. »

Præclare et Tertullianus, in *Apologetico adversus Gent.*, cap. XVII : « Quod colimus nos, inquit, Deus unus est, qui totam molem istam cum omni instrumento elementorum, corporum, spirituum, verbo, quo jussit ; ratione, qua disposuit ; virtute, qua potuit, de nihilo expressit in ornamentum majestatis suæ. Unde et Græci nomen mundo κόσμον accommodaverunt. Invisibilis est, etsi videatur ; incomprehensibilis, etsi per gratiam repræsentetur ; inæstimabilis, etsi humanis sensibus æstimetur. Adeo verus, et tantus est. Cæterum quod videri communiter, quod comprehendi, quod æstimari potest, minus est oculis quibus occupatur, et manibus quibus contaminatur, et sensibus quibus invenitur. Quod vero immensum est, soli sibi notum est hoc quod est : Deum æstimari facit, dum æstimari non capit. Ita enim vis magnitudinis et notum hominibus objecit et ignotum. Et hæc est summa delicti nolentium recognoscere, quem ignorare non possunt. » S. Cyrillus, lib. III *Contra Julian.* : « Hermes Trismegistus, inquit, dicit Deum intelligere quidem difficile, eloqui autem impossibile. Incorporeum enim corpore significare impossibile, et perfectum imperfecto comprehendere non possibile, et sempiternum conferre cum momentaneo difficile. Proinde si quis incorporeus oculus egrediatur a corpore ad contemplationem pulchri, et subvolet ac contempletur, non figuram, non corpus, non species intueri quærens, sed illud potius, quod omnia facere potest, quod quietum, quod tranquillum, quod solidum, quod inconvertibile, quod ipsum omnia et solum, quod unum, quod ipsum ex seipso, quod ipsum in seipso, quod sibi ipsi simile, neque alii simile. Omnis enim virtus ipse est, neque in aliquo ipsum cogites esse, neque iterum quasi extra aliquem. Ipse enim est qui sine termino omnium est terminus : et qui a nullo comprehenditur, omnia in se comprehendit. » Et paulo post : « Adhæc et sapientissimus Xenophon : Igitur manifestum quod magnus sit et potens, omniaque concutiat et confirmet ; ignotum autem qualis sit figura, neque enim videtur esse lucidissimus sol, neque hic videtur permittere, ut ipse cernatur : sed si quis impudenter eum spectet, oculis privatur. » Hæc Cyrillus.

Simonides ab Hierone tyranno rogatus quid esset Deus? petiit diem ad cogitandum, mox biduum, deinde quatriduum, postea octiduum, etc. Mirante Hierone causamque rogante : « Quia, inquit, quanto diutius considero, tanto mihi res videtur obscurior ; » ita Cicero, lib. I *De Natura deorum*.

*Quarto*, per Deum ignotum aliqui accipiunt Deum in carne appariturum ; puta Christum incarnandum : potuerunt enim Athenienses ex Sibyllis et ab Hebræis discere futuram Christi incarnationem, illique aram statuere hoc titulo : « Ignoto Deo. » Christus enim ante eam hominibus fuit ignotus et incognitus. Id verum est, si vera sunt quæ

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ® DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

scribit Hilduinus, Archiepiscopus Rhemensis, in Vita S. Dionysii. Sic enim ait : « Dum Paulus singula altaria et simulacra falsorum deorum perlustrasset, inter cæteras aras reperit altare unum cui erat titulus superscriptus : Deo ignoto ; et conversus ad eum Paulus interrogavit illum dicens : Quis est ille Deus incognitus ? Ad quem Dionysius : Adhuc, inquit, non est ipse Deus demonstratus inter deos, sed est incognitus nobis, et sæculo venturo futurus. Ipse enim est Deus qui regnaturus est in cœlo et in terra, et regnum ejus non accipiet finem. Subjungens itaque Paulus ait : Homo-ne erit an spiritus ? Respondens Dionysius, dixit : Verus Deus et verus homo, et ipse renovaturus est mundum ; sed adhuc incognitus est hominibus : quoniam apud Deum in cœlo ejus conversatio est. Et ait Paulus : Illum Deum prædico vobis, quem incognitum appellatis. Natus enim ex Maria Virgine, passus sub Pontio Pilato, pro salute humana mortuus resurrexit, cœlesque ascendens sedet a dextris Dei Patris : verus Deus et verus homo per quem facta sunt omnia ; et venturus est in fine sæculi judex omnium quæ geruntur : qui notus est jam in Judæa Deus, et magnum in Israel et sanctum nomen ejus. Quamobrem quem incognitum usque nunc habuistis, modo cognoscite ; quia ipse est Deus solus, et præter eum non est alter : qui nos de morte sanguinis sui pretio reduxit ad vitam ; qui cœlum et terram, homines scilicet et angelos, in unitate regni sui conjunxit ; qui mortificat justos et vivificat pios, qui claudit et nemo aperit, aperit et nemo claudit. » Subdit Hilduinus hisce aliisque Pauli verbis Dionysium Deo conversum, et Christi amore accensum, præsertim ubi vidit cæcum a Paulo illuminari. Verum hujus narrationis fides sit penes Hilduinum : nonnullis enim videtur apocrypha.

Moraliter : Disce hic Dei celsitudinem, qua omnium angelorum hominumque aciem superat et transcendit. « Inhabitat enim lucem inaccessibilem : quem nullus hominum vidit, sed nec videre potest (per oculos aciemque mentis et naturæ), » I *Timoth.* VI, 16, præsertim si SS. Trinitatem in una individua essentiæ unitate speciemus, si mysterium incarnationis, passionis, Eucharistiæ consideremus. Unde Isaias, XLV, 15 : « Vere tu es Deus absconditus, Deus Israel Salvator : » Et Psaltes, *Psal.* XVII, 12 : « Qui posuit tenebras latibulum suum. » Quocirca Seraphini velatis oculis acclamant ei : « Sanctus, sanctus, sanctus, » *Isaiæ* VI, 3. Causas duas dat Seneca, lib. VII *Natur. quæst.*, cap. XXXI. Prior est : « Quia, inquit, illi tanta subtilitas et claritas est, quantum consequi acies humana non potest. » Altera, « Quia in sanctiori secessu majestas tanta delituit. » Adde tertiam ex Damasceno : « Cognitio, inquit, eorum est, quæ sunt : at Deus super ipsum esse est. Ergo et super atque extra notitiam, quia super essentiam. » Et quartam, quia quaquaversum infinitus est et immensus, sive substantiam, sive potentiam, sive sapientiam, sive cætera attributa species. Audi Senecam, lib. II *Quæst.*, cap. XLV : « Vis illum fatum vocare ? non errabis. Hic est ex quo suspensa sunt omnia, causa causarum. Vis illum providentiam ? recte dices : est enim cujus consilio huic mundo providetur, ut inconcussus eat et actus suos explicet. Vis naturam vocare ? non peccabis : est enim ex quo nata sunt omnia, cujus spiritu vivimus. Vis mundum ? ipse enim est totum quod vides, totus suis partibus inditus et se sustinens vi sua. »

Divinius S. Dionysius, cap. XV *Cælestis Hierarch.*, asserit Deum comparari vento, imo ambulare super pennas ventorum, propter vim movendi et animandi, ac celerem insuperabilemque discessum, atque nobilium principiorum et finium incognitas et invisibiles latebras. Et S. Augustinus, lib. X *Confess.*, cap. VI : « Domine, inquit, amo te. Percussisti cor meum verbo tuo, et amavi te. Sed et cœlum et terra et omnia quæ in eis sunt, ecce undique mihi dicunt, ut te amem, nec cessant dicere omnibus, ut sint inexcusabiles. Altius autem tu misereberis, cui misertus eris, et misericordiam præstabis, cui misericors fueris. Alioquin cœlum et terra surdis loquuntur laudes tuas. Quid autem amo, cum te amo ? non speciem corporis, nec decus temporis, nec candorem lucis ecce istis amicum oculis, non dulces melodias suavium cantilenarum omnimodarum, non florum et unguentorum et aromatum suaveolentiam, non manna et mella, non membra acceptabilia carnis amplexibus. Non hæc amo, cum amo Deum meum : et tamen amo quamdam lucem, et quamdam vocem, et quemdam odorem, et quemdam cibum, et quemdam amplexum, cum amo Deum meum ; lucem, vocem, odorem, cibum, amplexum interioris hominis mei : ubi fulget animæ meæ, quod non capit locus ; et ubi sonat, quod non rapit tempus ; et ubi olet, quod non spargit flatus ; et ubi sapit, quod non minuit edacitas ; et ubi hæret, quod non divellit satietas. Hoc est quod amo, cum Deum meum amo. Et quid est hoc ? Interrogavi terram, et dixit : Non sum : et quæcumque in eadem sunt, idem confessa sunt. Interrogavi mare et abyssos, et reptilia animarum vivarum, et responderunt : Non sumus Deus tuus, quære super nos. » Vidit id per umbram Valerius Maximus, lib. II, cap. VII : « Quidquid, inquit, in excelso fastigio positum est, humili et trita consuetudine, quo sit venerabilius, vacuum esse convenit. » Et Jamblicus, *Protrep.*, cap. III : « Dei cognitio, inquit, est perfecta felicitas, » quam in hac vita nancisci non possumus. Clemens Alexandrinus, lib. V *Strom.*, citat et laudat hæc Orphæi de Deo carmina :

> Unus perfectus per se, ex uno omnia facta.
> Nullus et ipsum
> Mortalis cernit, verum omnes aspicit ipse.
> Non video hunc, nubibus positus nam nimbus in orbem est.



Et Cleanthis Stoici, qui Deum ita pingit :

> Quod ordinatum est religiosumque ac pium,
> Justum, sui potens, decorum ac utile,
> Quod est severum, grave, semper conducibile,
> Expers metus, doloris et molestiæ,
> Juvans, placens, pulchre sibi consentiens,
> Clarum, nec insolens, modestum et vehemens,
> Quod permanet, potest nec quis imitarier.

Hæc est divina caligo, quam graphice depingit S. Dionysius, lib. *De Mystica Theol.*, cap I et seq. Ubi et summum animæ in Deum ascensum vocat « caliginem et lumen, » caliginem animæ, lumen Deo. Ex quo Taulerus, Suso, Ruisbrokius et alii contemplativi, sua contemplationis dogmata de intranda Dei caligine hauserunt.

QUOD ERGO IGNORANTES COLITIS, HOC EGO ANNUNTIO VOBIS. — *q. d.* Non sum novorum dæmoniorum annuntiator, uti vos objicitis ; sed Deum vestrum vobis annuntio, atque ex ignoto facio notum. Hinc patet Deum ignotum Athenis, fuisse Deum verum : alioqui enim eum refutare debuisset Paulus eique substituere Deum verum, sicut Constantinus Magnus Imperator, fanum ab argonautis erectum Numini salutifero, indeque Sosthenium appellatum, convertit in Michaelium, id est S. Michaelis templum, teste Nicephoro, lib. VII, cap. L, eo quod S. Michael argonautas juvisset, non Jupiter, aut aliud Numen, uti argonautæ putabant. Id enim S. Michael apparens Constantino asseveravit.

24. DEUS QUI FECIT MUNDUM. — Taxat Epicureos, negantes Deum Deique providentiam ; et Stoicos, qui mundum fato aut natura existere censebant. Utrique enim negabant Deum liberum libere creasse mundum. Ita Chrysostomus. Ex creatione ergo et opificio mundi agnosci potest et coli debet creator ejus Deus. « Cœli enim enarrant gloriam Dei, et opera manuum ejus annuntiat firmamentum, » *Psal.* XVIII, 1. Quin et Euripides : « Stellæ, ait, in cœlo, sunt varietas sapientis fabri, » nimirum Dei. Vide S. Augustinum, lib. VII *De Civit.*, cap. XXIX, ubi præcipua Dei opificis opera enumerat et celebrat.

NON IN MANUFACTIS TEMPLIS HABITAT, — quasi corporeus templis corporeis delectetur, iisque sit alligatus, conclusus et circumscriptus, sicut rex habitat in regio palatio ejusque ambitu circumscribitur. Deus enim loco non alligatur, multo minus terminatur ; sed super omnes cœlos per immensa vacui spatia se extendit.

Ita S. Justinus Philosophus et Martyr, centum annis S. Paulo posterior (obiit enim martyrium anno Domini 165, teste Baronio), rogatus ab urbis Præfecto, quem in locum solerent Christiani convenire ? respondit, eo convenire quemque, quo vellet et posset : « Christianorum enim Deus, inquit, nullo loco circumscribitur : sed cum sit inspectabilis, cœlum et terram implet, et ubique a fidelibus adoratur, et ejus gloria celebratur. » Adjecit tamen se diversari in thermis Timothinis, sive Novatianis (quæ erat domus Pudentis senatoris, et commune hospitium advenarum Christianorum, nunc est Ecclesia S. Pudentianæ : Pudens enim fuit pater S. Timothei, Novati, Praxedis et Pudentianæ). « Quod si quis, ait, ad me venire voluit, cum eo veritatis doctrinam communicavi. » Ita habet ejus Vita et martyrium, quod ex actis publicis recenset Baronius anno Christi 165, licet *Chronicon Alexandrinum*, quod post mortem Baronii edidit noster Raderus, asserat Justinum martyrium obiisse anno ab ascensione Christi 135, qui fuit a nativitate ejusdem 168.

Clemens Alexandrinus, lib. V *Stromat.*, citans hanc Pauli sententiam, eam confirmat dicto Euripidis :

> Constructa ab architectis, quæ queat domus
> Corpus Dei plexo coërcere ambitu?

Et Zenonis, dicentis « non oportere templa facere, nec imagines : nihil enim quod sit compositum, esse diis dignum. » Et Platonis, dicentis « Deum eminus habitare in idearum regione, ac mundum esse Dei templum : quare prohibuit, ut nemo privatim haberet deorum imagines. Nam aurum et argentum, ait, privatim, et in sacris est res invidiosa : ebur autem quod amisit animam, est nefarium donarium : ferrum vero et æs sunt instrumenta bellorum. Ex ligno autem quod uno ex ligno est compactum, quodcumque voluerit offerat : similiter etiam ex lapide quoque ad sacra communia. » Hæc Plato.

25. NEC MANIBUS HUMANIS COLITUR, — ut ei per manus hominum fabricentur, erigantur et dedicentur statuæ, idola, aræ et fana, in quibus ei sacrificia carnea offerantur : quasi idola sint membra et corpus Dei, aræ et fana sint ejus domus et palatia, sacrificia sint ejus cibus et deliciæ, uti censebant Gentiles. His tamen non obstat, quin Deus rite a Christianis coli possit in imagine et statua : quia sciunt Christiani Deum non pendere ab imagine ; sed imaginem mere esse imaginem, quæ Deum hominibus qui sensu ducuntur, repræsentet. Vide dicta *Deuteronom.* V, 8. Olim tamen cum Gentiles transirent ad Christianismum, Patres studiose cavebant imagines ac maxime statuas Dei, ne Gentiles recens conversi, ex pristina consuetudine colerent eas ut deos. Unde imaginem Dei fieri vetat Lactantius, lib. II, cap. II, et Justinus, *Apolog.* II.

Syrus vertit, *nec per manus hominum ministratur ei.* Solebant enim Gentiles suis diis exhibere talia ministeria, qualia famuli exhibent suis heris, præsertim regibus, excitando eos, vestiendo, comendo, lavando, cibum potumque porrigendo, perinde ac si dii eorum homines fuissent ; uti revera Jupiter, Venus, Mars, Mercurius et cæteri homines fuerunt potentes, sed tyranni et scelerati. Vide S. Augustinum, lib. VI *De Civit.*, cap. X. Deus ergo hoc manuum ministerio non indiget, nec officiis humanis colitur, sed angelicis minis-

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ® DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

teriis, juxta illud *Daniel*, VII, 10 : « Millia millium ministrabant ei, et decies millies centena millia assistebant ei. » Quocirca Christus, *Joan.* IV, 24 : « Spiritus est Deus, inquit, et eos qui adorant eum, in spiritu et veritate oportet adorare. »

INDIGENS ALIQUO, CUM IPSE DET OMNIBUS VITAM ET INSPIRATIONEM (spiritum, sive halitum vitalem) ET OMNIA. — « Omnibus, » intellige accommode, puta eis quæ habent vitam : nec enim Deus dat vitam saxis. Rursus *vitam* accipe ample pro quolibet vita, etiam vegetativa et sensitiva. Minus ergo recte Lyranus vitam limitat ad angelicam et spiritalem. Per *inspirationem*, Græce πνοήν, accipe halitum, spiritum; vel, ut Syrus, animam sensitivam : quæ enim hanc habent, respirant. Ita Cajetanus. Porro recte Chrysostomus id limitat ad animam rationalem, quam Deus inspiravit Adæ, *Genes.* II, 7. Eo enim alludit Paulus : agit enim de hominibus, uti jam dixi. Simili modo Plato, Speusippus et Apuleius apud Rhodiginum, lib. XII, cap. II, Deum ita definiunt : « Deus est vivens immortale, per seipsum ad beatitudinem sufficiens, essentia sempiterna, ipsius boni causa, ens incorporeum, aperimetron, beatum, beatificum, omnium pater, optimum, nulla re indigens, cuncta conferens. » Porro Deus omnium entium est causa : *primo*, efficiens : *secundo*, finalis; *tertio*, exemplaris. Hinc Timæus Pythagoricus Deum vocat mundum exemplarem : quia ipse est maximus mundus sapientiæ, sanctitatis, intelligentiæ, vitæ, rationum, formarum, specierum et rerum, quas omnes in se complexus servat et continet, non secus ac mundus nos, et omnia rerum genera suo ambitu cingit : cujus rei pulchrum Ægyptiorum hieroglyphicum affert Eusebius, lib. III *De Præparat. Evangel.*, cap. III.

Mundus est Dei liber et carmen. Quamobrem mundus est Dei liber, ut aiebat S. Antonius, Dei tabula, Dei carmen et canticum, ut ait S. Paulinus, *Natali* 9 *S. Felicis*, Deum assidue laudans et omnibus gentibus ejus majestatem et beneficentiam deprædicans : quo fit, ut nemo tam rudis sit et barbarus, qui si in cœlum suspexerit, Deum rectorem non videat, non sentiat eumque velut ex ungue leonem, ex linea Apellem deprehendat. Deus enim est quasi sol immensus et beneficentissimus, quia omnia suo lumine illustrat, omnia suo calore vegetat, omnia sua omnipotentia creat et producit. Hac de causa hebr. vocatur *Saddai*, id est mammeus, cornucopia, sufficientissimus, liberalissimus. Vide dicta *Genes.* XVII, 1. Idem viderunt Gentiles, qui Isidem deam mammosam, id est totam ex uberibus confectam, pingebant, ut terræ omnium parentis et altricis fœcunditatem repræsentarent. Errarunt : nec enim Isis est dea, nec terra ex se mammosa; sed omne quod habet, accipit a Deo. Deus ergo est totus uber, totus mamma, assidue lacte beneficentiæ suæ alens terram, plantas, animantes et homines. Hinc Apuleius, *Metam.*, lib. XI : « Deus, inquit, dulcem matris affectionem miserorum casibus tribuit, nec dies, nec quies ulla, ac ne momentum quidem tenue ejus transcurrit beneficiis otiosum. » Rursum Ægyptii, ait Horus Apollo, lib. I *Hieroglyph.*, cap. VI, Deum volentes significare pingebant accipitrem, tum quod fecundum sit ac diuturnæ vitæ hoc animal, tum quod solis sit simulacrum, utpote intentissimis oculis in ejus radios prospiciens. Sol autem est visibile Dei hieroglyphicum. Pulchre Horatius, lib. I *Carm.*

Qui res hominum ac deorum,
Qui mare et terras, variisque mundum
Temperat horis.

Sublimius noster Boetius, lib. III *De Consolat.*, metro 9 :

O qui perpetua mundum ratione gubernas;
Terrarum cœlique sator, qui tempus ab ævo
Ire jubes, stabilisque manens das cuncta moveri.

Et S. Dionysius *De Divinis Nomin.*, cap. IX : « Magnus, ait, Deus dicitur, tum ex sua magnitudine, qua se et cum omnibus quæ magna sunt communicat, et per omnem magnitudinem diffundit atque extendit, locum omnem continet, omnem numerum superat, omnem infinitatem transilit; tum ex summa vi actionisque magnitudine, ac muneribus, quæ ipso quasi fonte manant, qualenus cum omnibus infinita profusione communicata, tamen integra manent, eamdemque habent multitudinis exuberantiam, nec communicationibus minuuntur, sed potius etiam redundant et superant. »

ET OMNIA. — Græce, κατὰ πάντα, id est *secundum omnia*, scilicet principia et organa requisita ad vitam et respirationem, ait Cajetanus. Verum pro κατὰ legendum καὶ τὰ. Sic enim legit S. Chrysostomus vertens ut Noster, « et omnia. » Quocirca Clemens Alexandrinus, lib. III *Pædagog.* : « Laudemus, inquit, unum Patrem et Filium una cum Spiritu Sancto, qui unus est omnia, in quo omnia, per quem omnia, qui est undequaque bonus, undequaque pulcher, undequaque sapiens, undequaque justus, cui gloria nunc et in secula. » Et S. Augustinus, serm. 10 *in Joannem* : « Deus tibi totum est : si esuris, panis; si sitis, aqua tibi est; si in tenebris es, lumen tibi est; si nudus es, immortalitatis tibi vestis est. » Idem in *Psal.* XXVI : « Quidquid præter Deum est, dulce non est. Quidquid mihi vult dare Dominus meus, auferat totum, et se mihi det. » Sapide Psaltes, *Psal.* XLIV : « Magnus Dominus et laudabilis nimis; et magnitudinis ejus non est finis. Generatio et generatio laudabit opera tua, et potentiam tuam pronuntiabunt. Magnificentiam gloriæ sanctitatis tuæ loquentur, et magnitudinem tuam narrabunt. Memoriam abundantiæ suavitatis tuæ eructabunt, et justitia tua exultabunt. Suavis Dominus universis, et miserationes ejus super omnia opera ejus. Confiteantur tibi omnia opera tua, et Sancti tui benedicant



tibi. » Omnia enim sua sponte auctorem repetunt suum. Nati enim duce referuntur ad Deum a quo nascuntur, ut unde vitam hauserunt, vitæ etiam et gloriæ alimenta percipiant, origini semper inhærentia suæ. Quocirca apposite Deum definiens Cassiodorus, in *Psal.* XLVII : « Deus, ait, est virtus inexplicabilis, pietas incomprehensibilis, sapientia ineffabilis, cujus definitio est finem in Sanctorum laudibus non habere. » Hæc est ergo Christi et Pauli philosophia, ac theologia vera et pia, quæ docet nos ex nobis nihil habere, sed omnia a Deo : quam calluit S. Franciscus, qui crebro orando ingeminabat : « Domine, quis tu? quis ego? Tu omnia, ego nihil : tu abyssus entis et boni, ego abyssus nihili et mali. Tibi ergo me abyssali humilitate et reverentia prosterno, Deus meus et omnia. »

26. FECITQUE EX UNO. — Græca addunt *sanguine* : quia ex uno sanguine et carne Adæ protoplasti, propagati sunt et descendunt omnes homines (1) : *sanguine* ergo, id est homine, per synecdochen. Sanguis notat modum propagationis, videlicet per generationem, quæ fit per semen, quod non est aliud quam sanguis magis concoctus, ideoque purior et nobilior. Cur Deus voluerit omnes nasci ex uno, causam dat S. Augustinus, lib. XII *De Civit.*, cap. XXI : « Ut eo modo vehementius homini commendaretur societatis unitas vinculumque concordiæ, si non tantum inter se naturæ similitudinem, verum et cognationis affectu homines necterentur; » ideoque Evam ex Adamo produxit.

INHABITARE SUPER UNIVERSAM FACIEM (id est superficiem) TERRÆ. — Tota enim terra est habitabilis et habitata : unde adversum nobis terram incolunt Antipodes. Vide dicta *Gen.* X. *q. d.* Deus non tantum creavit homines, sed et eos assidue gubernat, locumque et tempus vitæ cuilibet definit.

DEFINIENS STATUTA TEMPORA, — *q. d.* Deus præfinivit cuique homini, genti et regno suam temporis et ætatis mensuram, ut videlicet homo vivat septuaginta aut octoginta annis, *Psal.* LXXXIX, 10 : ut hi homines primo nascantur et imperent, deinde illi et illi ; ut primam monarchiam obtineant Assyrii, secundam Persæ, tertiam Græci, quartam Romani. Notat Paulus Athenienses, qui se omnium hominum antiquissimos et primos jactitabant, vocabantque αὐτόχθονας, id est *terrigenas e terra sua prognatos* : ita Cicero, orat. *pro Flacco*.

ET TERMINOS HABITATIONIS EORUM, — *q. d.* Deus præscripsit cuique genti terminum tam temporis, quam loci in quo habitet, ne vicini locum occupet vel invadat. Hoc est quod canit Moses, *Deut.* cap. XXXII, 8, dicens : « Constituit terminos populorum juxta numerum filiorum Israel. »

27. QUÆRERE DEUM, — *q. d.* Hoc fine homines ita distribuit, et moderatur per tempora et loca Deus, ut eum investigent et quærant, cognoscant, ament et colant (2). Mundus enim est quasi animal, cujus spiritus et velut anima est Deus; oculi sunt luna et sol; hepar, venæ, sanguis et phlegma sunt fontes, venæ et flumina; proles sunt arbores, herbæ, flores, animalia, homines : quæ omnia vivificat, vegetat, fovet alitque Deus. Unde ex iis facile inveniri et cognosci potest. Vide Theodoretum sermonibus decem, quos erudite scripsit de Dei providentia, sive de Numine; et nostrum Lessium de eodem argumento; et Ciceronem, lib. II *De Natura deorum*; ac S. Anselmum, in *Monologio* et *Proslogio*. Plato, in *Cratylo*, ait ἥλιον, id est *solem*, vocari a conversione, quod suis radiis, luce, calore, efficacitate, omnes res omniumque oculos ad se convertat : multo magis id facit Deus, qui est sol immensus tum lumine, tum calore, tum beneficentia in omnes et omnia. Vere S. Justinus apud Damascenum, lib. I *Parallp.*, cap. LXV : « Ut corporis bonum, inquit, est sanitas, sic animæ bonum est Dei cognitio : quæ est velut quædam animæ sanitas, per quam divina similitudo comparatur. » Idem apud Antonium, in *Melissa*, lib. II, *serm.* XLIII : « Finis philosophandi est, Deo, quoad ejus fieri potest, assimilari. »

SI FORTE ATTRECTENT EUM. — Græce, ψηλαφήσειαν, id est *palpent eum*, sicut cæcus in tenebris palpando prætentat iter et locum. Ita Pagninus, Vatablus et alii. Significat Deum a nobis in hac vita videri et clare cognosci non posse, nosque quasi cæcos palpando vestigia Dei, puta creaturas, ad ejus notitiam pervenire. Sicut enim cæcus palpando pervenit ad locum quo tendit, ita nos palpando et vestigando creaturas, pervenimus ad Deum earum creatorem. Vere S. Augustinus, epistola 120 *ad Honoratum*, cap. III, et tract. I *in Joan.* : « Quomodo, inquit, homo positus in sole cæcus, præsens est illi sol, sed ipse soli absens est : sic omnis stultus, omnis iniquus, sic omnis impius cæcus est in corde; præsens est illi sapientia, sed cum cæco præsens est, oculis illius absens est, non quia ipsa illi absens est, sed quia ipse ab illa absens est. » Idem proportionaliter dicas de quovis homine, etiam justo : omnis enim respectu Dei cæcus est. Licet enim Deus totus sit lux, tamen sibi soli est lux, qua omnia clarissime perspicit, nobis vero est lux transcendens et inaccessibilis. Tiberius Cæsar ita lucidos habebat oculos, ut in tenebris per eorum lucem videret omnia vicina, ait Suetonius in ejus Vita; longe lucidiores oculos habet Deus; omnia ergo videns a nomine videtur. Sensus ergo est, si forte homines Deum attrectent,

(1) Hic Paulus se opponit opinioni et vanitati Atheniensium qui se αὐτόχθονας et γηγενεῖς dicebant, se cum ipso solo, adeoque cum rerum natura simul ortos gloriantur. Cf. Aristophanes, *Vesp.* 1071; Lucianus, *Philopseud.* III. Plura habet Wetstenius ad h. l.

(2) Igitur *quærere Deum* h. l. est attendere ad naturam rerum, et inde concludere esse Deum, creatorem et Dominum omnium rerum.

non tactu corporeo, sed metaphorico et mentali, hoc est, si mente attingant, inveniant et cognoscant Deum, ut eum venerentur, ament et invocent: cognoscant, inquam, ex ejus operatione et productione frugum rerumque omnium. Sicut enim cæcus si in sylvis densissimis, vel in domo plenissima sit, si vel leviter se commoveat, in arbores, parietes, resve alias impinget: sic ubique homini occursat, imo incursat Deus. Quis enim si penitius suum corpus ejusque membra et organa, tot tamque varia; si suam animam ejusque sensus, potentias, motus et actiones, si suum esse, tam mirum et multiplex consideret; maxime, cum qua ratione hæc facta sint et fiant, non intelligat, illico non colligat, esse numen intra se, quod fabricam hanc instar horologii, tot machinis et organis instructam fabricarit, ordinarit, tueatur et moderetur; quod admirabiles illos motus cieat, quod harmoniam illam stupendam corporis et animæ, sensuum et membrorum, mentis et carnis inter se divina arte misceat, contemperet et arctissime in unum compositum consociet? Ita Sanchez. In omni enim re motuque ad aliquod principium immobile, quasi ad primam causam deveniendum est. Unde Plato, in Timæo, Deum definit esse unum idem, et semper sui simile, unum omnium principium ingenitum. Si enim esset genitum, utique non esset principium, sed ab alio principio productum. Vide S. Augustinum, VIII lib. *De Civit.*, cap. VI.

QUAMVIS, — καίπερ, id est *quamvis*, vel *nam*. Unde Syrus vertit, *quandoquidem*, illudque hic valde est appositum, *q. d.* Facile est invenire Deum, quandoquidem ipse non longe est ab unoquoque nostrum. Nestor tamen, Pagninus, Tigurina et alii vertunt *quamvis*: hos ergo sequamur et exponamus.

QUAMVIS NON LONGE SIT AB UNOQUOQUE NOSTRUM. — Ne quis putaret ex eo quod dixerat Paulus: « Quærere Deum, si forte attrectent eum, aut inveniant, » Deum esse a nobis absentem: absentia enim quærimus et invenimus; quasi corrigendo id explicat subdens Deum non longe abesse ab unoquoque nostrum, tum situ et loco, tum potius operatione: ex hac enim facile est attrectare et cognoscere Deum, utpote qui nobis det vitam, motum, alimenta et omnia, et sequitur, *q. d.* Sicut mare non longe est a piscibus, quia pisces in eo et ex eo generantur, aluntur et vivunt; unde illud sentiunt: ita Deus non longe est a nobis, quia in eo, et ex eo quasi mari bonorum omnium haurimus vitam, motum et omnia: ex quo facile est eum attrectare et cognoscere. Esto enim ipse sit spiritus invisibilis, tamen per affectus hosce suos se hominibus cæcis cognoscendum et quasi palpandum exhibet. « Deus, inquit S. Augustinus, lib. VII *De Civit.*, cap. XXX, ubique totus, nullis inclusus locis, nullis vinculis alligatus, in nullas partes sectilis, ex nulla parte mutabilis, implens cœlum et terram præsente potentia, non absente natura. Ab hoc uno et vero Deo vitam speramus æternam. » Solerter notat Gabriel Vasquez, I *part.*, disp. XXVIII, cap. IV, num. 17, Paulum hic directe et ex proposito non agere de immensitate Dei, sed quam facile a nobis ex operibus suis attrectari, non manibus, sed mente, hoc est, cognosci et coli possit. Est enim Deus nobis operatione sua vicinus, imo intimus sicut aer, in quo vivimus, quemque respirando attrahimus. Sicut ergo aerem respirando quasi palpamus et sentimus, dum ille nos refrigerat; ita Deum in nobis operantem cognoscimus et quasi attrectamus. Quare minus recte Cajetanus et alii ex hoc loco colligunt, quod Deo ratio et fundamentum existendi in nobis, sit ipsa ejus operatio, sicut in corporibus quantitas est ratio replendi locum. Operatio enim est signum et effectus præsentiæ Dei et angeli, non causa. Prius enim est Deum, vel angelum alicubi esse præsentem, quam ibi operari, imo sæpe est præsens angelus, et nihil operatur. Paulus ergo agit hic potius de præsentia operationis divinæ, *q. d.* Sentimus Dei in nobis operationem: nam ipse operatur in nobis vitam, motum et existentiam; in ipso enim vivimus, movemur et sumus: ergo non est nobis ignotus, ut vos Athenienses putatis, sed facillime ex operatione sua cognosci et attrectari potest. Verum tamen est, operationem Dei conjunctam esse cum præsentia substantiæ divinæ, eamque præsupponere: quia enim Deus est immensus, hinc ubique est præsens secundum substantiam, nec usquam operari potest, nisi sit præsens, eo quod id exigat, non operatio, vel modus operandi Dei, sed ejus immensitas. Si enim operaretur alicubi ubi non est, non esset immensus, ac consequenter non esset Deus, nec operari posset ut Deus. Porro ex operatione sentiri et attrectari potest Deus, non ex præsentia, cum sit spiritus et invisibilis. Omnia hæc significat hic Paulus. Sensus ergo est, *q. d.* Deus adest nobis, etsi a nobis non videatur. Est enim immensus et ubique: unde et ubique operatur omnibusque se cognoscendum exhibet. Ex operatione ergo cognoscere potestis Deum, id est primam causam, primum et immensum ens, hoc enim sicut ubique est, ita ubique operatur. Secus est de sole, qui absens in distantia operatur, quia non est immensus. Adde, sicut locum, puta aerem sentimus per respirationem, refrigerium vel calorem, ita et Deum: Deus enim est locus locorum. Hunc sensum mox magis explicabo.

An operatio sit ratio præsentiæ Dei?

28. IN IPSO ENIM VIVIMUS, MOVEMUR ET SUMUS. — Non quasi in ipsa Dei substantia siti simus ejusque simus pars, uti quidam stolide imaginati sunt, ait S. Cyrillus, lib. IX *in Joan.*, cap. XL; S. Augustinus, lib. IV *De Genes. ad litter.*, cap. XII. Sed *primo*, « in ipso, » id est per ipsum, ait S. Cyrillus. Probat enim Paulus Deum dare omnibus vitam, inspirationem et omnia ex eo, quod in ipso, id est per ipsum, vivamus, movemur

In Deo vivimus, Primo.



et simus. Ergo sumus in ipso tanquam in causa efficiente et conservante, hoc est continuo quasi creante: conservatio enim est continuatio creationis, et continua creatio. Deus enim conservat animam, vitam, motum, sensum et essentiam nostram, ea semper in nos influendo, sicut primitus ea creavit: perinde ac sol suos radios conservat, jugiter eos emanans et producens.

*Secundo*, concomitanter « sumus in ipso, » tanquam in continente et loco divino, uti jam dixi. « Prope est, ait Seneca, *epist.* 41, a te Deus: et cum est, intus est. Sacer intra nos spiritus sedet. » Deus enim sicut est ævum ævorum, ita est spatium spatiorum et locus locorum, sine quo nullus locus est, vel esse potest. Sicut enim omne esse manat ab essentia Dei et omne tempus, omnisque duratio manat ab æternitate Dei; ita et omne spatium omnisque locus manat ab immensitate Dei, uti erudite docet noster Lessius, lib. *De Attributis divin.*, agens de immensitate Dei. Deus ergo est quasi mare quoddam immensum per infinita spatia extensum, in quo mundus et omnia quæ in eo sunt innatant, quasi spongia in oceano, ait S. Augustinus, lib. VII *Confess.*, cap. V.

Quocirca docte et eleganter S. Gregorius Dei immensitatem describens, lib. II *Moral.*, cap. VIII: « Ipse, inquit, manet intra omnia, ipse extra omnia, ipse supra omnia, ipse infra omnia: et superior est per potentiam et inferior per sustentationem, exterior per magnitudinem, interior per subtilitatem: sursum regens, deorsum continens, extra circumdans, interius penetrans: nec alia ex parte superior, alia inferior; aut alia ex parte exterior, atque alia manet interior; sed unus idemque totus, ubique præsidendo sustinens, sustinendo præsidens, circumdando penetrans, penetrando circumdans: unde superius præsidens, inde inferius sustinens; et unde exterius ambiens, inde interius replens: sine inquietudine superius regens, sine labore inferius sustinens: interius sine extenuatione penetrans, exterius sine extensione circumdans. Est itaque inferior et superior sine loco, est amplior sine latitudine, est subtilior sine extenuatione. »

Et Minutius Felix, in *Octavio*, respondens Gentilibus objicientibus Christianos Deum colere, quem non videbant: « Imo, inquit, ex hoc Deum credimus, quod eum sentire possumus, videre non possumus. In operibus enim ejus, et in mundi omnibus virtutem ejus semper præsentem aspicimus, cum tonat, fulgurat, fulminat, cum serenat. » Et mox: « Qui ipsum solis artificem, ipsum luminis fontem possis sustinere; cum te ab ejus fulgoribus avertas, a fulminibus abscondas? » Et inferius: « Ubique non tantum nobis proximus, sed infusus est. In solem adeo rursus intende: cœlo affixus, sed terris omnibus sparsus est: pariter præsens ubique interest, et miscetur omnibus (nusquam enim claritudo violatur): quanto magis Deus auctor omnium, ac speculator omnium, a quo nullum potest esse secretum, tenebris interest, interest cogitationibus nostris, quasi alteris tenebris? Non tantum sub illo agimus; sed cum illo, ut prope dixerim, vivimus. »

In Deo ergo, quasi in æthere infinito vivimus et movemur, intra illum stamus et habitamus: ille nos penetrat sua essentia et substantia, penetrat totum corpus, et totam animam nostram omnesque ejus sinus, angulos et latebras: extra illum exire non possumus, quia ubique est: et quia est immutabilis, ubi semel est, semper est. Hac de causa signanter ait Paulus: « In ipso vivimus, non per ipsum, ut significaret Deum ita esse causam efficientem nostræ vitæ, ut sit etiam localis et quasi materialis, utpote qui omnem corporis vitæ et essentiæ materiam, totumque subjectum nobis subministrat, perinde ac mare suppeditat piscibus, sed longe potiori ratione. Deus enim materiam creavit ex nihilo, et conservando quasi continuo creat: mare vero creatam a Deo accipit, et piscibus impertit. Sicut ergo pisces ita vivunt in aqua et ex aqua per naturalem sympathiam et dependentiam, ut extra eam vivere nequeant: sic nos in Deo et ex Deo vivimus, ut extra eum vivere non possimus, adeo ut si per impossibile Deus non existeret in nobis, sive in loco in quo sumus, nos in eodem existere et subsistere non possemus. Sicut enim nostra substantia pendet a substantia Dei: sic nostra existentia in loco pendet a Dei existentia in eodem loco, quasi radius a sole, quasi embryo a matre et matrice, quasi avis ab aere, quasi homo a respiratione; et planius sicut corpus ab anima vivit, movetur, est et sustentatur. Sicut ergo de anima dici potest, quod in ipsa vivamus, moveamur et simus, ita multo magis idem dicitur de Deo: ipse enim est anima non tantum corporis, sed et animæ cujusque, ubique illi præsens eamque vivificans, movens et sustentans. Vide ergo quam Deo juncti simus physice, et moraliter jungi debeamus, ut quoties auram attrahimus, toties Deum attrahamus, cogitemus et invocemus in quo sicut in aura vivimus, movemur et sumus. Ita S. Chrysostomus: « Sicut, inquit, impossibile est ignorare aerem ubique diffusum, et non longe ab unoquoque nostro existentem, ita profecto et omnium opificem. Vide quomodo omnia illius dicit esse, providentiam esse illius; conservationem esse ab illo; operandi vim; actum habere, et non perire. » Profunde Lyranus: Ipse, ait, est nobis intimior quam nos ipsi: quoniam ipse conjungit principia intrinseca, quibus nimirum unusquisque nostrum constituitur substantialiter. Porro Deus est in nobis, et nos vicissim in Deo sicut lumen est in aere, et aer in lumine. Vide S. Augustinum, lib. IV *De Genesi ad litteram*, cap. XII, et lib. XIV *De Trinit.*, cap. XII; et S. Cyrillum, lib. IX *in Joan.*, cap. XL.

Si Deus non esset in loco, nos in eo esse non possemus.

Deus est quasi aura quam respiramus.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
ALERE FLAMMAM VERITATIS
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

*Tertio*, in Deo vivimus, movemur et sumus, quasi in circulo, vel rota nos concludente et ambiente. Unde Empedocles : « Deus, ait, est circulus cujus centrum est ubique, circumferentia nusquam. » Et circulus symbolum est perfectionis et æternitatis Dei, ut docet Pierius, *Hieroglyph.*, lib. XXXIX. Divinus S. Dionysius, cap. VII *De Divin. Nomin.*, ait divinam monadem, sive unitatem in tribus personis, se a cœlestibus in omnia, etiam ima diffundere, « ut quæ sit primum, inquit, omnis essentiæ principium et causa; eademque omnia eximio modo complexu suo, qui invictus sit, continere. »

*Quarto*, juridice in Deo, id est in Dei dominio et jurisdictione vivimus, eoque cingimur, ut ejus jus et manus evadere non possimus, juxta illud *Psal.* CXXXVIII, 7 : « Quo ibo a spiritu tuo, et quo a facie tua fugiam? si ascendero in cœlum, tu illic es; si descendero in infernum, ades, etc. » sed ipse quasi figulus nos formet, moveat, regat, mutet, prout voluerit. Unde S. Augustinus in illud *Matth.* VI : « Pater noster, etc. Deus, inquit, est in seipso, sicut α et ω; in mundo, sicut rector et auctor : in angelis, sicut sapor et decor; in Ecclesia, sicut paterfamilias in domo; in animo, sicut sponsus in thalamo; in justis, sicut adjutor et protector; in reprobis, sicut pavor et horror. » Et Aristoteles, vel quisquis est auctor, lib. *De Mundo* : « Quod, ait, in navi est gubernator, in curru auriga, in choro præcentor, in civitate lex, in exercitu imperator, hoc idem in mundo est Deus : » ac consequenter mundus vicissim est in Deo, sicut regnum in rege a quo regitur.

Significat ergo hæc præpositio *in*, nos intime a Deo pendere, Deumque esse quasi animam et vitam nostram, juxta illud S. Augustini, serm. 18 *De Verbis Apostoli* : « Vita corporis anima est, vita animæ Deus est. » Magis enim pendet homo et res quælibet a Deo, quam a seipsa : quia et materia, et forma ipsius ex se non est, sed omne suum esse habet a Deo, illudque tamdiu habet, quamdiu placet Deo. Si enim illi manum suam retrahat, illico res omnis recidit in suum nihilum, unde a Deo per creationem educta est. Magis ergo pendemus a Deo, quam radii a sole, lumen a luce, calor ab igne, vita ab anima, respiratio ab halitu. Et hæc est causa cur magis Deum quam nos ipsos, id est vitam et animam nostram diligere debemus : quia scilicet a Deo, quasi a fontali principio, magis pendemus nos, totumque universum, cujus nos sumus pars, quam a nobis ipsis. Ita D. Thomas et Scholastici, II II *Quæst.* XXVI, art. 3.

Moraliter : τὸ *in ipso vivimus*, significat *primo*, nos ex vita et anima nostra facili gradu ascendere ad Deum. Unde S. Augustinus, lib. VII *Confess.*, cap. X, citatis his Pauli verbis : « Et inde, inquit, admonitus redire ad memetipsum, intravi in intima mea, duce te, et potui, quoniam factus es adjutor meus. Intravi, et vidi qualicumque oculo animæ meæ, supra eumdem oculum animæ meæ, supra mentem meam, lucem Domini incommutabilem, non hanc vulgarem et conspicuam omni carni, nec quasi ex eodem genere. Grandior erat, tanquam si ista multo multoque clarius claresceret, totamque occuparet magnitudine. Non hoc illa erat, sed aliud, aliud valde ab istis omnibus. Nec ita erat supra mentem meam, sicut oleum supra aquam, nec sicut cœlum super terram, sed superior : quia ipsa fecit me; et ego inferior, quia factus sum ab ea. Qui novit veritatem, novit eam; et qui novit eam, novit æternitatem. Charitas novit eam. O æterna veritas et vera charitas et chara æternitas! Tu es Deus meus, tibi suspiro die ac nocte. »

*Secundo*, τὸ *in ipso* significat Deum in manu sua habere nostram vitam, nostrum halitum, nostrum esse, ac consequenter nostram gratiam et gloriam, nostram felicitatem et damnationem æternam. « In manibus tuis sortes meæ, » ait David, *Psal.* XXX, 16. Hoc est quod Daniel intonat Baltasari regi interitum ei denuntians : « Deos, inquit, argenteos et aureos, etc., laudasti. Porro Deum qui habet flatum tuum in manu sua et omnes vias tuas, non glorificasti, » *Daniel.* V, 23.

Symbolice in Dei idea vivimus.

Symbolice, in Deo ipso vivimus et sumus tanquam in causa exemplari : nostrum enim omnium ideæ, juxta quas conditi sumus, propriæ sunt in Deo; in eo enim, ait S. Augustinus, vivunt sempiternæ rerum omnium rationes. In Deo ergo sum et vivo, quia mei idea et exemplar propria est, et vivit in Deo. Vide S. Thomam et Scholasticos, I *part.*, *Quæst.* XV.

Rursum, in Deo, id est in Dei mente, sapientia, voluntate, cura et providentia vivimus, movemur et sumus. Ille enim semper cogitat de nobis, curat res nostras, regit, dirigit nobisque providet de omnibus. Si ergo grati esse volumus, jugiter de Deo nostro vicissim cogitare debemus, illi obsequi et per omnia placere. Sicut enim nullum est momentum quo non fruamur Dei beneficiis, sic nullum debet esse momentum quo non de eo cogitemus. Quis enim obliviscatur animæ suæ, vel halitus sui in quo vivit, movetur et est? Ita S. Dominicus, S. Thomas aliique Sancti jugiter de Deo, vel cum Deo loquebantur. Ita S. Augustinus in *Soliloquiis*, cap. XVIII : « Omni momento, inquit, me tibi obligas, Domine, dum omni momento mihi tua magna beneficia præstas; sicut ergo nulla est hora, vel punctum in omni vita mea, quo tuo beneficio non utar, sic nullum debet esse momentum, quo te non habeam ante oculos, in mea memoria, et te non diligam ex omni fortitudine mea. » Quocirca Deus sicut est centrum animæ nostræ, ita debet esse et centrum omnium cogitationum, intentionum et actionum nostrarum.

Idipsum eleganter docet Cassianus, *Collat.* XXIV, cap. VI, exemplo testudinis, sive concamerationis, cujus rotunditas coire et stringi debet in centro, alioqui corruet : « Ita etiam, inquit, mens nostra nisi solam Domini charitatem, velut centrum immobiliter fixum, per universa operum molitionumque nostrarum momenta, circumagens circino charitatis, omnium cogitationum vel aptarit, vel repulerit qualitatem, nequaquam structuram illam ædificii spiritualis, cujus Paulus est architectus, I *Corinth.* III, probabili arte molietur, nec pulchritudinem domus illius possidebit, quam B. David in corde suo Domino suo cupiens exhibere : Domine, inquit, dilexi decorem domus tuæ, et locum habitationis gloriæ tuæ. »



Et S. Augustinus, lib. *De Spiritu et Anima*, cap. XVII, vel quisquis est auctor. Nam non esse S. Augustini, sed alicujus eo posterioris, liquet ex cap. XXXVII, ubi citat Boetium, qui a Theodorico, rege Gothorum, occisus est anno Christi 526, cum S. Augustinus vixerit anno Christi 420. Et cap. XLVIII, multa citat ex Gennadio, lib. *De Eccles. dogmat.*, qui pariter Augustino recentior est. Hic, inquam, auctor piè et eleganter describens Dei beneficia communia et propria, curamque et providentiam, subdit : « Hæc et multa alia fecit mihi Deus meus, de quibus dulce est mihi semper loqui, semper cogitare, semper gratias agere, ut pro omnibus beneficiis suis possim semper eum laudare et amare. Cum enim cunctis sit præsidens, singulos implens, ubique præsens, universorum curam gerens, et tam singulis quam omnibus providens, ita totum ad custodiam meam occupatum video, ut, si ego super custodiam meam stabo, quasi omnium oblitus sit, et mihi soli intendere velit. Semper se præsentem exhibet, semper se paratum offert, si me paratum invenerit. Quocumque me vertero, non deserit, nisi ego prior eum deseram. Ubicumque fuero, non recedit a me, quoniam ubique est, ut quocumque iero inveniam eum, cum quo possim esse. Quidquid fecero, pariter assistit, utpote perpetuus inspector omnium cogitationum, intentionum et actionum mearum. Cum hæc diligenter considero, timore pariter et ingenti rubore confundor, quia illum ubique mihi præsentem, et omnia occulta mea videntem intueor. Multa enim sunt in me, de quibus coram oculis ejus erubesco, et pro quibus ei valde displicere timeo. Nec pro his omnibus quid illi rependam habeo, nisi tantum ut diligam eum. Non enim melius, nec decentius, quam per dilectionem rependi potest, quod per dilectionem datum est. »

Quocirca S. Bernardus, lib. *De Modo bene vivendi*, cap. XXIX, hoc sorori dat dogma pium et salutare : « Ibi pecca, ubi nescis esse Deum. Nihil enim celatur ante Deum. Videt occulta, qui fecit abscondita. Dominus ubique præsens. Spiritus totum implet. Majestas omnipotentis Dei penetrat omnia elementa, nullus locus est extra Deum. Dominus scit cogitationes hominum. » Rursum S. Augustinus, serm. 255 *De Temp.* : « In nobis, ait, duo altaria sunt constituta, corporis scilicet et cordis nostri. Duplex a nobis sacrificium quærit Deus : unum, ut simus casto corpore; aliud, ut mundo corde esse debeamus. Ergo in exteriori altari, id est in corpore nostro, offerantur opera bona, in corde odorem suavitatis redoleat cogitatio sancta, ut cor tanquam altare thymiamatis, jugiter ex Deo exhalet thymiama laudis et gratiarum actionis. » Idem, lib. XIV *De Trinitate*, cap. XII : « Magna, ait, homini miseria est cum illo non esse, sine quo non potest esse, id est subsistere. In quo enim est, procul dubio sine illo non est; et tamen si ejus non meminit, eumque non intelligit, nec diligit, cum illo non est. » Hæc physice de esse naturali, quo naturaliter vivimus, movemur et sumus in Deo.

Mystice, hæc veriora sunt in esse et gradu supernaturali. Supernaturaliter enim in Deo vivimus per gratiam, movemur per charitatem aliasque virtutes, sumus per summam unionem cum Deo, qua divinæ consortes naturæ, facti sumus nova et supernaturalis creatura. Nam per justificationem novo modo fit præsens Deus in anima justi, adeo ut si per impossibile prius in ea non fuisset præsens per essentiam, præsentiam et potentiam, illico virtute gratiæ et justitiæ fieret præsens per essentiam, præsentiam et potentiam, uti ex D. Thoma, Suarez, aliisque Scholasticis ostendi *Oseæ* I, 10. Unde S. Ambrosius, lib. *De Bono mortis*, cap. ult. : « Movemur, inquit, in Deo, quasi in via; sumus, quasi in veritate; vivimus, quasi in vita æterna. » Et S. Cyprianus, lib. *De Baptismo Christi*, hæc applicat SS. Trinitati : « In Patre, ait, sumus, in Filio vivimus, in Spiritu Sancto movemur et proficimus. » Hoc est quod Isaias ait, cap. XXVI, 12, Deum in nobis operari omnia opera nostra, item omnia in omnibus, ut ait Paulus, I *Corinth.* XII, 6, ac eum operari in nobis velle et perficere, *Philip.* II, 13. Hoc est, quod diserte asserit Christus, *Joan.* XIV, 23 : « Si quis diligit me, sermonem meum servabit, et Pater meus diliget eum; et ad eum veniemus, et mansionem apud eum faciemus. »

In te ergo, o Domine, vivimus, movemur et sumus, sicut infans in sinu, imo in ventre matris, a qua gignitur, formatur, alitur omneque suum esse accipit; sicut pisciculus in mari, sicut avis in aere, sicut herbæ et gramina in terra, sicut navigantes in navi, sicut equitantes in curru. Tu enim es currus Israel, et auriga ejus, tu ut currus nos sustines et vehis : ut auriga moderaris, dirigis et ducis rectis itineribus ad cœlum. « Quid peto ut venias in me, qui non essem, nisi esses in me? An potius non essem, nisi essem in te? » ait S. Augustinus, I *Conf.*, cap. II.

In te, hoc est, in tua memoria, intellectu et voluntate semper vivimus; tu de nobis assidue memoraris, cogitas, disponis et ordinas. Da ut vi-

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

cissim in memoria, intelligentia et voluntate nostra semper vivas, ut nihil nisi te memoremur, sapiamus, velimus, amemus, ut te indies magis magisque vestigando cognoscamus et diligamus: « Quid enim, ait S. Augustinus, lib. I *Conf.*, cap. iv, es Deus meus? Quid, rogo, nisi Dominus Deus? Quis enim Dominus præter Dominum, aut quis Deus præter Deum nostrum? Summe, optime, potentissime, omnipotentissime, misericordissime et justissime, secretissime et præsentissime, pulcherrime et fortissime, stabilis et incomprehensibilis, immutabilis mutans omnia, nunquam novus, nunquam vetus, innovans omnia, et in vetustatem perducens superbos, et nesciunt. Semper agens, semper quietus, colligens et non egens; portans, et implens, et protegens; creans, et nutriens, et perficiens; quærens, cum nihil desit tibi: amas, nec æstuas; zelas, et securus es, pœnitet te, et non doles; irasceris, et tranquillus es; opera mutas, nec mutas consilium: recipis quod invenis, et nunquam amisisti; nunquam inops, et gaudes lucris; nunquam avarus, et usuras exigis: et supererogatur tibi ut debeas, et quis habet quidquam non tuum? Reddis debita nulli debens, donas debita nihil perdens. Et quid dicimus, Deus meus, vita mea, dulcedo mea sancta? aut quid dicit aliquis, cum de te dicit? Et væ tacentibus de te, quoniam loquaces muti sunt. »

Atque ex his collige et metire quanta sit bonitas et beneficentia divina, tum præsens, tum potius futura: quantaque sint bona et gaudia, quæ Deus in cœlis preparavit diligentibus se, ea hac mensura et ulna metire. Nam, ut ait S. Eucherius, epist. ad Valerianum: « Cum Deus in hac vita tam præclara justis pariter et injustis tribuat, qualia sunt putanda quæ justis reservat? Consideremus qui tanta dedit, quanta restituet: qui tam magnus est in donis, quam magnus erit in præmiis. Si tam inæstimabilis est munerantis benignitas, quæ illa remunerantis? Ineffabilia sunt quæ præparavit Deus his qui diligunt eum: quam magna rependet bonis, qui tam magna largitur ingratis? »

Quam ergo Deum semper præsentem in mente habere debemus et ejus præsentiam nobis semper repræsentare, ubi nil eo indignum, quod ejus oculos offendat, agamus, velimus, cogitemus! Quam sanctos esse nos convenit, qui in ipsa sanctitate, in Deo, inquam, quasi in templo increato vivimus, movemur et sumus! Dicebat vicissim Philo, et ex eo Lactantius, lib. *De Ira*, cap. xiv, « Mundum esse totum templum quoddam sanctissimum, et Deo dignum. » Multo magis microcosmus, puta homo, præsertim fidelis et sanctus, est templum Dei animatum et vivum, in quo substantialiter Deus inhabitat, ac proinde in eo semper eum contemplari, revereri, colere potest et debet. « Perpetuum, ait Nazianzenus in *Sententiis*, tibi hoc sit studium, ut mentem tuam templum Deo extruas: sic enim pro spiritali statua eum in intimo corde habebis. » Ita S. Gorgonia, soror Nazianzeni, animam vivum Deo templum exhibuit, ac proinde moriens hanc cygneam edidit vocem: « In pace in idipsum dormiam et requiescam, » uti ipse testatur, *orat.* 11, quæ est *de S. Gorgonia*.

In ipso vivimus, movemur et sumus. — Hæc tria quasi antistropha respondent, et confirmant tria, quæ homines accipere a Deo dixit Paulus vers. 25, dum ait: « Cum ipse det omnibus vitam, et inspirationem, et omnia, » *q. d.* Deus dat nobis vitam, quia in ipso vivimus; dat respirationem, quia in ipso movemur: ipsa enim respiratio est motus; est enim continua inspiratio et exspiratio aeris, quæ fit per contractionem et dilatationem pulmonum quasi follium, ad refrigerandum cor. Rursum respiratio conjuncta est cum motu: quæ enim habent vim motivam, respirant: unde et dum fortius se movent, magis respirant: motu enim excitatur calor, qui respiratione refrigerandus et temperandus est. Ipse denique dat omnia, quia in ipso sumus, id est ab ipso sugimus et haurimus omne esse nostrum, omnia quæ habemus, totum quod sumus: præter vitam enim et motum, multa alia habemus a Deo.

Nota: In Deo vivimus, non formaliter, quasi ipse sit causa formalis vitæ nostræ, uti nonnulli censuerunt; ac hæretici Apollinaristæ Christo homini adimebant mentem et animam, dicentes ejus vice fungi divinitatem. Rursum nonnulli Scholastici censuerunt vitam, quæ consistit in visione Dei, fieri per solum divinitatis vel luminis gloriæ illapsum in animam, ita ut ipsa nil agat, nec active eliciat actum visionis beatificæ, sed mere passive se habeat, eum duntaxat recipiendo. Hæc enim et Philosophiæ et Theologiæ repugnant, quæ docet actus vitales, qualis est visio, intellectio, amor, etc., essentialem ordinem dicere ad animam viventis in quo sunt, ita ut ab ea vitaliter manere et produci debeant: alioqui non vitales actus erunt, sed mortuæ qualitates et actiones. In hoc enim actus vitalis a non vitali secernitur, quod ille a principio intrinseco vitaliter procedat, hic non.

In Deo vivimus, non formaliter, sed effective.

Nota secundo, et in quo movemur. Inde enim patet Deum immediate concurrere ad omnem motum nostrum, atque ac ad omnem operationem causæ secundæ; ideoque ex eo recte concludit Apostolus Deum non longe abesse a nobis, sed ubique esse præsentem; quia scilicet ubique immediate non tantum nos, sed et motus actionesque nostras omnes contingit, iisque cooperatur, adeo ut sine ejus concursu et cooperatione nec digitum extendere, nec minimum nutum, vel motum producere possemus. Ita passim contra Durandum, in II, distinc. i, *Quæst.* V (ubi docet Deum tantum dare et conservare vim motivam, non vero concurrere ad ipsum motum), docent Scholastici cum S. Thoma, I *part.*, *Quæst.* XVIII, art. 4, ad 1. Omnis enim res pendet et manat a Deo: ergo et actio: est enim ipsa res et ens quoddam.



Sicut et quidam vestrorum Poetarum (Syrus, *sapientum*; Poetæ enim erant Gentilium Sapientes et quasi Prophetæ) dixerunt. — Virgilius, IV *Georg.*:

> Deum namque ire per omnes
> Terrasque tractusque maris, cœlumque profundum.
> Hinc pecudes, armenta, viros, genus omne ferarum,
> Quemque sibi tenues nascentem arcessere vitas.

Plato, et ex eo Virgilius, *Æneid.* VI:

> Spiritus intus alit, totamque infusa per artus
> Mens agitat molem, et magno se corpore miscet.
> Inde hominum, pecudumque genus, vitæque volantum.

Si Deus est anima mundi et microcosmi, multo magis idem est anima microcosmi, puta hominis. Lucanus, lib. II:

> Jupiter est quodcumque vides, quocumque moveris.

Rursum:

> Jovis omnia plena.

Ennius apud Ciceronem, lib. II *De Natura deorum*:

> Vides sublime fusum immoderatum æthera,
> Qui tenero terram circumvectu amplectitur,
> Hunc summum habete divum, hunc perhibeto Jovem.

Similia habet Aratus, de quo mox.

Ipsius enim et genus sumus. — Sunt verba Arati in *Phænomenis*. Aratus fuit Poeta antiquus et celebris, Antiocho regi in deliciis, olympiade CXXV, anno a Roma condita 472, patria Solensis, non longe a Tarso; ac proinde Pauli pene concivis. Præclare scripsit de stellis et signis cœlestibus; unde ejus versus in Latinum transtulit, lib. II *De Natura deorum*, Cicero. Aratus ergo sic orditur:

> A Jove principium, quem nunquam mittimus ipsi
> Infatum: plenæ vero Jovis omnia quidem compita,
> Omnes vero hominum cœtus, plenum vero mare,
> Et portus; ubique autem indigemus Jove omnes.

Alii pro *indigemus*, vertunt *utimur*, vel *fruimur*, quasi κεχρήμεθα derivetur a χράομαι, id est *utor*, non a χρῄζω, id est *indigeo*. Sed χράομαι construitur cum dativo, χρῄζω cum genitivo: qualis hic est Διός, id est *Jovis*:

> Hujus etenim genus sumus.

Quod hemistichium brevitatis causa tantum citat Paulus, et quia illud sufficit ad confirmandum id quod dixerat: « In illo vivimus, movemur et sumus. » Subdit Aratus, Jovem providisse stata tempora serendi, germinandi, metendi, etc. Unde concludit: « Salve, Pater, magna admiratio, magna hominibus utilitas. » Moraliter, exemplo Pauli disce Ethnicorum sententias Christiano concionatori raro et sobrie citandas esse: de quo multa noster Lorinus hic.

Gabriel Vasquez, et ex eo Sanchez, genus sumunt non pro prole, sed pro opere, *q. d.* Sumus opus et creatura Dei. Unde Clemens Alexandrinus, lib. V *Strom.*, sub finem: « Ipsius genus sumus, » inquit, scilicet creatione: γένος enim non tantum *gignere*, sed et *producere* significat. Unde liber Genesis vocatur, quo rerum creatio et productio enarratur. Sic *Job* xxxviii, Deus dicitur pluviæ pater, id est productor: ut sensus sit, *q. d.* Si nos qui sumus genus, id est opus Dei, longe præstamus idolis ligneis et lapideis, imo simulacra hæc manu hominis formata sunt, multo magis iis præcellit Deus: quare illa Deo æquari aut pro Deo coli nefas est.

Verum alii passim genus accipiunt pro progenie et sobole. Sic Græci Poetæ vocant Heroes διογενεῖς, διοτρεφεῖς et θείους, hoc est *a Deo genitos*, *a Deo nutritos* et *divinos*. Homo ergo est genus Dei, qui creatus est ad imaginem et similitudinem Dei, quasi Dei proles et filius; qui proinde ab eo participat ejus essentiam præ cæteris creaturis, summumque entis gradum, puta naturam rationalem. Vide dicta *Genes.* cap. ii. Longe excellentius et perfectius sumus genus, id est filii Dei, per gratiam, qua adoptamur in filios Dei, imo fimus divinæ consortes naturæ, ut ait S. Petrus *Epist.* II, i, 4. Unde S. Gregorius, lib. XX *Moral.*, cap. xvi, et Beda: Genus, inquiunt, sumus Dei, non quia de substantia Dei, parsve illius, sed quia per Spiritum illius, et voluntarie per adoptionem recreati, nam in justificatione non tantum qualitas aliqua, puta gratia et charitas, sed ipsissimus Spiritus Sanctus, ac tota SS. Trinitas nobis datur, uti paulo ante dixi, quæ nos substantialiter sibi unit, et quasi in se transformat, ut simus ejus congeneres et concorporei, illiusque unum genus cum eo, imo unus spiritus, ut dicitur I *Corinth.* vi, 17. Ita S. Gregorius Nyssenus scribit de suo fratre S. Basilio Magno, in *Orat. funebri*: « Genus quidem illi (Basilio) et necessitudo cum Deo: patria autem, virtus. » Porro, ex eo quod sumus Dei genus, recte confirmat suum dictum Apostolus, quod in ipso vivamus, moveamur et simus, utpote qui ita sumus genus Dei, ut illi ejusque substantiæ intime simus uniti, ab eaque toti penetremur et possideamur: ac consequenter quod Deus non sit a nobis remotus, nec ignotus, ut Athenienses putabant; sed cognatus et vicinus, non tantum loco, sed et cognitione et substantia: quia nos sumus e genere et stirpe Dei, quasi ejus soboles et propago; Aratus enim, ut patet ex versibus ejus paulo ante citatis, ita dicit nos esse genus Dei, ut ille quaquaversum omnia (puta macrocosmum, et multo magis microcosmum, id est homines) se suoque numine, id est sua substantia, præsentia, operatione, beneficentia continua impleat et compleat, omnesque eo indigeamus, utamur et fruamur perpetim,

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS
ALERE FLAMMAM VERITATIS

dum scilicet in illo vivimus, movemur et sumus, uti explicat Apostolus. Deus enim est velut anima mundi, quæ se per eum totum diffundit, in eo pue homines quasi filios ex seipsa et in seipsa producit, sicut mare in se et ex se producit pisces : ita ut instar piscium in Dei et deitatis oceano vivamus, natemus, movemur et simus.

Quare, licet in hominibus et animalibus filii a parentibus suis sint separati, in Deo tamen et loco et operatione cum eo sunt conjuncti, eo quod ipse sit immensus omniaque impleat, penetret et occupet. Hinc rursum, licet homo semel genitus a patre, ab eo amplius non generetur, nec corpus aut vitam accipiat, in Deo tamen secus est : ab eo enim assidue pendemus uti radius a sole. Ita ergo sumus genus Dei, ut ipse assidue nos quasi generet, conservando et jugiter influendo in nos vitam, motum omneque esse nostrum.

Denique recte probat Aratus, Deo nos omnes indigere, ex eo quod ejus genus, id est propago et filii sumus. Filii enim indigent ope patris, utpote a quo accipiunt vitam, victum, vestitum, hæreditatem et omnia : præsertim vero egent ope Patris divini, ipsiusque Dei, qui est pater totius entis omnisque esse et essentiæ, ideoque in eo vivimus, movemur et sumus, uti ratiocinatur Apostolus.

*Secundo*, posset τὸ *ipsius enim et genus sumus* referri altius more Hebræo ad priorem partem vers. 27 : « Quærere Deum, si forte attrectent eum, aut inveniant, » ut hujus sit probatio, potius quam ejus quod proxime præcessit : « In ipso enim vivimus, movetur et sumus; » *q. d.* Sumus genus Dei, ejus cognati et filii : ergo facile possumus eum invenire et cognoscere : filius enim naturaliter suum agnoscit patrem, cognatus cognatum, consanguineus consanguineum, congener sibi congenerem; perinde ac bos bovem, philomela philomelam, equus equam, leo leænam agnoscit et amat. Vulgo dicitur : « Simile gaudet simili : Cicada cicadæ chara, formica formicæ : asinus asino, sus sui pulcher : semper graculus assidet graculo. »

*Tertio*, alii censent esse argumentum a majori ad minus, *q. d.* Mirum vobis, o viri sapientes, videri non debet quod dixi, nos scilicet in Deo vivere, moveri et esse : cum vester Poeta etiam amplius illi tribuat, majoremque nostri cum illo doceat esse conjunctionem, dum dicit nos Dei esse genus, seu progeniem; quia scilicet ipse nos, æque ac angelos, creavit ad sui imaginem, suæque libertatis, rationis et spiritualis essentiæ fecit esse participes.

Verum primus sensus est genuinus, ut patet intuenti Aratum. Hinc veteres Philosophi et Poetæ, ut Orpheus in *Hymnis*, Soranus, Varro et Philo, dicunt Deum creaturis esse patrem et matrem, nimirum esse μητροπάτορα et πατρομήτορα, id est *matripatrem et patrimatrem*. *Primo*, quia, sicut homo a patre et matre accipit suum esse et bona omnia, sic multo magis eadem ipse, et qualibet alia creatura accipit a Deo. *Secundo*, quia, ut ait Philo, lib. *De Temulen.*, patris nomen denotat potentiam, matris scientiam, puta ideam, quæ rei fabricam concipit et efformat quasi mater. Deus ergo est pater per omnipotentiam, est et mater per omniscientiam, et ideam rerum omnium, quæ attribuitur Verbo, puta Filio. Hic ergo est quasi mens et mater omnium. *Tertio*, quia Deus est pater per productionem et creationem universorum : est et mater per bonitatem et beneficentiam, qua cuncta creat, conservat, pascit, gubernat. Unde Deus Pater, cui attribuitur creatio, est pater; Spiritus Sanctus, cui attribuitur bonitas, est quasi mater omnium. *Quarto*, quia Deus in mundo et per mundum, semina rerum producendarum emittit quasi pater; eadem quoque recipit quasi mater. Ita Varro et Soranus, qui tamen in eo errarunt, quod censerent mundum ipsum esse Deum. Audi eos citantem et refutantem S. Augustinum, lib. VII *De Civit.*, cap. IX : « Jovi, inquit, universum solent tribuere. Unde est illud : Jovis omnia plena. Ergo et Jovem, ut Deus sit, et maxime sit rex deorum, non alium possunt existimare quam mundum : ut in diis cæteris secundum istos suis partibus regnet. In hanc sententiam etiam quosdam versus Valerii Sorani exponit idem Varro in eo libro, quem seorsim ab istis de cultu deorum scripsit, qui versus hi sunt :

> Jupiter omnipotens, regum Rex, ipse Deusque
> Progenitor, genitrixque Deum, Deus unus et omnis.

Exponuntur autem in eodem libro ita, ut eum marem existimarent, qui semen emitteret; feminam, quæ acciperet : Jovemque esse mundum, et eum omnia semina ex se emittere, et in se recipere; qua causa, inquit, scripsit Soranus : Jupiter progenitor, genitrixque; nec minus cum causa, unum et omnia eumdem esse. Mundus enim unus, in eo uno omnia sunt. » *Quinto*, valde apposite verbum caro factum est μητροπάτωρ; Deitas enim est quasi pater, humanitas in Christo est quasi mater nostra : ideo enim Deus factus est homo, ut qui erat pater, esset nobis et mater, de quo plura I Joan., I, 1.

Moraliter : Disce hic, quanta sit nobilitas animæ, nimirum quod sit cœlestis, divina, proles et propago Dei; ac proinde indignum esse si illa ad brutas cupiditates se abjiciat : quare debere eam divinam, cœlestem et angelicam vitam agere, ut Deum patrem suum imitetur, ad eumque beanda redeat. Quocirca idem quod Aratus hic, dixerunt Poetæ cæteri, nimirum, animam hominis esse « divinæ particulam auræ. » Ovidius, lib. I *Metamorph.*: **Animæ cœlestis origo.**

> Sanctius his animal, mentisque capacius altæ
> Deerat adhuc, et quod dominari in cætera posset :
> Natus homo est, sive hunc divino semine fecit
> Ille opifex rerum, mundi melioris origo.



Manilius, lib. IV :

> An dubium est habitare Deum sub pectore nostro,
> In cœlumque redire animas, cœloque venire?

Virgilius, lib. VI *Æneid.* :

> Igneus est ollis (illis, *scilicet* animabus) vigor et cœlestis
> origo.

S. Paulinus Ausonio, *epist.* 14 :

> Mens quippe lapsis quæ superstes artubus,
> De stirpe durat cœliti.

Juvenalis, *satyra* 15 :

> Sensum a cœlesti demissum traximus arce.

Claudianus, *Panegyr.* 4 *Honorii*, ait quod Prometheus, ut fingeret homines eosque animaret, « sinceram patri mentem furatus Olympo, » eam quasi animam indiderit homini.

Hesiodus et Homerus crebro dicunt quod Jupiter sit πατὴρ ἀνδρῶν τε θεῶν τε, hoc est, ut Virgilius Homerum more suo sequens, vertit, *Æneid.* XI, « hominum sator atque deorum. »

29. Genus ergo cum simus Dei, non debemus æstimare auro, etc. — Hoc est argumentum Apostoli : Homo non est conflatus ex auro, argento vel lapide, sed ex carne et anima rationali, quæ longe superat omne aurum et argentum; atqui homo est genus, soboles et imago Dei : ergo et Deus non est conflatus ex auro, vel argento, sed spiritus purus, increatus, omnipotens. Si enim homo vivus longe præstat simulacro aureo, utpote muto et inanimi; multo magis eo præstat Deus. Rursum, Deus non potest fabricari ab homine, sed potius vice versa homo factus est a Deo, estque ejus genus et propago; atqui simulacra sunt fabricata ab homine : ergo nequeunt esse dii. Aut potius hæc est argumentatio Apostoli : Anima nostra, juxta quam sumus genus Dei, non potest pingi, vel effigiari in auro, argento, aut lapide sculpto, cum sit incorporea et spiritalis; ergo multo minus in iisdem pingi, effigiari atque repræsentari potest divinitas, quæ purissimus est spiritus omniumque spirituum fons et origo. Denique hac sententia perstringit Paulus Epicureos et Anthropomorphitas, qui dicebant Deum esse corporeum. Nos enim sumus genus Dei secundum animam rationalem, non secundum corpus. Ergo, ut ait Cato :

> Si Deus est animus, nobis ut carmina dicunt,
> Hic tibi præcipue sit pura mente colendus.

Non debemus æstimare, — νομίζειν, *existimare, putare.*

Sculpturæ artis et cogitationis hominis. — Vox « sculpturæ » non est nominativi casus, *q. d.* Aurum, argentum aut lapis, quæ sunt sculpturæ, sive simulacra arte sculpta; sed dativi : Græce enim est χαράγματι, est ergo appositio, vel epexegesis, *q. d.* Non debemus existimare, auro, argento aut lapidi, puta sculpturæ per artem et excogitationem hominis efformatæ, Deum et divinitatem esse similem. Unde Pagninus et Tigurina vertunt, *non debemus existimare auro et argento, aut lapidi arte sculpto, aut invento hominis numen esse simile.*

Cogitationis, — ἐνθυμήσεως, id est *cogitationis, meditationis, conceptionis, imaginationis*, puta ideæ, quam imaginatus est, concepit et excogitavit artifex et sculptor. Irenæus, lib. III, cap. XII, vertit, *concupiscentiæ* : « Lapidi, inquit, per artem vel concupiscentiam hominis deformato. »

Divinum, — τὸ θεῖον, id est *divinitatem*. Ita Syrus; sive *numen*, ut vertit Pagninus et Tigurina.

30. Et tempora quidem hujus ignorantiæ (Syrus, *idololatriæ*) despiciens Deus. — « Despiciens, » id est ex alto culmine deorsum aspiciens et miserans, juxta illud *Lucæ* I, 78 : « Per viscera misericordiæ Dei nostri, in quibus visitavit nos oriens ex alto. » Hoc enim proprie est ὑπεριδεῖν, id est *despicere*, nimirum deorsum aspicere, ut notant Latini. Et sic accipitur *Psal.* LIII, 9 : « Quoniam ex omni tribulatione eripuisti me, et super inimicos meos despexit oculus meus. » Sic S. Francisci gnome erat : « Despice terram, suspice cœlum. » Ita Emmanuel Sa.

*Secundo*, alii ὑπεριδὼν, id est *despiciens*, interpretantur contemnens, vel dissimulans, *q. d.* Deus hucusque hanc patrum vestramque ignorantiam neglexit et dissimulavit connivendo, nec vos puniendo, ut hac sua longanimitate vos per meam prædicationem, qua verum Deum vobis annuntio, resipiscatis, pœnitentiam agatis et ad eum convertamini. Ita Chrysostomus et Œcumenius, *q. d.* Hactenus tacuit Deus suamque injuriam dissimulavit : at nunc non amplius dissimulabit : unde per me loquitur, jubetque simulacra aboleri et se verum Deum coli.

*Tertio*, Lyranus τὸ *despiciens* refert non ad homines, sed ad deos et idola, *q. d.* Deus despiciens et abominans idola, statuit jam eis finem imponere eaque evertere, ut amplius pro diis non habeantur, nec colantur.

*Quarto* et genuine, ὑπεριδὼν est aoristus significans *cum despexerit* in præterito, *q. d.* Hactenus Deus despexit, id est neglexit, Gentes idololatras, permittendo eas idolis servire, quasi eas non curaret, illæque ad ejus paternam providentiam non pertinerent : at nunc post Christum et per Christi merita, eas non despicit, sed oculis paternis respicit, statuitque suam in eas curam extendere : quocirca annuntiat per me vobis veram unius Dei fidem, gratiam et salutem. Idem enim hic dicit Paulus, quod in simili concione dixit Lycaoniis, cap. XIV, 15 : « Qui in præteritis generationibus dimisit omnes gentes ingredi vias suas : » quod enim ibi dicit « dimisit, » hic dicit « despexit. » Ita Sanchez. Causas, cur Deus gentes dimiserit, dat S. Augustinus, *epist.* 47, cap. II, ubi respondet Porphyrio idipsum cavillanti.

Aureum sæculum legis novæ.

Notat Paulus infelicitatem priorum temporum et felicitatem præsentis, puta legis novæ, quæ est quasi aureum sæculum, et juge jubileum gratiæ, lætitiæ, virtutum et bonorum omnium: ut infinitas Deo gratias agere debeamus, quod nos fecerit nasci hoc tempore fulgentis Evangelii, quo facile beatitudinem adipisci possumus; cum majores nostri nati fuerint in tempore ignorantiæ Dei et idololatriæ, ideoque cum cæteris idololatris perierint et damnati sint. Gloriabatur Socrates se natum Athenis, quasi in schola sapientiæ. Gloriabatur Philippus rex, natum sibi Alexandrum tempore Aristotelis, ut ab eo instrui posset: multo magis glorietur Christianus se natum tempore Christi, quo in ejus Ecclesia Dei fidem et sapientiam edidicit; ac tantæ Dei gratiæ non sit ingratus, nec eam in vacuum recipiat; sed ei strenue cooperetur ad suam et aliorum salutem.

Ut omnes pœnitentiam agant, — de sua ignorantia, id est idololatria aliisque peccatis.

31. Eo quod statuit diem, in quo judicaturus est orbem. — Idem prædicavit Paulus Felici præsidi, *Act.* xxiv, 23, et Petrus Cornelio, *Act.* x, 42: « Præcepit nobis, inquit, prædicare populo et testificari, quia ipse est qui constitutus est a Deo judex vivorum et mortuorum, » ut nimirum in eum redemptorem credant eique obediant, quem judicem expectant. Idem crebro prædicet concionator. Magis enim minæ et terrores, quam blanditiæ et promissiones, feriunt et percellunt dura peccatorum corda. Audivi in Belgio insignem potentemque concionatorem, qui in omnibus concionibus multis efficacibusque verbis populo refricabat et inculcabat memoriam judicii, motusque animorum vehementes ciebat et multos convertebat.

Præclare S. Justinus apud Damascenum, in *Paralip.* lib. II, cap. lxxvii: « Quemadmodum, inquit, corporibus omnibus a Deo procreatis hoc insitum est, ut umbram habeant; sic Deum quoque qui justitia præditus est, tum iis qui virtutem sibi colendam proposuerint, tum iis qui vitium amplexari maluerint, pro cujusque merito præmia pœnasque tribuere consentaneum est, » *q. d.* Sicut umbra indivulse sequitur corpus, ita Deum comitatur providentia et retributio.

Christus erit judex qua homo.

In viro, in quo statuit. — Pagninus et Tigurina *per eum virum, per quem decreverat*, puta per Christum (1). Hinc patet Christum secundum humanitatem, qua homo est et vir, non qua Deus, fore judicem. Decet enim hominum judicem esse hominem, ut ab iis videri, sentiri et audiri possit. Christus ergo est vir statutus a Deo judex. Unde Concilium Ephesinum, cap. xxxi, in fine: « In eo, inquit, qui forinsecus apparebit, et ab omnibus qui judicandi sunt palam cernetur, divina natura occulte latitans judicium exercebit. »

Notat S. Ambrosius, lib. VI, in cap. ix *Lucæ*, prudenter Paulum primo prædicasse solum Christi humanitatem, et sensim per eam gradum fecisse ad ejus divinitatem, ne, si statim eum Deum et hominem esse dixisset, a Sophis Atheniensibus exploderetur et irrideretur, sicut irrisus fuit ob resurrectionem Christi. Idem imitandum prædicatori et doctori apud rudes, aversos et contrariis erroribus imbutos, quales sunt pagani, hæretici, etc. Denique S. Dionysius, *De Divin. Nom.* cap. ii et iii: « Cum, inquit, summus ille Deus substantiam nostræ carnis accepit, et vir est appellatus, etc., in naturalibus nostris supernaturalis erat, in iis quæ nostræ sunt essentiæ super essentiam, omnia nostra ex nobis et super nos possidens excellenter. »

Fidem præbens omnibus. — *q. d.* Fidem faciens et publice judicem eum fore declarans, per ejus resuscitationem ad vitam immortalem et gloriosam. Hoc enim est testimonium sufficiens ad fidem faciendam, quod ipse ideo resuscitatus sit, ut gloriose dominetur, sitque judex orbis. Ita Chrysostomus et Cajetanus. *Secundo*, alii sic exponunt, *q. d.* Deus fidelem se in promissis exhibuit, quando Christum a mortuis excitavit: quia id se facturum, *Psal.* xv, 10, promiserat. *Tertio*, Lyranus et Hugo, *q. d.* Deus fidem præbuit resurrectioni nostræ per resurrectionem Christi, quod scilicet nos similiter suscitabit, sicut suscitavit Christum. *Quarto*, alii, *q. d.* Deus per Christum fidem fecit eorum quæ credi voluit de se, de judicio, de pœnitentia et aliis quæ præcesserunt. Sed primus sensus maxime est præcedentibus connexus, ideoque genuinus. Fides ergo hic non fidem Christianam, sed probationem, vel argumentum significat, quo modo Aristoteles, 1 *Topicorum*, cap. vii, ait: « Una fides per inductionem est, alia per syllogismum, » etc.; *q. d.* Deus fidem fecit, hoc est, sufficienter probavit hominibus Christum esse virum illum per quem judicaturus sit orbem, quandoquidem in ejus rei probationem et confirmationem, resuscitavit ipsum omnium primum ad vitam immortalem. Nam, ut ait Apostolus, *Rom.* xiv, 9: « In hoc Christus et mortuus est, et resurrexit, ut mortuorum et vivorum dominetur. »

34. Quidam vero viri adhærentes ei crediderunt. — Miratur Arator hanc Sophorum per Paulum conversionem, stupensque exclamat: Vers. 34.

> O Ripe Paule rapax, quid jam remanebit in orbe,
> Quod non ore trahas, postquam solertia Graii
> Cessit, et indoctas in dogmate vincis Athenas?

In quibus et Dionysius Areopagita. — Græce est articulus ὁ, *q. d.* Ille Areopagita famosus et celebris judex Dionysius, in Areopagitarum senatu primarius. Hic est ille, qui sublimes illos libros scripsit *De Cœlesti et Eccles. Hierarchia*, *De Div. Nominib.*, *De Mystica Theolog.*, etc., in quibus cœlestem angelorum civitatem Deique attributa ita graphice describit, ac si ea in cœlis oculis spectasset. Quocirca a S. Chrysostomo vocatur πτηνὸν τοῦ οὐρανοῦ, id est *volucris cæli*: ab aliis « divinissimus, patrio prænomine Ionicus, et cognomine Christiano Macarius, Galliæ apostolus. » A Paulo creatus est Athenarum Episcopus. Unde propter eum mire floruit Ecclesia Atheniensis, ait Origenes, lib. III *Contra Celsum*, protulitque viros doctrina et sanctitate perillustres, Quadratum, Athenagoram, Publium, quem sibi in episcopatu Atheniensi substituit iturus Romam, etc. Libros ejus a calumniis hæreticorum Scaligeri et Erasmi, erudite defendit Baronius, Delrio, et olim Maximus, Anastasius, Hincmarus, Hilduinus et alii. Sane ipsa eorum profunditas, eloquiique sublimitas et majestas, qua omnium Theologorum Patrumque scripta transcendunt, auctorem indicant virum fuisse Paulinum et divinum. Rursum hunc Dionysium esse eumdem cum Dionysio, Parisiorum Episcopo, non diversum, ut aliqui ex Adone volunt, demonstrat Baronius in *Martyrol.*, die 9 octobris.

Porro magna causa, vel occasio conversionis S. Dionysii fuit visio eclipsis miraculosæ anno Christi 34, in Parasceve, dum Christus crucifigeretur, quam ipse vidit Heliopoli in Ægypto, cum Apollophane, uti ipse testatur, epist. *ad eumdem Apollophan.*, et epist. 11 *ad Polycarpum*. Tunc enim stupens exclamavit: « Aut Deus naturæ patitur, aut mundi machina dissolvitur: » vel, ut narrat Suidas, et Michael Syncellus in *Encomio S. Dionysii*, dicens se id accepisse a suis majoribus: « Deus ignotus patitur in carne, ideoque mundus hisce tenebris obscuratur, et concutitur. » Addit S. Dionysius, epist. *ad Apollophan.*, se tunc fuisse 25 annorum: quare cum Paulus prædicarit Athenis anno decimo nono a passione Christi, qui fuit ab ejus nativitate 52, et Claudii 10, sequitur eodem tunc Dionysium fuisse conversum, cum annum ageret ætatis 44. Inde per triennium adhæsit S. Paulo, ut mysteria religionis Christianæ penitus perdisceret; mox creatus ab eo primus Athenarum Episcopus, mire ibidem fidem Christi propagavit: inde cum Paulo ascendens Hierosolymam, morti et funeri B. Virginis Deiparæ interfuit, uti ipse asserit, lib. *De Div. Nomin.*, cap. iii. Post hæc S. Joannem apostolum relegatum a Domitiano in Pathmos, anno Christi 97, consolatus est per epistolam, qua ei celerem reditum prædicit: sequenti enim anno occisus est Domitianus; mox ab exilio rediit S. Joannes, cujus hortatu S. Dionysius profectus est Romam ad S. Clementem: a quo missus in Gallias cum Rustico et Eleutherio, post magnos longosque labores, quibus fidem propagavit et Ecclesiam Gallicanam fundavit, tandem nobili martyrio coronatus est Parisiis sub annum Domini 119, imperante Adriano, cum annum ætatis ageret 110, uti ostendit Baronius: quando prodigium a sæculis inauditum contigit, nimirum quod ipse caput suum a carnifice resectum in manus acceperit illudque portarit comitantibus et canentibus angelis per duo milliaria, quasi triumphans de morte et tyranno. Ita habet ejus Vita et traditio Ecclesiæ Gallicanæ.

Conversus anno ætatis 44.

Synopsis vitæ Dionysii.

Assecla S. Dionysii tum in eruditione et sapientia, tum in virtute et vita, tum in martyrio et miraculosa capitis gestatione fuit magnus ille Severinus Boethius, Symmachi socer, cum eo occisus a Theodorico, rege Ariano, anno Domini 526. Audi Julium Martianum in ejus Vita, et ex eo Baronium: « Ticini incolæ semper a majoribus traditum constanter asseverant, Severinum, cum regius spiculator lethale vulnus intulisset, utraque manu divulsum caput sustinuisse: interrogatumque a quonam se percussum existimaret? ab impiis, respondisse: atque ita cum in vicinum templum venisset, et flexis genibus ante altare sacra (S. synaxin) percepisset, paulo post expirasse. Extinctus divinos honores (illos qui Martyribus exhiberi solent) a nostris consecutus est, quod pro Catholicis contra perfidiam Arii mortem sustinuerit. » Ticini ejus carcer et sepulcrum in æde S. Augustini visitur.

Et mulier nomine Damaris. — Hanc fuisse uxorem Dionysii censet S. Chrysostomus, lib. IV *De Sacerdotio*, et Hilduinus, in *Vita S. Dionysii*, ac insinuat S. Ambrosius, epist. *ad Eccles. Vercell.* Et Græcum γυνὴ tam *uxorem* quam *mulierem* significat. Verum sic addidisset Lucas αὐτοῦ, dixissetque *mulier ejus*: jam autem absolute dicit in genere γυνὴ, id est *mulier*: unde significat eam non fuisse Dionysii uxorem, sed mulierem primariam: ita Pagninus, Tigurina et alii passim.

Hierotheus quis?

Et alii cum eis. — Multi censent unum ex eis fuisse Hierotheum. Eum enim Atheniensem fuisse tradunt Græci, et ex iis Ambrosius Morales, in *Historia Hispaniæ*, et Joannes Mariana, lib. IV *De Rebus Hispaniæ*, cap. iii, et nomen ipsum indicat eum fuisse Græcum; ἱερὸς enim græce idem est quod *sacer*, vel *consecratus Deo*. Unde et in *Martyrol. Roman.*, die 4 octobris, sic de eo legimus: « Athenis S. Hierothei, discipuli S. Pauli. » Et eodem die *Menologium Græcorum* sic habet: « Natalis S. patris nostri Hierothei, qui fuit unus e numero Areopagitarum, qui ab apostolo Paulo est instructus una cum magno illo Dionysio, et cum religiose vixisset, migravit ad Dominum. » Addunt aliqui Hierotheum fuisse Episcopum Athenarum: sed nil tale habet Menologium. Hispani tamen censent Hierotheum fuisse Hispanum, aut potius Hispaniæ Præfectum; ibique a Paulo esse conversum: ita Morales, et Ribadeneira in Vita S. Dionysii. Porro mirifice Hierotheus passim deprædicatur a S. Dionysio. Nam, cap. ii *De Div. Nomin.*, ab eo vocatur « inclytus præceptor noster, οὐ μόνον μαθὼν, ἀλλὰ καὶ παθὼν τὰ θεῖα, id est non solum discens, sed et patiens divina, consummatus, etc. Et cap. iii, proximo post Apostolos

(1) « In viro in quo statuit, » Græc. ἐν ἀνδρὶ ᾧ ὥρισε, Attice pro ὃν ὥρισε, id est, per virum quem ad negotium delegit, quem designavit.

loco eum constituit : « Omnes Doctores, inquit, superavit, totus excedens, totus extra se positus, divino numine afflatus, occupatus a Deo, divinus laudator ab omnibus judicatus, ideoque [illegible], id est sacer quidam Deus, ac divinus præceptor noster. »

# CAPUT DECIMUM OCTAVUM.

## SYNOPSIS CAPITIS.

*Paulus Athenis pergit Corinthum. Ibi jussu Dei pollicentis multorum conversionem prædicat per sesquiannum; inde, vers. 12, accusatus a Judæis, se purgat apud proconsulem, in cujus conspectu Judæi furentes Sosthenem impune verberant. Post hæc, vers. 18, Paulus prædicando peragrat Ephesum, Cæsaream, Antiochiam, Galatiam et Phrygiam. Denique, vers. 24, Apollo eruditus ab Aquila, fortiter contra Judæos fidem Christi propugnat et propagat.*

1. Post hæc egressus ab Athenis, venit Corinthum; 2. et inveniens quemdam Judæum nomine Aquilam, Ponticum genere, qui nuper venerat ab Italia, et Priscillam uxorem ejus (eo quod præcepisset Claudius discedere omnes Judæos a Roma), accessit ad eos. 3. Et quia ejusdem erat artis, manebat apud eos, et operabatur (erant autem scenofactoriæ artis). 4. Et disputabat in synagoga per omne sabbatum, interponens nomen Domini Jesu, suadebatque Judæis et Græcis. 5. Cum venissent autem de Macedonia Silas et Timotheus, instabat verbo Paulus, testificans Judæis esse Christum Jesum. 6. Contradicentibus autem eis et blasphemantibus, excutiens vestimenta sua, dixit ad eos : Sanguis vester super caput vestrum : mundus ego, ex hoc ad Gentes vadam. 7. Et migrans inde, intravit in domum cujusdam, nomine Titi Justi, colentis Deum, cujus domus erat conjuncta synagogæ. 8. Crispus autem archisynagogus credidit Domino cum omni domo sua : et multi Corinthiorum audientes, credebant et baptizabantur. 9. Dixit autem Dominus nocte per visionem Paulo : Noli timere, sed loquere et ne taceas; 10. propter quod ego sum tecum, et nemo apponetur tibi ut noceat te; quoniam populus est mihi multus in hac civitate. 11. Sedit autem ibi annum et sex menses, docens apud eos verbum Dei. 12. Gallione autem proconsule Achaiæ, insurrexerunt uno animo Judæi in Paulum, et adduxerunt eum ad tribunal, 13. dicentes : Quia contra legem hic persuadet hominibus colere Deum. 14. Incipiente autem Paulo aperire os, dixit Gallio ad Judæos : Si quidem esset iniquum aliquid aut facinus pessimum, o viri Judæi, recte vos sustinerem. 15. Si vero quæstiones sunt de verbo, et nominibus, et lege vestra, vos ipsi videritis : judex ego horum nolo esse. 16. Et minavit eos a tribunali. 17. Apprehendentes autem omnes Sosthenem, principem synagogæ, percutiebant eum ante tribunal; et nihil eorum Gallioni curæ erat. 18. Paulus vero cum adhuc sustinuisset dies multos, fratribus valefaciens, navigavit in Syriam (et cum eo Priscilla et Aquila), qui sibi totonderat in Cenchris caput : habebat enim votum. 19. Devenitque Ephesum, et illos ibi reliquit. Ipse vero ingressus synagogam, disputabat cum Judæis. 20. Rogantibus autem eis ut ampliori tempore maneret, non consensit. 21. Sed valefaciens et dicens : Iterum revertar ad vos Deo volente, profectus est ab Epheso. 22. Et descendens Cæsaream, ascendit et salutavit Ecclesiam, et descendit Antiochiam. 23. Et facto ibi aliquanto tempore profectus est, perambulans ex ordine Galaticam regionem, et Phrygiam, confirmans omnes discipulos. 24. Judæus autem quidam, Apollo nomine, Alexandrinus genere, vir eloquens, devenit Ephesum, potens in Scripturis. 25. Hic erat edoctus viam Domini, et fervens spiritu loquebatur, et docebat diligenter ea quæ sunt Jesu sciens tantum baptisma Joannis. 26. Hic ergo cœpit fiducialiter agere in synagoga. Quem cum audissent Priscilla et Aquila, assumpserunt eum, et diligentius exposuerunt ei viam Domini. 27. Cum autem vellet ire Achaiam, exhortati fratres, scripserunt discipulis ut susciperent eum. Qui cum venisset, contulit multum his qui crediderant. 28. Vehementer enim Judæos revincebat publice, ostendens per Scripturas esse Christum Jesum.



1. Post hæc egressus ab Athenis. — Quia Athenienses novitatis studiosi, nova Pauli doctrina statim exsaturati, aliis novis de more suo audiendis et dicendis intendebant, ait Chrysostomus. Hæc enim est novitatis amantium indoles, ut novis auditis statim illa quasi vetera fastidiant, moxque nova alia et alia captent : nam quasi febricitantes, insatiabili novitatis siti laborant.

Venit Corinthum. — Quia Corinthus, ait S. Chrysostomus, erat urbs plena Philosophis et Oratoribus. Erat hæc metropolis Achaiæ, sive Peloponnesi, quæ nunc *Morea* dicitur, de cujus situ, opibus, moribus, vide dicta in præfat. epist. *ad Corinth.* Hic Paulus scripsit epist. *ad Thessalonicenses*, quæ omnium epistolarum S. Pauli est prima, si tempus scriptionis spectes. Paulus enim Silam et Timotheum evocatos ad se Athenas, miserat Thessalonicam : illi ad eum redierunt Corinthum statumque Thessalonicensis Ecclesiæ ei retulerunt : quo audito, primam ad eos dedit epistolam. Ita Baronius. Vide dicta I *Thessal.* III, 6.

2. Ponticum genere, — oriundum ex provincia Ponti. Perperam aliqui legunt, *pontificum genere*, quasi fuerit oriundus ex pontificibus. Alius hic est Aquila ab Aquila pariter Pontico, qui primus post Septuaginta vetus Testamentum ex Hebræo in Græcum convertit, vixitque sub Adriano Imperatore, factus ex Gentili Christianus, ex Christiano Judæus, de quo Epiphanius, lib. *De Mensuris*, et Philastrius, *hæresi* 90. Nam noster hic illo interprete fuit prior magnusque Evangelii propagator. Unde eum mire laudat Paulus, epist. II *ad Timoth.*, cap. IV, 19, et I *Corinth.*, cap. XVI, 19. Quocirca Aquila hic cum uxore Priscilla, sive Prisca, Sanctorum catalogo ascriptus legitur in *Martyrol.*, die 8 julii. Ubi vide Baronium.

Qui nuper, — προσφάτως, id est *recenter*; Syrus, *eo tempore* (1).

Eo quod præcepisset Claudius discedere omnes Judæos a Roma. — Causam dat Suetonius in *Claudio*, cap. XXV, quod Judæi Romæ assidue tumultuarentur; sed in eo quod addit, « impulsore Christo (2), » splendide mentitur, uti solent Gentiles historici in rebus Judaicis. Videtur ergo quod Romæ, increbrescente religione Christiana, Judæi se ei more solito opposuerint, et cum Christianis assidue de Messia, id est Christo, ejusque regno altercati sint; affirmantibus Christianis Christum jam venisse, negantibus Judæis. Claudius metuens ne quis inde tumultus existeret, quo ipse imperio pelleretur per Christum et Christianos (erat enim timidissimus et umbras nomenque novi regis exhorrescebat, uti superius ex Suetonio dixi), jussit omnes Roma excedere. Nam non solum Judæos, sed et Christianos e Judæis oriundos, quasi genere Judæos, Roma excessisse, patet hic exemplo Priscillæ et Aquilæ, ac S. Petri, qui ea de causa Roma discedens, venit Hierosolymam, ibique celebravit primum Concilium Hierosolymitanum, uti dixi cap. XV. Audi nuperum Poetam, Claudium suis coloribus pingentem : Judæi a Claudio urbe pulsi. Cur?

Vecors, stupidus, prudentibus stultus, stultis prudens visus.
Clarior erat, si fuisset obscurior.
In angulo gladium fugiens, sceptrum invenit.
Dominium sub domino gessit, liberti libertus, uxoris servus.
Omnia in imperio habuit præter imperium.

Aliam causam expulsionis Judæorum dat Hugo et Lyranus, nimirum quod ipsi Agrippinam, Claudii uxorem, pellexissent ad Judaismum, sicut paulo ante Tiberius eosdem Roma proscripserat, eo quod Fulviam, Saturnini senatoris uxorem, ad Judaismum traduxissent, ab eaque aurum et purpuram extorsissent, uti narrat Josephus, lib. XVIII *Antiq.*, cap. I et V. Porro hæc expulsio contigit anno Claudii 9, Christi 51, uti ex Paulo Orosio, Beda, Adone et aliis demonstrat Baronius.

3. Et operabatur, — idque per sesquiannum continue prædicans, et sibi suisque operans, ut victum compararet. Vide hic generositatem Pauli : poterat alimoniam et stipendium prædicationis a Christianis exigere, eoque se sustentare, uti faciebant alii Apostoli; sed noluit, ut omnibus liqueret eum non lucra, sed animas venari, itaque plures ad Christum converteret. Vide S. Grego-

(1) Utrum a Paulo, an Romæ jam ad cœtum Christianorum adductus fuerit Aquila, incertum quidem est, sed posterius probabilius videtur. Quodsi enim homo de Paulo et re Christiana præclare meritus, Paulo ipso duce ad Christi signa se contulisset, id haud dubie Scriptor commemorare non omisisset, cum infra, vers. 7 et 8, alios Judæos a Paulo ad sacra Christiana perductos diserte memorarit. Præterea formula [illegible] cum accessum magis, quam primam doctrinæ Christianæ prædicationem declarat. Extabat autem jam illo tempore Romæ cœtus Christianorum, cujus primordia repetenda sunt tum a Romanis, qui festo Pentecostes inaugurationi Apostolorum interfuerant, tum a Judæis Christi, asseclis qui Romam mercaturæ faciundæ causa profecti erant. Ita Kuinoelius ad h. l.

(2) Suetonii verba sunt : « Judæos impulsore *Chresto* tumultuantes Roma expulit. » Ubi nota, Christum a Suetonio dictum fuisse *Chrestum*. Græci enim et Romani *Chrestos* multos, imprimis servos, dici norant nomine proprio, *Christos* vero nullos; non erat hoc appellativum iis sub proprii forma usitatum, hinc pronuntiabant *Chrestus* et *Chrestianus*. Cf. Tertullianum, *Apolog. adv. Gentes*, cap. III; Lactantium, lib. IV, VII, 5.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

loco eum constituit : « Omnes Doctores, inquit, superavit, totus excedens, totus extra se positus, divino numine afflatus, occupatus a Deo, divinus laudator ab omnibus judicatus, ideoque lepidus, id est sacer quidam Deus, ac divinus præceptor noster. »

# CAPUT DECIMUM OCTAVUM.

## SYNOPSIS CAPITIS.

*Paulus Athenis pergit Corinthum. Ibi jussu Dei pollicentis multorum conversionem prædicat per sesquiannum ; inde, vers. 12, accusatus a Judæis, se purgat apud proconsulem, in cujus conspectu Judæi furentes Sosthenem impune verberant. Post hæc, vers. 18, Paulus prædicando peragrat Ephesum, Cæsaream, Antiochiam, Galatiam et Phrygiam. Denique, vers. 24, Apollo eruditus ab Aquila, fortiter contra Judæos fidem Christi propugnat et propagat.*

1. Post hæc egressus ab Athenis, venit Corinthum ; 2. et inveniens quemdam Judæum nomine Aquilam, Ponticum genere, qui nuper venerat ab Italia, et Priscillam uxorem ejus (eo quod præcepisset Claudius discedere omnes Judæos a Roma), accessit ad eos. 3. Et quia ejusdem erat artis, manebat apud eos, et operabatur (erant autem scenofactoriæ artis). 4. Et disputabat in synagoga per omne sabbatum, interponens nomen Domini Jesu, suadebatque Judæis et Græcis. 5. Cum venissent autem de Macedonia Silas et Timotheus, instabat verbo Paulus, testificans Judæis esse Christum Jesum. 6. Contradicentibus autem eis et blasphemantibus, excutiens vestimenta sua, dixit ad eos : Sanguis vester super caput vestrum : mundus ego, ex hoc ad Gentes vadam. 7. Et migrans inde, intravit in domum cujusdam, nomine Titi Justi, colentis Deum, cujus domus erat conjuncta synagogæ. 8. Crispus autem archisynagogus credidit Domino cum omni domo sua : et multi Corinthiorum audientes, credebant et baptizabantur. 9. Dixit autem Dominus nocte per visionem Paulo : Noli timere, sed loquere et ne taceas ; 10. propter quod ego sum tecum, et nemo apponetur tibi ut noceat te ; quoniam populus est mihi multus in hac civitate. 11. Sedit autem ibi annum et sex menses, docens apud eos verbum Dei. 12. Gallione autem proconsule Achaiæ, insurrexerunt uno animo Judæi in Paulum, et adduxerunt eum ad tribunal, 13. dicentes : Quia contra legem hic persuadet hominibus colere Deum. 14. Incipiente autem Paulo aperire os, dixit Gallio ad Judæos : Si quidem esset iniquum aliquid aut facinus pessimum, o viri Judæi, recte vos sustinerem. 15. Si vero quæstiones sunt de verbo, et nominibus, et lege vestra, vos ipsi videritis : judex ego horum nolo esse. 16. Et minavit eos a tribunali. 17. Apprehendentes autem omnes Sosthenem, principem synagogæ, percutiebant eum ante tribunal ; et nihil eorum Gallioni curæ erat. 18. Paulus vero cum adhuc sustinuisset dies multos, fratribus valefaciens, navigavit in Syriam (et cum eo Priscilla et Aquila), qui sibi totonderat in Cenchris caput : habebat enim votum. 19. Devenitque Ephesum, et illos ibi reliquit. Ipse vero ingressus synagogam, disputabat cum Judæis. 20. Rogantibus autem eis ut ampliori tempore maneret, non consensit. 21. Sed valefaciens et dicens : Iterum revertar ad vos Deo volente, profectus est ab Epheso. 22. Et descendens Cæsaream, ascendit et salutavit Ecclesiam, et descendit Antiochiam. 23. Et facto ibi aliquanto tempore profectus est, perambulans ex ordine Galaticam regionem, et Phrygiam, confirmans omnes discipulos. 24. Judæus autem quidam, Apollo nomine, Alexandrinus genere, devenit Ephesum, potens in Scripturis. 25. Hic erat edoctus viam Domini, et fervens spiritu loquebatur, et docebat diligenter ea quæ sunt Jesu, sciens tantum baptisma Joannis. 26. Hic ergo cœpit fiducialiter agere in synagoga.



Quem cum audissent Priscilla et Aquila, assumpserunt eum, et diligentius exposuerunt ei viam Domini. 27. Cum autem vellet ire Achaiam, exhortati fratres, scripserunt discipulis ut susciperent eum. Qui cum venisset, contulit multum his qui crediderant. 28. Vehementer enim Judæos revincebat publice, ostendens per Scripturas esse Christum Jesum.

1. Post hæc egressus ab Athenis. — Quia Athenienses novitatis studiosi, nova Pauli doctrina statim exsaturati, aliis novis de more suo audiendis et dicendis intendebant, ait Chrysostomus. Hæc enim est novitatis amantium indoles, ut novis auditis statim illa quasi vetera fastidiant, moxque nova alia et alia captent : nam quasi febricitantes, insatiabili novitatis siti laborant.

Venit Corinthum. — Quia Corinthus, ait S. Chrysostomus, erat urbs plena Philosophis et Oratoribus. Erat hæc metropolis Achaiæ, sive Peloponnesi, quæ nunc *Morea* dicitur, de cujus situ, opibus, moribus, vide dicta in præfat. epist. *ad Corinth.* Hic Paulus scripsit epist. *ad Thessalonicenses*, quæ omnium epistolarum S. Pauli est prima, si tempus scriptionis spectes. Paulus enim Silam et Timotheum evocatos ad se Athenas, miserat Thessalonicam : illi ad eum redierunt Corinthum statumque Thessalonicensis Ecclesiæ ei retulerunt : quo audito, primam ad eos dedit epistolam. Ita Baronius. Vide dicta I *Thessal.* III, 6.

2. Ponticum genere, — oriundum ex provincia Ponti. Perperam aliqui legunt, *pontificum genere*, quasi fuerit oriundus ex pontificibus. Alius hic est Aquila ab Aquila pariter Pontico, qui primus post Septuaginta vetus Testamentum ex Hebræo in Græcum convertit, vixitque sub Adriano Imperatore, factus ex Gentili Christianus, ex Christiano Judæus, de quo Epiphanius, lib. *De Mensuris*, et Philastrius, *hæresi* 90. Nam noster hic illo interprete fuit prior magnusque Evangelii propagator. Unde eum mire laudat Paulus, epist. II *ad Timoth.*, cap. IV, 19, et I *Corinth.*, cap. XVI, 19. Quocirca Aquila hic cum uxore Priscilla, sive Prisca, Sanctorum catalogo ascriptus legitur in *Martyrol.*, die 8 julii. Ubi vide Baronium.

Qui nuper, — προσφάτως, id est *recenter*; Syrus, eo *tempore* (1).

Eo quod præcepisset Claudius discedere omnes Judæos a Roma. — Causam dat Suetonius in *Claudio*, cap. XXV, quod Judæi Romæ assidue tumultuarentur ; sed in eo quod addit, « impulsore Christo (2), » splendide mentitur, uti solent Gentiles historici in rebus Judaicis. Videtur ergo quod Judæi a Claudio urbe pulsi. Cur?
Romæ, increbrescente religione Christiana, Judæi se ei more solito opposuerint, et cum Christianis assidue de Messia, id est Christo, ejusque regno altercati sint ; affirmantibus Christianis Christum jam venisse, negantibus Judæis. Claudius metuens ne quis inde tumultus existeret, quo ipse imperio pelleretur per Christum et Christianos (erat enim timidissimus et umbras nomenque novi regis exhorrescebat, uti superius ex Suetonio dixi), jussit omnes Roma excedere. Nam non solum Judæos, sed et Christianos e Judæis oriundos, quasi genere Judæos, Roma excessisse, patet hic exemplo Priscillæ et Aquilæ, ac S. Petri, qui ea de causa Roma discedens, venit Hierosolymam, ibique celebravit primum Concilium Hierosolymitanum, uti dixi cap. XV. Audi nuperum Poetam, Claudium suis coloribus pingentem :

> Vecors, stupidus, prudentibus stultus, stultis prudens visus.
> Clarior erat, si fuisset obscurior.
> In angulo gladium fugiens, sceptrum invenit.
> Dominium sub domino gessit, liberti libertus, uxoris servus.
> Omnia in imperio habuit præter imperium.

Aliam causam expulsionis Judæorum dat Hugo et Lyranus, nimirum quod ipsi Agrippinam, Claudii uxorem, pellexissent ad Judaismum, sicut paulo ante Tiberius eosdem Roma proscripserat, eo quod Fulviam, Saturnini senatoris uxorem, ad Judaismum traduxissent, ab eaque aurum et purpuram extorsissent, uti narrat Josephus, lib. XVIII *Antiq.*, cap. I et V. Porro hæc expulsio contigit anno Claudii 9, Christi 51, uti ex Paulo Orosio, Beda, Adone et aliis demonstrat Baronius.

3. Et operabatur, — idque per sesquiannum continue prædicans, et sibi suisque operans, ut victum compararet. Vide hic generositatem Pauli : poterat alimoniam et stipendium prædicationis a Christianis exigere, eoque se sustentare, uti faciebant alii Apostoli ; sed noluit, ut omnibus liqueret eum non lucra, sed animas venari, itaque plures ad Christum converteret. Vide S. Grego-

(1) Utrum a Paulo, an Romæ jam ad cœtum Christianorum adductus fuerit Aquila, incertum quidem est, sed posterius probabilius videtur. Quodsi enim homo de Paulo et re Christiana præclare meritus, Paulo ipso duce ad Christi signa se contulisset, id haud dubie Scriptor commemorare non omisisset, cum infra, vers. 7 et 8, alios Judæos a Paulo ad sacra Christiana perductos diserte memorarit. Præterea formula [illegible] cum accessum magis, quam primam doctrinæ Christianæ prædicationem declarat. Extabat autem jam illo tempore Romæ cœtus Christianorum, cujus primordia repetenda sunt tum a Romanis, qui festo Pentecostes inaugurationi Apostolorum interfuerant, tum a Judæis Christi, assectis qui Romam mercaturæ faciundæ causa profecti erant. Ita Kuinoelius ad h. l.

(2) Suetonii verba sunt : « Judæos impulsore *Chresto* tumultuantes Roma expulit. » Ubi nota, Christum a Suetonio dictum fuisse *Chrestum*. Græci enim et Romani *Chrestos* multos, imprimis servos, dici norant nomine proprio, *Christos* vero nullos ; non erat hoc appellativum iis sub proprii forma usitatum, hinc pronuntiabant *Chrestus* et *Chrestianus*. Cf. Tertullianum, *Apolog. adv. Gentes*, cap. III ; Lactantium, lib. IV, VII, 5.

rium, hom. 12 *in Ezech.*, et ea quæ dixi I *Cor.* cap. IX. Præclare Chrysostomus laboriosam arduamque vitam Pauli commendans : « Sic enim palæstra, inquit, pugili magis utilis quam molles lecti, et militi ferreus gladius magis quam aureus probatur. Et operabatur prædicans. Erubescamus nos, qui etiam absque prædicatione vivimus otiose. »

Erant autem scenofactoriæ artis. — puta tabernaculorum factores, Syrus, *opifices conopeorum* : Vatablus et alii, *aulæorum*, quæ scilicet fiunt ex consutis pellibus, uti sunt aulea Turcica : hæc enim omnia sunt ejusdem artis, scilicet sutrinæ pellium. Origenes, lib. IV *Contra Celsum*, Paulum vocat *phrygionem*, quem vulgus *recamatorem* appellat. Apposite Paulus fuit scenifex, utpote qui tota vita peregrinatus, omnes doceret hic vivere ut peregrinos ac cives Sanctorum et domesticos Dei : peregrini enim non habent domum, sed hospitantur in tabernaculis, uti fecerunt filii Israel peregrinantes per desertum, et etiamnum faciunt milites in castris : ita Chrysostomus. Porro hæc tabernacula et conopea fiebant ex pellibus. Unde Paulus ab Origene, hom. 17 *in Numer.*, vocatur « pellium sutor, qui a terrenorum tentoriorum sutura ad æterna consuenda vocabatur. » Ubi et quo consilio hanc artem mechanicam didicerit et exercuerit Paulus, dixi II *Thessal.* III, 8.

Ita S. Franciscus, Pauli discipulus et paupertatis professor, illam sui Ordinis fundamentum jaciens, inquit S. Bonaventura, suos jubebat construere et inhabitare domos pauperes, non ut proprias, sed ut alienas, quasi peregrinos : quorum leges sunt, « sub alieno colligi tecto, sitire ad patriam, pacifice pertransire. » Ita veteres monachi operabantur manibus, indeque vivebant. Vide S. Augustinum, tract. *De Opere monachorum*, tom. III. Idem exemplo Pauli factitasse multos sacerdotes et Prælatos Ecclesiæ, testatur S. Epiphanius, *hæresi* 80. Porro miratur Paulum Chrysostomus, hom. 4 *De ejus Laudibus* : « Homo enim ignobilis, ait, abjectus et circumforaneus, qui artem exercebat in pellibus, in tantum virtute progressus est, ut vix triginta annorum spatio et Romanos, et Persas, et Parthos, et Medos, et Indos, et Scythas, et Æthiopes, et Sauromatas, et Saracenos, et omne prorsus humanum genus sub jugum mitteret veritatis. Responde igitur : Unde iste opifex vilis ac publicus, stans in loco artis suæ, ac scasellum in manu gerens, ita ut ipse philosophatus sit, et alios docuerit philosophari, gentes scilicet, urbes atque regiones; nec vim in se sermonis ostendens? » Hæc rhetorica amplificatione dicit os aureum; nam non legimus Paulum Indis, Æthiopibus et Sauromatis prædicasse. Addit causam : « Ipse enim velut ignis in fœnum, aut in stipulas immissus, omnia dæmonum opera consumpsit, atque in quod voluit, omnia convertit. Virtutem venerare Crucifixi. » Et inferius, recensens Gentes et Judæos quasi feras ubique in Paulum insurgentes : « Beatus tamen Paulus, inquit, in tantos ignes insiliens, atque in medio talium luporum consistens, quanquam ictus omnium exciperet, non modo tamen obrutus ipse non est, sed etiam omnes illos in partem transtulit veritatis, etc.; ac sicut igne succenso paulatim spinæ consumuntur, et cedunt flammisque superantur : sic etiam insonante Pauli lingua, et omni igne vehementius irruente, cedebant omnia, fugiebant dæmonum cultus, mores patrii, populorum furores, tyrannorum minæ, insidiæ domesticorum, pseudoapostolorum operationes malignæ. Magis autem, sicut radiis solis orientibus, et tenebræ fugantur, et feræ latitant, et latrones, homicidæ, fures ad antra suffugiunt, lucidaque efficiuntur omnia, terra, pelagus, montes, urbes, regiones, sic etiam tunc prædicatione fulgente, et ubique Evangelium disseminante Paulo, fugabatur error veritasque remeabat. » Concludit hortando ut satagamus Paulo fieri similes : « Neque illud, ait, impossibile putemus : nam tale illi, quale etiam nobis corpus fuit, talis anima, tales cibi; sed voluntas in eo mirabilis et præclara devotio : et illud est prorsus, unde ille talis effectus est. »

4. Interponens nomen Domini Jesu Christi. — Vers. 4.
Hæc verba desunt in Græco et Syro. Sensus est, *q. d.* Paulus in synagoga disserendo more Judæorum de Scriptura passim inserebat mentionem de Christo : scopus enim ejus erat prædicare Jesum Christum. Vide dicta cap. XVII, 3.

5. Cum autem venissent de Macedonia (Berœa et Thessalonica. Vide dicta vers. 1), Silas et Timotheus, instabat verbo (prædicationis) Paulus. — *q. d.* Instanter et crebro prædicabat nunc per se, nunc per Silam, nunc per Timotheum. Græce est *συνείχετο τῷ πνεύματι*, id est *coarctabatur spiritu*, præ molestia quam illi facessebant Judæi, ait Chrysostomus. Unde Syrus vertit *constrictus erat in sermone Paulus, quia insurgebant in eum Judæi*, *q. d.* Judæi suis persecutionibus ligabant quasi cor et linguam Pauli, ut vix posset proloqui et prædicare : præsentiebat enim se lusurum operam. Melius alii, « coarctabatur spiritu, » id est zelo, inquiunt, adeo ardente, ut fere eum non caperet : ut sit idem quod de eodem Athenis dixit cap. XVII, 16 : « Incitabatur spiritus ejus, videns idololatriæ deditam civitatem. » Unde alii vertunt, « comprimebatur spiritu, » quasi Spiritus Sanctus premeret et urgeret cor et os Pauli ad prædicandum. Hæc omnia complexus Noster apte vertit, « instabat verbo. »

Testificans (e testimoniis S. Scripturæ efficaciter ostendens) Judæis esse Christum Jesum, — quod scilicet Jesus Nazarenus crucifixus, esset verus eorum Messias, id est Christus.

6. Blasphemantibus, — conviciantibus tum Christum, tum Paulum. Notanda est hic aurea gnome S. Chrysostomi : « Convicium, ait, sive contumelia est quasi furax ancilla, quæ vas immundum e domo heri furatur (v. g. matulam), eamque in publico proponit; quare magis se confundit, quam herum : idem facit conviciator; immundis enim verbis magis se coinquinat, quam suum hostem. Idem enim fit, quando cum malis pugnamus, ac si quis sterquilinio obvolutum percutiat, qui dimissis in stercus manibus, dum illum ferire studet, sese coinquinat.

Excutiens Paulus vestimenta sua, — iisdem de causis, quibus excussit pulverem pedum, cap. XIII, vers. 51. Eadem enim utriusque excussionis est ratio. Vide ibi dicta.

Sanguis vester super caput vestrum. — *q. d.* Exitium et mors sempiterna capiti vestro, ob hostilitatem in Christum et fidem, imminens, vobis imputetur : culpa vestra peribitis, non mea, nec alterius cujuspiam. Ego enim a vobis hoc exitium amoliri conatus sum : at vos mihi contradicitis et Christum blasphematis. Vos ergo vestri estis peremptores et homicidæ.

Mundus ego, — a vestro sanguine et exitio, quia quod mei muneris erat, prædicare scilicet vobis salutem per Christum, hoc feci : at vos Christum, et consequenter salutem vestram, impugnatis : mundus enim non essem, si vobis non prædicassem. Hinc infert Chrysostomus : « Ergo et nos rei sumus sanguinis eorum qui nobis concrediti sunt, si illos negligamus. »

Ex hoc, — ἀπὸ τοῦ νῦν, id est *ex nunc*, ex hoc tempore et momento ad Gentes vadam prædicatum. Idem dixit et fecit cap. XIII, vers. 46.

7. Titi (cognomento) Justi. — Forte a justitia qua præcellebat, inquit Beda. Vox « Titi » jam non est in Græco, sed in Syro. Unde verisimile est olim fuisse in Græco : inde enim translata est versio Syra. Alius est hic Titus a Tito, Pauli discipulo, quem Cretæ constituit Episcopum, ad eumque scripsit epistolam inscriptam *ad Titum*. Ita Beda, Hugo et alii.

Colentis Deum, — puta Gentilis, sed Deum verum colentis, non idola, ut cæteri Gentiles, idque vel ex institutione parentum, vel ex familiaritate cum Judæis : unde et eorum synagogæ vicina erat domus Titi. Ita Glossa et Hugo.

8. Crispus autem archisynagogus (princeps et præfectus synagogæ Judæorum Corinthi) credidit Domino — eumque solum cum Caio et Stephana, Corinthi se sua manu baptizasse scribit Paulus, I *Cor.* I, 14. Ascriptus est Crispus Sanctis die 4 octobris. Miratur S. Chrysostomus, hom. 7 *De Laudibus S. Pauli*, ejus virtutem et efficaciam, qua Proconsules, judices, principes Judæorum sibi infensissimorum, ad se et Christum repente convertit. « Sicut enim ignis, inquit, in diversas materias incidens, augetur magis, et ex subjecta sibi substantia incrementa sortitur : sic etiam lingua Pauli quibuscumque fuisset admota, ad seipsum continuo transferebat. Impugnatores quoque ejus celeriter ipsius verbo capti, pabulum quoddam spirituali huic efficiebantur igni, perque ipsos magis Evangelii fama crescebat. »

9. Dixit autem Dominus nocte per visionem (in somno) Paulo : Noli timere. — Poterat enim jure timere Paulus, ne propter Crispum archisynagogum a se conversum, tota synagoga Judæorum contra se insurgeret. Præclare S. Augustinus, serm. 8 *De Verbis Evang. secundum Matth.* : « Quid times hominem, inquit, homo, in sinu Dei positus? Tu de illius sinu noli cadere; quidquid ibi passus fueris, ad salutem valebit, non ad perniciem. Laniatus membrorum Martyres pertulerunt, et timent Christiani injurias temporum Christianorum? »

Loquere (prædica Evangelium), ne taceas. — Hæc negatio priorem affirmationem more Hebræo confirmat et auget, *q. d.* Loquere palam, libere et intrepide, aperto ore, sonora voce, constanti corde. Qui enim timens loquitur, non diducit os, hæsitat, mussitat, ac verba non tam promit quam premit; frangit magis quam pangit, ait noster Lorinus.

Propter quod (διότι, id est *propterea quod*, *quia*) ego sum tecum, — ut te defendam, propugnem, animos et verba suggeram, ac te hostibus omnibus omnique mundi et inferni potentia superiorem efficiam. Sic angelus ait Gedeoni, mittens eum contra castra numerosissima Madian : « Dominus tecum, virorum fortissime, etc. Vade in hac fortitudine tua, et liberabis Israel de manu Madian : scito quod miserim te, » *Judic.* cap. VI, vers. 12 et 14.

10. Et nemo apponetur tibi. — Græce ἐπιθήσεταί, quod active verti potest, *nemo imponet*, vel *injiciet* tibi, manus scilicet, nemo adorietur, vel invadet te.

Ut noceat te, — tibi : olim enim *noceo* regebat accusativum. Græce τοῦ κακῶσαί σε, id est *ut affligat te*.

Quoniam populus est mihi multus. — *q. d.* Multi Corinthii tua prædicatione convertentur fientque meus populus meaque Ecclesia.

11. Sedit, — resedit, commoratus est. Vers. 11.

12. Gallione autem proconsule. — L. Junius Vers. 12.
Gallio, Proconsul Achaiæ, fuit frater germanus Gallio frater
L. Annæi Senecæ, præceptoris Neronis, uti testatur Senecæ.
ipse Seneca in præfatione lib. IV *Quæst. natur.*, qui et eidem inscripsit librum *De Remediis fortuitorum*, et alterum *De Vita beata*. Ita Baronius. Hic enim Gallio fuit coævus Paulo, non alius senior, ut vult Delrio præfatione *in Senecam*, cap. III. Nec enim senior, puta junioris hujus Gallionis pater, legitur fuisse Proconsul Achaiæ, sed junior, sive filius. Hi enim tres fuerunt fratres, videlicet M. Annæus Novatus, L. Annæus Seneca, Neronis præceptor, et L. Annæus Mela, qui pater fuit Lucani poetæ. Novatus autem mox nomen mutavit, et in Junii Gallionis familiam transiit, ab eo adoptatus. Vide Lipsium proœmio in Senecam,

cap. II *De Vita Senecæ*. Quocirca ab utraque familia in Eusebii *Chronico*, hic Gallio cognominatur « Junius Annæus Seneca Gallio, frater Senecæ, egregius declamator. » Favet, quod Seneca, *epist.* 104, asserat Gallionem fratrem suum seniorem et primogenitum, quem idcirco (et quia Proconsul erat Achaiæ) dominum suum vocat, ait Lipsius, in Achaia fuisse : sed inde ob febrim discessisse, quod diceret non corporis, sed loci esse morbum. Per Senecam autem videtur Gallio factus Proconsul. Cum enim Seneca a Messalina Augusta, Claudii uxore (ut tradit Dio, lib. LX), injuste damnatus exilio, post illius necem ab Agrippina, altera Claudii uxore et Neronis matre, restitutus, ac Neroni, quem Claudius in filium adoptarat, præceptor datus esset, in ejus gratiam Achaia provincia Gallioni ejus germano est tributa. Hinc per Gallionem, cui causam suam probavit Paulus, videtur conciliata amicitia inter Paulum et Senecam : unde utriusque ad alterum circumferuntur litteræ, sed viris doctis merito de suppositione suspectæ, nec satis dignæ gravitate et Pauli et Senecæ ; scripsisse tamen Paulum ad Senecam, et vicissim ab eo accepisse litteras, testatur S. Augustinus, *epist.* 54 ; S. Hieronymus, lib. *De Script. Eccles.*, et alii. Errant vero, qui Senecam censent fuisse Christianum : vixit enim Stoicus, et mortuus est Stoicus, ac proinde scripta ejus nil Christiani, sed Stoica dogmata continent, uti patet ex dictis cap. XVII, vers. 18. Denique moriens sanguinem suum Jovi libavit. Nimirum inflatus opinione sapientiæ, quasi primus illius ævi Philosophus et Neronis magister, dedignatus est fieri discipulus Pauli et Christi crucifixi ; alioqui Paulum Romæ videre et alloqui potuit : nam biennio ante Paulum occisus est a Nerone. Hoc est quod ait Paulus, I *Cor.* I, 26 : « Non multi sapientes, etc., sed quæ stulta sunt mundi, elegit Deus. » Hic Gallio cum fratre Seneca a Nerone damnatus, « propria se manu interfecit, mortem ejus Nerone in suam præsentiam differente, » ait Eusebius in *Chronico*, anno Christi 66. Seneca fuit Stoicus, non Christianus.

Porro Paulus jam egerat Corinthi sesquiannum, ait S. Chrysostomus (licet aliqui ante exactum sesquiannum, tumultum hunc contigisse putent) ; eo exacto, cum novus Proconsul in Achaiam venisset Gallio, ad ejus tribunal Paulum Judæi traxerunt, forte quod putarent Gallionem suum esse amicum et fautorem, æque ac Messalina Augusta, nuper Judæis amica et familiaris, judaizarat.

13. QUIA CONTRA LEGEM, — tum Judæorum, quæ colit unum solum Deum incorporeum ; tum Romanorum, quæ vetat sine senatusconsulto novos inducere deos.

PERSUADET (Paulus) HOMINIBUS COLERE DEUM, — puta Christum hominem a nostris pontificibus crucifixum. Gallio autem judex legem Romanorum neglexit, sciens, vel interpretans illam solum Romæ locum habere, non in provinciis exteris : legem autem Judæorum, de qua proprie contendere Judæos cum Paulo Judæo suspicabatur, contempsit, aut certe ad se non pertinere censuit. Unde dixit : « Judex ego horum nolo esse. »

14. SI QUIDEM ESSET INIQUUM, etc. — *q. d.* Si Paulo objiceretur crimen iniquitatis, v. g. quod esset fur, homicida, seditiosus, turbator reipublicæ, audirem vos et judicarem : nunc autem, cum eum violatæ legis et religionis vestræ accusetis, nolo huic liti me immiscere, tum quia ego legem vestram non intelligo, tum quia ego sum judex politicus, cujus est judicare causas civiles, non Ecclesiasticas. Sic Augustus causas religionis aperto foro cognoscere noluit, ait Suetonius in ejus Vita, cap. XXXIX. Ex adverso reges Ægypti, ut de iis judicare possent, creabantur pontifices, ait Dio, lib. LIII. Idem aliarum gentium reges factitasse tradit Aristoteles, lib. III *Polit.* cap. X.

15. SI VERO QUÆSTIONES SUNT DE VERBO, ET NOMINIBUS, ET LEGE VESTRA, — id est « de verbo et nominibus legis vestræ, » uti legunt nonnulli codices. V
Est hendiadys. Paulus enim contendebat Christum in re esse eumdem Deum quem colebant Judæi : Judæi vero eum diversum et alium vocabant. Rursum Paulus asserebat Jesum vocandum esse Messiam et Christum : negabant Judæi. Unde Gallio censebat esse quæstionem de voce et nomine. Insuper contendebat Paulus cum Judæis de legis et S. Scripturæ sensu, an videlicet is esset de Christo, quem prædicabat Paulus ; an alius, ut volebant Judæi : quare Gallio recte censuit hoc judicium esse legis Judaicæ, ac proinde ad se non pertinere. Hoc liberum Gallionis judicium consentit cum iis quæ de indole, integritate et adulationis odio Gallionis fratris sui, scribit Seneca initio lib. IV *Quæstionum natur.*

16. ET MINAVIT, — id est abduxit, vel potius abduci jussit. Aliud est *minare*, aliud *minari*. Nam « Pastor ovem baculo minat, lupus ore minatur. » Græce ἀπήλασεν, id est *depulit*, *abegit* ; Syrus, *amandavit*. Vers. 16.

17. PERCUTIEBANT SOSTHENEM, PRINCIPEM SYNAGOGÆ. — Qui videlicet Crispo converso ad Christum, vers. 8, in principatu et primatu synagogæ successerat. Minus enim probabile est quod opinatur Chrysostomus, scilicet Sosthenem eumdem esse cum Caio ; fuisse enim binomium. Nam Martyrologia distinguunt faciuntque duos. Vers. 17.

Porro Beda, Hugo, Cajetanus et Carthusianus censent Sosthenem adhuc fuisse Judæum : itaque percussum a Græcis, ut addunt Græca, puta a ministris Proconsulis, ut juxta ejus sententiam, eum cum suis Judæis a Tribunali pugnis abigerent (1) ; aut potius percussum instigantibus Judæis per Græcos, id est Gentiles, eo quod frigidius causam eorum egisset, Pauloque favere videretur, eumque a Judæorum volentium eum occidere, manibus eripuisset. Incredibile enim est quod Sosthenes verberatur. Cur?

(1) Cui interpretationi, utpote simpliciori, adstipulor.



ait Hugo, Sosthenem verberatum a Christianis, eo quod Paulo et Evangelio resisteret. Verius est Judæos, cum spe sua Paulum necandi apud Proconsulem excidissent, furorem suum evomuisse in Sosthenem, præsertim cum a Proconsule audissent : « Vos videritis ; » putarunt enim hac voce sibi permissam esse suæ legis vindictam. Sosthenes enim Pauli prædicatione conversus, animo erat Christianus, adeoque Paulo favit eumque defendit : quare eum quasi causæ et legis suæ proditorem, Judæi vel per se, vel per Græcos, id est Gentiles, verberant. Unde S. Paulum quoque hoc tumultu Judaico verberatum fuisse, scribit S. Chrysostomus hic, et præfatione in I epist. *ad Cor.* Id ita esse liquet ex eo quod Sosthenem hunc laudat sociumque suum facit S. Paulus initio epist. I *ad Cor.* Ad hæc *Menologium Græcorum*, die 7 decembris, facit eum Colophonis Episcopum. Denique *Martyr. Roman.*, die 28 novembris, clare hæc de eo habet : « Apud Corinthum natale S. Sosthenis, discipuli B. Pauli, cujus mentionem facit idem Paulus Corinthiis scribens. Hic ex principe synagogæ conversus ad Christum, ante Gallionem proconsulem acriter verberatus, præclaro initio fidei suæ primordia consecravit. » Vere ergo fuit Sosthenes, id est salvator robustus, scilicet Pauli : σώζω enim est *salvo*, σθένος est *robur* : robustam enim ejus (et cujusvis patientis) patientiam et mansuetudinem, qua plagas acriores animis Judæorum inflixit, quam ipse ab eis in corpore recipiebat, egregie laudat hic S. Chrysostomus.

ET NIHIL EORUM GALLIONI CURÆ ERAT, — vel quod contemneret Judæos eorumque rixas ; vel quod metueret ne, si eas dirimeret, in ipsummet iras suas verterent : alioqui non satis dignitati suæ, nec Sosthenis innocentiæ, nec reipublicæ quieti hac dissimulatione consuluit, uti ex officio debebat : erat enim Proconsul et præses provinciæ.

18. PAULUS VERO CUM ADHUC SUSTINUISSET (Tigurina, *commoratus esset*) DIES MULTOS, — post turbas illas Judæorum intrepide et constanter evangelizans. Aliqui hos dies includunt sesquianno, de quo vers. 11, per prolepsin ; ita ut universim sesquiannum tantum Corinthi egerit Paulus : S. Chrysostomus vero eos separat et post sesquiannum exactos hos dies censet ; utrumlibet est probabile. Porro Paulum multa magna patrasse, et miracula edidisse, quæ subticet Lucas, docet idem scribens postea *ad Corinth.*, epist. II, cap. XII : « Signa, inquit, apostolatus mei facta sunt super vos in omni patientia, in signis, et prodigiis, et virtutibus. Quid est enim quod minus habuistis præ cæteris Ecclesiis ? » Denique Corinthi sicut anno priore (sedit enim ibi sesquiannum) scripsit priorem epistolam ad Thessalonicenses, ita anno posteriore scripsit posteriorem ad eosdem. Ita Baronius.

QUI SIBI TOTONDERAT. — Τὸ *qui* ad Aquilam refert Isidorus, lib. II *Offic.*, cap. *De tonsura*, et Baronius ; imo quidam codices legunt, « totonderant, » scilicet Aquila et Priscilla. Verum τὸ *qui* referre Paulum, censet S. Augustinus, *epist.* 19, et S. Hieronymus, *epist.* 11, quæ exstat tomo II *epist.* S. Augustini ; Beda et alii passim. Unde Romani codices Priscillam et Aquilam parenthesi intercipiunt, ita ut ad eos hæc tonsio pertinere nequeat (1).

HABEBAT ENIM VOTUM. — Quæres, quænam hæc tonsio, et quale votum ? *Primo*, aliqui censent fuisse votum Pauli peculiare, distinctum a voto Nazaræorum (illud enim fieri et expleri debuisset Hierosolymæ), a Paulo editum Dei cultus et mortificationis studio. *Secundo*, alii censent fuisse votum nazaræatus, sed editum a Paulo ante conversionem in Judaismo : ut enim everteret Christum et Christianismum, vovisse eum se fore Nazaræum, id est, a vino abstemium et alentem comam, donec Christianam religionem exstinxisset. Sicut nostro ævo nonnulli Nobiles, ex iis qui suscitarunt primos rebellionis tumultus in Belgio, jurarunt se non posituros cæsariem, donec ulti essent necem aliquot principum Belgarum, a rege Hispaniæ capite plexorum, eo quod hæreticis favissent. Verum hoc votum, æque ac juramentum, est impium, et consequenter ejus executio in Paulo fuisset impia : illa enim professus fuisset se votum illud Judaicum probare, esseque Judæum et Judaismi vindicem, ac per votum hoc Deo supplicare ut Christianismum everteret. Votum Pauli quod? Resp. Primo. Secundo.

Dico ergo votum hoc Pauli fuisse votum nazaræatus, quod scilicet abstineret vino et aleret comam, non tota vita, sed ad certum tempus a se præfinitum, de quo dixi *Num.* VI. Probatur *primo*, quia hoc erat commune et ordinarium votum apud Judæos, adeoque antonomastice vocabatur votum : perinde ac apud Christianos est votum religionis, cujus nazaræatus erat typus et præludium ; quare cum nominabant votum, in- Tertio. Genuina. Prob. Primo.

(1) Qui plura velit, adeat Kuinoelium ad h. l., qui, re disquisita, sic concludit : « Rectius igitur pleriqu. interpretes, præeuntibus Vulgato interprete (*Aquila, qui sibi totonderat caput*) et Chrysostomo, deleta interpunctione post 'Ακύλας, verba κειράμενος, etc., ad Aquilam referunt. Huic interpretationi, qua admissa omnes difficultates evanescunt, quæ interpretibus de Paulo cogitantibus se objiciunt, ipsa verborum constructio favet, quæ facilior fluit ; propiusque fidem est, notitiam hanc, quæ breviter nonnisi et quasi per transennam additur, de homine ignotiore adjunctam esse, cujus omnino brevior in hoc capite, quia occasio offerebatur, mentio fit, quam de Paulo, totius libri heroe. Neque tamen votum nazaræatus intelligendum est, sed votum civile, ab eo vel ob liberationem e morbo, vel alio periculo, vel ob bonum quod obtinuerat, conceptum. » Cf. etiam Rohrbacher, *Histoire universelle de l'Église catholique*, t. V, p. 342, juxta quem, Paulus e Cenchris ad Syriam navigaturus, votum solvere voluit, saltem ex parte, tondendo scil. comam, ne in navi pollutione legali aliqua contracta de novo nazaræatus sui tempus inchoare deberet. Cæterum victimas de more Hierosolymis, data occasione, offerre in animo habebat.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

telligebant nazaræatum. *Secundo*, quia votum Nazaræorum propriè consistebat in coma capitis, ut eam alerent, et finito voto tonderent. *Tertio*, quia ideo navigavit Paulus in Syriam, ut scilicet Hierosolymis illud expleret. Dat enim causam Lucas, cur Paulus navigarit in Syriam, quia scilicet totonderat sibi caput, id est obstrinxerat se voto nazaræatus, quod expleri debebat in templo Hierosolymitano. *Quarto*, quia præcise tonsionem capitis vovere leviculum est, et indignum religione voti, præsertim Paulini: ergo hæc tonsio erat annexa nazaræatui. *Quinto*, quia votum hoc nazaræatus, vel simile explevit Paulus in templo, cap. XXI, 24. Ex quo loco magna lux huic versiculo affulget. Ibi enim S. Jacobus dicit S. Paulo: « Audierunt de te (Judæo-Christiani) quia discessionem doceas a Moyse eorum, etc., dicens non debere eos circumcidere filios suos, neque secundum consuetudinem ingredi, etc. Hoc ergo fac quod tibi dicimus. Sunt nobis viri quatuor, votum (Nazaræatus) habentes super se. His assumptis, sanctifica te cum illis, et impende in illis ut radant capita, et sciant omnes, quia quæ de te audierunt falsa sunt, sed ambulas et ipse custodiens legem. » Idipsum jam ante viderat et præviderat Paulus. Itaque ut Judæos et Judæo-Christianos sibi, quasi vetanti legalia servari, offensos reconciliaret, ac ne eos, quos a Judaismo ad Christianismum convertebat, scandalizaret, utpote qui Judaismo assueti, tam cito eum deponere non poterant, multo minus ejus abolitionem audire, fecit votum Judaicum, ac ut Nazaræus comatus incessit, et abstemius vixit. Nazaræi enim summe erant legis Mosaicæ observantes, in eaque erant id quod apud nos sunt Monachi et Religiosi. Unde vocabantur *corban*, id est Dei donum, eo quod seipsos Deo dicassent et donassent, teste Josepho, lib. IV *Antiq.*, cap. IV. Nazaræatus autem consistebat in abstinendo a vino et alenda coma: in hac enim erat sanctitas rudis illius sæculi. Quod si illa contaminaretur per funus aliquod, aut contactum mortuini, debebat Nazaræus tondere comam quasi pollutam, et de novo nazaræatus sui tempus inchoare; quod quia sæpe contingebat, hinc ille, illiusque votum subinde per plures annos protrahebatur. Expleto autem voto, debebat adire templum, tondere comam Deoque sacrificia lege, *Num.* V, statuta offerre. Videtur ergo quod Paulus habens votum nazaræatus, ideoque alens comam, funere aliquo fuerit pollutus, ideoque juxta legem totondit comam, ut rursum nazaræatum inchoaret et comam aleret, usque ad voti sui expletionem, tunc eam positurus Hierosolymis in templo, quod fecit vers. 22, ut ibi dicam, aut certe cap. XXI, 24. Ita Baronius, Cajetanus, Sanchez et alii.

Dices: Nazaræus, si pollueretur super mortuo, tonderi debebat, et simul offerre victimas expiatorias, ut præscribitur *Num.* VI, 9. Paulus autem nullas victimas hic obtulit, nec offerre potuit, utpote quæ solum in templo Hierosolymis offerri poterant et debebant. Respondeo: Victimas hasce offerre debebant illi, qui erant Hierosolymæ eique vicini: remoti enim ab ea, uti erat Paulus, id facere non poterant, nemo enim tenetur ad impossibile: unde hi solum tondebant caput. Porro id fecit Paulus Corinthi, quia ibi erat Judæorum multitudo, ut eis ostenderet se legem non aspernari, sed venerari et colere. Hinc patet Paulum vino et sicera, id est, omni eo quod inebriare potest, abstinuisse; hoc enim faciebant Nazaræi. Ecce sobrietatem Pauli in tantis laboribus, ecce charitatem, qua omnibus omnia fit, Judæis Judæus, Gentilibus Gentilis, ut omnes lucrifaciat.

IN CENCHRIS. — *Cenchræ*, vel *Cenchreæ* est navale, ait Strabo, lib. VIII, et portus Corinthi ad Orientem, cui vicinus est alter dictus *Lechea*. Ab his duobus portubus Græci Corinthum vocant bimarem et amphithalassum, uti dixi in præfat. *Epist. ad Corinth.*

19. DEVENITQUE EPHESUM. — Ephesus erat metropolis Asiæ Minoris, in qua erat nobile Dianæ templum, de quo cap. XIX, ac oratorum et philosophorum multitudo: quare Apollonius Thyanæus, celebris philosophus, vel potius magus, Ephesi resedit. Ejus Episcopum Paulus postea constituit Timotheum, cui successit Onesimus. Ephesi quoque frequentius morabatur S. Joannes apostolus cum B. Virgine ejus curæ a Christo concredita, dum totius Asiæ fundaret et gubernaret Ecclesias, uti asserunt Patres Concilii Ephesini, cap. XXVII, ad Clericum Constantinopolitanum; unde et Ephesi mortuus est.

ILLOS (Aquilam et Priscillam) IBI RELIQUIT, — ut Ephesios fide Christi imbuerent.

21. DICENS. — Græca addunt: « Oportet omnino festum quod instat, me agere Hierosolymis. » Ita quoque legunt S. Chrysostomus, Œcumenius, Cajetanus, Vatablus et alii passim.

REVERTAR AD VOS, DEO VOLENTE. — Hoc exemplo Pauli et S. Jacobi, cap. IV, 13, usurpant pii Christiani, ut cum aliquid se facturos dicunt, addant: « Deo volente, » vel: « si Deus voluerit. » Credunt enim sperantque se suaque omnia regi a Deo, quo præeunte omnia succedunt prospere juxta illud Nazianzeni in *Distichis*:

> Deo annuente, nihil potest livor.
> Deo abnuente, nihil potest labor.

22. ET DESCENDENS CÆSAREAM — Cappadociæ, inquiunt Rabanus, Beda, Lyranus, Gagneius et alii, quia necdum in Syriam pervenerat Paulus; Cajetanus vero, Baronius, Arias et alii intelligunt Cæsaream Palæstinæ. Censent enim eo venisse Paulum; indeque perrexisse Hierosolymam, ibique salutasse Ecclesiam, puta Hierosolymitanam, quasi matricem, utpote e qua cæteræ prognatæ erant. Id exigunt verba græca paulo ante citata, itemque profectio Pauli in Syriam, et votum nazaræatus, de quo vers. 18; hoc enim explendum erat Hierosolymæ in templo. Quod si verum est, hæc est tertia (licet aliqui quartam velint) Pauli post conversionem profectio in Jerusalem. Multa enim brevitatis studio subticet, vel prætervolat Lucas. Nam *prima* fuit post triennium a conversione sua, *Act.* IX, 26, et *Galat.* I, 18, puta anno Christi 39. *Secunda*, post 14 annos, puta anno Christi 51; tunc enim ob quæstionem legalium adiit Apostolos, interfuitque Concilio Hierosolymitano, Act. cap. XV. *Tertia* est hic. *Quartam* audiemus cap. XXI, 17. Porro Paulus, salutans Ecclesiam, imprimis salutavit B. Virginem Deiparam, Ecclesiæ matrem et principem, consilia sua cum ea communicans, eamque vicissim in dubiis consulens, ac poscens ejus opem et preces apud Filium in tantis suis laboribus, difficultatibus et persecutionibus, uti par est credere. Vide dicta I, 14, et cap. XX, 22.

Profectiones quatuor Pauli Hierosolymam.

ET DESCENDIT ANTIOCHIAM — Pisidiæ, utpote vicinam Cæsareæ Cappadociæ, aiunt Beda et auctores prioris sententiæ jam citati, qui per Cæsaream acceperunt eam quæ est Cappadociæ. At vero Chrysostomus, Baronius et alii passim accipiunt Antiochiam Syriæ. Hæc enim absolute vocatur « Antiochia, » utpote caput Syriæ, reliquæ vero cum addito, ut « Antiochia Pisidiæ ». Amabat Paulus, inquit Chrysostomus, Antiochiam, utpote ubi creatus erat Apostolus Gentium, imo ubi primum iis prædicarat tanto fructu, ut ibi primum discipuli cognominati sint Christiani.

Vers. 23. 23. PERAMBULANS EX ORDINE GALATICAM REGIONEM ET PHRYGIAM. — Vide Apostolum instar fulguris celerrime per Asiæ regiones discurrentem. Vere S. Chrysostomus, hom. 8 *De Laudibus S. Pauli*:

Paulus sol est.

« Sol quidam, ait, est hominibus Paulus, qui totum prorsus orbem fulgentibus linguæ suæ radiis illuminavit, quique universas circumeundo gentes, cursum omnino solis imitatus est, ac mundi regiones omnes quasi libero a corpore animo pervolavit, et hoc cum amara ei vulnera crebrius obviarent; » ac mox confert et præfert eum Patriarchis, Prophetis, Angelis et Archangelis. Porro Galatæ Paulum quasi Angelum de cœlo lapsum susceperunt, uti testatur Paulus ad eosdem scribens cap. IV, 14.

24. APOLLO. — Quidam apud Œcumenium censent hunc esse Apellem, Pauli discipulum et ab eo creatum Episcopum Corinthi, de quo idem scribit *ad Roman.* XVI, 10: « Salutate Apellem probum in Domino. » Verum alii passim distinguunt « Apollo » ab Apelle. Hic est Apollo de quo Apostolus ait: « Ego plantavi, Apollo rigavit, Deus autem incrementum dedit, » I *Corinth.* III, 6. Ascriptus est Sanctis in *Martyrol.*, die 22 aprilis. Porro *Apollo* græce Ἀπολλῶς, est nomen indeclinabile, ac proinde diversum ab Apolline Gentium deo.

VIR ELOQUENS, — λόγιος Vatablus vertit, *eruditus*; alii, *prudens*; alii, *disertus*; alii *historiæ et antiquitatis peritus*. Hæc enim omnia significat λόγιος.

POTENS IN SCRIPTURIS, — puta versatus et efficax in iis citandis, explicandis, urgendis ad revincendos adversarios. Putant aliqui quod Apollo Alexandriæ (erat enim ipse Alexandrinus) in schola S. Marci inter Essæos eruditus fuerit, et exercitatus in sacris Litteris. Verum obstat id quod sequitur: « Sciens tantum baptisma Joannis. » Vatablus vertit: « Hic erat doctissimus librorum veteris Testamenti. » Unde *Apollo* idem est quod vibrans radios, ait Pagninus, in *Interpr. Nom. hebr.*, aut perdens et exterminans, ut sit idem quod *Apollyon*, *Apoc.*, IX, 11. Nam sua doctrina vehementer Judæos revincebat, vers. 28, et Judaismum exterminabat.

25. HIC ERAT EDOCTUS, — κατηχημένος, id est catechizatus, institutus ut catechumenus, initiatus, doctus primordia fidei Christianæ; nam necdum erat baptizatus baptismo Christi, sed tantum Joannis Baptistæ, ut sequitur, ac proinde necdum erat Christianus.

FERVENS SPIRITU. — Unde videtur quod ante baptismum per actum contritionis et charitatis fuerit justificatus. Ita Chrysostomus.

DOCEBAT EA QUÆ SUNT JESU, — scilicet Jesum crucifixum esse Messiam, sive Christum a Prophetis promissum, ex illis ipsis ostendebat.

SCIENS TANTUM BAPTISMA JOANNIS, — cujus professio et quasi forma erat, ut crederent in venturum Jesum, de quo cap. XIX, vers. 1 et 4. Forte olim baptismo Joannis erat baptizatus, in eoque audierat Jesum esse Christum, ac deinde rarius viderat vel audierat Christianos, ut baptismum Christi aliaque ejus mysteria ignoraret: unde ea didicit ab Aquila, moxque Christi baptismum suscepit.

26. HIC ERGO COEPIT FIDUCIALITER AGERE IN SYNAGOGA, — *q. d.* Libere et intrepide cœpit Judæis prædicare Jesum Christum.

ASSUMPSERUNT EUM — in domum suam plenius in Christiana fide erudiendum. Notat Chrysostomus laudatque sinceram fidem et charitatem Aquilæ et Priscillæ, utpote qui non suam, sed Christi gloriam quæsiverunt, ideoque Apollo instruxerunt, ut ille eloquens et potens in Scripturis, melius et efficacius prædicaret Christum. « Sicut, inquit Chrysostomus, in cithara varias quidem habes voces, unam autem harmoniam, et unus musicus est qui citharam in manum sumit: sic hoc in loco cithara quidem est charitas ipsa; voces, loquentes verba quæ ad charitatem conciliandam pertinent; omnes in unam suavem conspirant consonantiam. Musicus vero est charitatis vis, illa dulcem melodiam pulsando affert. Hæc melodia et Deum et angelos lætificat. Hæc totum in cœlo spectaculum excitat; hæc et dæmonum furorem compescit, et affectionum demulcet impetus, imo eis silentium inducit: sicut musico choro personante, omnes auditores, quantumvis garruli et turbidi, silent et auscultant.

Charitas est cithara.

Nihil sic facit amicum, ut anima gratitudinis studiosa, os bene loqui solens, anima sine fastu, contemptus vanæ gloriæ, contemptus honoris. »

ET DILIGENTIUS EXPOSUERUNT EI VIAM DOMINI, — puta institutum Christianismi a Deo sancitum. Nota hic humilitatem et docilitatem Apollo, qui vir eloquens potensque in Scripturis, erudiri se sinit ab Aquila et Priscilla. Cicero in Catone Majore laudat hanc Solonis sententiam : « Quotidie addiscens plurima, fio senex. » Tale est et illud Salvii Juliani jurisconsulti : « Etsi alterum pedem in sepulcro haberem, adhuc addiscere vellem. » Diogenes Cynicus ab Antisthene baculo repulsus : « Cæde, ait, si vis, at nullum invenies baculum tam durum quo me abs te abigas, dum aliquid dixeris. » Ita Laertius, lib. VI, cap. II. Zeno oraculum consulens, « quo pacto optime vitam instituerel, » audivit : « Si mortuis concolor fieret. » Ille sentiens se vocari ad veterum lectionem, contulit se ad philosophiam ; nam studium ac victus parcimonia maciem et pallorem homini conciliat. Ita Laertius, lib. VII, cap. I. Ita S. Hieronymus natu grandior adiit Constantinopolim, ut S. Gregorium Nazianzenum audiret, eoque præceptore sæpe gloriatur. Ita S. Augustinus sua dubia in Scripturis proposuit S. Hieronymo, ut ab eo doceretur. Idem fecit S. Damasus Pontifex.

27. EXHORTATI FRATRES, — προτρεψάμενοι. Syrus, præveneruat eum fratres, exhortando scilicet eum, ut pergeret in Achaiam, puta Corinthum, ac fideles sua sapientia et facundia in fide et pietate confirmaret. Noster recte vertit, *exhortati* : nam λόγος προτρεπτικός vocatur oratio exhortatoria (1).

CONTULIT MULTUM HIS QUI CREDIDERANT. — Græce addunt, διὰ τῆς χάριτος, id est *per gratiam* verbi, spiritus ac fervoris sibi a Deo aspiratam.

28. VEHEMENTER, — εὐτόνως, id est acriter, magna contentione, nervose et efficaciter.

ESSE CHRISTUM JESUM, — quod Jesus esset Christus. Est anastrophe.

(1) Alii jungunt *exhortati cum scripserunt*, id est, *litteras exhortatorias scripserunt*, ut scil. eum benevole exciperent.

# CAPUT DECIMUM NONUM.

## SYNOPSIS CAPITIS.

*Paulus redit Ephesum : ibi duodecim circiter discipulos Joannis baptizat et confirmat. Secundo, vers. 7, in synagoga tres menses, mox in schola tyranni per biennium prædicat, et dicta sua miraculis confirmat, adeo ut solis sudariis suis ægros sanet et dæmones pellat, quod dum imitari tentant Judæi Scevæ filii, invaduntur a dæmone : quare multi magiam damnant et magicos libros comburunt. Tertio, vers. 23, Demetrius argentarius Dianæ tumultum concitat contra Paulum, quem sedat scriba.*

1. Factum est autem, cum Apollo esset Corinthi, ut Paulus, peragratis superioribus partibus, veniret Ephesum, et inveniret quosdam discipulos, 2. dixitque ad eos : Si Spiritum Sanctum accepistis credentes? At illi dixerunt ad eum : Sed neque si Spiritus Sanctus est, audivimus. 3. Ille vero ait : In quo ergo baptizati estis? Qui dixerunt : In Joannis baptismate. 4. Dixit autem Paulus : Joannes baptizavit baptismo pœnitentiæ populum, dicens : In eum, qui venturus esset post ipsum, ut crederent, hoc est in Jesum. 5. His auditis, baptizati sunt in nomine Domini Jesu. 6. Et cum imposuisset illis manus Paulus, venit Spiritus Sanctus super eos, et loquebantur linguis, et prophetabant. 7. Erant autem omnes viri fere duodecim. 8. Introgressus autem synagogam, cum fiducia loquebatur per tres menses, disputans et suadens de regno Dei. 9. Cum autem quidam indurarentur, et non crederent, maledicentes viam Domini coram multitudine : discedens ab eis, segregavit discipulos, quotidie disputans in schola tyranni cujusdam. 10. Hoc autem factum est per biennium, ita ut omnes qui habitabant in Asia, audirent verbum Domini, Judæi atque Gentiles. 11. Virtutesque non quaslibet faciebat Deus per manum Pauli : 12. ita ut etiam super languidos deferrentur a corpore ejus sudaria, et semicinctia, et recedebant ab eis languores, et spiritus nequam egrediebantur. 13. Tentaverunt autem quidam et de circumeuntibus Judæis exorcistis, invocare super eos qui habebant spiritus malos, nomen Domini Jesu, dicentes : Adjuro vos per Jesum, quem Paulus prædicat. 14. Erant autem quidam Judæi Scevæ principis Sacerdotum septem filii, qui hoc faciebant. 15. Respondens autem spiritus nequam dixit eis : Jesum novi, et Paulum scio : vos autem qui estis? 16. Et insiliens in eos homo, in quo erat dæmonium pessimum, et dominatus amborum, invaluit contra eos, ita ut nudi et vulnerati effugerent de domo illa. 17. Hoc autem notum factum est omnibus Judæis atque Gentilibus, qui habitabant Ephesi; et cecidit timor super omnes illos, et magnificabatur nomen Domini Jesu. 18. Multique credentium veniebant, confitentes et annuntiantes actus suos. 19. Multi autem ex eis, qui fuerant curiosa sectati, contulerunt libros, et combusserunt coram omnibus; et computatis pretiis illorum, invenerunt pecuniam denariorum quinquaginta millium. 20. Ita fortiter crescebat verbum Dei, et confirmabatur. 21. His autem expletis, proposuit Paulus in spiritu, transita Macedonia et Achaia ire Hierosolymam, dicens : Quoniam postquam fuero ibi, oportet me et Romam videre. 22. Mittens autem in Macedoniam duos ex ministrantibus sibi, Timotheum et Erastum, ipse remansit ad tempus in Asia. 23. Facta est autem illo tempore turbatio non minima de via Domini. 24. Demetrius enim quidam, nomine argentarius, faciens ædes argenteas Dianæ, præstabat artificibus non modicum quæstum; 25. quos convocans, et eos qui hujusmodi erant opifices, dixit : Viri, scitis quia de hoc artificio est nobis acquisitio; 26. et videtis et auditis quia non solum Ephesi, sed pene totius Asiæ Paulus hic suadens avertit multam turbam, dicens : Quoniam non sunt dii, qui manibus fiunt. 27. Non solum autem hæc periclitabitur nobis pars in redargutionem venire, sed et magnæ Dianæ templum in nihilum reputabitur, sed et destrui incipiet majestas ejus, quam tota Asia et orbis colit. 28. His auditis, repleti sunt ira, et exclamaverunt dicentes : Magna Diana Ephesiorum. 29. Et impleta est civitas confusione, et impetum fecerunt uno animo in theatrum, rapto Gaio et Aristarcho Macedonibus, comitibus Pauli. 30. Paulo autem volente intrare in populum, non permiserunt discipuli. 31. Quidam autem et de Asiæ principibus, qui erant amici ejus, miserunt ad eum, rogantes ne se daret in theatrum. 32. Alii autem aliud clamabant. Erat enim Ecclesia confusa; et plures nesciebant qua ex causa convenissent. 33. De turba autem detraxerunt Alexandrum, propellentibus eum Judæis. Alexander autem manu silentio postulato, volebat reddere rationem populo. 34. Quem ut cognoverunt Judæum esse, vox facta una est omnium, quasi per horas duas clamantium : Magna Diana Ephesiorum. 35. Et cum sedasset scriba turbas, dixit : Viri Ephesii, quis enim est hominum, qui nesciat Ephesiorum civitatem cultricem esse magnæ Dianæ Jovisque prolis? 36. Cum ergo his contradici non possit, oportet vos sedatos esse et nihil temere agere. 37. Adduxistis enim homines istos, neque sacrilegos, neque blasphemantes deam vestram. 38. Quod si Demetrius, et qui cum eo sunt artifices, habent adversus aliquem causam, conventus forenses aguntur, et proconsules sunt, accusent invicem. 39. Si quid autem alterius rei quæritis, in legitima Ecclesia poterit absolvi. 40. Nam et periclitamur argui seditionis hodiernæ : cum nullus obnoxius sit (de quo possimus reddere rationem) concursus istius. Et cum hæc dixisset, dimisit Ecclesiam.



1. PERAGRATIS SUPERIORIBUS PARTIBUS, — Galatia et Phrygia, postquam Hierosolymis redisset Antiochiam, de qua cap. præced., vers. 23.

QUOSDAM DISCIPULOS. — Opinatur Cajetanus, hosce fuisse conversos et baptizatos baptismo Joannis ab Apollo. Hic enim ante Paulum fuerat Ephesi, solumque sciebat baptisma Joannis, cap. præced., vers. 24 et 25. Sed obstat quod Ephesi Apollo instructus fuerit plenius de Christo et Christi baptismo ab Aquila, cap. XVIII, vers. 26; quare si hi fuissent ejus discipuli, utique ipse eos plenius de Christo instruxisset, et baptismo Christi baptizari curasset. Adde, baptismum Joannis durasse tantum usque ad Christum : ad illum enim ducebat et tendebat, ideoque a solo Joanne collatus est, non a discipulis, vel posteris ejus, uti docet S. Augustinus, tract. 5 *in Joannem*, et S. Cyrillus, lib. II *in Joan.*, cap. LVII, et satis colligitur *Joan.* I, 33, et III, 23.

Dico ergo, hos ante annos viginti, ab ipso Joanne Baptista fuisse baptizatos in Judæa. Dum enim ex Asia Hierosolymam de more ad diem festum ascendissent, audientes prædicationem Joannis, ejus baptismum susceperunt, ab eoque

Nihil sic facit amicum, ut anima gratitudinis studiosa, os bene loqui solens, anima sine fastu, contemptus vanæ gloriæ, contemptus honoris. »

Et diligentius exposuerunt ei viam Domini, — puta institutum Christianismi a Deo sancitum. Nota hic humilitatem et docilitatem Apollo, qui vir eloquens potensque in Scripturis, erudiri se sinit ab Aquila et Priscilla. Cicero in Catone Majore laudat hanc Solonis sententiam : « Quotidie addiscens plurima, fio senex. » Tale est et illud Salvii Juliani jurisconsulti : « Etsi alterum pedem in sepulcro haberem, adhuc addiscere vellem. » Diogenes Cynicus ab Antisthene baculo repulsus : « Cæde, ait, si vis, at nullum invenies baculum tam durum quo me abs te abigas, dum aliquid dixeris. » Ita Laertius, lib. VI, cap. II. Zeno oraculum consulens, « quo pacto optime vitam institueret, » audivit : « Si mortuis concolor fieret. » Ille sentiens se vocari ad veterum lectionem, contulit se ad philosophiam ; nam studium ac victus parcimonia maciem et pallorem homini conciliat. Ita Laertius, lib. VII, cap. I. Ita S. Hieronymus natu grandior adiit Constantinopolim, ut S. Gregorium Nazianzenum audiret, eoque præceptore sæpe gloriatur. Ita S. Augustinus sua dubia in Scripturis proposuit S. Hieronymo, ut ab eo doceretur. Idem fecit S. Damasus Pontifex.

27. Exhortati fratres, — προτρεψάμενοι. Syrus, prævenerunt eum fratres, exhortando scilicet eum, ut pergeret in Achaiam, puta Corinthum, ac fideles sua sapientia et facundia in fide et pietate confirmaret. Noster recte vertit, *exhortati* : nam λόγος προτρεπτικός vocatur oratio exhortatoria (1).

Contulit multum his qui crediderant. — Græce addunt, διὰ τῆς χάριτος, id est *per gratiam* verbi, spiritus ac fervoris sibi a Deo aspiratam.

28. Vehementer, — εὐτόνως, id est acriter, magna contentione, nervose et efficaciter.

Esse Christum Jesum, — quod Jesus esset Christus. Est anastrophe.

(1) Alii jungunt *exhortati* cum *scripserunt*, id est, *litteras exhortatorias scripserunt*, ut scil. eum benevole exciperent.

# CAPUT DECIMUM NONUM.

## SYNOPSIS CAPITIS.

*Paulus redit Ephesum : ibi duodecim circiter discipulos Joannis baptizat et confirmat. Secundo, vers. 7, in synagoga tres menses, mox in schola tyranni per biennium prædicat, et dicta sua miraculis confirmat, adeo ut solis sudariis suis ægros sanet et dæmones pellat, quod dum imitari tentant Judæi Scevæ filii, invaduntur a dæmone : quare multi magiam damnant et magicos libros comburunt. Tertio, vers. 23, Demetrius argentarius Dianæ tumultum concitat contra Paulum, quem sedat scriba.*

1. Factum est autem, cum Apollo esset Corinthi, ut Paulus, peragratis superioribus
partibus, veniret Ephesum, et inveniret quosdam discipulos, 2. dixitque ad eos : Si Spi-
ritum Sanctum accepistis credentes? At illi dixerunt ad eum : Sed neque si Spiritus Sanc-
tus est, audivimus. 3. Ille vero ait : In quo ergo baptizati estis? Qui dixerunt : In Joannis
baptismate. 4. Dixit autem Paulus : Joannes baptizavit baptismo pœnitentiæ populum,
dicens : In eum, qui venturus esset post ipsum, ut crederent, hoc est in Jesum. 5. His
auditis, baptizati sunt in nomine Domini Jesu. 6. Et cum imposuisset illis manus Paulus,
venit Spiritus Sanctus super eos, et loquebantur linguis, et prophetabant. 7. Erant autem
omnes viri fere duodecim. 8. Introgressus autem synagogam, cum fiducia loquebatur per
tres menses, disputans et suadens de regno Dei. 9. Cum autem quidam indurarentur, et
non crederent, maledicentes viam Domini coram multitudine : discedens ab eis, segregavit
discipulos, quotidie disputans in schola tyranni cujusdam. 10. Hoc autem factum est per
biennium, ita ut omnes qui habitabant in Asia, audirent verbum Domini, Judæi atque
Gentiles. 11. Virtutesque non quaslibet faciebat Deus per manum Pauli : 12. ita ut etiam
super languidos deferrentur a corpore ejus sudaria, et semicinctia, et recedebant ab eis
languores, et spiritus nequam egrediebantur. 13. Tentaverunt autem quidam et de cir-
cumeuntibus Judæis exorcistis, invocare super eos qui habebant spiritus malos, nomen
Domini Jesu, dicentes : Adjuro vos per Jesum, quem Paulus prædicat. 14. Erant autem
quidam Judæi Scevæ principis Sacerdotum septem filii, qui hoc faciebant. 15. Respon-



dens autem spiritus nequam dixit eis : Jesum novi, et Paulum scio : vos autem qui estis?
16. Et insiliens in eos homo, in quo erat dæmonium pessimum, et dominatus amborum,
invaluit contra eos, ita ut nudi et vulnerati effugerent de domo illa. 17. Hoc autem notum
factum est omnibus Judæis atque Gentilibus, qui habitabant Ephesi; et cecidit timor super
omnes illos, et magnificabatur nomen Domini Jesu. 18. Multique credentium veniebant,
confitentes et annuntiantes actus suos. 19. Multi autem ex eis, qui fuerant curiosa sectati,
contulerunt libros, et combusserunt coram omnibus; et computatis pretiis illorum, inve-
nerunt pecuniam denariorum quinquaginta millium. 20. Ita fortiter crescebat verbum Dei,
et confirmabatur. 21. His autem expletis, proposuit Paulus in spiritu, transita Macedonia
et Achaia ire Hierosolymam, dicens : Quoniam postquam fuero ibi, oportet me et Romam
videre. 22. Mittens autem in Macedoniam duos ex ministrantibus sibi, Timotheum et
Erastum, ipse remansit ad tempus in Asia. 23. Facta est autem illo tempore turbatio non
minima de via Domini. 24. Demetrius enim quidam, nomine argentarius, faciens ædes
argenteas Dianæ, præstabat artificibus non modicum quæstum; 25. quos convocans, et
eos qui hujusmodi erant opifices, dixit : Viri, scitis quia de hoc artificio est nobis acqui-
sitio; 26. et videtis et auditis quia non solum Ephesi, sed pene totius Asiæ Paulus hic
suadens avertit multam turbam, dicens : Quoniam non sunt dii, qui manibus fiunt.
27. Non solum autem hæc periclitabitur nobis pars in redargutionem venire, sed et magnæ
Dianæ templum in nihilum reputabitur, sed et destrui incipiet majestas ejus, quam tota
Asia et orbis colit. 28. His auditis, repleti sunt ira, et exclamaverunt dicentes : Magna
Diana Ephesiorum. 29. Et impleta est civitas confusione, et impetum fecerunt uno animo
in theatrum, rapto Gaio et Aristarcho Macedonibus, comitibus Pauli. 30. Paulo autem
volente intrare in populum, non permiserunt discipuli. 31. Quidam autem et de Asiæ
principibus, qui erant amici ejus, miserunt ad eum, rogantes ne se daret in theatrum.
32. Alii autem aliud clamabant. Erat enim Ecclesia confusa; et plures nesciebant qua ex
causa convenissent. 33. De turba autem detraxerunt Alexandrum, propellentibus eum
Judæis. Alexander autem manu silentio postulato, volebat reddere rationem populo.
34. Quem ut cognoverunt Judæum esse, vox facta una est omnium, quasi per horas duas
clamantium : Magna Diana Ephesiorum. 35. Et cum sedasset scriba turbas, dixit : Viri
Ephesii, quis enim est hominum, qui nesciat Ephesiorum civitatem cultricem esse magnæ
Dianæ Jovisque prolis? 36. Cum ergo his contradici non possit, oportet vos sedatos esse
et nihil temere agere. 37. Adduxistis enim homines istos, neque sacrilegos, neque blas-
phemantes deam vestram. 38. Quod si Demetrius, et qui cum eo sunt artifices, habent
adversus aliquem causam, conventus forenses aguntur, et proconsules sunt, accusent in-
vicem. 39. Si quid autem alterius rei quæritis, in legitima Ecclesia poterit absolvi. 40. Nam
et periclitamur argui seditionis hodiernæ : cum nullus obnoxius sit (de quo possimus red-
dere rationem) concursus istius. Et cum hæc dixisset, dimisit Ecclesiam.

1. Peragratis superioribus partibus, — Galatia et Phrygia, postquam Hierosolymis redisset Antiochiam, de quo cap. præced., vers. 23.

Quosdam discipulos. — Opinatur Cajetanus, hosce fuisse conversos et baptizatos baptismo Joannis ab Apollo. Hic enim ante Paulum fuerat Ephesi, solumque sciebat baptisma Joannis, cap. præced., vers. 24 et 25. Sed obstat quod Ephesi Apollo instructus fuerit plenius de Christo et Christi baptismo ab Aquila, cap. XVIII, vers. 26; quare si hi fuissent ejus discipuli, utique ipse eos plenius de Christo instruxisset, et baptisma Christi baptizari curasset. Adde, baptismum Joannis durasse tantum usque ad Christum : ad illum enim ducebat et tendebat, ideoque a so… Joanne collatus est, non a discipulis, vel poster… ejus, uti docet S. Augustinus, tract. 5 *in Joannes*, et S. Cyrillus, lib. II *in Joan.*, cap. LVII, et sa… colligitur *Joan.* I, 33, et III, 23.

Dico ergo, hos ante annos viginti, ab ipso Joanne Baptista fuisse baptizatos in Judæa. Dum enim ex Asia Hierosolymam de more ad diem festum ascendissent, audientes prædicationem Joannis, ejus baptismum susceperunt, ab eoque

UANL UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ® DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

didicerunt, credendum esse in Christum mox venturum : mox in Asiam domum redeuntes, nihil amplius de rebus in Judæa a Joanne et Christo gestis audierant : quare ea hic audiunt a Paulo. Ita Chrysostomus et alii mox citandi.

Vers. 2. 2. Si Spiritum Sanctum accepistis, — *q. d.* Estisne confirmati sacramento Confirmationis? in eo enim primitus visibiliter dabatur Spiritus Sanctus, uti dixi cap. viii. Quia enim dicebant se esse discipulos Christi, ad quem missi erant a Joanne, putabat Paulus eos baptizatos esse baptismo Christi; sed dubitabat an essent confirmati, eo quod Ephesi nullus fuisset Episcopus, cujus solius est conferre sacramentum Confirmationis. Unde addit :

Credentes. — Græce πιστεύσαντες, id est *postquam credidistis*, et consequenter baptizati estis. Ita Pagninus, Tigurina et alii.

Sed neque si Spiritus Sanctus est, audivimus. — Hinc patet baptismum Joannis diversum fuisse a baptismo Christi, uti contra Calvinum et hæreticos definit Concilium Tridentinum, *sess.* 7, cap. i *De Baptismo*. Baptismus enim Christi confertur invocatione S. Trinitatis, dicendo : « Ego te baptizo in nomine Patris, et Filii et Spiritus Sancti. » Joannis vero in nomine Christi venturi duntaxat, ut patebit vers. 4, ideoque hi non audierant nomen Spiritus Sancti. Vide Bellarminum,

Error S. Cypriani. tract. *De Baptismo*, cap. xix et xxi. Perperam ergo S. Cyprianus, epist. 73 *ad Jubaianum*, ex horum rebaptizatione sumpsit argumentum de rebaptizandis hæreticis : quem errorem « passionis falce purgavit, » ait S. Augustinus, *epist.* 48. Pejus fingunt Centuriatores, lib. II, cap. iv, tit. *De Baptismo*, et Kemnitius, in *Exam. Concil. Trid.*, cap. *De Baptismo*, Joannem Baptistam baptizasse in nomine S. Trinitatis : hos vero non recepisse verum Joannis baptisma, sed mutilum et vitiatum. Nam ipsi diserte asserunt se baptizatos baptismate Joannis, nec Paulus de ejus veritate dubitat, quin potius verum fuisse præsupponit. Sed addit Joannis baptismum fuisse tantum symbolum pœnitentiæ, ideoque insufficientem ad remissionem peccatorum : eam enim solum præstare Christum in suo baptismo.

3. In quo, — εἰς τί, id est *in quid*, id est in quo, scilicet baptismate : respondent enim, « in Joannis baptismate : » sæpe enim εἰς sumitur pro ἐν. Alioqui proprie *in quid*, id est in quem, puta cujus nomine invocato « baptizati estis? » Imperite et inepte Beza et Bucerus hic baptismum interpretantur doctrinam Joannis a baptismo seclusam, *q. d.* In quo baptizati estis, id est cujus doctrinam edocti estis, a quo instituti estis? respondent illi : « in Joannis baptismate, » id est in Joannis schola et disciplina eruditi sumus, non tamen ab eo baptizati. Id faciunt, quia censent baptismum Joannis fuisse eumdem cum baptismo Christi. Ne ergo Paulum, qui eos baptizari curavit baptismo Christi, faciant Anabaptistam, dicunt eos non fuisse baptizatos baptismo Joannis,

Beza per baptismum accipit doctrinam Joannis Baptistæ.

sive Christi, ut ipsi opinantur. Ubi vide quis spiritus agat hæreticos, videlicet invidi Luciferi, qui eos excæcat et in vertiginem agit. Ut enim Christum ejusque Sacramenta extenuent, confundunt ea cum veteribus et S. Joannis, imo hæc illis adæquant et identificant.

Verum nusquam in Scriptura vel Patribus doctrina vocatur *baptismus* : aliud enim est docere, aliud baptizare. Quis unquam baptizari baptismo, censuit idem esse quod doceri doctrinam? *Secundo*, proprie hic baptismum accipi, patet ex sequentibus : « Dixit autem Paulus : Joannes baptizavit baptismo pœnitentiæ populum. » Rursum : « His auditis, baptizati sunt in nomine Domini Jesu; » ubi clarum est proprie baptismum accipi pro ablutione sacramentali, non pro doctrina. Ergo et paulo ante, cum ait eos baptizatos baptismo Joannis, proprie baptismum accipit. Opponit enim baptismum Christi baptismo Joannis, et baptizatos baptismo Joannis jubet baptizari baptismo Christi. Ergo clarum est baptismum Joannis fuisse alium a baptismo Christi, eoque longe inferiorem, nisi Paulum velimus facere Anabaptistam. *Tertio*, ita docent et explicant S. Chrysostomus hic; S. Augustinus, lib. *De Unico Baptismo*, cap. vii; S. Hieronymus, in cap. ii *Joelis*; Tertullianus, lib. *De Baptismo*, cap. x; Origenes, tomo VIII *in Joannem*, et alii passim. *Quarto*, quia Græce est μὲν, quod expressam vel tacitam exigit antithesin. Unde post se poscit δὲ, *q. d.* Joannes quidem baptizavit baptismo pœnitentiæ, Christus vero baptizat baptismo remissionis peccatorum justitiæ et salutis. Perperam enim Beza τὸ μὲν refert ad δὲ, quod habetur vers. 5 in Græco, ubi dicitur : ἀκούσαντες δὲ, id est *audientes vero baptizati sunt*. Nam Pauli oratio imperfecta expleri nequit per historiam rei gestæ per alios, puta baptizatos, sed ejusdem Pauli oratione tacita suppleri debet : alioqui dicendum est τὸ μὲν esse encliticum, et redundare, uti redundat cap. i, 1, et alibi. Vide Bellarminum, *De Baptismo*, cap. xxii, ubi alia aliorum effugia confutat.

Confutatur Primo.

4. Joannes baptizavit baptismo pœnitentiæ. — Vers. 4.
Id est baptismo, qui erat symbolum, excitatio et protestatio pœnitentiæ, ad remissionem peccatorum baptismo Christi recipiendam. Vide dicta cap. i, 5. Hinc sequitur infantes et pueros rationis et pœnitentiæ impotes non fuisse baptizatos baptismo Joannis; sed solos adultos, utpote rationis et pœnitentiæ capaces. Ita Suarez et alii passim. Secus est de baptismo Christi, qui confertur parvulis ad remissionem peccati originalis.

Dicens : In eum qui venturus esset post ipsum, ut crederent. — Hinc colligunt S. Hieronymus, in cap. ii *Joelis*; D. Thomas, Magister Sententiarum, Bonaventura, Palatius et alii, in IV, dist. ii, hanc fuisse formulam baptismi Joannis : « Ego te baptizo, in eum qui venturus est ut credas, hoc

Forma baptismi Joannis.



est in Jesum Christum, » quem vobis mox ostendam. Christum vero baptizans dixit : « Ego te baptizo, in nomine tuo, qui venturus es, » ait Palatius. Ubi adverte, hanc formulam esse exhortatoriam, ideoque non proprie fuisse formam Sacramenti (hoc enim est proprium Sacramentis legis novæ, quæ quia perfecta sunt, coalescunt ex materia et forma), sed instar formæ. Erat enim proprie exhortatio ad pœnitentiam et fidem in Christum. Ita docet Durandus, Gabriel, Sotus et ex iis Franciscus Suarez, III *part.*, *Quæst.* XXXVIII, dist. xxv, sect. 1. Nota : τὸ « qui venturus est » est periphrasis Messiæ sive Christi, ut dixi *Genes.* xlix, 12. Unde Græca et Syra addunt : *hoc est in Jesum Christum.*

Vers. 5. 5. His auditis, baptizati sunt. — Beza contendit hæc esse verba non Lucæ, sed Pauli; ejus enim narrationem cœptam vers. præced., hic expleri, *q. d.* Paulus : Multi e populo, auditis verbis Joannis, ab eo baptizati sunt in nomine Christi. Verum hæc esse verba non Pauli, sed Lucæ, plane exposcit tota rei gestæ series, quæ historica est narratio, quod scilicet hi duodecim Ephesii baptizati baptismo Joannis, audientes a Paulo baptismum Joannis esse insufficientem et complendum per baptismum Christi, eodem mox baptizati sint. Idem evincunt sequentia verba, vers. 6 : « Et cum imposuisset illis manus, venit Spiritus Sanctus super eos, » *q. d.* Baptizati sunt, et mox a Paulo confirmati receperunt Spiritum Sanctum : alioqui enim nulla erit horum versuum connexio, sed erunt scopæ dissolutæ, et « arena sine calce, » ut dicebat Caius Imperator, de scriptis et sententiis Senecæ, teste Lipsio in ejus Proœmio.

6. Et cum imposuisset illis manus (impertiendo eis sacramentum Confirmationis), venit (in visibili ignis vel linguarum specie) Spiritus Sanctus super eos (unde), et loquebantur linguis, et prophetabant, — vel proprie futura prædicendo, vel improprie celebrando magnalia Dei. Hi enim erant effectus sacramenti Confirmationis, non Baptismi, ut ostendi cap. ii, 4, et cap. viii, 17.

8. De regno Dei, — puta de regno cœlorum, deque modis et viis quibus ad illud tendere debemus, ut dixi cap. i, 3, nimirum per fidem, obedientiam et cultum Christi crucifixi.

9. Cum autem quidam (Judæi : erant enim e synagoga, in qua prædicabat Paulus) non credebant. — Syrus, *excandescerent.*

Maledicentes viam Domini, — convicantes institutum Christianismi Christumque crucifixum blasphemantes. « Hinc discimus, ait Chrysostomus, quod non debemus nos immiscere maledicentibus, sed ab eis discedere. Cum malediceretur, non maledixit etiam ipse, sed potius quotidie disputabat : et ob hanc causam potissimum sibi familiares faciebat, quod quamvis male audiret, non tamen recederet, neque resiliret. »

Disputans in schola tyranni cujusdam. — Syrus, Dionysius, Arias et Mariana censent, *tyrannus* esse nomen proprium viri sic appellati : imo Arias censet nomen *tyranni*, mutatis punctis, idem esse quod Tyrui, vel Turni. Sic Tyrannio dictus est Grammaticus ille, quem laudat Strabo, lib. XIII. Forte hic est ille Tyrannus sophista, quem scribit Suidas libros decem edidisse de statu et divisione orationis. Ita Baronius. Alii *tyranni* nomen accipiunt ut appellativum, pro principe, primate aut viro potente : unde et in Romanis Bibliis scribitur per minusculum. Ita Lyranus, Cajetanus, Vatablus, Gagneius et alii; quasi studio hunc locum viri potentis elegerit Paulus, ut is eum sua potentia contra Judæorum audaciam tueretur, unde et biennium ibidem resedit et docuit. Forte erat ex stirpe Androchi, quem Strabo, lib. XIV, asserit fuisse Codri, Athenarum regis, filium, Ephesumque condidisse eamque fecisse regiam Ionum, additque : « Etiamnum omnes ex hoc genere reges vocantur, et quibusdam regiis fruuntur honoribus, ut qui primo loco sedeant in spectaculis, purpuram habeant, scipionem quoque pro sceptro. » Tunc « schola » pro aula, vel porticu, in quam otii causa hic tyrannus, id est vir potens, secedere solebat, accipi debet : σχολάζω enim idem est quod otior, requiesco, ferior, immoror : unde σχολὴ est otium, vacatio, cessatio, mora, secessus : inde ludus litterarius vocatur *schola*, eo quod litteræ otium poscant. Studiosi enim et scholares, cæteris rebus omissis, toti debent vacare liberalibus studiis. Vide Brissonium, lib. XVII *De Verborum signific.*

10. Hoc autem factum est per biennium. — Adde tres menses, quos Paulus prædicando exegit in synagoga, vers. 7, habebis duos annos expletos, et tertium inchoatum per tres menses. Unde cap. xx, 31, ait Paulus se Ephesi tres annos resedisse, scilicet incompleta, quia tertium duntaxat inchoavit. Porro Paulus venit Ephesum anno Christi 53, Claudii 13, inde recessit anno Christi 57, Neronis 4, post Pentecosten. Hoc enim scribit Corinthiis, *Epist.* 1, cap. xvi, 8 : « Permanebo, inquit, Ephesi usque ad Pentecosten. » Ita Baronius, qui et recte advertit Paulum hoc biennio non semper hæsisse Ephesi, sed et excurrisse ad alias Asiæ civitates, iis evangelizando. Causa, cur tamdiu Ephesi hæserit Paulus, fuit civitatis frequentia, idololatria, philosophia, magia. Erat enim Ephesus Asiæ metropolis, in eaque Dianæ templum celeberrimum : hanc ergo idololatriæ arcem expugnandam suscipit Paulus, ut ea subacta, facile reliqua omnia expugnet. Ephesi enim scholam magiæ instituit sub hoc tempus Apollonius Thyanæus impostor, Christi Paulique hostis. Hanc causam dat Paulus Epheso scribens *ad Corinth.* epist. 1, cap. xvi, 8 : « Permanebo, inquit, Ephesi : ostium enim mihi apertum est magnum et evidens, et adversarii multi. » Hac etiam de causa scribens postea ad Ephesios,

Apostoli schola magica Ephesi.

stylum attollit, profunde loquitur, sublimia speculatur, ut ostendat se profunditate sapientiæ non cedere, sed superare magos et philosophos, uti dixi Proœmio in epistolam *ad Ephesios*. Quocirca Haymo ibidem : « Sicut cor, inquit, in medio ventris, ita ista in medio corpore epistolarum constitit. »

Omnes, — plerique omnes, plurimi.

In Asia — Minore : undequaque enim ex Asia hac confluebant Ephesum, tum ob urbis, tum ob templi Dianæ celebritatem. Hinc recte docet Baronius, anno Christi 97, Ephesinam Ecclesiam primitus non a S. Joanne, dum is cum cæteris fidelibus jussus abire Hierosolymis, una cum Dei Genitrice venit Ephesum; sed a Paulo fuisse fundatam; hoc enim moris sui fuisse scribit Paulus, *Rom.* xv, 20. Unde et S. Ignatius, scribens ad Ephesios, Paulum Joanni in ædificatione Ephesinæ Ecclesiæ præponit. Et Epiphanius, *hæresi* 51, ait S. Joannem in senectute curasse Asianam Ecclesiam : ergo post Paulum.

Vers. 11. 11. Virtutesque non quaslibet, — non vulgares, sed maximas, ait Syrus, puta miracula grandia.

Vers. 12. Semicinctia quæ? 12. Semicinctia. — Quidam putant esse idem cum sudariis, aut eorum speciem; unde ait Lucas, *sudaria* vel *semicinctia*. Œcumenius autem « sudaria » censet fuisse vittas capitis; « semicinctia » vero strophiola, quæ nos « sudaria » vocamus, quod iis sudorem abstergamus. Alii « semicinctium » interpretantur velamen lineum vel pelliceum, quo opifices pectus et femora præcingunt, ne operando vestes commaculent; erat enim Paulus opifex et scenopegus. Dicuntur « semicinctia, » quia non totum corpus, sed dimidium cingunt et velant. Ita Salmeron et Lorinus. Denique apposite per *semicinctia* accipies breviora vel arctiora cingula, aut zonæ sive cinguli partes, *q. d.* semizonas, semicingula. Unde Isidorus, lib. XIX : « Cinctus, ait, est lata zona, et minus lata semicinctium, et utriusque minima cingulum. » Sic Nicephorus, Episcopus Constantinopolitanus, inter alias vestes sacerdotales, quas mittit Leoni III Pontifici, nominat « semicinctia, » id est cingula, « auro variegata, » uti patet in Actis Concilii Ephesini, cap. xxii. Et Petronius, dum quemdam se suspendere parantem describit, asserit eum ad hoc parasse semicinctia, id est cingula. Quocirca Martialis, in *Apophoreto* 153, cujus titulus est « semicinctium, » illud ita describit:

> Det tunicam locuples, ego te præcingere possum.
> Essem si dives, munus utrumque darem.

Hæc et plura Sanchez. Accedit Nicephorus, lib. II, cap. xxiv, qui semicinctia interpretatur fascias tenues. Nota : In textu Græco sunt Latinæ voces, *sudaria* et *semicinctia*, quia multæ similes ex lingua Romana (utpote dominantibus in Græcia Romanis) in Græcam Apostolorum ætate transierant, ut « libertini, » *Actor.* vi; « prætorium, » *Matth.* xxvii; « custodia, » ibidem; « Niger, Euroaquilo, centurio, titulus, » *Joan.* xix; « denarius, quadrans legio, spiculator, linteum, colonia, flagellum, » *Joan.* ii; « membrana, census, » *Matth.* xvii; « perperam, » 1 *Corinth.* xiii; « Artemon, sicarii, » *Actor.* xxii. Ita Mariana.

Recedebant ab eis languores. — S. Chrysostomus, hæc theorice exaggerans, hom. 8 in epist. *ad Rom.* et hom. 6 in epist. 1 *ad Corinth.*, addit umbra Pauli revixisse mortuos. Hinc patet antiquus usus, vis et energia sanctarum reliquiarum, nec tantum corpora Sanctorum, sed et sudaria, vestes aliaque corpori adjacentia esse salutifera, uti de floribus feretrum S. Stephani tangentibus narrat S. Augustinus, lib. XXII *De Civit.*, cap. viii, iis plures ægrotos esse sanitati restitutos. Sic S. Gregorius Constantiæ Augustæ, lib. III, *epist.* 30, et aliis pro sacris reliquiis misit brandeum, id est velum quod Apostolorum et Martyrum reliquias texerat vel tetigerat. Theodoretus, in *Philotheo*, cap. xxi, asserit oleum in lychnis ante sepulcra Martyrum ardens, multis sanitatem per miraculum attulisse. Plura vide apud Baronium hic, anno Christi 55.

13. Judæis exorcistis. — Judæos ante Christum suos habuisse exorcistas ad expellendum dæmones, hinc liquet, et ex illo *Matth.* xii, 17 : « Filii vestri in quo ejiciunt ? » et ex Josepho, lib. VIII *Antiq.*, cap. ii, et lib. VII *Belli*, cap. xxv, et ex Epiphanio, *hæresi* 30, ubi asserit eos usus nomine tetragrammato Jehova. De exorcismis Salomonis vide Josephum loco citato, et Delrio in *Magicis* : quanquam S. Thomas, *Quæst.* VI de potentia, art. 10, ad 3, et ex eo Franciscus Victoria, *Relectiones de magia*, num. 28, censent exorcismos Salomonis per certam radicem cum adjuratione, ab eo compositos esse postquam factus est idololatra. Sane hos exorcistas magicis artibus usos, suspicari licet ex eo quod ait Lucas, vers. 9 : « Multi autem ex eis qui fuerant curiosa sectati, » etc. Jam soli Christiani habent et ordinant exorcistas, quorum exorcismi, id est adjurationes dæmonum, sunt spiritualia eorum « flagra et verberum tormenta, » ait S. Cyprianus, epist. *ad Demetrianum*. Hanc enim potestatem ejiciendi dæmones Christus dedit Apostolis et Ecclesiæ, *Lucæ* x, 19. Errat ergo Origenes, tract. 35 in *Matth.*, ubi docet Judaicum esse exorcizare dæmones, non Christianum, hoc argumento : Christiano homini ex lege Christi non licet omnino jurare, *Matth.* v, 34, ergo nec quempiam adjurare, sive exorcizare. Verum, sicut falsum est antecedens, ita et consequens, sive conclusio inde deducta. Vers. 13. Exorcistæ Judæorum.

Adjuro vos per Jesum. — Nam, ut ait S. Chrysostomus, hom. 4 *de Laudibus S. Pauli*, « si Jesum invoces Nazarenum, velut ab igne repente diffugit dæmon. » Et S. Justinus, *De Veritat. Christ. relig.* : « Ejus nominis (Jesu) potentiam dæmones tremunt et reformidant; hodie quoque illi per Nomen Jesu pellit dæmones.





nomen Jesu Christi crucifixi adjurati nobis parent. » Et Prudentius, in *Apotheosi contra Judæos* :

> —— Torquetur Apollo
> Nomine percussus Christi, nec fulmina verbi
> Ferre potest : agitant miserum tot verbera linguæ,
> Quot laudata Dei resonant miracula Christi.

Ratio est, quia a Jesu victus et prostratus est dæmon. Jesum ergo et crucem ejus horret, sicut canis horret baculum quo percussus est, et multo magis percussorem, qui baculum in eum vibrat. Testatur S. Dionysius, *Eccl. Hierarch.*, cap. iii, Christianos cum post baptismum in peccatum aliquod mortale incidissent, vexari a dæmonibus consuevisse. Et S. Cyprianus, *epist.* 76 : « Sæpe, ait, nonnulli de iis qui sani baptizantur, si postmodum peccare cœperint, spiritu immundo redeunte quatiuntur, ut manifestum sit diabolum in baptismo fide credentis excludi; si fides postmodum defecerit, regredi. » Hæc Cyprianus agens de iis qui a fide et Christo apostatant.

Quem Paulus prædicat. — Videntur hi exorcistæ ex præsumptione voluisse imitari Paulum in expellendis dæmonibus per nomen Jesu, ut inde sibi plausum et quæstum facerent apud populum. Unde S. Chrysostomus et S. Cyprianus, serm. *De Baptismo Christi*, vocant eos quæstuarios. Verum quia suis viribus diffidebant, prætexunt nomen Pauli, quem videbant dæmonibus esse terrori eosque expellere. Porro quia erant Judæi, ideoque increduli Christo, idcirco non ipsi diabolo, sed ipsis diabolus prævaluit in eosque insiliit. Addunt aliqui, id eos astuto dolo malo fecisse, nimirum ut a Paulo ejusque doctrina homines averterent, et ad se ac Judaismum traducerent. Si enim ipsi expellerent dæmones, cum ipsi essent Judæi, dicturi erant se virtute Judaismi et fidei Judaicæ id facere, ac proinde Jesum, sive Salvatorem et Christum esse eum quem Judæi expectant, non quem Paulus jam venisse prædicat. Si non expellerent, dicturi erant Jesu nomen esse inane et invalidum ad expellendos dæmones, ac proinde frustra coli et invocari, frustraque a Paulo prædicari, et suis exorcismis præferri.

14. Principis sacerdotum, — unius e principibus, sive pontificibus. Erant enim 24 principes, sive pontifices, puta primogeniti totidem familiarum sacerdotalium, uti dixi cap. iv, vers. 6.

15. Vos autem qui estis? — *q. d.* Vos non estis servi Christi, nec Pauli asseclæ, sed nostra mancipia, utpote Christo increduli et infideles, lucrum plausumque ex Christi nomine captantes : indignum autem est, ut mancipium suo hero et domino imperet, eumque domo sua expellat. S. Cyprianus, serm. *De Baptismo*, sic explicat : « Christum scimus, et Paulum novimus, et in nomine Christi quem Paulus prædicat adjurati, egredimur; vos autem penitus ignoramus. » Chrysostomus vero, *q. d.* Vos non creditis Christo, sed ejus nomine abutentes, hæc verba fingitis : vos non estis hujus nominis præcones, quia mei estis. Christi ergo et Pauli herile imperium agnosco, non vestrum : puniam ergo vestram audaciam et temeritatem, atque ut servos meos mihi insultantes male mulctabo. « Quare, inquit Chrysostomus, non dixit spiritus malus : Quid est Jesus? Terrebatur, ne ipse pœnam det. Sciebat enim concedi ei ulcisci illos, quos hujus nominis illusores fecerat. » Simili modo Lutherus volens exorcizare dæmonem, ab eo invasus in extremas angustias redactus est, uti narrat Staphylus *Contra Smidelinum*, pag. 404, et Bredembachius, *Collat.* VII, cap. xl.

Ex adverso S. Hilarion, qui, teste S. Hieronymo, in ejus Vita, præ cæteris Sanctis dominatus est dæmonibus plurimosque expulit, hoc in eos imperium acquisivit contemptu sui, fuga opum et honorum : aurum enim pro luto habebat. « Crebro, inquit S. Hieronymus, mutabat locum, non ex levitate, sed honorem fugiens et importunitatem; semper enim silentium et vitam ignobilem desiderabat. Singulos hortabatur præterire figuram hujus mundi, et eam esse veram vitam, quæ vitæ præsentis emeretur incommodo. » Videns omnium ordinum ad se concursum flebat. Rogatus cur? « Rursum, ait, ad sæculum redii et recepi mercedem meam in vita mea. Mirentur alii signa quæ fecit; mirentur incredibilem abstinentiam, scientiam, humilitatem : ego nihil ita stupeo, quam gloriam illam et honorem calcare potuisse. Concurrebant enim ad eum Episcopi, Presbyteri, Monachi, matronæ quoque, Christianorum grandis tentatio : at ille nihil aliud nisi solitudinem meditabatur; dæmones in energumenis ubique eum latere cupientem prodebant : sed ille dolens, et quodammodo in sui ultionem sæviens, tanta eos oratione cum instantia flagellabat, ut omnes ab energumenis expelleret. Nihil in eo cunctis ita admirantibus, quam quod post tanta signa et miracula, ne fragmen quidem panis a quoquam illis in locis accepisset. Accensus enim fiducia pauperis conscientiæ, in eo magis lætabatur et quod nihil haberet sæculi, et quod ab accolis illius loci mendicus putaretur. » Habebat hanc gratiam, ut ex odore corporum, vestium et earum rerum quas quis tetigerat, sciret cui dæmoni, vel vitio subjaceret. Apposito cicere cujusdam avari : « Non sentis, ait, putorem teterrimum, et in cicere hærere avaritiam? Da bobus. » Dedit alter : at illi illico ruptis loris fugerunt. Terribili camelo et feroci procedens obviam : « Non me, ait, terres, diabole, tanta mole corporis : et in vulpecula, et in camelo unus atque idem es. » Orionus vir potens, a legione dæmonum ab eo liberatus, obtulit ei multa dona. Recusanti ait : « Da pauperibus. » Cui Sanctus : « Tu, ait, melius potes tua distribuere, qui per urbes ambulas et nosti pauperes. Ego qui mea reliqui, cur aliena appetam? » Cumque ille doleret sua respui : « Noli, ait, contris-

tari, o fili. Quod facio, pro me et pro te facio. Si enim hæc accepero, et ego Deum offendam, et legio ad te revertetur. » Adducta est ad Sanctum puella energumena, qui ridens dæmonem : « Grandis, ait, fortitudo tua, qui licio et lamina strictus teneris. Dic quare ausus es ingredi puellam Dei? » Respondit dæmon : « Ut servarem illam virginem. » Cui Sanctus : « Tu servares, proditor castitatis? Cur non potius in eum qui te mittebat, es ingressus? Ut quid, respondit dæmon, intrarem in eum, qui habebat collegam meum amoris dæmonem? Splendente luna erumpit ex improviso chorum ferventibus equis super se irruere : cumque inclamasset Jesum, ante oculos ejus repentino terræ hiatu pompa omnis absorpta est. Tunc ille ait : Equum et ascensorem projecit in mare. Et : Hi in curribus, et hi in equis, nos autem in nomine Dei nostri magnificabimur. » Puer pene existens incidit in latrones, qui ad eum conversi : « Quid, inquiunt, faceres, si latrones ad te venirent? Cuibus ille respondit : Nudus latrones non timet. Et illi : Certe, aiunt, occidi potes. Possum, ait, possum; et ideo latrones non timeo, quia mori paratus sum. »

16. Et insiliens in eos. — pugnis plagisque eos contundendo, vestesque eorum dilacerando, dentibus unguibusque laniando, calcibus impetendo, itaque vulnerando : nam nudi et vulnerati de domo effugerunt. Vide hic, ait Chrysostomus, quantam vim habeat dæmon in corpora infidelium et hæreticorum, indeque collige eumdem similia, imo majora exercere in animam peccatoris, quam per peccatum obsidet, possidet, agitat et exagitat, ut lictor quasi vile suum mancipium. Additque : « Peccatum gravius est dæmone : nam ille quidem humiles facit, peccatum autem superbos : insuper vitiosum habitum in animam inducit. Sic irati familiarem apud se alunt lictorem se torquentem, ulciscendi, inquam, cupiditatem. Sicut enim putredo quædam ac tinea, ita mentis nostræ radicem arrodit. Quare bestiam intra viscera tua includis? Melius esset viperam et serpentem in corde positam esse, quam iram, vel invidiam. »

Dominatus amborum. — E septem ergo duo hic exercebant exorcismum, cæteris absentibus vel quiescentibus : unde in duos solum insiliit dæmon. Græce tamen jam pro amborum, habent αὐτῶν, id est eorum, quasi in omnes septem dæmon insilierit. Verum quidam Græci codices habent ἀμφοτέρων, id est amborum, uti notat Valesius.

18. Confitentes et annuntiantes actus suos. — Perperam Lutherus pro actus suos, vertit, miracula sua : miracula enim non sunt actus nostri, sed Dei, qui solus est omnipotens, ideoque et thaumaturgus. Unde Syrus clare vertit, renuntiabant offensas suas, et confitebantur quod fecerant.

Hæc de confessione, quæ fit in sacramento Pœnitentiæ, accipit Œcumenius, Salmeron, Sanchez et Gagneius hic, Bellarminus, lib. III De Pœnitentia, cap. IV; Baronius, Gregorius de Valentia, Hosius, Ruardus Tapperus et alii, qui hinc probant necessitatem confitendi contra hæreticos. Nam τὰ actus suos significat hanc confessionem non fuisse generalem et publicam, dicendo : Fateor me esse peccatorem, ut vult Calvinus et Beza, sed particularem, ideoque secretam; in hac enim, non in illa enarrantur speciatim et particulatim singuli actus mali a pœnitente. Alii tamen hæc accipiunt de confessione prævia baptismo. Hi enim videntur fuisse Gentiles et Judæi; de quibus dixit vers. præcedenti, quod perculsi illa strage exorcistarum magnificarint nomen Domini, ac consequenter crediderint in Christum. Hi ergo, ante baptismum compuncti, ostenderunt signa veræ compunctionis publice enuntiando sua peccata, quæ in gentilismo commiserant : sicut de Joannis baptismo dicitur, Joan. I, 5 : « Baptizabantur ab illo in Jordanis flumine, confitentes peccata sua : » ubi græce idem est verbum ἐξομολογούμενοι, quod hic. Ita Arator, Cajetanus et Lorinus, Eusebius, lib. III Demonst., cap. VIII; Beda, in Marc. I; Andreas Vega, lib. XIII De Justif., cap. XXVIII, et alii.

Agi hic de confessione sacramentali. Prob. Primo.

Prior sententia videtur verior et germanior. Primo, quia hos confitentes non fuisse Gentiles vel Judæos, sed Christianos, patet ex eo quod vocentur credentes, quod primo illo sæculo erat proprium nomen Christianorum. Est enim hic altera pars, et alter effectus, quem causavit ignominia et plaga Judæis exorcistis a dæmone inflicta. Nam vers. præcedenti dicit Lucas quod in Gentilibus et Judæis causarit timorem et doxologiam; hoc vero dicit, quod in Christianis causarit pœnitentiam et exomologesin, uti etiamnum causat. Nam Christiani timore aliquo et terrore diabolico perculsi, illico ad exomologesin confugiunt, ut animæ suæ consulant ejusque salutem in tuto collocent.

Dices : Gentiles vocantur credentes, quia incipiebant credere et aspirare ad baptismum. Respondeo : Id dici nequit, quia in Græco est præteritum πεπιστευκότων, id est multi eorum qui jam crediderant, et consequenter baptizati erant. Secundo, quia nulla hic baptismi fit mentio, quam utique fecisset Lucas, si Gentilium conversionem et initiationem (hæc enim fit baptismo) significare voluisset. Præsupponit ergo eos fuisse baptizatos. Adde primitus ante baptismum vix ullos confessos esse in particulari sua peccata : sufficiebat enim contritio, et unus Paulus, cum Sila et Timotheo, non suffecisset audiendis tot tantorum confessionibus.

Dices secundo : Incredibile videtur Christianos a Paulo instructos, retinuisse adhuc libros magicos et magiæ vacasse, quod tamen de his confitentibus asserit Lucas versu sequenti. Respondeo : Primo, in primis illis fidelium a Gentilismo ad Christianismum conversionibus, non omnia statim a Paulo dici, nec a fidelibus disci et practicari poterant : sicut etiamnum in Gentilibus recens conversis remanent multi mores gentilitii, sensim dedocendi et evellendi : quinimo etiamnum apud segnes frigidosque et rudes Catholicos, libros superstitiosos, magicos et hæreticos est invenire. Secundo, alii sunt hi confitentes ab illis magiæ deditis et magicorum librorum possessoribus. Id patet ex voce adversativa autem. « Multi autem qui fuerant curiosa sectati, » etc. Ita Sanchez.



Porro Stapletonus hic censet, hosce confitentes primo secretam confessionem peregisse, deinde publicam aliquorum saltem peccatorum. Id enim olim in publica pœnitentia fieri solitum, patet ex facto Nectarii, qui publicam hanc confessionem Constantinopoli ob exortum ex ea scandalum sustulit, teste Socrate, lib. VI, cap. XIX. Idipsum innuit vox ἀναγγέλλω, id est palam, publice annuntiare. Verum non est necesse id asserere : nam ἀναγγέλλω idem est quod annuntio, ut vertit Noster et alii, sive publice id fiat, sive privatim et secreto : ἀναγγέλλω enim idem est quod renuntio, indico, prodo, recito, profiteor, pronuntio. Neque in primis illis rudibus Ecclesiæ initiis, publica pœnitentia videtur fuisse in usu, sed sero ad sarcienda scandala, quæ crescente numero fidelium sensim oboriebantur, est introducta et ab Episcopis injuncta. Hic vero fideles libere confessi sunt, ut dæmonis manus et vindictam evaderent : ad quod utilis erat secreta et sacramentalis confessio, non publica : sic enim sufficisset et præstitisset Deo corde contrito confiteri.

Moraliter : Confessio diaboli vires frangit.

Moraliter, nolent hic fideles se contra omnes Satanæ insultus munire sacra confessione. Ipsa enim omnes ejus vires enervat, omnes ejus fraudes detegit, omnes dolos aperit, omnes perplexitates discutit. Unde S. Hieronymus, in Ecclesiast. cap. X : « Si quem, inquit, serpens diabolus occulte momorderit, et nullo conscio eum peccati veneno infecerit, si tacuerit qui percussus est, et non egerit pœnitentiam, nec vulnus suum fratri et magistro voluerit confiteri, magister qui linguam habet ad curandum, facile ei prodesse non poterit. Si enim erubescat vulnus medico confiteri, quod ignorat medicina, non curat.

In Vita S. Epicteti et Astionis hæc legimus : « Vidit B. Astion puerum quemdam nigrum cum ignea facula de sinu suo exeuntem, ac talia sibi dicentem : Confessio tua, Astion, magnas meas contrivit hodie vires, et una oratio vestra me inermem in omnibus reddidit ac desolatum. »

Narrat Ruffinus, lib. III in Vitis Patr., num. 57, quemdam tentatione blasphemiæ, ejus revelatione et confessione fuisse levatum.

Idem de tentatione fornicationis legimus in Vitis Patr., lib. V, num. 13 : « Nihil enim, ait, sic extrudat dæmonem fornicationis, quomodo si revelentur stimulationes ejus; et nihil eum sic lætificat, quomodo si abscondantur cogitationes. »

Serapion Abbas apud Cassianum, Collat. II, cap. X et XI, narrat se tentatione gulæ et consuetudine furandi parvam, liberatum per publicam hujus furti confessionem : « Ex enim pectore lapsum, ait, velut lampas accensa de meo sinu procedens tanto fœtore cellam replevit, ut vix in ea residere possemus. » Erat hic dæmon qui eum ad furtum et ad gulam tentabat. Vere Sapiens, Proverb. XXVIII, 13 : « Qui abscondit scelera sua, non dirigetur. » Addit Cassianus hoc fuisse commune Abbatum et Seniorum dogma : malam cogitationem statim ut irrepit, revelandam esse suo Seniori. Unde S. Antonius, in Vitis Patr., II, num. 104 : « Si potest fieri, ait, quot passus ambulat monachus, vel quot calices aquæ bibit in cella sua, habet declarare Superioribus, ut non deviet in ipsis. »

Quocirca Climacus, gradu 4 de Obedientia, scribit monachos prisci ævi in cingulo gestasse libellum, in quo cogitationes per diem occurrentes scribebant, ut eas revelarent Pastori. Idem vitæ spiritualis dogma et quasi principium assignant S. Basilius in Constit. monast. et in Regulis fusius disp., respons. 26; S. Ambrosius, lib. III Offic., cap. XVI; S. Hieronymus, Regul. monach., cap. XXXIV; S. Bernardus, tract. De Ordine vitæ, qui etiam apposita similitudine rem declarant, imo demonstrant. Sicut, inquiunt, aer nubibus densus et obtenebratus, iis per pluviam effusis, serenatur et albescit, sic et per confessionem, qua afflictio quasi effunditur in sinum alterius, exinanitur ægritudo animi. Vide D. Thomam I II, Quæst. XXXVIII, art. 2.

Ita S. Dorotheus, serm. 5, narrat se in jugi fuisse animi pace et lætitia, eo quod omnes animi cogitationes revelaret suo Patri spirituali.

Memorabile est quod scribit Dominicus Soto in IV, dist. XVIII, Quæst. 1, art. 1, Norimbergenses misisse legatos ad Carolum V Imperatorem, qui peterent ab eo publico decreto sanciri præceptum confessionis : se enim expertos esse, quod, postquam illa exulasset, multæ fraudes, vitia et scelera irrepsissent in urbem et rempublicam. « Tamdiu, ait Cassianus loco jam citato, suggestiones ejus (diaboli) dominantur in nobis, quamdiu celantur in corde : illico enim ut patefacta fuerit cogitatio maligna, marcescit, et antequam discretionis judicium proferatur, serpens teterrimus velut e tenebroso ac subterraneo specu, virtute confessionis pertractus ad lucem, et traductus quodammodo ac dehonestatus discedit. » Unde Idem, lib. IV De Instit. renunc., cap. IX : « Generale, ait, et evidens indicium diabolicæ cogitationis esse pronuntiant, si eam seniori confundamur aperire. Omnis enim iniquitas oppilabit os suum, » Psal. CVI, 42. S. Gregorius, lib. VII Mor., cap. ult. et lib. III Pastor. admon., cap. XV : « Vulnera clausa, ait, plus cruciant, quia cum putredo quæ intrinsecus fervet, ejicitur ad salutem, dolor aperitur, etc. Quid est peccatorum confessio, nisi vulnerum ruptio? » Unde Psaltes, Psal. XXXI, 3 :

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

« Quoniam tacui, ait, inveteraverunt ossa mea. »

Vers. 19. 19. MULTI AUTEM EX EIS QUI FUERANT CURIOSA SECTATI. — Vatablus, *qui curiosas artes exercuerant*. Vox *autem* significat aliam hanc esse narrationem a præcedenti confitentium, uti dixi. Unde cum illi fuerint Christiani, hi videntur fuisse Gentiles magiæ dediti, aut certe Christiani rudes, qui timentes ne a dæmone magorum hero male mulctarentur, uti illi exorcistæ, magiam abdicarunt, magicosque libros exusserunt. Ita Chrysostomus, Œcumenius, Beda et Syrus, qui vertit, *multi porro etiam ex magis*, et Eusebius, lib. II *Demonstr.*, cap. VIII. Porro Ephesii magicis artibus erant deditì, teste S. Hieronymo, præfat. in *epistol. ad Ephes.* Unde Apollonius Thyaneus Ephesi publice magicæ artis ludum aperuit, et ab Ephesiis statua donatus inter divos relatus est, teste Philostrato, lib. IV in Vita ejusdem, qui et lib. V addit id contigisse primis Neronis annis, quando Paulus Ephesi agebat, cui proinde acre contra eum certamen fuisse non est dubium. Hinc et proverbialiter *Ephesia grammata*, vel *notæ*, vocantur signa magica, ad obtinendam victoriam et depellenda pericula, teste Suida; quia et ad expellendos dæmones, teste Plutarcho in *Sympos.*, lib. VII, Quæst. V. Hæ enim notæ, ait Eustathius in *Odyss.* τ, erant verba obscura instar ænigmatum, quæ in pelliculis consutilibus gestabantur inscripta in pedibus, zona et corona Dianæ. Magiæ studiosissimus fuit Julianus Apostata, qui per eam imperium, vitam et animam perdidit. Valerianus quoque Imperator a mago seductus, ex amico Christianorum factus eorum hostis et persecutor, a Sapore Persarum rege captus, et cavea ferrea inclusus, orbi ludibrio fuit, æque ac Bajazetes Turcarum Imperator Tamberlano.

Curiosæ artes? Resp.

*Secundo*, Mariana censet per curiosa hic accipi libros et opifices chalchymiæ, id est permutandi metalla, v. g. ex ære conficiendi aurum, ex stanno argentum. Hujus enim artifices, ut ait Suidas in voce χημεία, Diocletianus in Ægypto comburi jussit, ne ditati abuterentur pecunia. Optandum esset, ut Magistratus hanc artem eliminarent : nihil enim est aliud quam perditio pecuniæ temporis, et sæpe impostura.

*Tertio*, alii per *curiosa* accipiunt astrologiam et atrologos judiciarios et genethliacos, qui ex horoscopo dieque natali, constellatione et astris, divinant ea quæ cuique in vita et morte sunt eventura, in quam invehitur S. Augustinus, lib. I *De Doct. Christian.*, cap. XXI, XXII, XXIII, et passim alii Patres. Quocirca Aquila Ponticus, celebris S. Scripturæ interpres, ab Ecclesia est ejectus, quod genituarum inspectionibus et nativitatum horoscopis vacaret, ait Epiphanius, lib. *De Ponderibus et mens.* Imo Augustus Cæsar Mathematicos hosce urbe expulit, ait Dio, lib. XLIX. Rursum, anno 12 Claudii Imperii, Christi 54, factum est Romæ senatusconsultum de pellendis Italia Mathematicis, occasione (ut videtur) Junii Scriboniani, qui finem Claudii per Chaldæos scrutatus esset. « Genus hominum, ait Tacitus, lib. XVII, potentibus infidum, sperantibus fallax, quod in civitate nostra vetabitur semper, et retinebitur. » Verus fuit vates. Nam, ut ait Baronius, humana curiositas mente pruriens, ac novitatis avida hoc agit et satagit, ut quos imperatores et principes sæpius exagitarunt, revocentur et renascantur. Sane paucis annis quibus Romæ fui, vidi plures viros magnos ab astrologis deceptos, dum huic vitam longiorem, illi cardinalatum, alteri papatum prædicunt et promittunt, quos omnes vana spe et mendacio delusos fuisse eventus docuit, magno eorum periculo et damno. Dum enim se non credunt morituros, nisi prius adepti sint prælaturam quam promiserunt Mathematici, etiam lethali morbo icti, ad mortem se non parant : quare imparati et improvidi moriuntur, quæ sæpe aperta est diaboli fraus, qui per divinationes hasce animabus ipsorum insidiatur, et quasi lupus inhiat, ut ea scapiat et rapiat. Expergiscimini, Prælati : « Filii hominum, ut quid diligitis vanitatem, et quæritis mendacium? » imo sæpe interitum non tantum corporis, sed et animæ. Id sapiebat Alfonsus, Aragonum Rex vere sapiens, qui in omnes munificus, solos astrologos ab aula sua arcebat. Rogatus est : Cur? respondit secretorum ejus conscius : « Sidera stultos regunt impelluntque, sapientes vero astris imperant. Stultos ergo principes honorare astrologos consequens est, non sapientes, inter quos nomen suum Alfonsus obtinet. » Ita Æneas Silvius, lib. IV *De Rebus Alfonsi*, cap. III.

Idem sensit Franciscus Sforlia, qui Insubrium sibi suisque paravit imperium, cui semper astrologi omnes vel odio fuere, vel contemptui, tantum abest ut eos in bellis rebusque suis consuleret.

Idem judicium fuit Joannis Pici, comitis Mirandulæ, ut videre est lib. II quem scripsit contra Astrol., cap. II. Sane astrologi reipublicæ sunt perniciosi, et turbant principum regimen, dum brevi eos morituros, et alios quibus adulantur, eis successuros prædicunt et venditant. Quis enim amet, obediat, colat principem brevi moriturum? et non potius captet gratiam alterius, quasi solis novi mox orituri? Quocirca Vitellius Imperator astrologos hosce morte mulctabat. Audi Suetonium in eo, cap. XIV : « Nullis infensior quam divinaculis et mathematicis : ut quisque deferretur, inauditum capite puniebat. »

CONTULERUNT LIBROS, ET COMBUSSERUNT. — « Uvitent ignibus ignes, » ait Arator. Idem magicis libris fecit magus ille conversus a S. Augustino, de quo ipse, in *Psal.* LXI, sub finem, sic scribit : « Pericrat iste, nunc quæsitus, inventus, adductus est : portat secum codices incendendos, per quos fuerat incendendus ; ut illis in ignem missis, ipse in refrigerium transeat. » Sic libros Mathematicorum comburendos in oculis Episcoporum sanxit Honorius Imperator et Theodosius, lib. *Mathemat.*, cap. *De Episc. aud.* Multo magis cremandi sunt libri hæreticorum, utpote nocentiores, uti sanxerunt iidem aliique Imperatores, lib. ult. *De Hæret.* Cod. Theod. Idem sanxerunt Canones et Concilia, præsertim Tridentinum. Vide Bellarminum, lib. *De Laicis*, cap. XX.



INVENERUNT PECUNIAM DENARIORUM QUINQUAGINTA MILLIUM. — Græca et Syrus, *invenerunt argenti quinque myriades*, hoc est quiquagies mille nummum. Budæus, lib. V *De Asse*, et alii ex eo censent hoc pretium fuisse quinque millium aureorum. Sic Romæ quinque millia aureorum valent quinquaginta millia juliorum, seu regalium Hispanicorum. Aureus enim continet decem julios : quinquies autem decem faciunt quinquaginta. Porro denarius pendebat drachmam, valebatque unum julium, sive regalem Hispanicum, uti dixi in fine Pentateuchi. Discant hic Christiani, libros magicos, hæreticos, spurcos comburere, quantovis pretio æstimentur, etiamsi auro appendantur : quia noxa quam inferunt nullo auro pensari potest. Quocirca Paulus et Apostoli magorum æque ac idolorum responsa sustulerunt vel siluerunt. Huc facit quod scribit Plinius, lib. III, cap. II, Neronem a magis toto orbe conquisitis, nullum responsum extorquere potuisse. Unde et Plutarchus librum scripsit *De Oraculorum defectu*. Vide S. Augustinum, lib. I *De Divinat. dæmon.*, cap. VI.

21. PROPOSUIT PAULUS IN SPIRITU, — Instinctus Spiritu Sancto. Ita Lyranus, Vatablus, Cajetanus, Dionysius et alii ; Syrus vero vertit, *proposuit in mente sua*.

TRANSITA MACEDONIA ET ACHAIA. — Transivit hac Paulus, tum ut Ecclesias ibidem a se fundatas visitaret et confirmaret, tum ut colligeret eleemosynas pro pauperibus Hierosolymitanis, ut patet II *Corinth.* VIII et IX.

IRE HIEROSOLYMAM, — tum ut eleemosynas jam dictas Sanctis deferret, tum pietatis ergo, ob loci reverentiam, ait Dionysius, sanctorumque locorum et primitivæ Ecclesiæ, præsertim S. Jacobi, visitationem. Amplius enim in hac vita non erat illa visurus.

OPORTET ME ET ROMAM VIDERE. — Quia Dei instinctu, ait Chrysostomus, Paulus agebatur Romam, ut Romanam Ecclesiam cum S. Petro in matricem et caput cæterarum erigeret, ac contra Simonem Magum et Neronem, primam persecutionem in Christianos adornantem decertaret.

22. MITTENS AUTEM IN MACEDONIAM, etc., TIMOTHEUM ET ERASTUM, — ut viam sibi secuturo pararent, et simul collectam eleemosynarum pro Hierosolymitis facerent, ut patet I *Cor.* IV, 17. Erastus hic vocatur *arcarius*, id est quæstor civitatis, scilicet Corinthi, *Roman.* XVI, 23; postea creatus fuit Philippensis Episcopus, ibique martyrio coronatus, Sanctis ascriptus legitur in *Martyrol.*, die 16 julii.

IPSE REMANSIT AD TEMPUS IN ASIA, — puta Ephesi.

23. TURBATIO, — ταραχὸς, id est *tumultus parvus*, ait Syrus. Unde ejus gravitatem explicans Paulus, II *Cor.* cap. I, vers. 8 : « Supra modum, ait, gravati sumus, supra virtutem, ita ut tæderet nos etiam vivere. Afflictiones enim, ait Chrysostomus, abstrahunt nos ab affectione erga præsentem mundum. Itaque statim mortem petimus, et non sumus amatores corporis, quæ sane maxima philosophiæ pars est. » Additque multa commoda tribulationis ac tandem concludit : « Magnum bonum est afflictio : noster pædagogus est afflictio. »

DE VIA DOMINI, — de instituto Christi et Christianismi.

24. DEMETRIUS. — Erat hic cæterorum aurifabrorum caput et princeps, ac forte a Magistratu obtinuerat, ut nemo præter se et suos posset cudere ædes Dianæ.

ARGENTARIUS, — ἀργυροκόπος, id est *cudens argentum*, ita Syrus : puta faber argentarius, ait Vatablus, qui nunc vocatur aurifaber vel aurifex. Qui enim cudunt aurum, cudunt et argentum. Est enim ἀργυροκόπος ab elaborando argento dictus, nisi mavis a κόπτω, id est *tundo*, deducere : unde et monetam Græci vocant κέρμα.

FACIENS ÆDES ARGENTEAS. — Qualesnam hæ? *Primo*, aliqui censent fuisse vota et anathemata, quæ offerebant Dianæ ob depulsum periculum, vel acceptum beneficium. *Secundo*, alii censent cum Chrysostomo, fuisse arcas, sive thecas, in quibus gestabantur amuleta, puta signa Dianæ, sive litteræ Ephesiæ, quas contra febres, morbos, pericula, aut pro felici sorte et fortuna, fallaces sacerdotes Dianæ dabant adventantibus. Aut potius, ut Baronius, hæ ædes erant ipsæ argenteæ statuæ Dianæ, cum suis ædiculis seu loculamentis. *Tertio* et optime, hæ ædes erant imagines, sive simulacra templi Dianæ. Ita enim ejus templum venerabantur, ut illud in imaginibus effingerent, ejusque similitudinem in statuis, puta in ædiculis argenteis conflarent, quibus effigiem, sive statuam Dianæ imponebant; eas deinde vel offerebant Dianæ in templo ; vel ad collum, aut in pileis et vestibus appensas gestabant, sicut nostri peregrini gestant imagines B. Virginis Lauretanæ ; aut certe domi in lirariis et oratoriis eas reponebant præsertim si solidæ essent, non planæ et in lamina. Id ita esse patet ex eo quod eas Lucas græce vocet ναοὺς, id est *templa*, et Polybius ναΐδια, id est *parva templa*, *templula*, puta delubra et ædiculas effigie templi in quibus reponebantur statuæ Dianæ.

DIANÆ. — Dea ita dicta ἀπὸ τοῦ Διός, quasi Joviana, quia Jovis filia ex Latona. *Diana* est luna, sic appellata, quod quasi diem noctu lucendo efficiat, ait Cicero, lib. II *De Natura deorum* ; sicut luna dicta est quasi *lucens una*, quod noctu sola luceat : unde et noctiluca vocata est. Quare Macrobius : Diana, ait, dicta est quasi Iana, addita littera D;

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

veteres enim lunam vocabant Janam, ait Varro, lib. *De Re rustica*. Hinc et Horatius :

> Nec par aut eadem nocturnæ forma Dianæ.
> Rite crescentem face Noctilucam.

Alii tamen « Dianam » dictam putant quasi *deviannam*, quia venantes per silvas deviare solent : unde ipsa habita est viarum dux et dea. Eadem dicta est *Lucina* et *Juno*, ait Cicero : *Juno*, a juvando : *Lucina*, quod partum in lucem prodat : quam proinde in partu invocant. Unde Virgilius : « Casta fave Lucina, tuus jam regnat Apollo. » Hinc Diana a Poetis vocatur lucifera, clara, succincta, armata, nocturna, omnivaga, verecunda, integra, virginea, sacra. Vel, ut Plinius, quod oculis præsit et luci, sive a luco quem Romæ in Exquiliis habebat. Plures, inquit Cicero, fuerunt Dianæ; sed illa nominatissima, quæ eodem partu cum Apolline, ex Jove et Latona nata est. Hæc ob virginitatis amorem fertur hominum consortia fugisse, et ut libidinis tentationes evaderet, venando silvas et montes incolebat, pancarum virginum comitatu contenta. Arcum ferebat et pharetram, succincta semper incedens, et cothurno induta : qua de causa silvarum et nemorum dea credebatur. Cicero, act. 6 *in Verrem* : « Fuit, ait, apud Segestanos ex ære simulacrum Dianæ, tum summa atque antiquissima religione præditum, tum singulari opera artificioque perfectum. » Et mox : « Erat admodum amplum et excelsum signum cum stola. Verumtamen inerat in illa magnitudine ætas atque habitus virginalis : sagittæ pendebant ab humero, sinistra manu retinebat arcum, dextra ardentem facem præferebat. » Porro Diana Ephesiorum erat πολύμαστος, id est *multimamma*, ait S. Hieronymus, præfat. *in epist. ad Ephesios* : « Ut ex ipsa effigie mentirentur, omnium eam bestiarum et viventium esse nutricem. »

Diana Christianorum B. Virgo Primo. Falsa ergo et mendax fuit Gentilium Diana : vera et verax Christianorum Diana, est B. Virgo Maria, virgineis stipata choris, quæ in montana abiit ut Baptistam eremicolam consecraret. Hæc enim et æterni Patris filia, quæ lucem mundi peperit, illeque matris stella in nocte hujus sæculi cunctis fidelibus fulgens, monstrat iter in cœlum. Eadem est multimammia, quia nova Eva mater viventium, lac suæ gratiæ et consolationis omnibus se invocantibus impertit. Ipsa est enim « mulier amicta sole, et luna sub pedibus ejus, et in capite ejus corona stellarum duodecim, » *Apoc.* XII, 1. Quod enim in mundo est sol, et luna sive Diana, hoc in Ecclesia est Christus et Maria. Unde B. Virgo hoc ipso anno, vel proxime sequenti, quo Dianæ cultus, et templum a Paulo everti cœpit, terras relinquens in cœlum abiit, ut inferius ostendam. Diana a Græcis dicta est Ἄρτεμις, quasi ἀερότομος, quod luna aerem, vel potius ætherem incedendo secet, ait Macrobius. Secavit hoc tempore cœlos omnes penetrando, et super omnes angelorum choros exaltata est B. Virgo. Plato vero in *Cratylo* : Diana, ait, dicitur Ἄρτεμις διὰ τὸ ἀρτεμὲς καὶ τὸ κόσμιον, διὰ τὴν τῆς παρθενίας ἐπιθυμίαν, id est *propter integritatem et modestiam, propter virginitatis desiderium*; vel quasi ἀρετῆς ἵστορα, id est *virtutis inspectrix et conscia*; vel, ut Strabo, lib. XIV, ἀπὸ τοῦ ἀρτεμέας ποιεῖν, id est *quod integros et perfectos efficiat*. Quæ omnia non Dianæ Gentilium, sed Christianorum, Virgini, inquam, Deiparæ conveniunt, uti et illud quod de Dianæ templo olim Romæ in Aventino monte ædificato, nunc vero Deo in S. Sabinæ honorem dedicato, scribit Sextus Pompeius : « Servorum, inquit, dies festus existimatus Idibus augusti, quod eo die Servius Tullius natus e serva, ædem Dianæ dicaverit in Aventino, cujus tutelæ sunt cervi, a quorum celeritate fugitivos vocant cervos. Hæc est ergo Opis nostra (sic enim dicta est Diana ab opitulando), cui competit illud Virgilii : « Opis ad æthereum pennis aufertur Olympum. » Denique reges et principes thesauros suos in templo Dianæ deponebant, quos nemo, ne hostis quidem urbem diripiens, tangere audebat. Ita virtutis et salutis fida custos est Deipara, ita ut impossibile sit perire eum qui se suaque ei sedulo commendat, uti docet communis omnium experientia, ac S. Bernardus, hom. 4 super *Missus est* : « Ex ore tuo (o Maria, inquit) pendet consolatio miserorum, redemptio captivorum, liberatio damnatorum, salus denique universorum filiorum Adam, totius generis tui. » Idem alibi sparsim : « Maria, ait, est viola humilitatis, lilium castitatis, rosa charitatis. Mariæ nec facultas, nec voluntas dandi dona hominibus deesse potest. Mariæ pietati non defuit fides, voci gravitas, efficacia voto. Mariæ commendare memento quidquid Deo offerre paras. Maria decus paradisi, gaudium cœli. Maria gremium virgineum. Mariæ virginitas major quam angelica puritas. Mariam cogitans, non erras; Mariam rogans, non desperas. Per Mariam cœlum repletum est, et infernus evacuatus. In Maria Deus posuit solem et lunam, Christum et Ecclesiam. In Maria angeli lætitiam, justi gratiam, peccatores veniam invenerunt in æternum. In Maria, per Mariam, de Maria benigna manus Omnipotentis quidquid creaverat, recreavit : sine Maria nihil refectum est, sicut sine Deo nihil factum : per Mariæ manus transiit, quod Deus nos habere voluit. »

Jam quod ad Ephesinum Dianæ templum attinet, erat illud adeo augustum et magnificum, ut inter septem orbis miracula numeraretur. Audi Plinium, lib. XXXVI, cap. XIV : « Magnificentiæ vera admiratio exstat templum Dianæ Ephesiæ, ducentis (alibi habet quadringentis) viginti annis factum a tota Asia. In solo id palustri fecere, ne terræ motus sentiret, aut hiatus timeret. Rursum, ne in lubrico atque instabili fundamenta tantæ molis locarentur, calcatis ea substravere carbonibus, d··· velleribus Lanæ. Universo templo longitudo est CCCCXXV pedum, latitudo CCXX, columnæ CXXVII, a singulis regibus factæ, sexaginta pedum altitudine, ex iis XXXVI cælatæ. » Et mox : « Cætera ejus operis ornamenta plurium librorum instar obtinent. » Eo die quo natus est Alexander Magnus, templum hoc Dianæ incendit Erostratus, ut ex hoc suo facinore nomen suum ad omnes posteros transmitteret. Unde nomen ejus ex omnibus libris deleverunt, sed tamen mansit illud superstes. Ex hoc incendio conjectarunt augures, illo die natum esse, qui exitium afferret Asiæ. Tandem Gothi sub Galieno imperatore invadentes Asiam, hoc templum plane spoliarunt et concremarunt, ait Capitolinus in *Vita Galieni*.

25. Quos (artifices ædicularum Dianæ) convocans, et eos qui hujusmodi erant opifices. — περὶ τὰ τοιαῦτα ἐργάτας, id est, *et eos qui circa eadem operabantur*. Præter enim ipsos artifices, erant alii opifices, eorum administri. Alii enim argentum in laminas deducebant, alii liquabant, alii purgabant, alii poliebant, alii pingebant, alii inscribebant, alii exornabant. Pagninus et Vatablus vertunt, *et eos qui similium rerum erant opifices*, quasi omnes omnino aurifabros, sculptores, statuarios, etc., Demetrius convocarit, ut majorem cieret tumultum.

De hoc artificio est nobis acquisitio. — Tigurina, *ex hoc opificio nobis est quæstus*. Græce enim est ἐργασία, id est *lucrum, quæstus*.

27. Non solum autem hæc periclitabitur nobis pars (hæc sors nostra, hoc opificium nostrum, hic quæstus noster) in redargutionem venire, — puta in reprobationem et contemptum, ut redarguta et confutata a Paulo quasi vana et superstitiosa ab omnibus negligatur, reprobetur et contemnatur; itaque ad paupertatem redigamur et fame moriamur. Aliqui vertunt, *periclitamur hac parte*.

Magnæ Dianæ. — Gentiles magnos deos numerabant duodecim, sex mares, totidem feminas, quos Ennius hoc disticho complectitur :

> Juno, Vesta, Minerva, Ceres, Diana, Venus, Mars,
> Mercurius, Jovis, Neptunus, Vulcanus, Apollo.

Cæteri dii erant minorum gentium.

Destrui incipiet majestas ejus. — Legit Interpres μέλλειν δὲ. Sic et Pagninus, Vatablus et alii; nonnulli tamen legunt μᾶλλον δὲ, id est *magis vero*, *q. d.* Non tam angit nos perditio lucri, quam Dianæ honor et cultus : acerbissimum enim nobis erit, et omnibus esse debet, si majestas ejus apud vulgus depereat.

29. Confusione, — perturbatione, tumultu.

Et impetum fecerunt, — ὥρμησαν, id est *impetu uno concurrerunt in theatrum*, in illud rapientes Cai um et Aristarchum, ut illos aliosque Christianos ibidem reos et sacrilegos publice proclamarent et mactarent. Ita Arator, Beda, Hugo et alii. Gaius hic fuit Macedo, alius a Gaio Derbeo, de quo cap. seq., vers. 4. Aristarchum Paulus vocat concaptivum suum, *Coloss.* IV, 10. Adscriptus est Sanctis, die 4 augusti, ubi sic legimus : « Thessalonicæ S. Aristarchi, qui fuit individuus comes Pauli, et ab eo Thessalonicensium Episcopus ordinatus, post longos agones sub Nerone coronatus quievit. »

30. Paulo autem volente. — Extollit S. Chrysostomus, hom. 7 *De Laudibus S. Pauli*, ejus animi magnitudinem, quod quæsitus ad necem in populi furentis turbam ingredi voluerit, eam vel sedaturus, vel pro Christo occubiturus. Hoc enim, ait, decebat ducem fidelium, ut audacia cæteris præiret, ac reipsa ostenderet Christianis non esse timendam, sed ambiendam mortem pro Christo. Sic in bellis dux animosus animat totum exercitum, timidus intimidat. Unde illud : « Fortior est exercitus cervorum duce leone, quam leonum duce cervo. » « Paulus enim, ait Chrysostomus, in prædicandi ardore ipso igne vehementior, pluviam in se flammam ipse succendit : non pericula timuit, non irrisiones erubuit, sed alios accipiens oculos, utique charitatis, aliamque mentem, multo cum impetu instar torrentis irrupit, omnia pariter Judæorum trahens atque convolvens, etc.; et quasi semper satisfaceret Deo pro tempore jam peracto, sic lucra spiritualia undique colligebat, in locum, qui esset belli pars maxima et laborum periculorumque plena, fidenter insiliens. Hoc vero mirabile, quod, cum esset tam audax, et quasi ad pugnam semper accinctus, et ignem quemdam belli conspirans, ita rursum placabilem se præbebat magistris, ut nunquam in tanto alacritatis impetu offenderit. » Unde et suis dissuadentibus ingressum in theatrum, illico acquievit. Sic et S. Gregorius, lib. XXXI *Moral.*, cap. XIV, vel XXIII, Paulum comparat equo generoso, qui in prælio exultat : « Intueri, ait, licet illum sessoris sui calcaribus excitatum contra armatos hostes : tantus Paulum fervor accendebat, quando eum Ephesi ad irrumpendas theatri turbas zeli flamma rapiebat. »

32. Alii autem aliud clamabant. — Videtur esse aposiopesis, et aliquid esse supplendum, quod explicat Syrus, dum vertit, « turbæ autem quæ erant in theatro, valde tumultuabantur et alii aliud clamabant. » Nam, ut sequitur, erat Ecclesia, id est populi cœtus et turba confusa, uti fit in seditione et tumultu, dum unus hoc vult et clamat, alius aliud.

33. De turba autem detraxerunt Alexandrum. — Hic Alexander videtur fuisse Judæus, peritus et eloquens, Paulo tamen amicitia conjunctus, quem Judæi protraxerunt in locum aptum ad perorandum pro communi causa. Nam Ephesios pro Diana certantes non tantum in Christianos, sed et Judæos, Dianæ hostes, fuisse commotos et concitatos patet ex sequentibus, vers. 34. Unde Syrus vertit, *plebs autem Judæorum, qui illic erant, statuerunt ex seipsis virum Judæum, cui nomen*



UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ® DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

erat *Alexander*. Nam pro *detraxerunt*, Græce est προεβίβασαν, id est *prius instruxerunt*, uti vertit Vatablus. Sic instruimus advocatum vel patronum causam nostram acturum : unde quidam putant nostrum Interpretem legisse προέβαλον, id est *protruserunt*. Verum etiam προβάλλεσθαι dicitur, qui cogitur prodire et protruditur. Alexandrum hunc putat Baronius, Hugo et alii conversum fuisse ad Christum, sed apostatasse esseque illum quem Paulus cum Hymenæo ob blasphemiam tradidit Satanæ, I *Timoth.* I, 20. Verum alii, ut Cajetanus et Arias, censent fuisse diversum.

Alexander autem manu silentio postulato, — κατασείσας τὴν χεῖρα, id est *agitans manum, mota manu*. Ita Persius : « Et calidæ fecisse silentia turbæ, majestate manus. »

35. Et cum sedasset scriba turbas. — Scriba hic fuit Secretarius civitatis, vel consiliarius Magistratus, ejusque quasi os et sensus, quales in Belgio sunt et vocantur Pensionarii. Unde Græce vocatur γραμματεύς, id est *legis doctor*, qui jura civitatis callet et tuetur, ac in iis Magistratum informat et dirigit. Syrus vertit, *princeps civitatis*, quasi fuerit Cancellarius.

Putant aliqui scribam hunc fuisse Alexandrum Judæum. Ita Baronius. Verius alii censent alium fuisse, eumque Gentilem : nam Lucas videtur eos distinguere. Alexandro enim, utpote Judæo, occlamarunt turbæ Gentilium per duas horas. Ut ergo eas sedaret, successit scriba Gentilis, qui laudans Dianam (quod non fecisset Judæus) eas compescuit. Unde Chrysostomus vocat eum infidelem. Sane is fuit politicus et prudens, qui statim turbas composuit, qualis fuit Demosthenes, « quem mirabantur Athenæ Torrentem, et pleni moderantem frena theatri, » ait Juvenalis, *satyr.* 10.

Cultricem esse. — Syrus, *æditunam esse* : Græce νεωκόρον, id est *templi ornatricem et administram*. Sicut S. Paulinus optabat esse custos et æditurus templi S. Felicis, quem proinde celebravit decem hymnis natalitiis.

Jovisque prolis. — Græce καὶ τοῦ διοπετοῦς, id est *a Jove demissi*, vel *delapsi*, scilicet ἀγάλματος, id est *simulacri* Dianæ : ita Syrus, Chrysostomus, Pagninus, Vatablus et alii. Fingebant enim Dianæ Simulacrum non ab homine effictum, sed cœlo delapsum, idque vulgo creditum fuisse docet Suidas in voce Διοπετές. Ita mendacio aucta est superstitio. Sic Palladium Trojanum, et Ancile Romanum cœlo lapsa finxerunt. Noster legit τῆς διοπετοῦς, id est *a Jove profectæ*, vel *descendentis* Dianæ. Homerus enim reges vocat διοτρεφεῖς, quasi a Jove profectos et ortos. Forte etiam legit διογενοῦς, id est *a Jove genitæ*.

37. Neque blasphemantes deam vestram. — Mentitur officiose ad sedandum populum, ait Chrysostomus, Paulus enim docebat eam non esse deam, sed idolum inane et fictum ; quod apud Ephesios erat insignis blasphemia. Nota tamen insignem Pauli modestiam, qui conviciis et maledictis Dianam non proscinderit, sed nudam ejus veritatem dixerit et detexerit. Idem faciebant Judæi, putantes illud præceptum esse, *Exodi* XXII, 28 : « Diis non detrahes : » licet alius ejus loci sit sensus, ut ibi dixi. Unde Josephus, lib. II *Contra Apionem* : « Noster mos, ait, est propria custodire, non aliena accusare, at ut neque ridere, neque blasphemare debeamus eos qui apud alios putantur dii, aperte nobis legislator interdixit. » Huc facit illud S. Augustini monitum, serm. 6 *in Evangelium secundum Matth.* : « Prius idola in cordibus hominum, deinde in idolis et templis esse confringenda. » Ex hisce verbis colligitur, scribam hunc Paulo favisse eique fuisse amicum vel benevolum.

38. Conventus forenses aguntur. — Græce, ἀγοραῖοι ab ἀγορᾶ, sicut forenses a foro. Quinam hi ? *Primo*, Syrus vertit, *artifices sunt*, quasi hi conventus fuerint artificum, in quibus a Decanis ejusdem artis quæstiones et lites deciderentur, ut passim in Germania fieri videmus, *q. d.* His hæc pertinet ad collegium aurifabrorum : ibi decidatur. Vers. 38. Conventus forenses, qui ? Resp. Primo.

*Secundo*, Œcumenius « forenses » interpretatur vulgares et plebeios judices, qui plebeiorum causas decidebant, sicut divitum proconsules. Secundo.

*Tertio*, « forenses » vocantur, qui in publico loco et consessu, puta in foro, fiunt. Sicut vulgo causas forenses vocamus civiles. Apud Romanos enim aliosque judicia publica exercebantur in foro, teste Cicerone, Quintiliano, lib. III, et aliis. Unde forensis opponitur domestico, quasi publicum privato. Et scimus Ciceronem causas suorum egisse in foro, non rerum venalium, sed causarum, quæ in publico loco, velut suo foro, tractantur. Tertio.

*Quarto*, Baronius ex Dionysio Halicarnasso, lib. IV, conventus forenses censet fuisse eos, quibus statis per annum diebus populus conveniebat ad sacra et ludos Dianæ : ubi deinde præsto erant judices qui lites deciderent et componerent. Aut potius, inquit, apud Lucam, « conventus forenses » illi erant, cum proconsul in quibusdam provinciæ civitatibus, quæ sibi ad hoc peragendum commodiores videbantur, certis diebus consistens, per se vel legatos causas comprovincialium cognoscens, judicia exercebat et per sententiam definiebat. Meminit horum Cicero, lib. III, *epist.* 6 et 8, et Josephus, lib. XIV *Antiq.*, cap. X. Sic in Hungaria aliisque regnis lites et causæ graviores differuntur usque ad comitia regni, in quibus a regni proceribus deciduntur. Tertius sensus cæteris planior videtur et communior (1).

39. Si quid autem alterius rei quæritis, —

(1) Græc. est ἀγοραῖοι, scil. ἡμέραι, id est *conventus aguntur*, vel dies sunt, judiciis in foro habendis constituti, quos *fastos* Romani vocant, Germani *Gerichtstage*.



gravioris, ad bonum et quietem publicam spectantis.

In legitima Ecclesia (in cœtu et comitiis provinciæ, vel populi, legitime a lege vel Magistratu indictis) poterit absolvi, — id est definiri, vel transigi et componi. *Legitimam* opponit tumultuariæ, quam hic ipsi per seditionem conflarant. Ita Gagneius, Vatablus et alii. Addit Chrysostomus hos cœtus ter in mense fieri solitos. Baronius vero ex Epiphanio, *hæresi* 30, per *Ecclesiam* accipit Synagogam Judæorum, *q. d.* Si quid Judaicæ quæstionis habetis circa Judæos et legem Mosaicam, qualis videtur esse hæc quam Paulo Judæo intentatis, adite Synagogam Judæorum, ibi ea optime decidetur. Judæi enim Ephesi habitantes, ejusdem civitatis municipes erant, ac proinde privilegiis civium potiebantur, et Ephesii dicebantur, teste Josepho, lib. II *Contra Apionem*. Verum sic scriba hic magis irritasset furentem populum : ille enim oderat Judæos, quasi Dianæ suæ hostes. Prior ergo sensus est planior.

40. Nam et periclitamur argui seditionis. — Percellit eos metu Imperatoris et proconsulis, qui in auctores hujus tumultuarii concursus et seditionis sit inquisiturus, de iisque pœnas sumpturus.

Cum nullus obnoxius sit, — αἴτιος, id est *reus*, *q. d.* Cum nemo sit in culpa, cum nullus sit turbator, reipublicæ proditor, seditiosus, ob quem hic concursus sit factus, ut propterea eum excusare possimus, ejusque rationem reddere proconsuli. Enorme enim crimen debet esse, ob quod totus populus concurrat et insurgat. *Secundo*, αἴτιος, non ad hominem, sed ad rem causamque referri potest, *q. d.* Cum nulla sit causa per quam excusare possimus hunc populi concursum. Ita Gagneius, juxta illud Eustathii, *Odyss.* α, Αἴτιος ὁ γράψας αἴτια Καλλιμάχῳ, *Est reus ascribens crimina Callimacho*.

Dimisit Ecclesiam, — cœtum populi.

Nota : Multa et magna hic et alibi omittit Lucas. Nam tantum itinera Pauli et capita rerum in iis gestarum summatim percenset. Sic cap. IX, omittit profectionem Pauli recens conversi in Arabiam, reditum in Damascum, post annos tres, accessum Hierosolymam, reprehensionem Petri, quæ tamen recenset Paulus, *Galat.* I et II. Sic, I *Cor.* XI, 24, ait Paulus : « A Judæis quinquies quadragenas una minus accepi, » de quibus Lucas ne verbum quidem. Cumque Paulus ter se cæsum virgis dicat, de unica tantum flagellatione facta Philippis idem meminit, cap. XVI. De terno naufragio ; item, quod Paulus ait se nocte et die in profundo maris fuisse, nil habet Lucas : nam naufragium quod cap. XXVII recenset, contigit post scriptam epistolam *ad Corinthios*. Sic de cathedra Petri Antiochena, Romana, aliisque ejus gestis altum silentium est apud Lucam. Pari modo hic Ephesi omisit pugnam Pauli cum bestiis, de qua Paulus, I *Cor.* XV, 32, ait : « Si secundum hominem (id est humana audacia, contentione et robore, sive quantum homini est possibile) ad bestias pugnavi Ephesi, quid mihi prodest, si mortui non resurgunt ? » Nam quod Theophylactus, Œcumenius, Anselmus et ex eis alii recentiores (quorum unus alium, quasi ovis ovem sequitur) hanc pugnam metaphorice accipiunt pro contentione quam Paulus habuit cum Demetrio et argentariis, quos ob sævitiam et furorem, atque ob carnalem et bestialem vitam (qua carni dediti ita vivebant, ac si non esset resurrectio et altera vita in cœlis) vocet bestias, certum est eos errare. Nam epistola *ad Corinthios*, in qua pugnæ hujus meminit, scripta est Ephesi, ut patet ex eo quod ait, I *Cor.* XVI, 8 : « Permanebo autem Ephesi usque ad Pentecosten. » Rursum scripta est ante contentionem cum Demetrio : post eam enim statim Epheso discessit, ut patet cap. XX, 1 : ita Baronius et alii passim. Quocirca nonnulli, ut Arias censent hanc pugnam Pauli cum bestiis, fuisse concertationem quam habuit cum Judæis et filiis Scevæ exorcistis, vers. 9 et 13. Verum id minus est probabile. Exorcistis enim fuit concertatio cum diabolo qui in eos insiliit, non cum Paulo qui tacuit : cum Judæis autem ad prædicationem Pauli se indurantibus non certavit ipse ; « sed discedens ab eis segregavit discipulos, quotidie disputans in schola tyranni cujusdam, » ait Lucas. Longe majus certamen fuit Paulo cum Judæis in Derbe, Lystra, Corintho, uti audivimus cap. XIV, 15 et seq., et tamen nusquam eos vocavit bestias.

Quare verius videtur ad litteram Paulum Ephesi objectum fuisse bestiis. *Primo*, quia id proprie verba ejus jam recitata sonant. *Secundo*, quia aliæ expositiones sunt impropriæ, nec solido fundamento nituntur. *Tertio*, quia cum plerique Martyres, multique Pauli discipuli et discipulæ, inter quas fuit S. Thecla, objecti fuerint bestiis, decebat ut et Paulus eorum antesignanus et dux, eis in hac re præiret, daretque exemplum. Fuit enim ipse tentatus et consummatus per omnia. *Quarto*, quia ita explicant Theodoretus, Ambrosius, Arboreus et Mariana, I *Cor.* XV. Favet quoque Chrysostomus, dum bestias non nisi bestias interpretatur, esto ambigue loquatur. Ait enim : « Quid est secundum hominem ? quantum feritatis in homines cadit, depugnavi cum bestiis. » Ubi interpretatur τὸ « secundum hominem, » non autem τὸ « pugnavi cum bestiis, » quasi per se clarum, ut sonat accipiendum. *Quinto*, quia idcirco dixit, I *Cor.* IV, 9 : « Spectaculum (Græce θέατρον, id est *theatrum*) facti sumus mundo, et angelis, et hominibus, » *q. d.* In theatro bestiis objecti, facti sumus spectaculum hominum, Dei et angelorum. In theatris enim spectabantur hominum et ferarum pugnæ, gladiatores et bestiludia, uti S. Ignatius, Pauli assecla, post eum Romæ a Trajano ad bestias damnatus, in amphitheatrum productus, videns car- Tertio. Paulus vere bestiis objectus fuit. Primo. Secundo. Tertio.

cumfusam spectantium turbam eamque salutans : « O Romani, inquit, in theatrum hoc prodeo, vobisque spectaculum fio, non ob crimen aliquod, cum nihil morte dignum commiserim; sed ut per leones ad Deum perveniam, eoque fruar, cujus insatiabili teneor desiderio. » Unde et subdit Paulus : « Tanquam purgamenta (ὥσπερ περικαθάρματα, id est *tanquam anathemata et diris devota capita*) hujus mundi facti sumus, omnium peripsema, » *q. d.* Facti sumus ut piaculares hostiæ, detrimenta mundi, et bestiarum pabula, quasi vita, luce, aere et terra hac indigni, ideoque in ferarum ventre detrudendi et sepeliendi.

Dices primo : Non est credibile Paulum proprie pugnasse, id est dimicasse cum bestiis, ut ipse ait, esto eis sit objectus.

Respondeo : θηριομαχεῖν, id est, *pugnare cum bestiis*, idem est quod bestiis objici : quia enim plerique reorum ita objiciebantur bestiis, ut cum eis depugnarent ad spectantium voluptatem (populus enim magis spectare avebat has pugnas et bestiludia, quam nudas hominum devorationes); hinc pugnare cum bestiis, idem est quod bestiis objici, ut patet ex *Actis Martyrum*. Unde S. Ignatius, epist. II *ad Ephes.*, ait : « Ut merear Romæ cum bestiis dimicare, » id est bestiis objici ab eisque laniari.

Dices secundo : Paulus erat civis Romanus, ac proinde jure Romanorum non poterat ad bestias damnari.

Respondeo eum objectum fuisse bestiis, non per legitimum judicem et judicium, sed per furorem populi. Rem gestam narrat Nicephorus, lib. II, cap. 25, ex antiquis Pauli Actis, quæ citat probatque Origenes, lib. I *Periarch.*, cap. II : « Verum enim vero, ait, qui profectiones Pauli descripserunt, cum quam plurima alia simul et fecisse et passum esse, tum hoc quoque cum Ephesi esset, de eo memoriæ mandarunt. Cum ibi principem locum Hieronymus obtineret, multa cum libertate Paulus est concionatus : quare Hieronymus illum bene quidem et diserte dicere, sed orationem ejus non esse eorum temporum testatus est. Plebs quidem certe per insolentiam et furorem Paulo compedibus injectis, carceri eum includit, ut leonibus vorandus objiceretur. Ibi tum Eubula et Artemilla, clarorum Ephesi virorum conjuges, fidem edoctæ a Paulo (noctu enim ad eum veniebant), divini lavacri gratiam ab eo petunt. Itaque virtute divina atque angelici satellitii ministerio, caliginem noctis exuberantia splendoris illustrante, Paulus ferreis compedibus liberatus, illas divino baptismo ad littus maris initiat, et cum id nemo omnium quibus custodiæ cura mandata fuerat, sensisset, ad vincula rursum sua, in quibus esca leonibus asservabatur, redit. Sed enim ingenti magnitudine et robore intolerando leo contra ipsum immissus, in arenam quidem ille procurrit, sed ad Pauli pedes consedit. Et cum itidem aliæ immanes feræ immitterentur, ne tangere quidem ulla sacrum corpus ad orationem erectum atque compositum sustinuit. His ita actis, de repente fragore multo vehemens quædam supra naturam ordinem grando decidens, multorum simul et virorum et ferorum animalium comminuit capita, ipsiusque Hieronymi aurem amputat : qui deinde cum suis per Paulum Deo conciliatus, salutiferum suscepit lavacrum : leo autem ille profugus in montes proximos evadit; et Paulus inde Macedoniam et Græciam transmisit, atque ita tandem Hierosolymam proficiscitur. Mirandum non est, Lucam hanc Pauli cum belluis pugnam reliquis ejus actis non inseruisse : nam etsi ex Evangelistis solus Joannes Lazari resuscitationem commemorat, minus tamen de fide veritateque ejus ambigendum. » Hucusque Nicephorus.

# CAPUT VIGESIMUM.

## SYNOPSIS CAPITIS.

*Paulus Epheso discedens, per varias Asiæ et Græciæ urbes pergit in Macedoniam; inde Troadem, ubi Eutychum a morte revocat; inde Miletum, quo Seniores Ephesi accersens, eis Ecclesiam commendans ultimum vale dicit.*

Nota : *Omnia quæ hoc capite et deinceps narrat Lucas usque ad cap.* XXVIII *et ultimum, gesta sunt uno eodemque anno, scilicet Christi* 58, *Neronis* 2. Vide Chronotaxin.

1. Postquam autem cessavit tumultus, vocatis Paulus discipulis, et exhortatus eos, valedixit, et profectus est ut iret in Macedoniam. 2. Cum autem perambulasset partes illas, et exhortatus eos fuisset multo sermone, venit ad Græciam. 3. Ubi [illegible] fecisset menses tres, factæ sunt illi insidiæ a Judæis navigaturo in Syriam; habuitque consilium ut reverteretur per Macedoniam. 4. Comitatus est autem eum Sopater Pyrrhi Berœensis, Thessalo-



nicensium vero Aristarchus, et Secundus, et Gaius Derbeus, et Timotheus : Asiani vero Tychicus et Trophimus. 5. Hi cum præcessissent, sustinuerant nos Troade, 6. nos vero navigavimus post dies azymorum a Philippis, et venimus ad eos Troadem in diebus quinque, ubi demorati sumus diebus septem. 7. Una autem sabbati cum convenissemus ad frangendum panem, Paulus disputabat cum eis, profecturus in crastinum, protraxitque sermonem usque in mediam noctem. 8. Erant autem lampades copiosæ in cœnaculo, ubi eramus congregati. 9. Sedens autem quidam adolescens, nomine Eutychus, super fenestram, cum mergeretur somno gravi, disputante diu Paulo, ductus somno cecidit de tertio cœnaculo deorsum, et sublatus est mortuus. 10. Ad quem cum descendisset Paulus, incubuit super eum, et complexus dixit : Nolite turbari, anima enim ipsius in ipso est. 11. Ascendens autem frangensque panem, et gustans, satisque allocutus usque in lucem, sic profectus est. 12. Adduxerunt autem puerum viventem, et consolati sunt non minime. 13. Nos autem ascendentes navem, navigavimus in Asson, inde suscepturi Paulum : sic enim disposuerat ipse per terram iter facturus. 14. Cum autem convenisset nos in Asson, assumpto eo, venimus Mitylenen. 15. Et inde navigantes, sequenti die venimus contra Chium, et alia applicuimus Samum, et sequenti die venimus Miletum. 16. Proposuerat enim Paulus transnavigare Ephesum, ne qua mora illi fieret in Asia. Festinabat enim, si possibile sibi esset, ut diem Pentecostes faceret Hierosolymis. 17. A Mileto autem mittens Ephesum, vocavit majores natu Ecclesiæ. 18. Qui cum venissent ad eum et simul essent, dixit eis : Vos scitis, a prima die qua ingressus sum in Asiam, qualiter vobiscum per omne tempus fuerim, 19. serviens Domino cum omni humilitate, et lacrymis, et tentationibus, quæ mihi acciderunt ex insidiis Judæorum; 20. quomodo nihil subtraxerim utilium, quominus annuntiarem vobis, et docerem vos publice et per domos, 21. testificans Judæis atque Gentilibus in Deum pœnitentiam, et fidem in Dominum nostrum Jesum Christum. 22. Et nunc ecce alligatus ego spiritu, vado in Jerusalem; quæ in ea ventura sint mihi, ignorans; 23. nisi quod Spiritus Sanctus per omnes civitates mihi protestatur, dicens : Quoniam vincula et tribulationes Hierosolymis me manent. 24. Sed nihil horum vereor; nec facio animam meam pretiosiorem quam me, dummodo consummem cursum meum, et ministerium verbi quod accepi a Domino Jesu, testificari Evangelium gratiæ Dei. 25. Et nunc ecce ego scio quia amplius non videbitis faciem meam vos omnes, per quos transivi prædicans regnum Dei. 26. Quapropter contestor vos hodierna die, quia mundus sum a sanguine omnium. 27. Non enim subterfugi, quominus annuntiarem omne consilium Dei vobis. 28. Attendite vobis, et universo gregi in quo vos Spiritus Sanctus posuit Episcopos, regere Ecclesiam Dei, quam acquisivit sanguine suo. 29. Ego scio quoniam intrabunt post discessionem meam lupi rapaces in vos, non parcentes gregi. 30. Et ex vobis ipsis exurgent viri loquentes perversa, ut abducant discipulos post se. 31. Propter quod vigilate, memoria retinentes, quoniam per triennium nocte et die non cessavi, cum lacrymis monens unumquemque vestrum. 32. Et nunc commendo vos Deo, et verbo gratiæ ipsius, qui potens est ædificare et dare hæreditatem in sanctificatis omnibus. 33. Argentum et aurum, aut vestem nullius concupivi, sicut 34. ipsi scitis; quoniam ad ea quæ mihi opus erant, et his qui mecum sunt, ministraverunt manus istæ. 35. Omnia ostendi vobis, quoniam sic laborantes, oportet suscipere infirmos ac meminisse verbi Domini Jesu, quoniam ipse dixit : Beatius est magis dare quam accipere. 36. Et cum hæc dixisset, positis genibus suis oravit cum omnibus illis. 37. Magnus autem fletus [illegible] est omnium; et procumbentes super collum Pauli osculabantur eum, 38. dolentes maxime in verbo quod dixerat, quoniam amplius faciem ejus non essent visuri. Et deducebant eum ad navem.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

cumfusam spectantium turbam eamque salutans : « O Romani, inquit, in theatrum hoc prodeo, vobisque spectaculum fio, non ob crimen aliquod, cum nihil morte dignum commiserim; sed ut per leones ad Deum perveniam, eoque fruar, cujus insatiabili teneor desiderio. » Unde et subdit Paulus : « Tanquam purgamenta (ὥσπερ καθάρματα, id est *tanquam anathemata et diris devota capita*) hujus mundi facti sumus, omnium peripsema, » q. d. Facti sumus ut piaculares hostiæ, detrimenta mundi, et bestiarum pabula, quasi vita, luce, aere et terra hac indigni, ideoque in ferarum ventre detrudendi et sepeliendi.

Dices primo : Non est credibile Paulum proprie pugnasse, id est dimicasse cum bestiis, ut ipse ait, esto eis sit objectus.

Respondeo : θηριομαχεῖν, id est, *pugnare cum bestiis*, idem est quod bestiis objici : quia enim plerique reorum ita objiciebantur bestiis, ut cum eis depugnarent ad spectantium voluptatem (populus enim magis spectare avebat has pugnas et bestiludia, quam nudas hominum devorationes); hinc pugnare cum bestiis, idem est quod bestiis objici, ut patet ex *Actis Martyrum*. Unde S. Ignatius, epist. II *ad Ephes.*, ait : « Ut merear Romæ cum bestiis dimicare, » id est bestiis objici ab eisque laniari.

Dices secundo : Paulus erat civis Romanus, ac proinde jure Romanorum non poterat ad bestias damnari.

Respondeo eum objectum fuisse bestiis, non per legitimum judicem et judicium, sed per furorem populi. Rem gestam narrat Nicephorus, lib. II, cap. 25, ex antiquis Pauli Actis, quæ citat probatque Origenes, lib. I *Periarch.*, cap. II : « Verum enim vero, ait, qui profectiones Pauli descripserunt, cum quam plurima alia simul et fecisse et passum esse, tum hoc quoque cum Ephesi esset, de eo memoriæ mandarunt. Cum ibi principem locum Hieronymus obtineret, multa cum libertate Paulus est concionatus : quare Hieronymus illum bene quidem et diserte dicere, sed orationem ejus non esse eorum temporum testatus est. Plebs quidem certe per insolentiam et furorem Paulo compedibus injectis, carceri eum includit, ut leonibus vorandus objiceretur. Ibi tum Eubula et Artemilla, clarorum Ephesi virorum conjuges, fidem edoctæ a Paulo (noctu enim ad eum veniebant), divini lavacri gratiam ab eo petunt. Itaque virtute divina atque angelici satellitii ministerio, caliginem noctis exuberantia splendoris illustrante, Paulus ferreis compedibus liberatus, illas divino baptismo ad littus maris initiat, et cum id nemo omnium quibus custodiæ cura mandata fuerat, sensisset, ad vincula rursum sua, in quibus esca leonibus asservabatur, redit. Sed enim ingenti magnitudine et robore intolerando leo contra ipsum immissus, in arenam quidem ille procurrit, sed ad Pauli pedes consedit. Et cum itidem aliæ immanes feræ immitterentur, ne tangere quidem ulla sacrum corpus ad orationem erectum atque compositum sustinuit. His ita actis, de repente fragore multo vehemens quædam supra naturæ ordinem grando decidens, multorum simul et virorum et ferorum animalium comminuit capita, ipsiusque Hieronymi aurem amputat : qui deinde cum suis per Paulum Deo conciliatus, salutiferum suscepit lavacrum : leo autem ille profugus in montes proximos evadit; et Paulus inde Macedoniam et Græciam transmisit, atque ita tandem Hierosolymam proficiscitur. Mirandum non est, Lucam hanc Pauli cum belluis pugnam reliquis ejus actis non inseruisse : nam etsi ex Evangelistis solus Joannes Lazari resuscitationem commemorat, minus taman de fide veritateque ejus ambigendum. » Hucusque Nicephorus.

## CAPUT VIGESIMUM.

### SYNOPSIS CAPITIS.

*Paulus Epheso discedens, per varias Asiæ et Græciæ urbes pergit in Macedoniam; inde Troadem, ubi Eutychum a morte revocat; inde Miletum, quo Seniores Ephesi accersens, eis Ecclesiam commendans ultimum vale dicit.*

Nota : *Omnia quæ hoc capite et deinceps narrat Lucas usque ad cap.* XXVIII *et ultimum, gesta sunt uno eodemque anno, scilicet Christi* 58, *Neronis* 2. Vide Chronotaxin.

1. Postquam autem cessavit tumultus, vocatis Paulus discipulis, et exhortatus eos, valedixit, et profectus est ut iret in Macedoniam. 2. Cum autem perambulasset partes illas, et exhortatus eos fuisset multo sermone, venit ad Græciam. 3. Ubi cum fecisset menses tres, factæ sunt illi insidiæ a Judæis navigaturo in Syriam; habuitque consilium ut reverteretur per Macedoniam. 4. Comitatus est autem eum Sopater Pyrrhi Berœensis, Thessalonicensium vero Aristarchus, et Secundus, et Gaius Derbeus, et Timotheus : Asiani vero Tychicus et Trophimus. 5. Hi cum præcessissent, sustinuerunt nos Troade, 6. nos vero navigavimus post dies azymorum a Philippis, et venimus ad eos Troadem in diebus quinque, ubi demorati sumus diebus septem. 7. Una autem sabbati cum convenissemus ad frangendum panem, Paulus disputabat cum eis, profecturus in crastinum, protraxitque sermonem usque in mediam noctem. 8. Erant autem lampades copiosæ in cœnaculo, ubi eramus congregati. 9. Sedens autem quidam adolescens, nomine Eutychus, super fenestram, cum mergeretur somno gravi, disputante diu Paulo, ductus somno cecidit de tertio cœnaculo deorsum, et sublatus est mortuus. 10. Ad quem cum descendisset Paulus, incubuit super eum, et complexus dixit : Nolite turbari, anima enim ipsius in ipso est. 11. Ascendens autem frangensque panem, et gustans, satisque allocutus usque in lucem, sic profectus est. 12. Adduxerunt autem puerum viventem, et consolati sunt non minime. 13. Nos autem ascendentes navem, navigavimus in Asson, inde suscepturi Paulum : sic enim disposuerat ipse per terram iter facturus. 14. Cum autem convenisset nos in Asson, assumpto eo, venimus Mitylenen. 15. Et inde navigantes, sequenti die venimus contra Chium, et alia applicuimus Samum, et sequenti die venimus Miletum. 16. Proposuerat enim Paulus transnavigare Ephesum, ne qua mora illi fieret in Asia. Festinabat enim, si possibile sibi esset, ut diem Pentecostes faceret Hierosolymis. 17. A Mileto autem mittens Ephesum, vocavit majores natu Ecclesiæ. 18. Qui cum venissent ad eum et simul essent, dixit eis : Vos scitis, a prima die qua ingressus sum in Asiam, qualiter vobiscum per omne tempus fuerim, 19. serviens Domino cum omni humilitate, et lacrymis, et tentationibus, quæ mihi acciderunt ex insidiis Judæorum; 20. quomodo nihil subtraxerim utilium, quominus annuntiarem vobis, et docerem vos publice et per domos, 21. testificans Judæis atque Gentilibus in Deum pœnitentiam, et fidem in Dominum nostrum Jesum Christum. 22. Et nunc ecce alligatus ego spiritu, vado in Jerusalem; quæ in ea ventura sint mihi, ignorans; 23. nisi quod Spiritus Sanctus per omnes civitates mihi protestatur, dicens : Quoniam vincula et tribulationes Hierosolymis me manent. 24. Sed nihil horum vereor; nec facio animam meam pretiosiorem quam me, dummodo consummem cursum meum, et ministerium verbi quod accepi a Domino Jesu, testificari Evangelium gratiæ Dei. 25. Et nunc ecce ego scio quia amplius non videbitis faciem meam vos omnes, per quos transivi prædicans regnum Dei. 26. Quapropter contestor vos hodierna die, quia mundus sum a sanguine omnium. 27. Non enim subterfugi, quominus annuntiarem omne consilium Dei vobis. 28. Attendite vobis, et universo gregi in quo vos Spiritus Sanctus posuit Episcopos, regere Ecclesiam Dei, quam acquisivit sanguine suo. 29. Ego scio quoniam intrabunt post discessionem meam lupi rapaces in vos, non parcentes gregi. 30. Et ex vobis ipsis exurgent viri loquentes perversa, ut abducant discipulos post se. 31. Propter quod vigilate, memoria retinentes, quoniam per triennium nocte et die non cessavi, cum lacrymis monens unumquemque vestrum. 32. Et nunc commendo vos Deo, et verbo gratiæ ipsius, qui potens est ædificare et dare hæreditatem in sanctificatis omnibus. 33. Argentum et aurum, aut vestem nullius concupivi, sicut 34. ipsi scitis; quoniam ad ea quæ mihi opus erant, et his qui mecum sunt, ministraverunt manus istæ. 35. Omnia ostendi vobis, quoniam sic laborantes, oportet suscipere infirmos ac meminisse verbi Domini Jesu, quoniam ipse dixit : Beatius est magis dare quam accipere. 36. Et cum hæc dixisset, positis genibus suis oravit cum omnibus illis. 37. Magnus autem fletus factus est omnium; et procumbentes super collum Pauli osculabantur eum, 38. dolentes maxime in verbo quod dixerat, quoniam amplius faciem ejus non essent visuri. Et deducebant eum ad navem.

1. Exhortatus eos. — Græce tantum est προσκαλεσάμενος, id est vocans : unde ex Græco excidisse videtur altera vox vicina καὶ παρακαλέσας, id est et exhortatus; vel ut Syrus, consolatus eos : ideo enim vocavit eos, ut exhortaretur et consolaretur in tanta Demetrii seditione et tumultu.

Valedixit, — ἀσπασάμενος; Syrus, deosculatus eos; Pagninus et Tigurina, complexus eos. Solebant enim Christiani primitus se salutare in osculo sancto, id est amplectendo sese invicem, uti etiamnum eorum exemplo faciunt Religiosi. Vide dicta ad illud : « Salutate invicem in osculo sancto. » I Cor. xvi, 20, et II Cor. xiii, 12.

Profectus est, — sapienter cedens furori Demetrii et argentariorum, ne in Christianos omnes insurgerent eosque mactarent; se vero aliis provinciis et laboribus reservans. Ita S. Athanasius sciens se unum quæri ab Arianis, ac in suo capite verti rem Christianam de homousio, prudenter ubique fuga se subduxit, vitamque pene omnem in exilio et latebris egit; ac fugiendo hostium furorem fregit et superavit.

Ut iret in Macedoniam, — inde iturus Hierosolymam, ut ipse destinavit cap. xix, vers. 21.

3. Factæ sunt illi insidiæ a Judæis. — Nimirum obsederunt vias, ut eleemosynas, quas deferebat fidelibus in Jerusalem, eriperent, ait Dionysius, et ut eum occiderent, ait Lyranus.

4. Comitatus est autem eum. — Græca adjunt, usque ad Asiam.

Sopater. — Nonnulli legunt Sosipater, hic enim per crasin dicitur « Sopater. » Fuit hic cognatus Pauli, ut patet Rom. xvi, 21. Ita S. Chrysostomus, Theophylactus, Origenes et alii, in Rom. cap. xvi. Ascriptus est Sanctis in Martyrologio, 25 junii.

Pyrrhi, — scilicet filius; vel, ut Sedulius legit, pater.

Berœensis. — Beda hoc cognomen ad Sopatrem refert, non ad Pyrrhum, q. d. Sopater patria erat Berœensis, sive natus Berœæ : licet Ado et Usuardus, in Martyrol., 25 junii, legunt Pyrrhi-Berœensis, quasi civitas hæc dicta sit Pyrrhi-Berœa. Verum de urbe hujus nominis, nihil uspiam reperi.

Tychicus. — Hic fuit administer Pauli in perferendis litteris et mandatis ad absentes. Unde Paulus eum vocat charissimum fratrem, fidelem ministrum et conservum in Domino, Ephes. vi, 21; Colos. iv, 7. Sanctis ascriptus est in Martyrologio Roman., die 29 aprilis.

Trophimus. — Hic fuit Ephesius ex Gentilibus oriundus : unde propter eum captus est Paulus, suspicantibus Judæis quod Trophimum Gentilem induxisset in templum eorum, cap. xxi, vers. 29. De eo sic legimus, in Martyrol. Rom., 29 decembris : « Arelate natalis S. Trophimi, cujus meminit S. Paulus ad Timotheum scribens, qui ab eodem Apostolo Episcopus ordinatus, præfatæ urbi primus ad Evangelium prædicandum directus est : ex cujus prædicationis fonte, ut S. Zozimus Papa scribit, tota Gallia fidei rivulos accepit; » qua de causa Arelatensis Ecclesia de primatu Galliæ contendit, uti fuse hic narrat Lorinus.

6. Navigavimus post dies azymorum. — Hinc patet, hoc tempore, puta anno Christi 58, adhuc apud Christianos viguisse legalia; saltem nomine et umbra tenus. Esto enim Christiani celebrarent Pascha, non tamen dies azymorum : hi ergo erant Judaici.

Nota : Lucas hic mutat personam tertiam in primam, dicens navigavimus, idque facit usque ad finem libri. Unde liquet, Lucam hucusque abfuisse a Paulo : hic vero, cum ad Græciam rediit Paulus, rursum ei adhæsisse : eum enim cum cæteris Paulus assumpsit socium itineris e Græcia Hierosolymam, indeque Romam. Vide dicta cap. xvi, vers. 10. Causam, cur Lucas hic rursum adhæserit Paulo, silet Lucas ex modestia, sed explicat Paulus, II Cor. viii, 19, scilicet quod Lucas apud Græcos tum ex medicina, tum ex probitate et fide, tum ex scripto Evangelio celebris, ab Ecclesiis electus esset comes peregrinationis Pauli, ad perferendas eleemosynas fidelium Achaiæ et Macedoniæ in Jerusalem. Prudenter enim nolebat Paulus eas perferre, sed latorem designari ab Ecclesiis, ne quis suspicari posset eum quid ex iis in suos vel aliorum usus convertisse, ut ipse ibidem ait.

7. Una autem sabbati, — id est prima die hebdomadæ (quæ a præcipua die vocatur sabbatum), vel prima die post sabbatum, puta Dominica : unde in ea Paulus celebravit Eucharistiam, ad quam fideles de more convenerunt. Ita S. Chrysostomus, Beda et S. Augustinus, epist. 86. Vide dicta I Cor. xvi, 1. Fuit hæc Dominica una ex iis quæ inter 50 dies a Paschate usque ad Pentecosten intercurrunt; et hoc respectu a Chrysostomo vocatur Pentecoste : alioqui non fuisse ipsam Dominicam Pentecostes, patet ex vers. 16, ubi festinat Paulus, ut Pentecosten celebret Hierosolymæ.

Ad frangendum panem. — non corporalem, ut vult Lyranus et alii; sed sacrum, puta ad celebrandam et sumendam Eucharistiam, et post eam Agapen. Ita Syrus et S. Augustinus, epist. 86, quin et Calvinus et Bullingerus hic. Vide dicta cap. 2, vers. 46. Nota hic primævum morem celebrandi Missam in Dominica, ad quam conveniebant omnes fideles in eaque communicabant : quod deinde præcepto universali sanxit Anacletus Papa quartus a S. Petro, ut habetur in ejus decretis II, Quæst. VII, cap. Laici.

Protraxitque sermonem usque in mediam noctem. — Primitus enim exemplo Christi, Eucharistia celebrabatur vespere post sermonem sive exhortationem, eratque et vocabatur cœna Dominica; Paulus ergo ultimum valedicturus, protraxit sermonem in mediam noctem. Ubi nota fervorem Pauli in prædicando, et vice versa populi in audiendo devotionem, « ut audirent tubam illam, et amabilem vultum intuerentur, » ait Chrysostomus. Porro incertum est an hæc nox et vespera fuerit prævia, et principium diei et lucis Dominicæ, an sequens, diemque terminans : festum enim habebat duas vesperas, puta primam et secundam, uti etiamnum habet in Officio Ecclesiastico. Terminantem accipere videtur S. Hieronymus, epist. 28 ad Lucinum, dicens : « Utinam omni tempore jejunare possemus, quod in Actibus Apostolorum diebus Pentecostes, et die Dominico Apostolum Paulum et cum eo credentes fecisse legimus. Nec tamen Manichææ hæresis accusandi sunt (qui docuerunt die Dominico esse jejunandum, etiamsi nemo sit communicaturus), cum carnalis cibus præferri non debuerit spirituali. » Jejunarunt ergo die Dominica, non ob præceptum, sed ob reverentiam Eucharistiæ, quam sumpturi erant. Jejunium autem nullum est die inchoante, sed finiente. Ergo, finiente die Dominica, celebrarunt Eucharistiam, non inchoante.

8. Lampades copiosæ, — tum ad pellendas noctis tenebras, tum ad decoranda mysteria et celebrationem Eucharistiæ, uti etiamnum cereis altaria collucent in Missa, de quo ritu vide Baronium hic.

9. Ductus somno, — κατενεχθεὶς ἀπὸ τοῦ ὕπνου, id est victus a somno, ait Budæus. Nam sermo Pauli protrahebatur in mediam noctem. Celebre est exemplum Machetis in Collationibus spiritualibus pervigilis, apud Cassianum, lib. V De Instit. renunt., cap. xxix.

10. Cecidit de tertio cœnaculo. — Syrus, de tertia contignatione. Casus et mortis Eutychi S. Chrysostomus auctorem facit diabolum, ut festum hoc gaudiumque Christianorum et fructum concionis Pauli interturbaret et tam tristi eventu funestaret.

Incubuit super eum, — Græca et Syrus, cecidit super eum, instar Eliæ, III Reg. xvii, 21, et Elisei, IV Reg. iv, 34, qui incumbentes puero mortuo, eum suscitarunt : ita Beda.

Et complexus. — Vox Græca συμπεριλαβών, id est circumplexus, notat arctissimum circumquaque Pauli complexum, ut viscera sua compassionis, charitatis et misericordiæ in eum effundere velle videretur. « S. Eutychus a S. Paulo resuscitatus, secutus est S. Joannem Evangelistam; Teiæ passus in Vacceis in Hispania, completo martyrio gloriosus migrat ad Dominum anno Christi 112, » ait L. Dexter in Chronico.

Vers. 11. 11. Sic profectus est. — Syrus, tunc profectus est.

Vers. 12. 12. Et consolati sunt non minime. — Id est maximam consolationem acceperunt. Pulchre Beda : « Inter verba, ait, prædicationis occurrit occasio curationis, ut dulcedine miraculi et doctrinæ sermo firmetur, et vigiliarum labor arceatur, et memoria magistri jam discessuri, arctius mentibus infigatur. »

13. Asson. — Urbs est in Æolide juxta Troadem, Vers. 13. alio nomine dicta Apollonia, ait S. Hieronymus in Locis Hebraicis.

Per terram iter facturus. — Chrysostomus, « pedibus per terram ingressurus; » hoc enim est πεζεύειν, nimirum pedibus incedere, vel pedestri itinere venire. Unde notat Chrysostomus Paulum pedibus iter fecisse, socios vero navigare jussisse, ne laborem pedestris itineris subirent. Ita S. Franciscus et viri Apostolici incedunt pedites, quantum possunt exemplo Christi, qui pedibus magno labore et fatigatione obambulabat Judæam et Galilæam, et discurrebat per vicos et castella, ubique evangelizando regnum Dei : nec unquam equitasse legitur, sed semel asino vectus, nimirum quando ut Messias, Rex Judææ, solemni pompa ingressus est Jerusalem in die Palmarum. Pedes ergo ivit Paulus, tum ut pedestri itinere amicos fideles salutaret, tum ut utique evangelizaret, tum mortificationis studio et exemplo. Paulus pedes proficiscitur.

14. Assumpto eo, — Paulo scilicet, in navim nostram : ita Syrus. Omnia hæc narrat Lucas in prima persona, quia ipse omnibus his interfuit, et horum pars magna fuit.

15. Chium. — Insula est nota inter Samum et Lesbum, præstantis vini ferax, quod vulgo Malvasinum dicitur, de qua Plinius, lib. XIV, cap. vii.

Samum. — Insula est in mari Ionio, patria Pythagoræ et Sibyllæ Samiæ, inventrix vasorum fictilium, quæ inde Samia vocantur. Unde illud Poetæ :

> Fictilibus cœnasse ferunt Agathoclea regem,
> Atque abacum Samio sæpe onerasse luto.

Agathocles enim ex figulo factus rex, in figulinis vasis cœnabat, ut semper meminisset se figulum fuisse et figuli filium.

Addunt Græca, Syrus et S. Chrysostomus, ac divertimus Trogyllum. Porro Trogyllum est promontorium contra Samum, habens juxta se parvam insulam, Trogyllum pariter appellatam. Ita Strabo, lib. XIV.

Venimus Miletum. — Urbs hæc fuit illustris Ioniæ, patria Thaletis, lanarum optimarum fertilis : quæ inde Milesiæ dicebantur. De ea ait Paulus, II Timot. iv, 20 : « Trophimum reliqui infirmum Mileti : » quod cum verificari non possit de hoc Pauli adventu Miletum, nam Trophimus Mileto comitatus est Paulum Hierosolymam usque, ac propter eum ibidem captus est Paulus, cap. xxi, 29, neque etiam de ejus itinere quo Hierosolymis vinctus, missus est Romam ad Neronem, quæ prima fuerunt Pauli Romana vincula : in eo enim itinere non Miletum, sed Miletam, sive Maltam adnavigavit, cap. ultim., vers. 1; hinc sequitur, id contigisse post prima Romana Pauli vincula, postquam scilicet iis liber Hispaniam adiit, ac Miletum aliasque Asiæ urbes revisit : tunc ergo Mileti infirmum reliquit Trophimum. Unde consequens



UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

est epistolam secundam ad Timotheum non e primis, uti multi volunt, sed e secundis vinculis Romæ a Paulo scriptam esse, ut ibidem docui.

Paulus fulgur.

16. TRANSNAVIGARE (prætervehi) EPHESUM. — Vide hic Paulum instar fulguris, imo instar angeli tot urbes, tot gentes, tanta terræ marisque spatia celerrime pervolantem. Præclare S. Chrysostomus, hom. 2 *De laudibus S. Pauli* : « Paulus, ait, in terra gradiens sic se agebat in cunctis quasi angelorum societate frueretur. Nam passibili adhuc colligatus corpori illorum perfectione gaudebat, tantisque fragilitatibus subditus, in nullo inferior supernis virtutibus apparere certabat. Nam et tanquam pennatus totum circuedo pervolavit orbem, et velut incorporeus labores omnes periculaque contempsit, et quasi jam cælum possidens cuncta prorsus terrena despexit, et tanquam cum ipsis jam incorporeis degeret, ita jugi mentis intentione vigilavit : et angelis quidem sæpe diversarum gentium cura commissa est, sed nullus eorum ita creditum sibi gubernavit populum, ut Paulus universum gubernavit orbem. Michaeli gens commissa est Judæorum, Paulo vero terræ ac maria, atque universi orbis habitatio. » Et mox : « Quomodo non admirabile hoc atque improvisum videtur, cum ex tenera lingua sermo prodiens mortem fugat, peccata dissolvit, tenebras cæcitatis illuminat, et mutatione mirifica terram convertit in cælum ? »

DIEM PENTECOSTES. — Christianæ et ritu Christianorum, ait Epiphanius, *hæres.* 75, Hugo, Lyranus, Cajetanus et alii ; non Judaicæ, ritu Judæorum. Vide dicta cap. II, vers. 1. Hinc patet antiquitas festi Pentecostes, scilicet a tempore S. Pauli (1).

19. SERVIENS DOMINO CUM OMNI HUMILITATE. — Nihil enim admirabilius, quam in tanta Pauli sublimitate tanta humilitas. Rara avis in terris. Præclare S. Gregorius, lib. II, epist. 54 *ad Joannem Ravennatem Episcopum*, pallium sibi arrogantem : « Decorari, ait, pallio volumus, forsan moribus indecori : dum nihil in Episcopali cervice splendidius fulget, quam humilitas, » præsertim si iis se humiliat, a quibus exagitatur et contemnitur, ut idem ait, lib. II, *epist.* 24, juxta illud *Psal.* IX : « Vide humilitatem meam de inimicis meis. » Vide S. Augustinum, lib. X *Confess.*, cap. IV, et S. Bernardum, serm. 23 et 42 in *Cant.*

Moral. de humilitate.

Memorabile est quod scribit Sophronius, vel potius Joannes Moscus in *Prato Spirit.*, cap. CXX : Duo, inquit, Episcopi erant in simultate ; unus ex eis ut illam discuteret, cum Clero processit ad alterum, ad ejusque pedes procidit dicens, « Ignosce, Domine, servi tui sumus. » Ille victus hac humilitate : « Tu meus, ait, et dominus et pater es. » Concludit Moscus : « Et vos cum habetis inimicum, ita facite, et vincetis. Quare majorem habet gloriam humilis quam rex, quia ab omnibus laudatur. » Alia similia recenset cap. CXII et CCXVIII et CCXIX. Nota : Apostolus ait humilitatem esse servitium Dei. Nulla enim re magis quis se profitetur servum Dei, quam si se profunde non tantum ipsi, sed et hominibus quibusque propter Deum humiliet et substernat. « Magna potentia Dei solius et ab humilibus honoratur, » ait Ecclesiasticus, cap. III, vers. 21.

Rursum nota : *cum omni humilitate* : non enim sufficit se humiliare in una re obiter et semel, sed in omnibus profunde et semper. Humiliavit ergo se Paulus in corde, in verbo, in incessu, in salutatione, in victu, in vestitu cæterisque omnibus. Adde : *omni* accipi potest pro plena et perfecta humilitate, ut sit enallage qua totum universale ponitur pro toto integro, puta omne pro perfecto et omnibus partibus numerisque absoluto. Omnis ergo humilitas est plena, profunda, ima humilitas. Sic *Exod.* XXXIII, 19, ait Deus Mosi : « Ego ostendam omne bonum, » id est summum bonum, puta meipsum, « tibi. » Hanc didicit Paulus a Christo eamque verbo et exemplo docuit omnes fideles, *Ephes.* vers. 1. Christus enim cum esset in forma Dei, propter eos exinanivit se per omnem vitam, nascens in præsepio, vivens in hospitio, non habens ubi caput suum reclinaret, moriens in patibulo. Quocirca accedens ad Joannis baptismum, cum Joannes ex summa reverentia eum prohiberet diceretque : « Ego debeo a te baptizari, et tu venis ad me ? » respondit : « Sine modo. Sic enim decet nos implere omnem justitiam. » *Matth.* III, 15. « Omnis justitia est humilitas, » ait Glossa, quæ se non tantum superioribus et æqualibus, sed et inferioribus subjicit ; sicut ex adverso omnis injustitia est superbia, qua quis etiam superiori se præponit : jus enim et subjectionem debitam ei adimit. Sicut ergo in omni actu virtutis intervenit humilitas, qua quis Deo ejusque legi humiliter se subdit, ita in omni actu peccati se miscet superbia, qua quis superbe jugum legemque Dei excutit : humilitas itaque solvit, imo superat omnem justitiam omneque debitum quod debet Deo, proximo et sibi ipsi : Deo enim se subjicit per religionem, proximo per charitatem, corpus per continentiam subdit animæ, animam spiritui, spiritum Deo. *Secundo*, S. Ambrosius, lib. II, in cap. III *Luc.* : « Hæc, ait, est justitia, ut quod

Omnis justitia est humilitas. Prima.

(1) Ea quæ sequitur oratio Pauli valedictoria, sententiarum gravitate et verborum copia in sollicitii amoris declaratione et conscientiæ actione accurata officii, admirabili est industria composita, et diligentissima lectione considerationeque dignissima. In ea Apostolus Episcopis et Presbyteris congregatis in memoriam revocat, qua ratione munere suo in Asia functus sit, nuntiat iis se Hierosolymam tendere, atque declarat se paratissimum esse ibi ob Christi doctrinæ professionem pericula et calamitates subire. Serio deinde eos cohortatur, ut diligenter Ecclesiæ saluti prospiciant. Tum iis valedicit eosque Deo commendat, addita admonitione, ut a nimio proprii lucri studio caveant, in qua re seipsum quoque exemplar proponit. Cf. Glaire, op. cit., tom. V, p. 371.



alterum facere velis, prior ipse incipias, et tuo alios horteris exemplo. Si pro nobis Christus lavit, imo nos in corpore suo lavit, quanto magis nos nostra delicta lavare debemus ? » Hoc est quod clamabat Christus : « Discite a me quia mitis sum et humilis corde. » *Matth.* XI. *Tertio*, « omnem, » id est summam justitiam implevit Christus et Paulus. Nam magna humilitas et justitia est subdere se superiori, major subdere se æquali, maxima subdere se inferiori : uti Christus, cum esset Sanctus sanctorum, caput tamen inclinavit Joanni ad baptismum, quasi petens ab eo purificationem et sanctificationem, tanquam peccator et pœnitens, uti faciebant cæteri, qui baptizabantur baptismo pœnitentiæ a Joanne. Præclare S. Gregorius : « Hæc, ait, est summa justitia et sanctitas, si virtutis merito summi, humilitate simus infimi. » Hanc impense et continuo docuit Christus Dominus, qui est æterna Patris Sapientia, ideoque e sinu Patris et summo cælorum in imum terræ uterumque Virginis descendit, ad hoc ut refutaret erroneum mundi judicium, quod falso docet, si quid habeamus sapientiæ aut virtutis, ut id ostentemus, extollamus, ambiamus honorari et cæteris præferri. S. Thomas Aquinas rogatus quo indicio vere sanctus et perfectus dignosci possit ? respondit : Humilitate, contemptu sui, fuga honoris et laudis. Si ex adverso, inquit, videris aliquem dum negligitur, postponitur, irridetur, dare sensum doloris vel indignationis, dejicere vultum, nasum contrahere, rugare frontem, scito hunc non esse sanctum, non esse magnum, etiamsi miracula faceret. Ostendit enim in sui contemptu suam superbiam, tristitiam, iram, impatientiam, ac proinde vilem se facit et contemptibilem. Ex adverso S. Ambrosius, lib. V *in Lucam*, ad illud, *Beati pauperes* : « Humilitas spiritus, inquit, divitiæ virtutum sunt. » *Quarto*, « omnem justitiam, » id est omne incrementum justitiæ et humilitatis, ut scilicet quotidie magis magisque te humilies, donec ad culmen, aut potius ad centrum humilitatis pertingas. Sic Christus descendit e cœlo in uterum, ex utero in præsepium, ex præsepio in Jordanem, ex Jordane in crucem, ex cruce in infernum : unde merito tanti descensus, ex inferno gloriosus ascendit et resiliit in cœlum imo super omnes cœlos : nimirum docuit te et me, ut, si ex uno loco, officio, gradu in quo eminebas, colebaris, honorabaris ab omnibus, mittaris et devolvaris ad alium locum, officium, gradum, in quo deprimaris, negligaris, despiciaris ab omnibus, libens eo descendas dicasque cum Christo : « Sic decet nos implere omnem justitiam. » Quod si feceris, certus esto te cum Christo in summum honoris gradum conscensurum, uti in summum cœlorum sua humilitate conscendit S. Franciscus.

Quocirca sapienter S. Augustinus, epist. 56 *ad Dioscorum* : « Huic (Christo humili, inquit) te, mi Dioscore, ut tota pietate subdas velim, nec aliam tibi ad capessendam et obtinendam veritatem viam munias, quam quæ munita est ab eo qui gressuum nostrorum tanquam Deus videt infirmitatem. Ea est autem prima humilitas, secunda humilitas, tertia humilitas, et quoties interrogares, hoc dicerem : non quod alia non sint præcepta quæ dicantur, sed nisi humilitas omnia quæcumque benefacimus, et præcesserit, et comitetur, et consecuta fuerit, et proposita quam intueamur, et apposita cui adhæreamus, et imposita qua reprimamur : jam nobis de aliquo bono facto gaudentibus totum extorquet de manu superbia. » Appositum dat exemplum : « Itaque sicut Rhetor ille nobilissimus (Demosthenes) cum interrogatus esset, quid ei primum videretur in eloquentiæ præceptis observari oportere, pronuntiationem dicitur respondisse : cum quæreretur, quid secundo, eamdem pronuntiationem : quid tertio, nihil aliud quam pronuntiationem dixisse. Sic si interrogares, et quoties interrogares de præceptis Christianæ religionis, nihil aliud respondere, nisi humilitatem liberet. Huic humilitati saluberrimæ, quam Dominus noster Jesus Christus ut doceret, humiliatus est, adversatur imperitissima scientia, etc., ut docti eruditique videamur. »

ET LACRYMIS. — Græce, *et multis lacrymis*, tum compunctionis, ob mea et omnium fidelium peccata ; tum compassionis, ob tot Christianorum infirmitates et miserias ; tum orationis, ut lacrymis a Deo impetrarem et quasi emerem gratiam toti Ecclesiæ necessariam ; tum zeli et charitatis, qua deflebam obstinationem Judæorum et Gentilium, non tam Christo et mihi, quam sibi et suæ saluti obluctantium. Vide de lacrymarum fructu S. Basilium, hom. 4 *De Gratiarum actione*, et ejus familiarem S. Ephrem, qui totus fuit vir compunctionis et lacrymarum, tom. II, in illud, *Attende tibi*, cap. IX, et ea quæ dixi *Jerem.* cap. IX, vers. 1, et *Thren.* I, 2, et cap. III, vers. 48.

Pulchre Chrysostomus, hom. 2 *De Laud. S. Pauli* : « Sicut, inquit, parentes qui morbibus filiorum vulnerantur, aliquid consolationis accipiunt, cum fletibus madent, magisque dolent, cum dolere prohibentur ; sic Paulus nocte ac die consolationem accipiebat ex lacrymis : nullus siquidem tanto affectu mala propria, quam ille deflebat aliena. » Unde ait *Rom.* IX, 2 : « Tristitia mihi magna est, et continuus dolor cordi meo. Optabam enim ego ipse anathema esse a Christo pro fratribus meis, qui sunt cognati mei secundum carnem. » Et II *Cor.* II, 4 : « Ex multa tribulatione et angustia cordis scripsi vobis per multas lacrymas (madefaciens epistolam), non ut contristemini, sed ut sciatis quam charitatem habeam abundantius in vobis. » Nam, ut ait Chrysostomus : « Tanta est vis spiritualium in parturitione dolorum, ut malit sexcenties defatigari qui talem partum enititur, quam unum ex his qui nati sunt, videre perditum ac corruptum. » Est hæc Pauli

Testamentum S. Pauli. oratio ultima ad Ephesios, velut testamentum ejus, quo eis ultima dat monita ideoque vitæ suæ, quam sibi infigant, jugiterque ad imitandum ob oculos ponant. Similia dedit Apostolis Christus, *Joan.* cap. XIII, XIV, XV, XVI, XVII, seque ac Jacob, Moses, Samuel, David et Tobias morituri. Sunt enim ultima verba parentum efficacia, hærentque in mentibus filiorum, quasi « scrupulus abeunti, » ait Cicero, lib. IV *De Finibus*.

ET TENTATIONIBUS. — vexationibus, angustiis, afflictionibus. Sic sumitur *tentatio* pro tribulatione, *Hebr.* XI, 37 : « Lapidati sunt, secti sunt, tentati sunt, in occisione gladii mortui sunt. » Et *Jacob.* I, 2 : « Omne gaudium existimate, fratres mei, cum in varias tentationes incideritis. » In tribulatione enim gaudendum est : de tentatione autem proprie dicta, utpote peccati illice, non gaudendum, sed dolendum est et pavendum.

20. NIHIL SUBTRAXERIM UTILIUM. — puta eorum *quæ possent prodesse animabus vestris*. Ita Syrus. « Sicut enim invidiæ est quædam abscondere, ita insipientiæ est omnia dicere, » ait Chrysostomus. Unde Deus nonnisi utilia eloquitur. « Ego Dominus Deus tuus docens te utilia, » inquit ipse *Isaiæ* XLVIII, 17. Hoc imitentur Doctores et Concionatores, ut non speciosa, non curiosa, non blanda, sed utilia doceant, quæ animæ saluti conferant. Vide S. Basilium, hom. 11 *Hexam.* Præclare Sidonius Apollinaris, lib. VIII, *epist.* 4 : « Modo, ait, tempus est seria legi, seria scribi, deque vita perpetua potius quam memoria cogitari ; nimiumque meminisse nostra post mortem, non opuscula, sed opera pensanda. »

*Secundo*, et magis genuine τὸ *utilium* referas non tantum ad doctrinam utilem, sed et ad alia quævis saluti utilia. Unde Pagninus, Tigurina et Vatablus vertunt, *quomodo nihil suffugerim*, vel *detrectarim* (hoc enim est ὑπεστειλάμην) *eorum quæ essent in rem vestram*, *q. d.* Nihil detrectavi neque periculi, neque laboris, qui modo ad vestram pertineret utilitatem.

PUBLICE ET PER DOMOS. — Hinc patet non sufficere Episcopo et Pastori, ut publice in genere doceat, sed et debere privatim singulos in particulari docere et monere, ubi res exigit, præsertim cum rudes sunt, aut peccatis gravibus vel scandalosis irretiti. Imitari enim debet Pastorem ovium, qui singulas oves in particulari agnoscit, fovet, pascit, curat, medetur si ægrotent, uti faciebat Jacob pascens oves Laban, *Genes.* XXXI, 39. Hoc est quod monet Sapiens, *Prov.* XXVII, 23 : « Diligenter agnosce vultum pecoris tui, tuosque greges considera. » Cura enim et providentia est rerum particularium, non universalium.

Ita in Belgio vidi vigilantes Pastores parœciam suam obire domatim, ac singulos salutare, compellare, solari, monere, hortari ; quod mirum eis subditorum amorem, confidentiam et reverentiam conciliabat. Id fecisse se ait Paulus, vers. 31 : « Per triennium, ait, nocte et die non cessavi cum lacrymis monens unumquemque vestrum. » Nam, ut ait Chrysostomus, hom. 3 *De Laud. S. Pauli* : « Omnem prorsus hominem Deo exhibere cupiebat, et omnes quantum ad ipsum spectat, exhibuit : quasi enim universum mundum genuisset, sic perturbabatur, sic currebat, sic omnes in regnum Dei festinabat inducere docendo, pollicendo, meditando, tum pro ipsis etiam supplicando et terrendo, et dæmones corruptores animarum fugando : aliquando epistolis, aliquando pœnitentia, nunc sermone, nunc rebus, per discipulos, per semetipsum conabatur erigere labantes, stantes vero firmare, humi jacentes attollere, sanare contritos, torpentes oleo exhortationis animare, inimicis insonare terribiliter, hostes minaciter intueri more optimi cujusdam ducis, ac medici artis suæ instrumenta gestantis : protector ipse bellantium, ipse sedulus ægrotorum minister, et unus omnium officiorum personas et exercitium ubique custodiens. » Causam subdit : « Cum celsus in omnium consisteret arce virtutum, omnem tamen flammam præcipuo charitatis ardore vincebat. Ut enim missum in ignem ferrum, totum profecto ignis efficitur ; sic Paulus charitate succensus, totus factus est charitas : qui quasi communis totius mundi esset pater, ita in amore omnium ipsos eorum imitabatur parentes, imo cunctos non carnales solum, sed et spirituales patres sollicitudine ac pietate superabat ; et pecunias, et verba, et corpus, et animam, pro his quos diligebat, impendens. »

21. TESTIFICANS, — id est publice et libere prædicans, ait Chrysostomus. Apostoli enim fuerunt publici testes Christi et Evangelii. Vide dicta cap. X, vers. 42.

IN DEUM POENITENTIAM. — Pœnitentia, etsi non sit virtus theologica, sicut fides, spes aut charitas, quæ directe et primario Deum quasi objectum respiciunt, tamen indirecte suo quoque modo tendit in Deum. Sicut enim peccatum est offensa Dei, ita pœnitentia est reconciliatio Dei : quia ipsa est quasi satisfactio pro offensa Deo facta.

22. ALLIGATUS SPIRITU. — Noster Mariana sic explicat, *q. d.* Spiritus prædicit fore, ut liger in Jerusalem. Alii, *q. d.* Scio mihi instare vincula : quare perinde habeo, atque si illis jam essem alligatus. Simplicius (1) alii, *q. d.* Pergo Hierosolymam impellente me Spiritu Sancto, cui quasi alligatus et devinctus sum. Ipse enim me ita possidet, ut non tam agere, quam ab eo agi videar, juxta illud *Roman.* VIII, 14 : « Quicumque enim spiritu Dei aguntur, ii sunt filii Dei. » Porro Spiritus Sanctus mihi indit spiritum, id est impulsum, desiderium, ardorem eundi in Jerusalem ; qui me ita valide eo impellit, ut ei alligatus, eo-

(1) Imo recte, nam δέω interdum eleganter ponitur pro *cogere*, *compellere*, *constringere*, ut apud Pindarum, *Pyth.* γ, 96 : ἀλλὰ κέρδει καὶ σοφία δέδεται, *at lucro etiam sapientia impelli solet.*



que ferri videar : sicut nubes ita aguntur vento quaquaversum, ut ei alligatæ videantur, juxta illud *Oseæ* IV, 19 : « Ligavit eum spiritus in alis suis. » Causa hujus impulsus fuit : *prima*, quia hoc eodem anno post paucos dies beata Virgo Hierosolymis migratura erat in cœlum, uti dicam cap. XXI, 17. Impulit ergo Spiritus Sanctus Paulum in Jerusalem, ut ante migrationem beatam Virginem salutaret, eique tam suos fideles et Ecclesias quam instantes agones cum Judæis et Nerone commendaret. *Secunda*, quia volebat Spiritus Sanctus Paulum Hierosolymis vinctum mitti Romam, ut cum S. Petro Romanam Ecclesiam fundaret et stabiliret.

23. SPIRITUS SANCTUS PER OMNES CIVITATES MIHI PROTESTATUR, — per ora fidelium prophetantium ; primitus enim fideles multi accipiebant donum prophetiæ, ut vidimus cap. II, 17, et XIII, 1 (1).

VINCULA ET TRIBULATIONES HIEROSOLYMIS ME MANENT. — « Ut ubi aliquando persequebatur Ecclesiam, ibi nunc pro Ecclesia decertet, » ait Beda. Hoc enim gloriosum erat tum Christo, tum Paulo.

Vers. 24. Pauli ardor. 24. SED NIHIL EORUM VEREOR, — οὐδενὸς λόγον ποιοῦμαι, id est, nullius ex dictis rationem facio, nihili duco, non curo, non timeo. « Paulus, ait Chrysostomus, hom. 2 *De ejus Laud.*, ad confusionem et injurias, quas ob prædicandi studium sustinebat, magis quam ad honorum oblectamenta properabat ; mortem potius quam vitam appetens ; paupertatem, quam opulentiam : et multo magis laborem desiderans, quam alii requiem post laborem ; ac mœrorem magis eligens, quam alii voluptatem ; studiosius pro inimicis orans, quam alii adversus inimicos. Converterat enim orbem terrarum, quem nos pervertimus. » Causam subdit : « Quia non tantum urbes, gentes, exercitus, provincias, pecunias, potestates, velut arenam vilia reputavit ; sed et præ Christi dulcedine non Angelorum, non Archangelorum admiratus est dignitatem, nec quidquam simile concupivit. Quod enim majus erat omnibus, Christi amore fruebatur : cum hoc beatiorem se cunctis putabat, sine hoc autem neque Dominationum, neque Principatuum socius esse cupiebat ; sed cum hac dilectione magis esse extremus optabat, imo etiam ex numero punitorum, quam sine hac inter summos et honore sublimes. Perfrui enim charitate Christi, hoc illi vita, hoc mundus, hoc angeli, hoc præsentia, hoc futura, hoc regnum, hoc promissio, hoc bona videbantur innumera ; præter hæc vero nihil in tristium parte ponebat. Horum enim quæ hic habentur, nihil asperum, nihil etiam suave reputabat. Sic despiciebat universa quæ cernimus, ut solet herba jam putrefacta contemni. » Illi ergo vivere Christus erat, et pro eo mori lucrum.

NEC FACIO ANIMAM MEAM PRETIOSIOREM QUAM ME. — « Animam, » id est vitam, metonymice. Legit interpres τιμιωτέραν ἐμαυτοῦ, id est *pretiosiorem me*, *q. d.* Vitam non pluris facio quam me : me autem consecravi Christo et Evangelio : ergo et vitam, tam hanc quam me pro Christo prodigere et perdere paratus. Jam Græca habent τιμίαν ἐμαυτῷ, id est *non habeo, non duco animam mihi pretiosam*, aut *charam* ; Syrus, *nihilo mihi habetur anima mea*, scilicet pro Christo, *q. d.* Paratus sum mori pro Evangelio. « Et tamen moriendo magis eam pretiosam faciebat, cui tantum meritum conquirebat, » ait S. Augustinus, Quæst. LVII *in Levit.* Sic David ait, *Psal.* CXVIII, 109 : « Anima mea in manibus meis semper, et legem tuam non sum oblitus ; » *q. d.* Pro lege tua animam meam omnibus periculis expono, eamque quasi in manibus fero cuivis hosti obvio eam libenter daturus. Heliogabalus Imperator, teste Lampridio in ejus Vita, dicebat : « Basilice moriendum est, ut mors parem non viderit ; » dixit, sed non præstitit : at Paulus dixit, et reipsa præstitit. Vide S. Bernardum, serm. 30 *in Cant.*

Paulum imitentur viri Apostolici et Religiosi, ut prodigi valetudinis et vitæ, se perditos æstiment, et utramque libenter, imo exultanter offerant Christo pro eoque prodigant. Hispanorum axioma est : « Capitaneum gloriæ avidum, debere nihil ducere vitam. » Quid jam dicat miles, imo signifer Christi, et ambiens gloriam cœlestem et æternam, ut cum Christo regnet in omnia sæcula? Nimirum Paulus præmeditatas in corde gerebat hasce aureas S. Nazianzeni sententias : « Sola virtus ducenda est vita. Mortem velut præsentem semper tibi ob oculos pone : ita enim fiet, ut cum ipsi occurrendum erit, superior existas. In sempiternum ævum thesauriza. Nil est vita hæc quam fumus, herbæ flos, insomnium, rota semper volubilis. Nudus omnino vitæ pelagus sulca. Labora, ut animus natura sua volubilis, in te fixus sit et constans. Sepulcris opes tuas ne relinquas. Nullus enim funebris honor cum præclara fama comparari potest. » Et illud ejusdem Nazianzeni, *orat.* 19 : « Vita et mors improprie vocantur. Vita enim hæc est mater corruptionis, adeoque continua mors ; mors vero est janua vitæ beatæ ; una vita est, ad vitam respicere. Una mors, peccatum : est enim animæ interitus. » Denique Paulo vivere Christus erat, et mori lucrum.

DUMMODO CONSUMMEM CURSUM MEUM. — Græca addunt μετὰ χαρᾶς, id est *cum gaudio*. Gaudebat enim Apostolus dari sibi occasionem martyrii, quo evolaret ad Christum, quem magis quam cor suum et animam propriam diligebat. Unde ait : « Desiderium habens dissolvi, et esse cum Christo, » *Philip.* I, 23. Et die mortis martyriique instante, exultans : « Bonum, inquit, certamen certavi, cursum consummavi, fidem servavi : in reliquo reposita est mihi corona justitiæ, quam reddet mihi Dominus in illa die justus judex, » II *Timoth.* IV, 7.

EVANGELIUM GRATIÆ DEI. — Quia Evangelium est

(1) Alii : Ex iis quæ in omnibus per Asiam Europamque dispersis urbibus, ubi Evangelium promulgavi, expertus sum, monente intus Spiritu Sancto, cognosco vincula Hierosolymis me manere.

annuntiatio et exhibitio gratiæ Christi, tum per prædicationem efficacem Apostolorum, tum per Sacramenta quæ gratiam conferunt ex opere operato, tum per exempla Sanctorum, tum per copiosam gratiam, quam sponte sua Christus in fideles suos instillat. Unde et vocatur lex gratiæ.

25. Et nunc ecce ego scio, — per instinctum et revelationem Dei.

26. 26. Mundus sum a sanguine omnium. — q. d. Si quis vestrum pereat, sua culpa peribit, non mea. Ego enim meo officio perfunctus sum docendo, hortando, monendo (1). Hic verum est illud vulgo tritum : « A pastore requiritur cura, non curatio, » juxta illud angelorum, Jerem. LI, 9 : « Curavimus Babylonem, et non est sanata. » Alludit Paulus ad Ezech. III, 17 : « Fili hominis, speculatorem dedi te domui Israel. Si dicente me ad impium : Morte morieris, non annuntiaveris ei, etc., ipse impius in iniquitate sua morietur, sanguinem autem ejus de manu tua requiram. » Vide dicta cap. XVII, 6.

Præclare S. Gregorius, hom. 12 in Ezech., explicans illud : Speculatorem dedi te domui Israel, etc. Sanguinem ejus de manu tua requiram : « quia, inquit, ipse hunc occidit, qui cum tacendo morti prodidit. In quibus utrisque pensandum est, quantum sibi connexa sunt peccata subditorum atque præpositorum : quia ubi subjectus ex sua culpa moritur, ibi is qui præest, quoniam tacuit, reus mortis tenetur. Pensate ergo, fratres charissimi, pensate, quia et quod nos digni Pastores non sumus, etiam ex vestra culpa est, quibus tales prælati sumus. Et si quando vos ad iniquitatem defluitis, etiam ex nostro hoc reatu est, quod obsistentes atque reclamantes in pravis desideriis non habetis. Vobis ergo et nobis parcitis, si a pravo opere cessatis; vobis et nobis parcimus, quando hoc quod displicet, non tacemus. O quam liber a commissorum sibi sanguine fuerat prædicator egregius, qui dicebat : Mundus sum a sanguine omnium! Non enim subterfugi, quominus annuntiarem omne consilium Dei vobis. Si enim non annuntiasset, mundus a sanguine non esset. Sed quibus omne consilium Dei annuntiare studuit, ab eorum sanguine mundus fuit. » Deinde idipsum sibi et suis applicans, subdit : « in qua voce nos convenimur, nos constringimus, nos rei esse ostendimur, qui sacerdotes vocamur, qui super ea mala quæ propria habemus, alienas quoque mortes addimus; quia tot occidimus, quot ad mortem ire quotidie tepidi et tacentes videmus. Sanguis ergo morientis de manu speculatoris requiritur, quia peccatum subditi culpa esse præpositi, si tacuerit, reputatur. Est ergo quod faciat, ut etiam moriente subdito se liberum reddat, surgat, invigilet, malis actibus contradicat, sicut scriptum est : Discurre, festina, suscita amicum tuum, ne dederis somnum oculis tuis, nec dormitent palpebræ tuæ. »

27. Omne consilium. — Syrus, omnem voluntatem, scilicet omne quod Deus a vobis vult fieri, puta utilia ad vestram salutem, ut dixi vers. 20. Vers. 27.

28. Attendite vobis, et universo gregi. — q. d. Invigilate primo vobis vestræque saluti et perfectioni, deinde cæterorum fidelium vestræ curæ commissorum. Pastor enim primam sui curam gerere debet, deinde sui gregis. Nam quo magis se curat et perficit, tanto magis curabit et perficiet gregem : sicut mater quo magis se curat, plusque comedit, eo plus habet lactis quo lactet infantem. Unde S. Gregorius, ideam veri Pastoris pingens in Pastorali, primam ejus dotem ponit munditiem cordis : « Tantum, inquit, debet actionem populi actio transcendere Præsulis, quantum distare solet a grege vita Pastoris. Sit ergo necesse est cogitatione mundus, actione præcipuus, discretus in silentio, utilis in verbo : singulis compassione proximus, præ cunctis contemplatione suspensus : bene agentibus per humilitatem socius, contra delinquentium vitia per zelum justitiæ erectus : internorum curam in exteriorum occupatione non minuens, exteriorum providentiam in internorum sollicitudine non relinquens. » Ita ipse initio Pastoralis, quæ deinde singula ordine toto libro prosequitur. Vers. 28. Idea Pastoris.

Sapienter Philo, in Legat. ad Caium : « Sicut, inquit, cœlos regunt Angeli, cœli elementa, sic reguntur bestiæ ab homine, ab anima corpus, res omnis inferior a superiore. » Melius S. Chrysostomus, lib. III et VI De Sacerdotio, Episcopum in populo doctrina et sanctitate eminere debere docet, sicut Angelus eminet inter homines, pastor inter oves, magister inter discipulos, et, ut ait Nazianzenus, Apolog. de Fuga, sicut animus et caput in corpore. « Vita principis debet esse censura populi, » ait Trebellius in Valeriano. Quocirca Archiepiscopi gestant pallium : « Illud enim, ait Isidorus Pelusiota, amiculum ex lana contextum, quod illi gestant humeris, ovis illius, quam Dominus aberrantem quæsivit, inventamque humeris suis sustulit, pellem designat. » Vide dicta Ezech. III, 4.

In quo vos Spiritus Sanctus posuit Episcopos — Episcopalis enim cura, officium, jurisdictio, potestas instituta est a Spiritu Sancto per Christum. Spiritus Sanctus ergo singulis Episcopis, dum Episcopatum ineunt, hæc omnia largitur et imponit. Porro Ephesi unus erat Episcopus, scilicet Timotheus. « Episcopos » ergo vocat primarios Presbyteros : hi enim cum Episcopo quasi Episcopi invigilabant Ecclesiæ eamque regebant. Unde, vers. 17, vocavit eos « majores natu, » id est Seniores et Presbyteros. Vide dicta Philip. I, 1. Jam vero Ephesinum Episcopum non advocavit, quia is erat Timotheus, qui erat cum Paulo, ut patet vers. 4 et seq. Adde Paulum advocasse plures revera Episcopos, nimirum eos qui erant Episcopi civitatum provinciæ Ephesiæ (metropolis enim erat Ephesus). Hoc enim est quod ait vers. 25 : « Amplius non videbitis faciem meam vos omnes, per quos transivi prædicans regnum Dei. » Ita intellexit S. Irenæus, lib. III, cap. XIV, dicens : « Paulus in Mileto convocatis Episcopis et Presbyteris, qui erant ab Epheso et a reliquis proximis civitatibus, multa testificans eis adjecit, » etc.

Regere, — ποιμαίνειν, id est pascere, juxta illud quod a Christo dictum est Petro principi Pastorum : « Pasce oves meas, » Joan. cap. ult. « Pasce verbo, pasce oratione, pasce exemplo, » ait S. Bernardus; ideo Christus ter Petro dixit : « Pasce. » Sic Psal. XXII, 1 : « Dominus regit me; » Hebr. pascit me. Meminerint ergo Episcopi et Pastores ipsorum regimen esse pastum, regere esse pascere, non se, sed oves.

Ecclesiam Dei (Græce, Ecclesiam Domini et Dei; Syrus, Ecclesiam Messiæ, sive Christi : unde sequitur), quam acquisivit (Christus) sanguine suo. — Hinc patet Christum esse Deum, contra Arianos : ipse enim existens Deus, in carne assumpta effudit sanguinem, quo emit et redemit Ecclesiam (1). Inepte enim et distorte Erasmus Arianis arma ministrans, sic exponit : « In quo vos Spiritus Sanctus posuit Episcopos regere Ecclesiam Dei (Patris), quam acquisivit (Christus) sanguine suo. » Si hoc non est falsare Scripturam, quid erit? Porro « pretium tantum sanguinis Filii vehementer sollicitat et flagitat Pastorum custodiam et curam, monetque fore, ut princeps ipse Pastorum peculium diligentissime tueatur et servet, » ait Vigilius Episcopus, lib. II Contra Eutychem. Rursum hinc fideles monet Apostolus, dicens : « Empti estis pretio magno : glorificate et portate Deum in corpore vestro, » I Corinth. VI, 20.

Vers. 29. Hæretici lupi, ob scie sna- 29. Lupi rapaces. — Syrus, feroces. Hæretici
gias. sunt lupi, ait S. Ambrosius, lib. VII in cap. X Lucæ, ad illud vers. 3 : Mitto vos sicut agnos inter lupos : « Lupi, inquit, bestiæ sunt quæ insidiantur ovilibus, circa pastorales versantur casas, habitacula domorum intrare non audent, somnum canum, absentiam aut desidiam pastoris explorant, ovium guttur invadunt, ut cito strangulent : feri, rapaces, iidemque natura corporis rigidiores, ut se facile non possint inflectere, impetu quodam suo feruntur, et ideo sæpe illuduntur. Si quem priores hominem viderint, vocem ei quadam naturæ feruntur vi eripere : si autem homo prius eos viderit, exagitari memorantur. » Et mox hæc applicans : « Nonne lupis istis, ait, hæretici comparandi sunt, qui insidiantur ovibus Christi, fremunt circa caulas nocturno magis tempore quam diurno? Semper enim perfidis nox est, qui lucem Christi sævæ nebulis interpretationis fuscare conantur. Versantur ergo circa caulas, stabula tamen Christi intrare non audent. Explorant Pastoris absentiam, et ideo Pastores Ecclesiarum vel necare, vel in exilium agere contendunt, quia præsentibus pastoribus oves Christi incursare non possunt : mentis intentione duri ac rigidi, nequaquam solent a suo errore deflectere. Si quem versuta mentis suæ circumscriptione prævenerint, faciunt obmutescere : si autem commenta impietatis ejus agnoveris, jacturam piæ vocis timere non poteris. Animam petunt, guttur invadunt, vitalibus vulnus affigunt. Graves sunt morsus hæreticorum, qui ipsis graviores et rapaciores bestiis, nullum avaritiæ finem impietatisque noverunt. Vestitum ovis habent, facta prædonis : foris ovis, intus lupus est. Nonne vobis videtur lupus, qui humanæ necis insaturabili crudelitate, fidelium morte populorum rabiem suam explere desiderat? Ululat iste, non tractat; qui negat vocis auctorem, et sacrilego sermone bestiale murmur interstrepit, qui non confitetur Dominum Jesum æternæ præsulem vitæ. Audivimus ejus ululatus, cum in orbem gladius mitteretur; dentes asperos, ora tumida præferebat, et putabat quod vocem omnibus abstulisset, quam solus amiserat. » Quocirca S. Clemens ex mente Apostolorum, lib. VIII Const., cap. XVIII, jubet eos exstirpari ut insidiatores Ecclesiæ, gregis labefactores, hæreditatis contaminatores, qui Judæos falsa religione, Græcos impietate superent.

30. Et ex vobis ipsis exsurgent. — Paulus hic verus fuit vates : nam adhuc eo vivente, contra eum insurrexerunt Hymenæus, Alexander, Phygellus et Hermogenes, ut ipse testatur I Timot. I, 20, et Epist. II, cap. I, 15.

Ut abducant (τοῦ ἀποσπᾶν, abripiant dolo et fraude a Christo, qui unus omnium est magister, Matth. XXIII, 10) discipulos post se. — Fons enim hæreseos est ambitio, et ambitus magisterii ac discipulorum. « Omnes (hæretici) tument, ait Tertullianus, lib. De Præscript., cap. XLI. Omnes scientiam pollicentur. Ante sunt perfecti catechumeni, quam edocti. Ipsæ mulieres hæreticæ quam procaces, quæ audeant docere, » etc.

31. Vigilate. — « Oportet, ait Antiochenus, hom. 111, ut Pastor totus mens oculusque virgam seu baculum gestet oculatum et vigilantem, instar Argi, ut ne una quidem concreditarum sibi pecudum rejicula fiat. » Sic Cherubini pleni

(1) Igitur sanguis h. l., et Græcum αἷμα per metaphoram quamvis miseriam et perniciem significat, ut Ezech. III, 18, aliisque locis.

(1) Magna extat apud Interpretes controversia de vera et genuina hujus loci lectione : scilicet pro Ἐκκλησίαν τοῦ Θεοῦ, quam lectionem vulgaris textus exhibet, in aliis libris legitur τοῦ Κυρίου, in aliis τοῦ Κυρίου καὶ Θεοῦ, vel Κυρίου Θεοῦ, vel etiam Χριστοῦ. Et primum lectio Χριστοῦ interpretamentum redolet, definiendo sensui vocabuli Θεοῦ vel Κυρίου destinatum; lectiones vero Κυρίου Θεοῦ et Θεοῦ καὶ Κυρίου manifesto e duabus diversorum librorum lectionibus conflatæ sunt. Restat igitur Θεοῦ vel Κυρίου. Κυρίου patrocinantur Rationalistæ omnes, Griesbachius, Rosenmullerus, ipseque Kuinoelius, utpote optimis ac antiquissimis codd., vetustis versionibus et multis Patribus commendatum. Denique Θεοῦ exhibet codex Vaticanus, tuetur versio Vulgata et Syra posterior, sequuntur e SS. Patribus plerique, v. g. Athanasius, Basilius, Epiphanius, Chrysostomus, etc.

erant oculis, *Ezech.* I, 18, et *Apoc.* IV, 6. Vita ergo Pastorum vigilia. Vide S. Gregorium, lib. II, Indict. X, *epist.* 33, et S. Bernardum, serm. 76 et 77 in *Cantic.*

PER TRIENNIUM, — non integrum et absolutum, sed duos annos integros, et tertium inchoatum per tres menses : tot enim resedit Ephesi, ut dixi cap. XIX, 10.

NOCTE ET DIE NON CESSAVI, CUM LACRYMIS MONENS UNUMQUEMQUE VESTRUM. — Vide hic, o Pastor, Pauli vigilantiam, assiduitatem, lacrymas in monendo et exhortando singulos, eumque imitare. Ita legimus S. Ambrosium, S. Bernardum, S. Dominicum pœnitentes audivisse et monuisse cum lacrymis. Quod cor tam saxeum, ut hisce lacrymis non emolliatur? quis non fleat flente Paulo? Nam ut hæc verba Pauli expendens ait S. Chrysostomus, hom. 12 in epist. *ad Coloss.* : « Ex quonam fonte tanta emanarunt fluenta, ut ex illius oculis lacrymæ? » Et paulo post : « Quemnam fontem vis comparare cum his lacrymis? Eumne qui est in paradiso qui irrigat universam terram? Sed nihil dices æquale. »

Nota τὸ *unumquemque* : esto enim directe alloquatur Paulus majores natu, tamen in illis alloquitur cæteros fideles, quos singulos habebat in corde et ore, *q. d.* ait S. Chrysostomus hic, in fine *hom.* 44 : « Si liceret cor nostrum disrumpere ac ostendere, videretis intus esse in magna latitudine vos omnes, mulieres, pueros ac viros. Tanta enim charitatis vis est, ut cœlo faciat animam latiorem. Capaces nostri estote, dicebat Paulus, II *Cor.* VII, non angusti estis in nobis. Totam Corinthum habebat ille in corde suo et dicebat : Dilatamini et vos. » P. Gaspar Barzæus, S. Francisci Xaverii discipulus et vicarius, imo in spiritu Apostolico alter in India Xaverius, ad Socios in Europam inter cætera hæc scribit : « Saluto omnes et singulos e Societate in visceribus charitatis Christi : singulorum imaginem menti impressam gero, adeo vivam, ut ipsi eam intuentes, ex ea sola se agnoscerent : si cui id non obtingeret, id inde fieret, quod ipse ex humilitate alium se sibi in animo efformarit, nimirum vilem, abjectum, inutilem, cum ego eumdem mihi ut virtutibus donisque Dei conspicuum illustremque, in meo corde pinxerim et sculpserim. » Idipsum præ Gasparo, Xaverio aliisque omnibus factitabat Paulus, fideles omnes in memoria, mente et benevolentiæ affectu, æque ac beneficentiæ effectu, quasi mater et nutrix assidue gerens et versans.

32. ET NUNC COMMENDO VOS DEO, — orans ut ipse vos dirigat, custodiat, augeat. Discat hic Pastor a Paulo, sibi orandum esse pro ovibus sibi commissis.

ET VERBO GRATIÆ IPSIUS, — id est Spiritui Sancto, inquit Glossa Interlinearis; alii, Filio, per quem gratia et veritas facta est, *Joan.* I, 17; alii Evangelio, quod gratiam confert præ Mose et lege, ut sit prosopopœia. Fingitur enim Evangelium quasi persona animata et spiritu plena, Spiritum et gratiam aspirare sui præconibus, *q. d.* Evangelium ejusque spiritus vos dirigat et custodiat, formetque tales, ut digni sitis capessere hæreditatem inter sanctificatos. Hic sensus est plausibilis placetque nostro Sanchez (1). Alii « verbo, » id est Evangelio ejusque prædicationi, ut sit hypallage : « commendo vos verbo, » id est commendo vobis verbum et prædicationem Evangelii per quam via ad gratiam aperitur, tum quærendam, tum conservandam et augendam; tum si perdatur, recuperandam. Verum hæc hiulca sunt et duriuscula. Sequitur enim : « Qui potens est. » Ergo « verbum gratiæ » per hebraismum est ipsa gratia, sicut verbum Evangelii est ipsum Evangelium, *q. d.* Commendo vos Deo et gratiæ ejus. Sicut dixit Lucas, cap. XIV, 25, Paulum et Barnabam ab Antiochenis traditos fuisse gratiæ Dei.

*Gratiam* vocat verbum, tum quia Hebræi omnem rem metonymice vocant verbum, tum quia gratia verbo a Deo per Christum nobis promissa est, tum quia verbo et jussu Dei datur. Sufficit enim ut Deus verbo dicat : Esto sanctus, patiens, humilis; et mox talis ero. Verbum enim Dei est efficax : Dei enim dicere est facere. Unde sequitur : « Qui potens est. » Ubi Syrus vertit, *quod potens est.* Tum quia verbo, puta Evangelio, gratia exhibetur et annuntiatur, *q. d.* Commendo vos Deo ejusque Evangelicæ gratiæ, quæ verbo Dei promissa, verbo Prophetarum prædicta, verbo Christi exhibita, verbo meo vobis annuntiata est. Ita Mariana, qui tamen ait τὸ *verbo* per hebraismum redundare. Huc accedit Sanchez, qui sic explicat : « Commendo vos verbo gratiæ, » id est divinæ promissioni, quæ gratiam omnibus liberaliter offert. Ac si dicat : Obsecro Dominum ut ipse vobis tribuat quod suis promisit, hæreditatem scilicet suam his qui sanctificantur. Hoc vero nihil aliud est quam petere ut illi, a quibus discedebat Paulus, ita sanctificentur, ut digni sint quibus Deus præstet verbum gratiæ, id est gratiam verbo, id est Evangelio promissam, seu verbum gratiosum. Denique verbum sæpe sumitur in Scriptura pro facto et opere, quod potenti Dei verbo jussuque fit, *q. d.* Commendo vos Deo ejusque potentiæ et potenti operationi gratiæ ipsius : ipse enim potens est, et per gratiam suam potenter ædificabit Ecclesiam vestram, singulosque vestrum, ut fiatis domus, imo templum Dei, hic per gratiam, in futuro per gloriam.

QUI POTENS EST. — Græcum τῷ Syrus et alii referunt ad λόγῳ, id est *verbum.* Planius Noster et alii referunt ad Deum.

(1) Quidni enim doctrina Christiana benignæ matri, aut hic λόγος, *verbum*, patri benevolo possit comparari, qui tutela sua nos suscipit et quasi sinu fovet? Quod sequitur, *gratiæ ipsius*, id est, ait Kuinoelius, *verbo vel doctrinæ* quam ipsius beneficio debemus.



ÆDIFICARE, — ἐποικοδομῆσαι, id est *superædificare, q. d.* Ego ædificavi fundamenta Ecclesiæ vestræ, rogo Deum, ut ille superstruat et fabricam ejus consummet, tum gratia, tum gloria et hæreditate cœlesti.

HÆREDITATEM, — in cœlis, quæ est ipse Deus, quam nobis quasi filiis suis dabit. « Hæredes Dei sic sunt, ait S. Augustinus, serm. 119 *De Temp.*, ut ipse Deus sit hæreditas nostra. Hæc hæreditas non minuitur copia possessorum, non fit angustior numerositate cohæredum, sed tanta est multis, quanta paucis : tanta singulis, quanta omnibus. Non talis te fecit hæredem, cui mortuo succedas, sed cum quo in æternum vivas; » imo, ut ait S. Ambrosius, in *Psal.* CXVIII : « Manet emolumentum integrum, et eo magis singulis crescit, quo pluribus fuerit acquisitum. » Secus est in hæreditate terrena, quæ quo in plures dividitur, eo singulis fit minor.

IN SANCTIFICATIS OMNIBUS. — Syrus; *in omnibus sanctis*, id est inter, vel cum omnibus sanctis : soli enim sancti hujus hæreditatis sunt capaces.

Vers. 33. 33. ARGENTUM ET AURUM, AUT VESTEM NULLIUS CONCUPIVI. — Idem fecit et dixit Moses, *Num.* 16, et Samuel, I *Reg.* XII. Hoc ergo Mosaicum, hoc Propheticum, hoc Apostolicum opus, « Gratis accepistis, gratis date, » ait Christus, *Matth.* X. Mira libertas, energia et auctoritas persuadendi prædicatori et confessario accedit, si omnia dona refutet. Præclare S. Hieronymus *ad Nepotianum* : « Nunquam, ait, petentes, raro accipiamus rogati. Nescio enim quomodo, qui te precatur ut tribuat, cum acceperis, viliorem te judicat : et mirum in modum si rogantem contempseris, plus te posterius venerabitur. »

*Prædicator munera respuat.*

Ita S. Columbanus objurgans Theodoricum, regem Gallorum de suis sceleribus, dapes regias ei a rege submissas refutavit, dicens : « Munera impiorum reprobat Altissimus, » *Eccli.* XXXIII. Vix autem verba protulerat, cum vasa omnia quibus dapes continebantur, disrupta sunt; qua re rex territus, se in ejus potestate in omnibus rebus fore pollicitus est.

Similis fuit continentia et constantia S. Antonii de Padua : Ezelinus enim tyrannus, quem graviter ob cædes et rapinas increparat Antonius, misit ad eum quosdam ex suis cum præclaris donis, quibus ita mandarat, ut precibus et omni importunitate id agerent, ut ea acciperet : quod si faceret, illico eum obtruncarent; si non acciperet, patienter ferrent quidquid ab eo diceretur. Illis igitur ficta humilitate instantibus ut dona admitteret, Antonius voce liberrima : « Abite, inquit, illico cum vestris impiis donis, ne vel ruente tecto, vel dehiscente terra nos quoque exitio vestro involvamur. » Ita illis dimissis, Ezelinus, re cognita, semper illum deinceps ut hominem sanctum veneratus est.

Par fuit virtus S. Bernardini Senensis, qui libere in concione redarguens Ducem Mediolanensem, cum ab eo submissum esset poculum aureum auro plenum, ipse illud cum stomacho rejecit : cumque legati instarent ut acciperet, et urgendi finem non facerent, surgens Bernardinus eosque sequi jubens, ad carcerem perrexit quo obærati tenebantur, quos eo die omnes, ære quod debebant persoluto, vinculis exemit.

34. ET HIS QUI MECUM SUNT, MINISTRAVERUNT MANUS ISTÆ. — Hæc excellentia, hæc gloria Paulo pene propria, quod in tantis laboribus et Ecclesiarum omnium negotiis, manibus tamen victum pararit non tantum sibi, sed et suis omnibus, qui sæpe erant multi, ut vidimus vers. 4.

35. OMNIA OSTENDI VOBIS. — « Omnia, » scilicet non tantum abstinentiam a donis, labores, lacrymas, ærumnas, prædicationem, sed et opus manuum, ut doceam vos suscipere infirmos, eorumque infirmitati consulere. *Secundo*, apposite Syrus et Vatablus restringunt τὸ *omnia* ad opus manuum, ut per græcismum intelligatur κατὰ, id est *per*, *q. d.* Per omnia ostendi vobis, quoniam sic laborantes, sicut ego laboravi, oportet se accommodare infirmis in fide, nec ab illis quidquam accipere, ne ipsi pecuniæ suæ amantes putent eam quæri, non se suamque salutem. De hac enim fidei infirmitate et animi pusillanimitate ad litteram loquitur Apostolus.

Præclare S. Gregorius, hom. 18 in *Ezech.* : « Quis, inquit, nostrum, si unum hujus mundi divitem ad omnipotentis Dei servitium convertisset, seque egere conspiceret, et illum sibi vitæ subsidia non præbere, non protinus de ejus vita desperasset? Quis non incassum laborasse se diceret? Quis non ab ejus exhortatione obmutesceret, quem in semetipsum primum ferre fructum boni operis non videret? Sed Paulus per mansuetudinem in virtutum vertice solidatus perstitit, prædicavit, dilexit, et bonum quod cœperat, explevit, eaque portando et persistendo, discipulorum corda ad misericordiam perduxit. » Unde pro « suscipere, » Græce est ἀντιλαμβάνεσθαι, quod, ait Vatablus, proprie est porrecta manu retinere lapsurum alioqui, vel abiturum. Paulus ergo ne ullius omnino jacturam faceret, cavebat ne quam ansam præberet infirmis et alienandis a Christo, quod nollent gravari sumptu, sed potius eis porrigebat manum.

Notent hoc Concionatores et Confessarii. A pari tamen potest idipsum ad quamlibet infirmitatem et quoslibet infirmos extendi : quamlibet enim tolerare, imo superare et sanare debet prædicator, et quicumque animabus mederi, easque salvare satagit : adeoque signum virtutis heroicæ est, quamlibet proximi infirmitatem, sive corporis, sive animi sit, patienter et generose sufferre, uti multis ostendi *Galat.* VI. Præclare S. Chrysostomus hic, *hom.* 40, in fine : « Exhibeamus, ait, nos ad colloquium faciles ... expectemus proximos; ne dicas : Si videro aliquem exspectantem, deterior ego efficior : sed magis

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

quando videris, assume et extingue ejus affectionem. Vides ægrotantem, et auges morbum? Hoc maxime faciamus, ut præveniamus invicem honore. Itaque si præveneris honore, teipsum magno honore ornasti, accelerans ut magis honoreris. Ubique primatus aliis concedamus: nihil eorum quæ erga nos facta sunt malorum cogitemus, sed si quid bonum. Nihil sic facit amicum, ut lingua gratitudinis studiosa, os bene loqui solens, anima sine fastu, contemptus vanæ gloriæ, contemptus honoris.» Et paulo ante dicit hanc charitatis diutitionem esse signum, quod certo ostendat nos esse filios et discipulos Christi, «sicut diadema et paludamentum ostendit regem.» Hæc magnitudo animi et dilectionis necessaria est Apostolo, ut ea absorbeat omnes fidelium et infidelium mores incanditos et insulsos, sicut mater magnitudine amoris absorbet omnes ærumnas et ineptias sui infantuli.

Ac meminisse verbi Domini Jesu. — Hoc verbum nusquam scriptum extat: illud ergo dixisse Christum Paulus, Apostolorum traditione, vel revelatione accepit, ut et Clemens, qui idem Christi dictum citat, lib. IV *Const.*, cap. III; licet S. Chrysostomus, Œcumenius et Lyranus illud deducant ex illo Christi: «Omni petenti te tribue,» *Luc.* VI, 30. Et: «Mutuum date, nihil inde sperantes,» ibidem, vers. 35. Et: «Cum facis convivium, voca pauperes, etc., et beatus eris, quia non habent retribuere tibi,» *Luc.* XIII, vers. 23. Tale est et illud Christi dictum, quod nusquam scriptum est, citat tamen Hieronymus, in cap. V *ad Ephesios*: «Nunquam læti sitis, nisi cum fratrem vestrum videritis in charitate.» Plura citat Clemens, lib. II *Const.*, cap. XL; Justinus, *Contra Tryphon.*; Ignatius, epist. *ad Smyrnenses*. Unde liquet non omnia Christi dicta esse scripta, sed nonnulla per manus tradita; ac proinde traditiones esse admittendas.

Beatius est magis dare quam accipere — temporalia bona. Nam in spiritualibus, ut Sacramentis, gratiam recipit accipiens, non dans, ideoque dante beatior est. Syrus, *beatior*, vel *melior est ille qui dat, quam qui accipit*. *Primo*, quia dare signum est abundantiæ, accipere vero signum est egestatis, ait S. Augustinus, lib. III *Contra Maximin.*, cap. XIV. Ubi et addit, hoc axioma non habere locum in divinis. Esto enim Pater det, Filius accipiat a Patre divinitatem, tamen Filius tam beatus est quam Pater: quia Filius, inquit, a Patre accipit omnia, ac consequenter ipsam etiam copiam et æqualitatem.

*Secundo*, quia dare signum est liberalitatis, accipere necessitatis aut cupiditatis, *q. d.* «Beatior est impartientis largitas, quam accipientis penuria,» ait Cassianus, lib. X *De Instit. renuntiat.*, cap. XVIII et XIX.

*Tertio*, quia major est benefacientis ad beneficiatum amor, quam hujus ad illum: quoniam ille nobilius operatur, ait Aristoteles, lib. IX *Ethic.* Unde et liberior est: qui enim accipit, ob donum acceptum obligatus, et quasi alligatus est donanti. Quæ major beneficii merces, quæ amplior compensatio, quam beatitudinis incrementum? Quocirca Seneca, lib. I *De Beneficiis*, cap. V: «Beneficium, ait, eripi non potest: non enim res est, sed actio.» Et inferius: «Potest eripi domus, et pecunia et mancipium, in quo hæsit beneficii nomen: ipsum vero stabile et immotum est.» Hinc M. Antonius apud Rabirium poetam, cum fortuna sua excidisset, ac nihil sibi reliquum videret, exclamavit: «Hoc habeo, quodcumque dedi.» Quem secutus Martialis:

> Extra fortunam est quidquid donatur amicis:
> Quas dederis, solas semper habebis opes.

Quamobrem Plinius, in *Panegyr. Trajani*, eum celebrat, quod acceptando imperium a Nerva, tantum ei dederit, quantum acceperat: «Imploratus, inquit, adoptione et accitus es,» *q. d.* Nerva tibi imperium dedit, tu illi reddidisti. Solus ergo adhuc es, qui pro munere tanto, paria accipiendo fecisti, imo ultra dantem obligasti: communicato enim imperio sollicitior tu, ille securior factus est. Hinc Plutarchus, lib. *De Præceptis gerendæ reipublicæ*, amicos dicit esse reipublicæ fulcrum, «quam tutatur amor,» ait Claudianus, lib. XII. Quocirca Alexander Macedo rogatus ubi haberet thesauros, amicos ostendit, quod ii soli veri thesauri censeri debeant. Hinc Hebræi hoc Christi et Pauli proverbium sic paronomastice efferunt: «Beatius est» משאת תת *tet masset*, id est dare plus quam accipere, tollere, auferre: qui enim tollit, alium spoliat vel privat re sua. Beati autem est beare et ditare; non privare et egenum miserumque facere. Ita Franciscus Vallesius, *Sacræ Philosophiæ* cap. LXXXVIII: Beatius, ait, est dare, quia liberalis largitionis extremum, non est bonorum vacuitas, sed adjectio potiorum, puta honestatis et honoris. Acceptio vero est egestatis, vel illiberalitatis. Atque hac de causa censet Aristoteles plus amare eos qui beneficia conferunt, quam in quos sunt collata, utpote magis inde bonum consecuti. Ita etiam a parentibus magis amari filios, quam ab eis redamentur. Contra qui receperint, citius recedere ab amicis, quam qui largiti sint, quod scilicet amissa utilitate, nihil illis restet in amicitia præter illiberalitatis memoriam: his vero restet semper suavis recordatio beneficiorum. Hæc ex Aristotele Vallesius.

*Quarto*, quia honorabilior est qui dat, vilior qui accipit, ait S. Hieronymus *ad Nepot.* Celebre est illud P. Syri in *Mimo*: «Beneficium qui accipit, libertatem vendit.» Ex adverso in malis et injuriis, «beatius est eas accipere quam dare.» Unde S. Chrysostomus scripsit hom. 78 *ad Popul.* hoc titulo: *Quod melius est injuriam pati quam inferre*: «Patienti enim, inquit, Deus totum reserat cœlum, Sanctorum civem efficit, a peccatis absolvit, coronat justitia.» Et mox: «Non es affectus



injuria, sed coronatus, anima redditus sapientior, Deo similis constitutus, cura pecuniarum liberatus, cœlorum regnum adeptus.» Et anterius: «Hoc ergo fac, et in cœlum respiciens, cogita quod illi super Cherubim sedenti factus es similis.» Hoc ergo paradoxum Christi et Pauli, priori est antistrophon.

*Quinto*, quia dare est regale et divinum, accipere plebeium et humanum. Deus enim omnia dat, et nihil accipit; atque in hoc consistit ejus beatitudo, opulentia et bonitas immensa, qua ut mare redundans sua effundit in creaturas: defectus enim miseriæ et infirmitatis est, accipere; plenitudinis vero, beatitudinis et magnificentiæ, dare, juxta illud Psaltis: «Dixi Domino: Deus meus es tu, quoniam bonorum meorum non eges,» *Psal.* XV, 1. Hinc Deus hebr. vocatur *Saddai*, id est cornucopia. Clemens Alexandrinus, lib. II *Strom.*, cap. IX: «Dei, inquit, imago est homo benefaciens.» Et Nazianzenus, orat. 16 *De Cura pauperum*: «Nihil, ait, adeo divinum habet homo, quam benefacere. Esto calamitoso Deus.» S. Leo, serm. 10 *De Quadrages.*: «Ubi, inquit, Deus curam misericordiæ invenit, ibi imaginem suæ pietatis agnoscit.» Deus Pater dat Filio suam naturam: Pater et Filius eamdem dant Spiritui Sancto: Filius se nobis dedit in præsepio, et in cruce, ac quotidie se totum dat in Ven. Sacramento. Deum imitantur omnes ejus creaturæ. Cœli enim dant lumen et influxum, ignis dat calorem, aer dat auram qua respiramus, terra dat fructus omnis generis, mare tot pisces, animalia dant lanam et carnes, sol omnibus dat radios, vigorem et vitam. Unde Leo imperator homines beneficos comparabat soli, qui cunctis suum splendorem et calorem impertit. Jupiter, Mars cæterique ob beneficia inter Deos relati sunt, ait Plinius, lib. II, cap. VII. Quia et Ptolemæus Philadelphus, secundus ab Alexandro Ægypti rex, aiebat «regium magis esse ditare quam ditescere,» ait Ælianus. Et Artaxerces Longimanus, rex Persarum, teste Plutarcho in *Apophteg. reg.*, dicebat sibi quasi principi, manum ad dandum, puta dextram, esse longissimam, alteram vero ad detrahendum, puta sinistram, contractam esse et brevissimam: «Regalius enim esse addere, quam adimere.» Ita Deus ad dandum est longimanus, ad accipiendum vero brevimanus, imo nullimanus. Sic Bion semper dicebat, «esse optabilius suam messem alteri largiri, quam alienam decerpere,» ait Laertius, lib. IV, cap. VII. Demosthenes rogatus, «quid Deo simile haberent homines?» respondit: «benefacere.» Ita Maximus, *serm.* 8. Xenophon dicere solebat: «Multo præclarius ac laudabilius esse beneficiorum quam trophæorum multitudinem post se relinquere.» Ita Stobæus, *serm.* 46. Agesilaus «sibi jucundius esse dicebat ditare suos milites quam seipsum.» Ita Plutarchus in *Lacon.*

Apophthegmata beneficorum.

*Sexto*, quia qui accipit, accipit tantum temporalia; qui vero dat, a Deo recipit spiritalia, puta gratiam et gloriam; et ab accipiente recipit preces, benedictiones, gratiarum actiones Deique laudes. Quocirca Agapetus, Diaconus Romanus, inter monita quæ dat Justiniano Imperatori, tom. II *Biblioth. SS. Patrum*, hoc dat ordine 50: «Eos plus ama, qui accipere abs te beneficia supplicant quam qui tibi contendunt offerre munera: his enim debitor referendi gratiam efficeris, illi vero Deum dant tibi vadem, vindicantem sibi, pertinereque ad se putantem, quæcumque erga supplices contuleris, et remunerantem bonis retributionibus tuam tam piam quam perhumanam intentionem. Solis profecto partes sunt illustrare radiis orbem, principis vero virtus est egenorum misereri.»

Dices: Ergo Religiosi mendicantes sunt infeliciores, utpote qui accipiant; sæculares vero et divites sunt feliciores, utpote qui eis dant eleemosynam. Respondeo negando consequentiam. *Primo*, quia illi non mendicant ex concupiscentia, aut inopia coacti, sed ex virtute et libera electione; elegerunt enim paupertatem voluntariam, ut sint similes Christo, qui eam verbo et exemplo suasit, quasi medium utilissimum ad perfectionem.

*Secundo*, quia Religiosi simul et semel omnia sua dederunt Christo et pauperibus, cum ingressi sunt Religionem. Liberaliores ergo, et consequenter beatiores fuerunt divitibus, qui sensim et parce sua erogant, longeque plura sibi reservant. Unde S. Basilius, Syncletio senatori monasterium ingresso, sed nonnulla sibi reservanti, ac cui gravis esset, dixit: «Syncleti, senatorem perdidisti, et monachum non fecisti,» uti refert Cassianus, lib. VII *De Instit. renunt.*, cap. XIX. S. Hilarion, teste S. Hieronymo in ejus Vita, recusans munera Orioni: «Nemo, ait, melius erogat, quam qui sibi nihil reservat.» Vide Hieronymum Platum, lib. III *De Bono status Relig.*, cap. XX.

*Tertio*, quia Religiosus plus dat diviti, quam ab eo accipiat, ut aiebat S. Franciscus; dat enim spiritualia, accipit corporalia: dat cœlestia, accipit terrena; dat æterna, accipit temporalia; dat cœlum, accipit solidum, juxta illud Christi: «Facite vobis amicos de mammona iniquitatis, ut cum defeceritis, recipiant vos in æterna tabernacula,» *Luc.* XVI, 9. Præclare Hermas, Pauli discipulus, lib. III, cap. III: «Sicut, inquit, vitis ulmo fulcitur, sic dives oratione pauperis juvatur.» Liber hic titulo *Pastoris* sæpe a Patribus citatur et celebratur; sed a Novatianis inspersi videntur eidem errores de neganda relapsis pœnitentia, unde a Gelasio Papa inter apocryphos rejectus est; extat tom. V *Biblioth. SS. Patrum*, initio. Denique Paulus utrumque habuit: fuit enim pauper, et tamen dedit ut dives, quod est perfectissimum et beatissimum. Nam, ut ait Cassianus, lib. X *De Instit. renunt.*, cap. XIX: «Labore proprio non solum suæ necessitatis sufficientiam, verum etiam quod tribuat indigenti pia sollicitudine parare

Paulus pauper ditat alios.

festinat, duplici gratia decoratus, quod et perfectam nuditatem Christi universarum rerum suarum abjectione possideat, et munificentiam divitis labore suo exhibeat et affectu. »

Sunt qui Sanctos in multis imitentur : solum hoc pulcherrimum Pauli exemplum vix habet æmulos, vix asseclam. Citant hic nonnulli Sixti III Pont. lib. *De Divitiis*, ubi varie ad objectionem jam factam respondet. Verum sciat Lector hunc librum inscribi Sixto III Pont., cum sit editus a Pelagianis, contendentibus Christianos omnes, etiam prolibus abundantes, debere a se abdicare divitias, esseque pauperes, qui fuit error Pelagii. Sic enim sextus hæresum ejus articulus, in Concilio Diospolitano condemnatus, habet : « Divites baptizatos, nisi omnibus abrenuntient, si quid boni visi fuerint facere, non reputari illis, nec eos habere posse regnum Dei. » Vide S. Augustinum, lib. II *De Peccato orig.*, cap. XI, et epist. 106 *ad Paulinum*. Id primum de libro hoc notarunt Doctores Lovanienses, ac Lindanus, Baronius, Possevinus. Vide Baronium, anno Christi 410, cap. VII.

Vers. 36. Mos genua flectendi unde?

36. POSITIS GENIBUS. — Familiare fuit Apostolis et priscis Christianis crebro per diem orare, idque flexis genibus, uti videtur fecisse S. Stephanus, *Actor.* cap. VII, vers. 59 : et S. Petrus, cap. IX, vers. 40. S. Jacobus, frater Domini, ex genuflexione frequenti genua habebat callosa instar cameli. Addit S. Chrysostomus, hom. 5 *in Matth.*, eum callosam quoque habuisse frontem, quod eam orans prostratus humo affigeret. In Vita S. Marthæ apud S. Antonium et alios legimus, eam centies per diem et centies per noctem genibus flexis adorasse et invocasse Deum. Simile legimus de S. Bartholomæo in ejus Vita apud Ribadeneiram et alios. Didicerunt hoc a Christo, qui « positis genibus orabat, dicens : Pater, si vis, transfer calicem istum a me, » *Lucæ* XXII, 41. Idem ante Christum fecit Daniel, cap. VI : « Tribus temporibus in die, inquit, flectebat genua sua, et adorabat confitebaturque coram Deo suo. » Quin et Salomon Regum magnificentissimus : « Utrumque enim genu (notent hoc nostri ignobiles et delicatuli, qui coram Deo unum genu flectunt instar Judæorum) in terram fixerat, et manus expanderat in cœlum, lib. IV *Reg.* cap. VIII. Sic S. Petrus Simonem Magum per aera in cœlum volantem, orans flexis genibus præcipitavit, ejusque genua collisit, teste S. Maximo, hom. 5 *De Natali S. Petri et Pauli*. Hic enim situs et gestus est supplicis, rei, orantis et reverentis Numen.

Mysticam physicamque causam dat Rupertus, lib. VI *in Cantic.*, quod genua respondeant genis, easque per sympathiam moveant ad lacrymas : « Lacrymæ autem pœnitentium et orantium, vinum sunt angelorum. » Audi Rupertum explicantem illud *Cantic.* VI, 7 : *Sicut cortex mali punici, sic genæ tuæ* : « In utero, inquit, nos ita natura formavit, ut genua genis opposita sint : unde et a genis genua dicuntur. Ibi enim cohærent sibi, et cognata sunt oculis lacrymarum indicibus et misericordiæ. Denique complicatum aiunt gigni formarique hominem, ita ut genua sursum sint, quibus oculi formantur, ut cavi fiant ac reconditi. Inde est quod homines dum se ad genua prosternunt, statim lacrymantur. Voluit enim natura nos maternum rememorare uterum, ubi considebamus in tenebris, antequam veniremus ad lucem. Profecto qui causam istam diligenter attendit, ille scienter atque rationabiliter laudat et approbat, sanctis et eruditis cogitationibus familiare esse, genua frequentius excelso Deo curvare, et genas lacrymosas genibus curvis applicare, ut respiciat ac recogitet Creator habitans in excelsis, qualiter nos in utero formaverit. Unde et illud S. Job [illegible] his verbis : Memento, quæso, quod sicut lutum feceris me, et in pulverem reduces me. Nonne sicut lac mulsisti me, et sicut caseum me coagulasti? » Et paulo inferius ibidem : « Nec vero soli Deo, sed et hominibus dulcis visu, et amabilis est hujusmodi compositio : tantoque magis quis reverendus existit, quanto frequentius atque affectuosius genua curvans, genas suas vel oculos, vel totum caput demiserit. » Ita Rupertus.

Porro Apostolis et Paulo id familiare fuit in abitu, ut valedicentes cum suis genuflexi pariter orarent, tum ut oratione suam doctrinam obsignarent, tum ut Deum invocarent ad eamdem in mentibus discipulorum conservandam et confirmandam contra omnes tentationum et persecutionum insultus. Unde Paulus idem facit Tyri, cap. seq., vers. 5 : « Positis, inquit Lucas, genibus in littore oravimus. » Esto enim tunc esset tempus paschale (festinabat enim Paulus, ut Pentecosten celebraret Hierosolymæ, vers. 16) quo ob honorem resurrectionis Christi, stantes solent fideles orare, idque a tempore Apostolorum, ut tradit Justinus, quæst. CXV *ad Orthodoxos*; tamen tunc necdum introducta erat ista consuetudo. Ita Baronius. Adde consuetudinem istam standi tempore paschali, magis esse in publicis Ecclesiæ precibus et officiis Ecclesiasticis, uti sanxit Concilium Nicænum, canon. 28 vel 29, quam privatis, quales fuerunt hæ Pauli. Unde etiamnum multi fideles tempore paschali in ecclesia orant genuflexi. Pauli exemplo solent nostri Olysippone in Indiam Evangelii causa soluturi, et Europæ ultimum vale dicturi, cum sociis in littore orando extremum se salutare. Audi nostrum Nicolaum Trigautium oculatum testem, imo consortem in Vita Gasparis Barzæi, lib. I, cap. 5 : « Solemne, inquit, tunc erat generosos illos totius mundi cives, velut olim Christiani Paulum, ad littus usque comitari, ac subinde positis genibus, Dei, Virginis et Sanctorum auxilium implorare » in signum communionis et charitatis, abeuntibus felix iter, sibi eorum memoriam et imitationem, utrisque uberem Dei gratiam comprecantes.



PROCUMBENTES SUPER COLLUM PAULI, OSCULABANTUR EUM. — Syrus, *complexi sunt eum*. Amplexus ergo vocatur osculum, quia caput capiti, et per illud quasi os ori jungit. Vide dicta de osculo sancto, II *Corinth.* XIII, 12. Mirus fuit amor fidelium erga Paulum, utpote qui esset doctor, Apostolus, pater, causa salutis omnisque boni eorum, nimirum magnes amoris est amor : si vis amari, ama. Hinc *ad Gal.* [illegible], [illegible], ait : « Sicut angelum Dei excepistis me, sicut Christum Jesum, etc.; quia, si fieri posset, oculos vestros eruissetis et dedissetis mihi. » Discant hic fideles, quo amore et reverentia prosequi debeant suos Pastores, Concionatores, Confessarios, etc.

# CAPUT VIGESIMUM PRIMUM.

## SYNOPSIS CAPITIS.

*Paulus navigat Coum, Rhodum, Pataram, Tyrum, Ptolemaidem, Cæsaream, ubi Agabus et vincula Hierosolymitana prædicit : pergit ergo intrepidus Hierosolymam ; ubi, suadente Jacobo, purificans se in templo, a Judæis capitur et pene occiditur ; sed eripit eum tribunus : a quo potestate facta populum alloquitur.*

1. Cum autem factum esset ut navigaremus abstracti ab eis, recto cursu venimus Coum, et sequenti die Rhodum et inde Pataram. 2. Et cum invenissemus navem transfretantem in Phœnicem, ascendentes navigavimus. 3. Cum apparuissemus autem Cypro, relinquentes eam ad sinistram, navigavimus in Syriam, et venimus Tyrum : ibi enim navis expositura erat onus. 4. Inventis autem discipulis, mansimus ibi diebus septem : qui Paulo dicebant per spiritum ne ascenderet Hierosolymam. 5. Et expletis diebus profecti ibamus, deducentibus nos omnibus cum uxoribus et filiis usque foras civitatem : et positis genibus in littore, oravimus. 6. Et cum valefecissemus invicem, ascendimus navem : illi autem redierunt in sua. 7. Nos vero, navigatione expleta a Tyro descendimus Ptolemaidam : et salutatis fratribus, mansimus die una apud illos. 8. Alia autem die profecti, venimus Cæsaream. Et intrantes domum Philippi Evangelistæ, qui erat unus de septem, mansimus apud eum. 9. Huic autem erant quatuor filiæ virgines prophetantes. 10. Et cum moraremur per dies aliquot, supervenit quidam a Judæa propheta, nomine Agabus. 11. Is cum venisset ad nos, tulit zonam Pauli : et alligans sibi pedes et manus, dixit : Hæc dicit Spiritus Sanctus : Virum, cujus est zona hæc, sic alligabunt in Jerusalem Judæi, et tradent in manus Gentium. 12. Quod cum audissemus, rogabamus nos et qui loci illius erant, ne ascenderet Hierosolymam. 13. Tunc respondit Paulus et dixit : Quid facitis flentes, et affligentes cor meum? Ego enim non solum alligari, sed et mori in Jerusalem paratus sum, propter nomen Domini Jesu. 14. Et cum ei suadere non possemus, quievimus, dicentes : Domini voluntas fiat. 15. Post dies autem istos præparati, ascendebamus in Jerusalem. 16. Venerunt autem et ex discipulis a Cæsarea nobiscum, adducentes secum apud quem hospitaremur, Mnasonem quemdam Cyprium, antiquum discipulum. 17. Et cum venissemus Hierosolymam, libenter exceperunt nos fratres. 18. Sequenti autem die introibat Paulus nobiscum ad Jacobum, omnesque collecti sunt Seniores. 19. Quos cum salutasset, narrabat per singula quæ Deus fecisset in Gentibus per ministerium ipsius. 20. At illi cum audissent, magnificabant Deum dixeruntque ei : Vides, frater, quot millia sunt in Judæis qui crediderunt, et omnes æmulatores sunt legis. 21. Audierunt autem de te, quia discessionem doceas a Moyse eorum, qui per Gentes sunt, Judæorum : dicens non debere eos circumcidere filios suos, neque secundum consuetudinem ingredi. 22. Quid ergo est? utique oportet convenire multitudinem : audient enim te supervenisse. 23. Hoc ergo fac quod tibi dicimus : Sunt nobis viri quatuor, votum habentes super se. 24. His assumptis, sanctifica te cum illis ; et impende in illis ut radant capita ; et scient omnes quia quæ de te

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

festinat, duplici gratia decoratus, quod et perfectam nuditatem Christi universarum rerum suarum abjectione possideat, et munificentiam divitis labore suo exhibeat et affectu. »

Sunt qui Sanctos in multis imitentur : solum hoc pulcherrimum Pauli exemplum vix habet æmulos, vix asseclam. Citant hic nonnulli Sixti III Pont. lib. *De Divitiis*, ubi varie ad objectionem jam factam respondet. Verum sciat Lector hunc librum inscribi Sixto III Pont., cum sit editus a Pelagianis, contendentibus Christianos omnes, etiam prolibus abundantes, debere a se abdicare divitias, esseque pauperes, qui fuit error Pelagii. Sic enim sextus hæresum ejus articulus, in Concilio Diospolitano condemnatus, habet : « Divites baptizatos, nisi omnibus abrenuntient, si quid boni visi fuerint facere, non reputari illis, nec eos habere posse regnum Dei. » Vide S. Augustinum, lib. II *De Peccato orig.*, cap. XI, et epist. 106 *ad Paulinum*. Id primum de libro hoc notarunt Doctores Lovanienses, post Lindanus, Baronius, Possevinus. Vide Baronium, anno Christi 440, cap. VII.

Vers. 36. Mos genua flectendi unde?

36. POSITIS GENIBUS. — Familiare fuit Apostolis et priscis Christianis crebro per diem orare, idque flexis genibus, uti videtur fecisse S. Stephanus, *Actor.* cap. VII, vers. 59 : et S. Petrus, cap. IX, vers. 40. S. Jacobus, frater Domini, ex genuflexione frequenti genua habebat callosa instar cameli. Addit S. Chrysostomus, hom. 5 *in Matth.*, eum callosam quoque habuisse frontem, quod eam orans prostratus humo affigeret. In Vita S. Marthæ apud S. Antonium et alios legimus, eam centies per diem et centies per noctem genibus flexis adorasse et invocasse Deum. Simile legimus de S. Bartholomæo in ejus Vita apud Ribadeneiram et alios. Didicerunt hoc a Christo, qui « positis genibus orabat, dicens : Pater, si vis, transfer calicem istum a me, » *Luce* XXII, 41. Idem ante Christum fecit Daniel, cap. VI : « Tribus temporibus in die, inquit, flectebat genua sua, et adorabat confitebaturque coram Deo suo. » Quin et Salomon Regum magnificentissimus : « Utrumque enim genu (notent hoc nostri ignobiles et delicatuli, qui coram Deo unum genu flectunt instar Judæorum) in terram fixerat, et manus expanderat in cœlum, lib. IV *Reg.* cap. VIII. Sic S. Petrus Simonem Magum per aëra in cœlum volantem, orans flexis genibus præcipitavit, ejusque genua collisit, teste S. Maximo, hom. 5 *De Natali S. Petri et Pauli*. Hic enim situs et gestus est supplicis, rei, orantis et reverentis Numen.

Mysticam physicamque causam dat Rupertus, lib. VI *in Cantic.*, quod genua respondeant genis, easque per sympathiam moveant ad lacrymas : « Lacrymæ autem pœnitentium et orantium, vinum sunt angelorum. » Audi Rupertum explicantem illud *Cantic.* VI, 7 : *Sicut cortex mali punici, sic genæ tuæ* : « In utero, inquit, nos ita natura formavit, ut genua genis opposita sint : unde et a genis genua dicuntur. Ibi enim cohærent sibi, et cognata sunt oculis lacrymarum indicibus et misericordiæ. Denique complicatum aiunt gigni formarique hominem, ita ut genua sursum sint, quibus oculi formantur, ut cavi fiant ac reconditi. Inde est quod homines dum se ad genua prosternunt, statim lacrymantur. Voluit enim natura nos maternum rememorare uterum, ubi considebamus in tenebris, antequam veniremus ad lucem. Profecto qui causam istam diligenter attendit, ille scienter atque rationabiliter laudat et probat, sanctis et eruditis cogitationibus familiare esse, genua frequentius excelso Deo curvare, et genas lacrymosas genibus curvis applicare, ut respiciat ac recogitet Creator habitans in excelsis, qualiter nos in utero formaverit. Unde et illud S. Job commonefacit his verbis : Memento, quæso, quod sicut lutum feceris me, et in pulverem reduces me. Nonne sicut lac mulsisti me, et sicut caseum me coagulasti? » Et paulo inferius ibidem : « Nec vero soli Deo, sed et hominibus dulcis visu, et amabilis est hujusmodi compositio : tantoque magis quis reverendus existit, quanto frequentius atque affectuosius genua curvans, genas suas vel oculos, vel totum caput demiserit. » Ita Rupertus.

Porro Apostolis et Paulo id familiare fuit in abitu, ut valedicentes cum suis genuflexi pariter orarent, tum ut oratione suam doctrinam obsignarent, tum ut Deum invocarent ad eamdem in mentibus discipulorum conservandam et confirmandam contra omnes tentationum et persecutionum insultus. Unde Paulus idem facit Tyri, cap. seq., vers. 5 : « Positis, inquit Lucas, genibus in littore oravimus. » Esto enim tunc esset tempus paschale (festinabat enim Paulus, ut Pentecosten celebraret Hierosolymæ, vers. 16) quo ob honorem resurrectionis Christi, stantes solent fideles orare, idque a tempore Apostolorum, ut tradit Justinus, quæst. CXV *ad Orthodoxos*; tamen tunc necdum introducta erat ista consuetudo. Ita Baronius. Adde consuetudinem istam standi tempore paschali, magis esse in publicis Ecclesiæ precibus et officiis Ecclesiasticis, uti sanxit Concilium Nicænum, canon. 28 vel 29, quam privatis, quales fuerunt hæ Pauli. Unde etiamnum multi fideles tempore paschali in ecclesia orant genuflexi. Pauli exemplo solent nostri Olysippone in Indiam Evangelii causa soluturi, et Europæ ultimum vale dicturi, cum sociis in littore orando extremum se salutare. Audi nostrum Nicolaum Trigautium oculatum testem, imo consortem in Vita Gasparis Barzæi, lib. I, cap. 5 : « Solemne, inquit, tunc erat generosos illos totius mundi cives, velut olim Christiani Paulum, ad littus usque comitari, ac subinde positis genibus, Dei, Virginis et Sanctorum auxilium implorare » in signum communionis et charitatis, abeuntibus felix iter, sibi eorum memoriam et imitationem, utrisque uberem Dei gratiam comprecantes.



PROCUMBENTES SUPER COLLUM PAULI, OSCULABANTUR EUM. — Syrus, *complexi sunt eum*. Amplexus ergo vocatur osculum, quia caput capiti, et per illud quasi os ori jungit. Vide dicta de osculo sancto, II *Corinth.* XIII, 12. Mirus fuit amor fidelium erga Paulum, utpote qui esset doctor, Apostolus, pater, causa salutis omnisque boni eorum, nimirum magnes amoris est amor : si vis amari, ama. Hinc *ad Gal.* IV, 14, ait : « Sicut angelum Dei excepistis me, sicut Christum Jesum, etc.; quia, si fieri posset, oculos vestros eruissetis et dedissetis mihi. » Discant hic fideles, quo amore et reverentia prosequi debeant suos Pastores, Concionatores, Confessarios, etc.

# CAPUT VIGESIMUM PRIMUM.

## SYNOPSIS CAPITIS.

*Paulus navigat Coum, Rhodum, Pataram, Tyrum, Ptolemaidem, Cæsaream, ubi Agabus et vincula Hierosolymitana prædicit : pergit ergo intrepidus Hierosolymam; ubi, suadente Jacobo, purificans se in templo, a Judæis capitur et pene occiditur; sed eripit eum tribunus : a quo potestate facta populum alloquitur.*

1. Cum autem factum esset ut navigaremus abstracti ab eis, recto cursu venimus Coum, et sequenti die Rhodum et inde Pataram. 2. Et cum invenissemus navem transfretantem in Phœnicem, ascendentes navigavimus. 3. Cum apparuissemus autem Cypro, relinquentes eam ad sinistram, navigavimus in Syriam, et venimus Tyrum : ibi enim navis expositura erat onus. 4. Inventis autem discipulis, mansimus ibi diebus septem : qui Paulo dicebant per spiritum ne ascenderet Hierosolymam. 5. Et expletis diebus profecti ibamus, deducentibus nos omnibus cum uxoribus et filiis usque foras civitatem : et positis genibus in littore, oravimus. 6. Et cum valefecissemus invicem, ascendimus navem : illi autem redierunt in sua. 7. Nos vero, navigatione expleta a Tyro descendimus Ptolemaidam : et salutatis fratribus, mansimus die una apud illos. 8. Alia autem die profecti, venimus Cæsaream. Et intrantes domum Philippi Evangelistæ, qui erat unus de septem, mansimus apud eum. 9. Huic autem erant quatuor filiæ virgines prophetantes. 10. Et cum moraremur per dies aliquot, supervenit quidam a Judæa propheta, nomine Agabus. 11. Is cum venisset ad nos, tulit zonam Pauli : et alligans sibi pedes et manus, dixit : Hæc dicit Spiritus Sanctus : Virum, cujus est zona hæc, sic alligabunt in Jerusalem Judæi, et tradent in manus Gentium. 12. Quod cum audissemus, rogabamus nos et qui loci illius erant, ne ascenderet Hierosolymam. 13. Tunc respondit Paulus et dixit : Quid facitis flentes, et affligentes cor meum? Ego enim non solum alligari, sed et mori in Jerusalem paratus sum, propter nomen Domini Jesu. 14. Et cum ei suadere non possemus, quievimus, dicentes : Domini voluntas fiat. 15. Post dies autem istos præparati, ascendebamus in Jerusalem. 16. Venerunt autem et ex discipulis a Cæsarea nobiscum, adducentes secum apud quem hospitaremur, Mnasonem quemdam Cyprium, antiquum discipulum. 17. Et cum venissemus Hierosolymam, libenter exceperunt nos fratres. 18. Sequenti autem die introibat Paulus nobiscum ad Jacobum, omnesque collecti sunt Seniores. 19. Quos cum salutasset, narrabat per singula quæ Deus fecisset in Gentibus per ministerium ipsius. 20. At illi cum audissent, magnificabant Deum dixeruntque ei : Vides, frater, quot millia sunt in Judæis qui crediderunt, et omnes æmulatores sunt legis. 21. Audierunt autem de te, quia discessionem doceas a Moyse eorum, qui per Gentes sunt, Judæorum : dicens non debere eos circumcidere filios suos, neque secundum consuetudinem ingredi. 22. Quid ergo est? utique oportet convenire multitudinem : audient enim te supervenisse. 23. Hoc ergo fac quod tibi dicimus : Sunt nobis viri quatuor, votum habentes super se. 24. His assumptis, sanctifica te cum illis; et impende in illis ut radant capita; et scient omnes quia quæ de te

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

audierunt, falsa sunt, sed ambulas et ipse custodiens legem. 25. De his autem qui crediderunt ex Gentibus, nos scripsimus, judicantes, ut abstineant se ab idolis, immolato, et sanguine, et suffocato, et fornicatione. 26. Tunc Paulus, assumptis viris, postera die purificatus cum illis intravit in templum, annuntians expletionem dierum purificationis, donec offerretur pro unoquoque eorum oblatio. 27. Dum autem septem dies consummarentur, hi qui de Asia erant Judæi, cum vidissent eum in templo, concitaverunt omnem populum et injecerunt ei manus, clamantes : 28. Viri Israelitæ, adjuvate : hic est homo qui adversus populum, et legem, et locum hunc, omnes ubique docens, insuper et Gentiles induxit in templum, et violavit sanctum locum istum. 29. Viderant enim Trophimum Ephesium in civitate cum ipso, quem æstimaverunt quoniam in templum introduxisset Paulus. 30. Commotaque est civitas tota, et facta est concursio populi. Et apprehendentes Paulum, trahebant eum extra templum : et statim clausæ sunt januæ. 31. Quærentibus autem eum occidere, nuntiatum est tribuno cohortis : Quia tota confunditur Jerusalem. 32. Qui statim assumptis militibus et centurionibus, decurrit ad illos. Qui cum vidissent tribunum et milites, cessaverunt percutere Paulum. 33. Tunc accedens tribunus apprehendit eum, et jussit eum alligari catenis duabus : et interrogabat quis esset, et quid fecisset. 34. Alii autem aliud clamabant in turba. Et cum non posset certum cognoscere præ tumultu, jussit duci eum in castra. 35. Et cum venisset ad gradus, contigit ut portaretur a militibus propter vim populi. 36. Sequebatur enim multitudo populi, clamans : Tolle eum. 37. Et cum cœpisset induci in castra Paulus, dicit tribuno : Si licet mihi loqui aliquid ad te? Qui dixit : Græce nosti? 38. Nonne tu es Ægyptius, qui ante hos dies tumultum concitasti, et eduxisti in desertum quatuor millia virorum sicariorum? 39. Et dixit ad eum Paulus : Ego homo sum quidem Judæus a Tarso Ciliciæ, non ignotæ civitatis municeps. Rogo autem te, permitte mihi loqui ad populum. 40. Et cum ille permisisset, Paulus stans in gradibus, annuit manu ad plebem, et magno silentio facto, allocutus est lingua Hebræa, dicens :

1. Abstracti ab eis, — ἀποσπασθέντας, id est *avulsi ab eis*, sicut pater avellitur a filiis charissimis; qui proinde eum navimque mare sulcantem oculis prosecuti sunt, quoad acies eorum porrigere se poterat : ita Arator.

Coum. — Cous, Coa et Cea, insula est e Cycladibus in mari *Ægeo*, alia a Chio. Nam inter Chium et Coum media est Samos. Porro Cous patria fuit Hippocratis medicorum, et Apellis pictorum principis. Putant nonnulli ex Coo Salomonem emisse equos generosos; hebr. enim est *de Coa*, III *Reg.* x, 28. Sed hoc ibi examinabitur.

Rhodum. — Nota est insula, sæculo præcedenti, anno Domini 1522, a Solymo, Turcarum Imperatore, Christianis erepta; de qua Plinius, lib. II, cap. LXII, asserit nunquam in ea tam nubilum esse diem, quin sol appareat. Unde in ea colossus, sive statua soli ex ære erecta fuit altitudine pedum centum et quinque, ita ut ejus pollicem multi non possent amplecti. Quare hic colossus erat unum e septem mundi miraculis, de quo Plinius, lib. XXXIV, cap. VII. Hinc ab hoc colosso nonnulli putarunt Rhodios vocari Colossenses, eosque eos ad quos Paulus scripsit epistolam : sed falso, ut ibidem dixi.

3. Cum apparuissemus autem Cypro, — ἀναφάναντες δὲ τὴν Κύπρον, id est *aperientes*, vel *discooperientes Cyprum*, hoc est, cum cœpisset nobis aperiri et apparere Cyprus (1). Est hypallage in multis linguis usitata, eo quod navigantibus terra nunc aperiri et accedere, nunc abscondi et recedere videatur : quia enim navigans in navi quiescit, hinc non sentit se moveri et progredi, unde putat cætera moveri.

4. Qui Paulo dicebant per spiritum (propheticum) ne ascenderet Hierosolymam. — *q. d.* Dicebant Paulo ex spiritu prophetico, eum, si iret Hierosolymam, ibi fore capiendum. Suadebant ergo ex spiritu proprio, quo eum ejusque salutem amabant, ne eo ascenderet : alioqui Spiritus Sanctus volebat eum eo pergere, ibique capi, ut captus mitteretur Romam. Ita Lyranus.

5. Deducentibus nos omnibus cum uxoribus et filiis. — Impletum hic est oraculum, *Psal.* XLIV, 13, de Tyri ad Ecclesiam accessu, ait Beda : « Filiæ Tyri in muneribus; vultum tuum deprecabuntur omnes divites plebis, » etc. Nulla enim civitas majori dulcedine Apostolum suscepit, tenuit, dimisit. Denique hodie monstratur in arenis locus ubi cum Paulo pariter orabant, quem Christiani religiose venerantur, tanquam majorum suorum Tyriorum pietatis monumentum.

Vers. 8. 8. Philippi Evangelistæ. — Non quod scripserit, sed quod prædicarit Evangelium, qui erat unus de septem primis Diaconis. Vide dicta cap. VIII.

Vers. 9. 9. Huic autem erant quatuor filiæ virgines prophetantes. — Virginitatis enim præmium est sapientia et prophetia, ait Œcumenius. Sic Sibyllas virginitate meruisse prophetiam, ideoque dictas Sibyllas, quasi σιοβούλας, eo quod sola consilium Dei norit virginitas, asserit S. Hieronymus, lib. I *Contra Jovin.* Joannes Alba tamen, *Electorum* cap. LVIII, Virgines has prophetantes interpretatur, *divinas laudes celebrantes*, uti nunc faciunt Moniales : tunc enim harum conditio cœpisse videtur. Sic in libris Regum vocantur « filii Prophetarum, » qui psalmis et divinis laudibus vacabant. Gaudeant virgines tam sanctis et antiquis suis ducibus. Exstabant adhuc ævo S. Hieronymi, Cæsareæ, domuncula et cubicula filiarum Philippi, quæ S. Paula itura Hierosolymam, cum venisset Cæsaream, pio invisit affectu, ut ipse testatur in ejus *Epitaphio*; qui et lib. I *Contra Jovin.* : « Post crucem Christi, inquit, statim in *Actis Apostolorum*, una domus Philippi Evangelistæ quadrigam producit virginum filiarum, ut Cæsarea, in qua ex Gentibus Ecclesia per centurionem Cornelium fuerat dedicata, etiam virginum puellarum præberet exempla. » Adscriptæ sunt omnes catalogo S. Virginum. Legimus in *Menologio*, ex eis unam Herminem nominatam sub Trajano gravissima passam, in Domino quievisse die 4 septembris.

Virginitatis præmium prophetia.

Vers. 10. 10. Agabus. — Hic est propheta, qui famem sub Claudio imperatore prædixit cap. XI, 28.

Vers. 11. 11. Alligans sibi pedes et manus. — Sic Jeremias, cap. XIII et XXVII, gestans catenas et vincula, iis reipsa adumbravit et vaticinatus est vincula injicienda Judæis cæterisque gentibus a Chaldæis. Idem fecit Isaias, cap. XXVIII, et Ezechiel, cap. IV et XII. Vide ibi dicta. Nota : Pro *sibi* Græce est αὐτοῦ; quod si legas per spiritum aspiratum, αὑτοῦ, significat *sibi*, ut vertit Noster; sin legas spiritu leni αὐτοῦ, significat *ipsi*, scilicet Paulo. Unde S. Gregorius, hom. 37 *in Evang.*, et Dionysius hic censent Agabum ligasse manus et pedes Pauli, ut ipsum ita ligandum Hierosolymis portenderet et reipsa repræsentaret. Noster vertens *sibi* significat Agabum sibi ipsi ligasse manus, ut in se Paulum ejusque vincula repræsentaret : forte utrumque fecit, tamque Paulo quam sibi vincula injecit, sed successive.

Symbolice : Agabus seipsum potius quam Paulum alligavit, ut significaret fore ut Paulus suos labores et cruciatus non magis sentiret, quam si illos in aliena persona pateretur, tanta ad eos subeundos voluntate ferebatur : et proinde quoscumque adibat, parvos judicans, ad majores exsorbendos æstuabat.

Et tradent in manus Gentium. — Uti Judæi tradiderunt Christum Gentibus, puta Pilato et Romanis, ad flagellandum et crucifigendum : ita tradiderunt et Paulum Gentibus, tribuno et præsidi Romano, ac tandem fero Neroni.

12. Qui loci illius erant, — οἱ ἐντόπιοι, id est *inquilini*, puta Christiani Cæsareæ habitantes.

13. Quid facitis flentes. — Ergo cum lacrymis obtestabantur Paulum, ne pergeret Hierosolymam.

Et affligentes cor meum. — Græce συνθρύπτοντες; Syrus, *contundentes*; alii, *contribulantes*; alii, *confringentes, conterentes*; alii, *discerpentes cor meum.* Nota hic viscera charitatis et miserationis S. Pauli. « Obsecrabat illos, inquit Chrysostomus, dolens super lacrymis ipsorum; et qui in propriis tentationibus non patiebatur, dolebat præ amore, quia videbat lacrymantes; et lædi se conquerebatur ab ipsis quasi conscerent eum periculis, quæ prædicebantur, ægre affici. Non solitus reluctari fratrum postulatis, ut cum se permisit Damasci per fenestram demitti, cum Ephesi non se dedit in theatrum, cap. XIX, 31, unus obnixe obnititur, certus de Dei voluntate. » Sic Christus repulit Petrum revocantem se a passione : « Vade, inquit, post me, Satana, » *Matth.* XVI, 23.

Ego enim non solum alligari, sed et mori in Jerusalem paratus sum, propter nomen Domini Jesu. — Hæc vox est antesignani fidelium et Martyrum, digna Paulo, quæ cæteros invitat, et quasi classicum canit ad carceres et martyria. Hoc signum est eminentis amoris, propulsantis ab se justa quadam ira inimicum, et indignantis adversus impedimenta perfectionis, ait Abbas Isaias, orat. 21, tom. II *Biblioth. SS. Patrum.*

14. Et cum ei suadere (in actu consummato, id est persuadere) non possumus. Vers. 14.

15. Præparati, — ἐπισκευασάμενοι; Vatablus, *sublatis sarcinis*; Œcumenius, *viatico et rebus necessariis instructi.* Adde, præparati, id est resoluti subire cum Paulo vincula et mortem, omneque id quod Deus nos pati vellet. Vers. 15.

16. Adducentes secum apud quem hospitaremur. Vers. 16.
— Non in via, ut vult Lyranus, hæc enim exigua supererat; sed Hierosolymæ, ubi propter instantem Pentecosten, qua Judæi undique in Jerusalem ad templum confluebant, juxta legem *Exodi* XXIII, 17, penuria hospitiorum futura erat; et ne gravarentur fideles, qui in Jerusalem persecutionem et rapinam bonorum a Judæis passi, erant pauperes, quibus proinde Paulus collectam eleemosynarum deferebat.

Mnasonem. — Alii legunt *Jasonem.* Vide dicta cap. XVII, 5 (1).

(1) Verba ex usu loquendi Græcorum construi solita cum dativo personæ et accusativo rei, retinent interdum constructione passiva accusativum rei, mutato dativo personæ in nominativum. Itaque ἀναφάναντες τὴν Κύπρον explicandum est per ἀναφανεῖσαν ἔχοντες τὴν Κύπρον, *quum in conspectu haberemus Cyprum.* Vid. Wineri *Grammat.*, § 40.

(1) « Antiquum discipulum; » ita a Luca dictus est

17. Et cum venissemus Hierosolymam. — Indicat Chrysostomus Paulum appulisse Hierosolymam post Pentecosten : eam enim celebrasse Cæsareæ, ut Cæsareenses eum detinentes solaretur eisque aliqua ex parte morem gereret. Probabilius Baronius censet Paulum Hierosolymam appulisse ante Pentecosten, tum quia id ipse certo destinarat, cap. xx, vers. 16 : tum quia Cæsareensibus eum retinere volentibus non acquievit, sed fortiter obluctatus est ; tum quia Lucas studiose enumerat dies a Paschate, ut significet Paulum diem quinquagesimam, puta Pentecosten, egisse Hierosolymæ. Nam cap. xx, 4, narrat Paulum cum ... in Paschate, post 7 dies azymorum, solvisse Philippis, et diebus 5 Troadem appulisse, ibique 7 dies commoratum esse, indeque tribus diebus pervenisse Miletum. Ibique cum aliquandiu hæsisset, properasse ut Pentecosten ageret Hierosolymæ : quare inde recedentem prima die venisse Coum, secunda Rhodum, inde Pataram, inde Tyrum, ibi septem egisse dies, inde Ptolemaide diem unum : inde venisse Cæsaream ; ibi hæsisse aliquot dies, ac mox Hierosolymam concessisse. Numera hosce dies omnes et pertinges circiter ad 50, ita ut quinquagesimam, sive Pentecosten egerit Hierosolymæ.

B. Virgo migrat in cælum anno Christi 58, ætatis 72. Nota : Paulus pervenit Hierosolymam sub Pentecosten anno Christi 58, Petri in Romana Sede 14, Neronis 2, quo pariter anno B. Virgo Deipara die 15 augusti ex Jerusalem terrestri concessit ad cœlestem. Licet enim in *Chronico* Eusebii habeatur B. Virginem vita et terra decessisse anno Christi 48, ætatis vero suæ 62 vel 63, tamen id verum esse nequit, eo quod S. Dionysius, lib. I *De Divin. nom.*, cap. III, scribat se cum Hierotheo ejus funeri interfuisse. Dionysius autem, anno Christi 48, necdum viderat Paulum, ac proinde necdum erat conversus. Paulus enim Athenas venit anno Christi 52 ; Hierosolymam vero adiit anno Christi 58, quando illum eo comitatus videtur S. Dionysius, et funeri Virginis interfuisse. Esto enim probabile sit Paulum quoque anterius, puta anno Christi 54, ascendisse Hierosolymam, uti dixi cap. XVIII, 22, tamen hic subitus fuit excursus duntaxat, isque adhuc incertus et dubius. Quare Cedrenus in *Compend.*, in *Tiber.* ; Epiphanius Presbyter, serm. *De Deipara* ; Baronius, anno Christi 48, cap. IV ; Suarez, III *part.*, *Quæst.* XXXVII, art. 2, disp. XXI, sect. 1 ; Canisius et Christophorus a Castro, in *Historia Deiparæ*, censent B. Virginem decessisse anno Christi 58, ætatis suæ 72, qui fuit annus a passione Christi 24, die 13 augusti, ac die tertio, puta 18 augusti resurrexisse : licet nonnulli, sed pauci, censeant eam defunctam die 13 augusti, et resurrexisse die 15, et gloriosam tam in corpore quam in anima ab Angelis, imo a Christo suo Filio cum triumpho assumptam in cœlum, ibique supra omnes Angelorum ordines in solio juxta Filium collocatam, cœli et terræ Reginam esse coronatam. Atque hæc fuit causa, cur Spiritus Sanctus impulerit Paulo festinare Hierosolymam, nimirum ut ante ejus obitum abitumque in cœlum, eamdem salutaret eique suas Ecclesias suosque agones, præsertim quos Romæ cum Nerone et Simone Mago propediem subiturus erat, commendaret. Morienti tamen adesse non potuit, utpote qui paulo post suum Hierosolymam adventum, puta paulo post Pentecosten, in templo a Judæis captus, in vinculis degeret.

Aliqui tamen suspicantur Paulum Virgini morienti adfuisse. Si enim verum est quod tradunt Juvenalis, Damascenus et alii mox citandi, ad illam cæteros ex toto orbe per miraculum traductos convenisse Apostolos, cur id uni Paulo vicino, Virginis amantissimo, ejusque benedictione, consilio et precibus egentissimo, utpote in vinculis, jam ituro Romam et cum Nerone certaturo, denegemus ? Tam enim Angelus Paulum e vinculis, quam Petrum, *Actor.* XII, 7 et 8, eximere ad modicum tempus poterat, idque insensibiliter, et mox reducere. Licet enim Epiphanius, *hæresi* 78, contra Antidicomarianitas B. Virginem celebrans, indicare videatur eam non esse mortuam, sed instar Henoch translatam, vel instar Eliæ curru igneo vivam raptam in cœlum, tamen certum est eam mortem obiisse et resurrexisse, ac deinde in cœlum assumptam, uti tradit Ecclesia.

Porro ad transitum B. Virginis, mira Dei providentia, convenerunt omnes Apostoli toto orbe dispersi, ut tradit Juvenalis, Episcopus Hierosolymæ, apud Nicephorum, lib. II, cap. XXI et seq. ; Damascenus, *De Dormit. Virg.*, et alii. Non ergo dubium est quin omnes Apostoli, Hierosolymam ad Virginem convenientes, visitarent pariter Paulum in vinculis jam agentem, ac mirifice invicem sint consolati, narrando alternatim suos labores ac conversionem omnium gentium. Ex dictis liquet omnia quæ narrat Lucas, cap. XX usque ad XXVIII et ultimum, a Paulo gesta esse hoc anno Christi 58. Hoc ergo anno B. Virgo deserit Jerusalem terrestrem, itque in cœlum, quo Paulus Hierosolymæ traditur in vincula, ut Ecclesiæ decus a Jerusalem et Judæa transferat Romam ad Gentes. Dum enim viveret B. Virgo in Judæa, Ecclesiæ decus ibidem sua vita et meritis sustentabat : ea mortua, quasi fulcro sublato ruit Ecclesia Judaica.

18. Introibat Paulus nobiscum ad Jacobum. — « Detulit, inquit Chrysostomus, dignitati Episcopali, quam Jacobus, frater Domini, Hierosolymis gerebat, et eximiæ sanctitati et auctoritati, qua pollebat. » Unde idem fecit Paulus, *Galat.* I, 18, et *Actor.* XV, 2. Jacobus hic post paucos, puta quinque annos, nimirum anno Neronis 7, cum 30 vel potius 29 annos sanctissime rexisset Ecclesiam Hierosolymitanam, e templi fastigio præcipitatus, et fullonis vecte percussus martyr occubuit, inquiunt Beda, Eusebius in *Chronico*, et alii : nimirum Judæi iras in Paulum conceptas, eo Cæsarem appellante, et Romæ ab eo libero dimisso, evomuerunt in Jacobum sibi præsentem.

Mnason, ait Kuinoel, quia e numero discipulorum Jesu videtur fuisse, cum Jesus adhuc his in terris viveret.



Omnesque collecti sunt Seniores, — tum ætate, tum potius dignitate et ordine, puta Presbyteri, ut habet Græcus. Non fuit hic celebratum concilium ; nihil enim hic definitum ; sed conventus duntaxat fuit salutantium Paulum eique adventum gratulantium. Improprie ergo Beda ait hoc fuisse quartum concilium : *primum* enim coactum esse in electione S. Matthiæ, *Actor.* I, 15 ; *secundum*, in electione et ordinatione septem Diaconorum, cap. VI, vers. 2 ; *tertium* et proprie dictum, in quæstione de servandis legalibus, *Act.* XV, 6 ; *quartum* hoc loco.

19. Quos cum salutasset. — Syrus, *dedimus eis pacem*. Salutatio enim Hebræorum, indeque et Christianorum, erat : « Pax tecum, pax vobis. » Pax enim Hebræis omne bonum significat.

20. Quot millia. — Græce μυριάδες. Myrias continet decem millia. Sed hic confuse sumitur, significatque multa millia ; primi enim Christiani a Petro et Apostolis, per plures annos in Judæa efficacissime prædicantibus, conversi fuere Judæi, iique plurimi, ut patet ex cap. II, vers. 41, et cap. IV, vers. 4. Unde liquet Deum non ita rejecisse Judæos, quin multos ex eis elegerit et salvarit.

Et omnes æmulatores sunt legis, — ζηλωταί. Tigurina, *studiosi*, *sectatores*, *q. d.* Judæi, conversi ad Christum, magno zelo certant pro Mose et lege, ejusque honore et observatione : verentur autem ne illa per te tuosque sermones negligatur et aboleatur ; itaque ipsi quoque a Gentibus ad Christum conversis, utpote numero et dignitate potioribus, contemnantur et proterantur. S. Jacobus agit causam Judæorum, quasi eorum Pastor et Episcopus. Licet enim lex Mosis jam esset mortua a 24 annis, puta a prima Pentecoste, in qua facta est promulgatio legis novæ anno Christi 34, mox ab ejus passione et resurrectione ; tamen illa necdum erat mortifera. Unde adhuc a Judæis observari poterat, quasi honesta et religiosa, dataque a Deo ; esto neminem jam obligaret ; et ab ea quasi nefaria non essent prohibendi Judæi, nec vicissim Gentiles ad eam quasi necessariam compellendi, ait S. Augustinus, *epist.* 19.

21. Quia discessionem doceas a Mose eorum, qui per Gentes sunt, Judæorum. — Clare Tigurina, *quod defectionem doceas a Mose omnes, qui inter Gentes sunt, Judæos*. Hoc de Paulo spargebant Judæi manentes in Judaismo, ideoque Pauli hostes ; sed falso : nusquam enim vetuit Paulus Judæos circumcidi et servare legem Mosis ; imo vero ipsemet Timotheum circumciderat, *Actor.* XVI, 3, et votum nazaræatus nuncuparat, *Actor.* XVIII, 18. Unde Græce pro *discessionem* est ἀποστασίαν. Paulum ergo vocant legis apostatam, uti eum vocavit Ebion hæresiarcha, imo apostatarum incentorem et patrem, quasi qui legem damnaret ut sacrilegam. Occasio hujus calumniæ fuit, quod Paulus elevabat Christum Christique gratiam, eoque tacite deprimebat Mosen et legem, docens nos justificari per Christi gratiam, non per legem Mosis : hanc enim illius umbram et præambulum fuisse duntaxat.

Non debere (id est non licere eis) circumcidere filios suos, — quod circumcisio sit abolita per Christum.

Neque secundum consuetudinem ingredi. — Tigurina, *neque secundum instituta*, vel *consuetudines* patrias et Judaicas *vivere*, *q. d.* Audierunt te non servare ritus a patribus institutos et traditos.

22. Quid ergo est ? — quid consilii ? quid facto est opus ?

Utique oportet convenire multitudinem : audient enim te supervenisse. — *q. d.* Utique conveniet multitudo Judæorum legem zelantium, ut de te tuisque dictis contra legem inquirant, querantur, accusent, et forte male tractent et mulctent, nisi prævertas teque legis studiosum ostendas.

23. Habentes votum — nazaræatus, cujus terminus et consummatio erat sanctificatio, id est detonsio comæ, lustratio et sacrificii oblatio, juxta legem, *Num.* VI, 13 et sequent. Addit S. Hieronymus, epist. 11 *ad Augustinum*, pedum nudationem. Nonnulli tamen per *votum* accipiunt votum sacrificandi, uti dicam inferius.

24. Sanctifica, — ἁγνίσθητι, id est *purifica te* modo jam dicto et plenius mox dicendo. Audierat jam ante Jacobus et alii Hierosolymitani, Paulum fecisse votum nazaræatus. Ita Baronius et alii, qui censent votum hoc Paulo fuisse familiare, crebrum et quasi continuum, ideoque perpetuo abstinuisse vino. Vers. 24. Paulus quia Nazaræus semper vino abstinuit.

Et impende in illis ut radant capita. — Syrus, *pro illis*. Hinc censet Cajetanus Paulum hic non fuisse Nazaræum, nec solvisse votum nazaræatus : recens enim advenerat, nec voti ejus ulla facta est mentio ; Paulum ergo tantum Nazaræis se junxisse, pro eisque expensas fecisse, et quasi patrinum eos præsentasse in templo. Hoc ipso enim publice declarabat se Nazaræorum, Judaismi et Judæorum esse patrinum et patronum (1). Verum Lyranus et alii censent Paulum quoque hic fuisse Nazaræum suumque votum explesse ; illudque innuit τὸ *sanctifica te cum illis*. Hoc ergo votum fecit Paulus, *Act.* XVIII, 18. Si dicas eum illud explesse *Act.* XVIII, 22, ut ibidem innui, necesse

(1) More enim apud Judæos receptum erat, et pro insigni pietatis officio habebatur, ut in pauperum gratiam ditiores erogarent sumptus ad sacrificia, quæ, dum illi tonderentur, offerre necesse erat. Qui autem hac pietatis laude volebant excellere, in eadem cum iis, qui voti obstricti erant, castimonia vivebant, ac si ipsi votum suscepissent. Insignis de hac re est locus Josephi, *Antiq.* lib. XIX, VI, 1.

est asserere eum, illo expleto, aliud nazaræatus hic exsolvisse : poterat enim quolibet die hoc votum nuncupari, et arctari etiam ad unum diem alteroque expleri. Quod ergo ait : « Impende in illis, » id est cum illis, vel potius pro (hoc enim significat Græcum ἐπ᾽ αὐτοῖς), et magis ostendas te legis et rituum et legalium esse studiosum. Forte etiam cæteri erant pauperes, ut sumptus pro eis facere debuerit Paulus, uti censent Cajetanus et Vatablus. *Pro impende* Græce δαπάνησον, id est *fac sumptus, expende, eroga*. Porro sumptus hi necessarii erant, tum qui raderent capite sua : « unde Arias vertit, *impende rituales sumptus in lotionem et tonsuram capillorum*; tum consequenter ad emendas et offerendas hostias in rasura Nazaræorum lege, *Num.* VI, 12 et 14, præscriptas. Vide hic, quamdiu duravit legis, post eam abolitam, observatio, nimirum 24 annis. Hæc enim gesta sunt anno Christi 58, ut dixi in Chronotaxi : illo ergo anno lex, licet esset mortua, necdum tamen erat mortifera, ut scilicet peccaret is qui eam servaret.

25. DE HIS AUTEM QUI CREDIDERUNT EX GENTIBUS. — Occurrit objectioni : ne enim offenderet Paulus Gentilium scandalum, scilicet eos exemplo suo existimaturos, se quoque debere servare legalia, docet, aut potius refricat, jam ad eos scriptum esse, quod lege Mosis non obligarentur, sed jussos esse abstinere tantum idolothytis, sanguine et suffocato, uti sciebat Paulus, qui huic decreto interfuerat, imo ejus causa exstiterat, *Act.* cap. XV.

UT ABSTINEANT SE AB IDOLIS, IMMOLATO. — Græce *ab idolothytis*, puta a carne et cibo idolis oblato et immolato. Vide dicta cap. XV, vers. 20 et 29.

Vers 26. 26. TUNC PAULUS ASSUMPTIS VIRIS. — Vide hic facilitatem Pauli statim acquiescentis S. Jacobi consiliis, ac studium non tantum vitandi scan-

Paulus ambidexter. dali, sed et conciliandi sibi Judæos, ita omnibus omnia factus est, ut omnes lucrifaceret. Insuper S. Chrysostomus, hom. 5 *De ejus Laudibus*, notat ejus prudentiam, qua juxta loca et tempora, vitæ modum variat, ac quasi ambidexter nunc judaice, nunc gentiliter vivit et agit. Sic Homerus initio Odysseæ celebrat Ulyssis versutiam, eumque vocat ἄνδρα πολύτροπον, id est *virum versatilem*, qui pro rerum, locorum et temporum exigentia, nosset se vertere et versare in omnem partem, ac cuilibet genti, personæ, loco, tempori cedere seque accommodare. Hæc dos requiritur in viro Apostolico.

POSTERA DIE PURIFICATUS, CUM ILLIS INTRAVIT IN TEMPLUM. — Vatablus, *simulans*, inquit, *se implesse tempus nazaræatus sui*, quasi Paulus vere non fecerit votum nazaræatus, sed finxerit se fecisse, ut satisfaceret Judæis. Verum hoc fuisset mendacium, quod absit a Paulo, uti recte contra S. Hieronymum, qui Paulum asserit simulate tantum reprehendisse Petrum, *Galat.* II, 11, arguit S. Augustinus, *epist.* 19.

Purificatio Pauli quæ? Resp. Primo. Quæres, quænam fuit hæc Pauli purificatio? Vatablus et alii censent fuisse votum nazaræatus, quod tum vel inchoarit vel expleverit Paulus : ut *purificatus* sit idem, quod purificationem inchoans vel explens. Nazaræatus enim vocatur purificatio et sanctificatio : quia Nazaræi erant puri a vino et sicera, ac consecrati Deo. Adde, nazaræatum suscipiebant, ut castigarent luxum præteritum et ab eo se purificarent. Denique in fine nazaræatus purificabant se, quia offerebant victimam pro peccato, ut scilicet expiarent defectus tempore nazaræatus in voti observatione commissos, *Num.* VI, 14. Purgatio ergo hæc fuit lotio Pauli, præsertim comæ, expleto jam voto, cremandæ : ita Arias, *q. d.* Paulus purificavit, id est lustravit et lavit se suamque comam, ut eam mox purificaret, id est Deo consecraret et cremaret in templo, juxta legem *Num.* VI, 18.

Alii, ut Sanchez, planius et verisimilius censent hanc purificationem fuisse proprie dictam : ita enim semper in Græco hic vocat eam Lucas, nimirum Paulum habentem votum nazaræatus, contactu mortui fuisse pollutum, et ab hac immunditia legali se purificasse. Hoc enim proprie sonat vox *purificatus*, et hanc purificationem præscribit lex, *Num.* VI, 10. Ubi et septem dies ei constituit, ac totidem hic eidem impendit Paulus, vers. 27. Eadem de causa Paulus totondit caput in Cenchris, *Act.* XVIII, 18. Sensus ergo est, *q. d.* Paulus pollutus ex funere, ab hac pollutione se purificavit radendo illico caput, itaque purificatus adiit templum, ut ibi annuntiaret et expleret reliquos septem dies purificationis suæ præscriptos lege *Num.* VI, 9. Alioqui enim si per purificationem votum ipsum nazaræatus accipias, erit amphibologia in voce *purificatus*. Nam hic significat lustrationem : mox cum dicit : « Annuntians expletionem dierum purificationis suæ, » significabit votum ipsum. Favet Syrus, qui vers. 23, pro *votum habentes super se*, vertit, *voto obnoxii ut mundentur*. Unde videtur colligi, quod et hi quatuor Nazaræi, Pauli socii, æque ut ipse, purificati fuerint a simili immunditia legali, non autem expleverint votum nazaræatus. Idem colligitur ex eo quod sequitur : « Annuntiavit expletionem dierum purificationis suæ, donec offerretur pro unoquoque eorum oblatio, » scilicet in purificatione præscripta : erant ergo omnes impuri et polluti, ideoque purificandi.

ANNUNTIANS EXPLETIONEM DIERUM PURIFICATIONIS. — De hac annuntiatione nihil præscriptum legimus *Num.* VI. Unde Sanchez censet incertum esse qualis ea fuerit, et an ea a Paulo facta sit Judæis, quasi ipse eis annuntiarit suam legalem in nazaræatus pollutione purificationem, ut iis ostenderet se legem Mosaicam non contemnere, sed servare : an vero Nazaræis, quasi sociis, suum votum annuntiarit : an denique sacerdotibus : quod ultimum passim censent alii. Ad sacerdotes enim pertinebant purificationes et cæremoniæ nazaræa-



tus, utpote in Nazaræis per eos explendæ. Jam si per *purificationem* accipias votum nazaræatus, *expletionem* proprie in actu perfecto expletoque sumitur, *q. d.* Annuntians votum suum esse expletum, postulansque ut cæremoniæ et oblationes pro se fiant, quæ in expletione voti hujus præscribuntur, *Num.* VI, 13, ubi dicitur : « Cum dies quos ex voto decreverat (Nazaræus), complebuntur, adducet (sacerdos) eum ad ostium tabernaculi fœderis, et offerret oblationem ejus Domino agnum anniculum, » etc. Et vers. 18 : « Tunc radetur Nazaræus ante ostium tabernaculi fœderis cæsarie consecrationis suæ; tolletque capillos ejus et ponet super ignem, qui est suppositus sacrificio pacificorum. » Capilli ergo ejus velut sacri, instar hostiæ offerebantur per ignem, et cremabantur Deo cum hostia pacifica. Unde quod sequitur : « Donec offerretur, » sic expone, *q. d.* Usquedum offerretur, vel ut offerretur, pro « unoquoque eorum oblatio. » Ita Mariana.

Ex hac expositione moraliter elice nazaræatum nostrum, puta statum Religionis, esse statum assiduæ purificationis et sanctificationis, ac consequenter Religiosos usque ad finem voti et vitæ, jugiter purificationi cordis et affectuum studere debere. Sin purificationem proprie accipias pro expiatione immunditiæ legalis, *expletionem* sumas oportet in actu inchoato hoc præsenti tempore, sed explendo in futurum, *q. d.* Annuntians sibi explendos esse septem dies purificationis præscriptos *Num.* VI, 9, ubi dicitur : « Si autem mortuus fuerit subito quispiam coram eo, polluetur caput consecrationis ejus; quod radet illico in eadem die purgationis suæ, et rursum septima : et in octava die offeret duos turtures vel duos pullos columbæ sacerdoti in introitu fœderis testimonii, facietque (immolabit) sacerdos unum pro peccato, et alterum in holocaustum, et deprecabitur pro eo, quia peccavit super mortuo, sanctificabitque caput ejus in die illo, et consecrabit Domino dies separationis illius, offerens agnum anniculum pro peccato. » Et hæc est oblatio de qua ait Lucas : « donec offerretur pro unoquoque eorum oblatio, » *q. d.* Persistebat Paulus in templo cum quatuor sociis Nazaræis per septem dies, donec die octava fieret pro eis oblatio lege præscripta : ita Vatablus. Quod dico, *in templo*, intellige juxta templum, in ædibus et cubiculis annexis templo : templum enim nemo ingredi poterat nisi purus. Unde pro impuris erat atrium ante templum, in quo degebant donec purificarentur. Hoc posterius videtur verius, uti paulo ante ostendi.

*Tertio*, aliqui hic facillime se expediunt, dicendo hæc vota et purificationes non fuisse nazaræatus, aut similes lege sancitas, sed fuisse alias peculiares, ex devotione populi et traditione majorum introductas. Tales enim fuisse apud Judæos, liquet ex Josepho, lib. II *De Bello*, cap. XV, ubi agens de Berenice, sorore Agrippæ regis : « Venerat, ait, Hierosolymam, ut vota Deo solveret. His enim qui morbo vel aliis necessitatibus implicantur, mos est orare per triginta dies antequam immolent hostias; abstinere quoque vino et capillos radere. Quem morem regina exercens illis diebus, nudipes etiam ante tribunal stetit, deprecans Florum. » Quæ verba Josephi pene ad amussim consentiunt cum hisce Lucæ, et secundum ea hæc Lucæ sic exponas, *q. d.* Paulus fecit votum sacrificandi, sive victimas offerendi : quare juxta ritum majorum purificavit se, id est rasit caput, ac quotidie Deum precaturus in templum ascendit, annuntians expletionem dierum hujus suæ purificationis, ut iis expletis, sacrificium quod voverat, Deo offerret. Nec obstat quod Josephus numeret triginta dies purificationis, Lucas vero septem : quia cum numerus hic dierum ex devotione cujusque penderet, poterat ob occupationes aliasve necessitates contrahi, præsertim ad septenarium, qui Judæis ob religionem sabbati sacer erat et frequens; itaque Paulum Evangelii prædicatione occupatum eos contraxisse ad septem.

27. DUM AUTEM SEPTEM DIES CONSUMMARENTUR, — in actu progrediente, aut potius inchoante, non perfecto, id est dum pergerent aut potius inciperent consummari : necdum enim erant consummati, uti mox patebit. Unde Græca habent, ὡς δὲ ἔμελλον αἱ ἑπτὰ ἡμέραι συντελεῖσθαι, id est *cum futurum esset ut septem dies implerentur*, vel *cum inciperent impleri* : μέλλω enim sæpe idem est quod incipio, uti ostendam *Jacobi* II, 12; licet Syrus sumat in actu pene perfecto vertatque, *cum advenisset dies septimus*; sed minus vere. Nam Paulus paulo post captus, missus est Cæsaream, ibique mansit quinque dies, cap. XXIV, vers. 1; quibus elapsis, ductus ad tribunal Præsidis, cap. 24, vers. 11, ait : « Non plus sunt mihi dies quam duodecim, ex quo ascendi adorare in Jerusalem. » Nam a Jerusalem usque ad Cæsaream est iter bidui. Adde septem, quinque et duos, habebis dies 14, non 12. Quare dicendum est Paulum, dum hæc diceret, non consummasse et explesse dies septem, sed eos cœpisse explere, ita ut jam ageretur dies tertius ab adventu suo in Jerusalem, qui erat primus purificationis Pauli, quo eam inchoans, illico captus est. Adde enim tres, quinque, duos et duos alios, de quibus mox dicam, habebis præcise dies duodecim, quos hic assignat Paulus. Ita Beda. Porro aliqui hos septem dies inchoant ab adventu Pauli in Jerusalem. Ita Lyranus et Vatablus. Alii et melius a cœpta Pauli purificatione : hæc enim, ut dixi, durabat septem dies : ita Beda, Glossa, Dionysius et Sanchez.

Hæc ergo est series et chronotaxis rei gestæ : Paulus appulit Jerusalem; postridie invisit Jacobum; ille suasit purificationem : paret illico Paulus, ac postero die, ut dicitur vers. 26, purificationis causa ingressus templum, ibi capitur : quare captus est tertio die ab adventu suo

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
ALERE FLAMMAM VERITATIS
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

Hierosolymam; sequenti die, puta quarto, ut patet vers. 30, Paulus in concilio causam dicit; sequenti nocte confortatur a Christo, cap. XXIII, vers. 11; facto mane, puta die quinto, conspirant in ejus necem Judæi, ibidem vers. 12. Quare tribunus, vers 23, sequenti nocte misit eum Antipatridem, quæ Hierosolymis distabat 17 horis; eo ergo pervenit Paulus die sexto ad vesperam; ac sequenti die, qui fuit septimus, pervenit Cæsaream (hæc enim ab Antipatride tantum distabat octo horis), cap. XXIII, vers. 32; post quinque dies Pontifex Cæsaream ingressus, Paulum coram præside accusat, cap. 24, vers. 1. Paulus inter alia respondet, ibidem vers. 11, se a duodecim diebus venisse Hierosolymam. Numera enim dies septem jam recensitos, et quinque venientis Pontificis, præcise habebis duodecim, quos Paulus assignat: ideoque versibus jam citatis, sigillatim Lucas eos digerit eo modo quo jam recensui, ut ostendat Paulum verum dixisse, ac præcise fuisse dies duodecim.

28. GENTILES INDUXIT IN TEMPLUM. — Judæi enim Gentiles aversabantur ut alienigenas, idololatras et immundos; etsi e Gentilismo conversi essent ad Christianismum, ut erat hic Trophimus, nihilominus eos Gentilium nomine et probro censebant, imo pejus oderant, quasi directos Judaismi hostes: hinc capitale erat Gentili ingredi templum, teste Josepho, lib. V *Antiq.*, cap. XIV. « Templum » hic vocat, non Sanctum: hoc enim solis sacerdotibus ingredi licebat; multo minus Sanctum Sanctorum: hoc enim soli Pontifici patebat, idque semel in anno duntaxat, scilicet in die expiationis: sed atrium laicorum, quod ante Sanctum, et ante atrium sacerdotum erat sub dio, e quo populus spectabat sacerdotes orantes et sacrificantes in suo atrio. Porro, ante hoc atrium Judæorum, adjectum est atrium extimum pro Gentilibus et immundis: ipsi ergo illud duntaxat ingredi poterant: quod proinde non habebatur locus sanctus, sed profanus.

30. TRAHEBANT EUM EXTRA TEMPLUM, — ut eum liberius et audacius occiderent, ne templum ejus sanguine polluerent, ait Chrysostomus. Dices: In templo est jus asyli, ut reum ex eo extrahere non liceat, nisi sit insidiosus, homicida, aut publicus latro, vel publicus depopulator agrorum, ut habetur cap. *Immunitatem*, Extrav. *de Immun.*; quo jure ergo Judæi Paulum e templo extraxerunt? Respondeo: Jus asyli immunitatis ex Jure canonico et civili proprium est templo novæ legis, non veteris, uti contra Canonistas docet Abulensis, in cap. XXI *Eccl.*, Quæst. XVI; nusquam enim in veteri Scriptura extat sanctio de hac templi immunitate. Ex reverentia tamen templi, noluerunt Paulum ibidem vulnerare vel occidere. Adde, censebant Paulum violasse sanctitatem templi, inducendo in illud Gentilem Trophimum, ideoque eo quasi indignum, extrahendum esse. Porro templum cæde, aliove scelere pollutum, expiabatur communi ritu semel in anno in die expiationis, *Levit.* XVI, 15 et sequent., nisi in eo perpetrata esset idololatria: tunc enim statim expiari debebat, nec ante expiationem licebat in eo sacrificare, ut colligitur IV *Reg.* cap. XXIII, vers. 4, et II *Paral.* XXIX, 3.

ET STATIM CLAUSÆ SUNT JANUÆ, — ne in hoc tumultu Gentiles in templum irrumperent, quasi Paulum, vel Trophimum Gentilem (ob quem seditionem concitarant Judæi) liberaturi et defensuri; ac ne in hoc tumultu cædes aliqua committeretur in templo. Aliter Arias: censet enim januas templi divinitus fuisse clausas, ut Paulus adhuc degens in eo maneret et servaretur, nec ab affluente populi furentis turba occideretur. Quod si verum esset, utique ingens fuisset miraculum, æque ac Dei in Paulum patrocinium.

31. CONFUNDITUR, — συγχέχυται, *commiscetur, conturbatur*.

32. DECURRIT AD ILLOS, — scilicet ex arce edita in subjectum ei templum, ubi Paulus a Judæis raptabatur ad necem. Arx hæc non fuit in Sion, ut vult Cajetanus, sed fuit turris Antonia, quam ita ex Josepho et aliis describit Adrichomius, in *Descript. Jerusalem*: « Antonia arx firma et munita valde, a Septentrione templo adjacens, quæ olim ab Hyrcano Machabæo in rupe quinquaginta cubitis alta et undique abrupta, extructa, et turris Baris vocata est. Hanc Pontifices a Machabæis orti, usque ad Herodem incoluere: ubi in cella ad hoc ipsum structa, sacra Pontificis stola servabatur, præfecto arcis accendente ibi lucernam quotidie. Herodes major regnum adeptus, hanc arcem, cum opportuno loco cohibendis civibus, ne quid rerum novarum per seditionem molirentur, sitam esse deprehenderet, eam magno sumptu instauravit; et intus regia magnifica, instar palatii et civitatis formata, et per quatuor angulos quatuor turribus excelsis (quarum tres quinquaginta, quarta vero septuaginta cubitis eminebat) communivit, unde totum templum videri poterat; eamque in gratiam M. Antonii triumviri, amici sui, Antoniam denominavit. In qua Romani milites cum armis semper excubabant, observantes ne quid novi populus festis diebus in templo committeret. Et sic templum civitati, templo autem Antonia castrum erat. » Eadem habet Aristeas, lib. de 72 *Interpretibus*; Hegesippus, lib. I *De Excidio Jerusalem*, cap. VI, et alii.

33. CATENIS DUABUS. — Una ligabat manus, Vers. altera pedes Pauli, uti ei prædixerat Agabus, vers. 11.

34. IN CASTRA. — « Castra » hæc erant præsidium Romanorum in arce Antonia, de qua jam dixi. Unde græce est εἰς τὴν παρεμβολήν, id est *in locum communium militumque stationibus et tentoriis interstinctum*.

35. GRADUS, — quibus ascendebatur in arce Antoniam.

36. TOLLE EUM. — Ita clamarunt Judæi con



Christum, *Joan.* XIX, 15; non mirum ergo si jam clament contra Paulum, qui non nisi Christum spirabat. Chrysostomus et Œcumenius aiunt aliquos exponere, *q. d.* « In signa eum tollendo injice, » puta in hastas et enses militum sub signis in arce congregatorum.

38. NONNE TU ES ÆGYPTIUS, QUI ANTE HOS DIES TUMULTUM CONCITASTI? — Puta ante triennium, nimirum anno Claudii Imperatoris 13, Christi 55, hæc enim a tribuno dicta et acta sunt anno Christi 58, Neronis 2: ita Eusebius, in *Chronico*, qui et lib. II *Histor.*, cap. XXI, ex Josepho, lib. XX *Antiq.*, cap. XX, hunc Ægyptium ita describit: « Eodem, ait, tempore quidam ex Ægypto venit Hierosolymam, vatem se esse profitens, et plebi suadens ut secuta se in montem Oliveti ascenderet, qui e regione urbis ad quintum abest stadium: illic enim visuros suo jussu cadere Hierosolymorum mœnia, ita ut per eorum ruinas aditus in urbem pateat. Quo cognito, Felix jubet milites arma sumere; stipatusque multis equitibus ac peditibus erumpens, invadit turbam seductam ab Ægyptio: quorum quadringentis occisis, ducentos vivos cepit: Ægyptius ipse pugna elapsus disparuit. Post hæc latrones rursum ad rebellandum Romanis incitabant populum, dictitantes excutiendum illorum imperium, et non assentientium vicos direptos absumebant incendiis. »

Porro Ægyptii olim male audiebant, tanquam malarum auctores artium. Unde proverbium: « Nectunt stupendas machinas Ægyptii, » de versutis, et ut ait Plautus, consutis dolis dictitatum. Et: « Lydi improbi, post hos secundi Ægyptii, tertiique Cares perditissimi omnium. » Et: « Ægypti nuptiæ, » inauspicatæ et infelices dicebantur. Sumptum e fabula Ægypti, qui filios quinquaginta totidem filiabus fratris maritos dedit: at hi, præter unum, omnes a sponsis jugulati sunt. Sic etiamnum errones illi, quos Itali *Cingaros* vocant, qui divinando cuique fortunam, evacuant bursam, *Ægyptii* nuncupantur, et ex Ægypto se venisse jactitant.

QUATUOR MILLIA. — Tot initio eduxerat ex Ægypto, sed, ut fit, affluente turba, prædonum numerus excrevit ad triginta millia, uti narrant Josephus et Eusebius jam citati.

SICARIORUM. — Ita dicti qui sicas gestabant, ad secreto, occulte et expedite alios trucidandum. Sica enim erat gladius brevior, sed acutior, ita dictus a secando, quasi seca. Unde Cicero, oratione 2 et 3 *in Catilinam*: « Non jam, ait, inter latera nostra sica illa versabitur, non in campo, non in foro, non in curia, non denique inter domesticos parietes pertimescemus. » Ecce rursum Paulum similem Christo. Christus enim cum Barabba compositus, inter latrones quasi latro crucifixus est: ita Paulus hic censetur sicarius, imo sicariorum antesignanus.

39. A TARSO CILICIÆ. — Est enim alia Tarsus in Bithynia, alia in India. Tarsus olim vocata est « Tersus, » quod illic primum a diluvio apparuerit terra sicca; vel quod illic delapsus Pegasus talo fracto, quem illi ταρσὸν vocant, claudicationem contraxerit: ita Stephanus, lib. *De Urbibus*; aut a serie remigii et remigum, quam Græci vocant ταρσόν. Tarsus enim utpote maritima, remigibus et navibus abundabat. Unde in Scripturis celebrantur naves Tarsis.

NON IGNOTÆ, — id est notæ, celebris. Est enim sis, erat enim Tarsus Ciliciæ metropolis: ita Stephanus, lib. *De Urbibus*; nunc vero longe celebrior est, eo quod illi Paulum Apostolum debeamus.

MUNICEPS, — πολίτης, id est civis; Syrus, in qua *natus sum*. *Municeps* a munere, quasi munus capiens, proprie is dicebatur, qui in civitatem Romanam receptus, munerum particeps fiebat, quales fuerunt Tusculani, Tiburtes, Prænestini, Arpinates, etc., quibus non licebat magistratum capere, sed tantum muneris partem. Ita Festus. « Municipes dicti, quod munera civilia capiant, » inquit Paulus, in lib. *Mucius*, ff. *De Verborum et Rerum significatione*. Postea tamen abusive municipes dicti sunt, cujusque civitatis cives, inquit Ulpianus in dict. lib. 1, ff. *Ad municipales*. Dicit hoc Paulus, *q. d.* Ego non sum Ægyptius ille sicariorum dux, ut tu putas, tribune; quia sum Tarsensis, ac consequenter Romanus municeps et civis.

ALLOCUTUS EST. — Miratur hic merito S. Chrysostomus Pauli animum ingentem, qui in tanto tumultu et periculo sibi præsens, imperturbatus, celsus et erectus, utpote innocentiæ conscientiæque suæ confisus, ac Deo nixus, tam appositam, imo compositam ad populum furentem habuerit concionem, ut miro omnium silentio sit auditus; nimirum « justus ut leo confidit, » dicitque cum Psalte: « Dominus illuminatio mea et salus mea, quem timebo? Si consistant adversum me castra, non timebit cor meum. Si exurgat adversum me prælium, in hoc ego sperabo, » *Psalm.* XXVI, 1; utique dicebat Paulus: « Mihi vivere Christus est, et mori lucrum. »

Rursum vide hic Pauli pectus ardens amore suæ gentis, licet erga se ingratissimæ sibique inimicissimæ, quod in tantis injuriis adhuc de Judæorum salute cogitat, si vel aliquos possit Christo lucrifacere et salvare. Unde optabat pro eis anathema fieri a Christo, *Rom.* IX, 1.

*Tertio*, vide quantus fuerit in Paulo zelus honoris divini, ad propagandum nomen et Ecclesiam Christi, ejusque majestatem et gloriam amplificandam. Nam etiam in mediis vinculis et tumultibus ipsoque agone mortis tacere non potest, quin Jesum Christum pro viribus prædicet, celebret, glorificet; esto auditores omnes obstrepant et occlament.

Denique Paulus captus fuit circa Pentecosten, ut dixi vers. 17, et forte ipso festo Pentecostes, quo allusit dicens cap. XX, vers. 22: « Ecce alli-



UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

gatus ego spiritu vado in Jerusalem, et Spiritus Sanctus protestatur, quod vincula et tribulationes me manent Hierosolymis, » q. d. Alligat et impellit me Spiritus Sanctus in Jerusalem, ut in ejus festo, puta Pentecoste, pro ipso vinculis alliger. Unde sicut S. Petrus ante 24 annos, in prima Pentecoste Christiana habuit primam concionem ad populum, *Actor.* II, ita in eadem habet et Paulus hic; sed causa et eventu dissimili. Petrus enim habuit auditores, ob prodigia Pentecostes, maxime capaces et benevolos, ideoque illico vi spiritus et lingua ignea convertit tria hominum millia; Paulus vero concionatus est ad hostes sibi infensissimos, poscentes eum ad necem: unde fructum alium non retulit, quam ut in eum jaciendo vestes et pulverem, occlamarent: Tolle eum de terra; non enim fas est eum vivere (1).

(1) Locutus est *lingua Hebræa*, id est Hierosolymitana, hoc est Syro-Chaldaica, quam Judæi Hierosolymitani Græcæ præferebant.

# CAPUT VIGESIMUM SECUNDUM.

## SYNOPSIS CAPITIS.

*Paulus perorans ad populum, suam de cœlo vocationem, conversionem et missionem enarrat. Silenter audit eum populus, donec Paulus edicit se missum ad Gentes. Tunc enim vestes et pulverem jaciens in aerem, vociferatur: Tolle eum de terra. Quare tribunus jubet Paulum flagellari et torqueri: ille asserens se civem esse Romanum, flagris se eximit. Tribunus postero die eum solutum statuit in concilio sacerdotum et primorum, ut causam suam agat.*

1. Viri fratres, et patres, audite quam ad vos nunc reddo rationem. 2. Cum audissent autem quia Hebræa lingua loqueretur ad illos, magis præstiterunt silentium. 3. Et dicit: Ego sum vir Judæus, natus in Tarso Ciliciæ, nutritus autem in ista civitate, secus pedes Gamaliel eruditus juxta veritatem paternæ legis, æmulator legis, sicut et vos omnes estis hodie: 4. qui hanc viam persecutus sum usque ad mortem, alligans et tradens in custodias viros ac mulieres. 5. Sicut Princeps sacerdotum mihi testimonium reddit, et omnes majores natu, a quibus et epistolas accipiens, ad fratres Damascum pergebam, ut adducerem inde vinctos in Jerusalem ut punirentur. 6. Factum est autem, eunte me, et appropinquante Damasco media die, subito de cœlo circumfulsit me lux copiosa: 7. et decidens in terram, audivi vocem dicentem mihi: Saule, Saule, quid me persequeris? 8. Ego autem respondi: Quis es, Domine? Dixitque ad me: Ego sum Jesus Nazarenus, quem tu persequeris. 9. Et qui mecum erant, lumen quidem viderunt, vocem autem non audierunt ejus qui loquebatur mecum. 10. Et dixi: Quid faciam, Domine? Dominus autem dixit ad me: Surgens, vade Damascum, et ibi tibi dicetur de omnibus quæ te oporteat facere. 11. Et cum non viderem præ claritate luminis illius, ad manum deductus a comitibus, veni Damascum. 12. Ananias autem quidam, vir secundum legem testimonium habens ab omnibus cohabitantibus Judæis, 13. veniens ad me, et astans dixit mihi: Saule frater, respice. Et ego eadem hora respexi in eum. 14. At ille dixit: Deus patrum nostrorum præordinavit te, ut cognosceres voluntatem ejus, et videres justum, et audires vocem ex ore ejus: 15. quia eris testis illius ad omnes homines, eorum quæ vidisti et audisti. 16. Et nunc quid moraris? Exsurge, et baptizare, et ablue peccata tua, invocato nomine ipsius. 17. Factum est autem revertenti mihi in Jerusalem, et oranti in templo, fieri me in stupore mentis, 18. et videre illum dicentem mihi: Festina, et exi velociter ex Jerusalem, quoniam non recipient testimonium tuum de me. 19. Et ego dixi: Domine, ipsi sciunt quia ego eram concludens in carcerem et cædens per synagogas eos qui credebant in te; 20. et cum funderetur sanguis Stephani testis tui, ego astabam et consentiebam, et custodiebam vestimenta interficientium illum. 21. Et dixit ad me: Vade, quoniam ego in nationes longe



mittam te. 22. Audiebant autem eum usque ad hoc verbum, et levaverunt vocem suam dicentes: Tolle de terra hujusmodi; non enim fas est eum vivere. 23. Vociferantibus autem eis, et projicientibus vestimenta sua, et pulverem jactantibus in aerem, 24. jussit tribunus induci eum in castra, et flagellis cædi, et torqueri eum, ut sciret propter quam causam sic acclamarent ei. 25. Et cum astrinxissent eum loris, dixit astanti sibi centurioni Paulus: Si hominem Romanum et indemnatum licet vobis flagellare? 26. Quo audito, centurio accessit ad tribunum, et nuntiavit ei dicens: Quid acturus es? Hic enim homo civis Romanus est. 27. Accedens autem tribunus, dixit illi: Dic mihi si tu Romanus es? At ille dixit: Etiam. 28. Et respondit tribunus: Ego multa summa civilitatem hanc consecutus sum. Et Paulus ait: Ego autem et natus sum. 29. Protinus ergo discesserunt ab illo, qui eum torturi erant. Tribunus quoque timuit, postquam rescivit quia civis Romanus esset, et quia alligasset eum. 30. Postera autem die volens scire diligentius qua ex causa accusaretur a Judæis, solvit eum, et jussit Sacerdotes convenire, et omne concilium, et producens Paulum, statuit inter illos.

1. VIRI FRATRES, ET PATRES. — « Patres » vocat pontifices, sacerdotes et cæteros ætate vel dignitate præstantes: reliquos appellat « fratres. » Vide dicta cap. VII, 2. Nota hic modestiam, mansuetudinem et prudentiam Pauli, qua ubique decorum servat, ut omnibus se insinuet (1).

REDDO RATIONEM. — Græce, ἀπολογίας, id est *defensionem* contra accusationem mihi a Judæis Asianis intentatam. Aliqui legunt *excusationem*.

3. SECUS PEDES GAMALIEL, — id est discipulus Gamalielis: discipulorum enim est stare vel sedere ad pedes magistri in altiori cathedra sedentis. Sic Magdalena « sedens secus pedes Domini, audiebat verbum illius, » *Lucæ* X, 39. Huc spectat illud Mosis, *Deut.* XXXIII, 3: « Et qui appropinquant pedibus ejus (puta discipuli Dei, qui eum audiunt ejusque pedes et vestigia sequuntur), accipient de doctrina illius. »

ERUDITUS JUXTA VERITATEM (κατ' ἀκρίβειαν, id est *juxta exactam rationem*, vel *juxta rigorem*) PATERNÆ LEGIS. — Tigurina, *institutus accurate in patria lege*. Forte Noster pro ἀκρίβειαν, legit ἀλήθειαν, id est *veritatem*: aut certe illam pro hac accepit: veritas enim rigida est et in exacta ratione, adeoque in indivisibili et in puncto consistit.

ÆMULATOR LEGIS. — Græce ζηλωτὴς τοῦ Θεοῦ, id est *zelator Dei*, nimirum legis Dei; qui zelator est legis, zelator est Dei, qui auctor est legis.

4. QUI HANC VIAM (hunc vivendi morem, hanc vitæ rationem, consuetudinem et institutum: hoc enim significat Hebr. דרך *derech*, id est via, puta Christianismum) PERSECUTUS SUM USQUE AD MORTEM. — Morti tradens sanctum Stephanum aliosque Christianos. Aliter Hugo, *q. d.* Adeo sectator eram legis, ut paratus essem mori pro ea. Verum Græce est ἐδίωξα, id est *hostiliter persecutus sum* fideles Christi, usque ad mortem et internecionem.

5. SICUT PRINCEPS SACERDOTUM MIHI TESTIMONIUM REDDIT. — Hinc probabiliter Sanchez et alii censent Paulum servasse litteras olim sibi a Pontifice et Concilio traditas, tum quia eas ad hæc tempora periculosa et dubia magno sibi usui fore arbitrabatur; tum ut iis se aliosque accenderet ad Christi amorem, qui eum publicum persecutorem, publica fide auctoratum, tam benigne sit complexus tantaque gratia donarit.

AD FRATRES, — Judæos scilicet, qui erant Damasci, ut mihi in capiendis Christianis os et manum, puta consilium et opem præstarent. Aliter Vatablus, *ad fratres*, inquit, id est adversus fratres, puta Christianos.

UT PUNIRENTUR. — Syrus, *ut capite mulctarentur*.

6. CIRCUMFULSIT, — περιαστράψαι, id est *circumfulguravit*. Unde lux hæc instar fulguris perculit oculos Pauli eumque cæcavit.

9. ET QUI MECUM ERANT, LUMEN QUIDEM VIDERUNT, VOCEM AUTEM NON AUDIERUNT — articulatam scilicet et distinctam: nam confusum vocis sonum eos audisse, patet ex illo cap. IX, vers. 7: « Audientes quidem vocem, neminem autem videntes, » licet S. Chrysostomus id explicet de Pauli voce, quasi ejus socii vocem Pauli respondentis audierint, non Christi objurgantis. Græca addunt: καὶ ἔμφοβοι ἐγένοντο, et *exterriti fuerunt*: unde et omnes cum Paulo in terram cor-

(1) Paulus in oratione ad populum habita, quam hoc caput continet, contra adversariorum criminationes, XXI, 28, ita defendit, ut ostendat se non esse legis Mosaicæ sacrorumque patriorum contemptorem, nec temere, sed gravissimis de causis ad Jesu Messiæ signa se contulisse. Quod ut demonstrat, primo memorat se esse Judæum natum, institutum disciplina patriæ legis severissima, vers. 3; odio vehementi Christianos persecutum esse, et magno impetu doctrinam Christi opprimere studuisse. Narrat deinde miros illos eventus, quibus permotus fuerit ut Christi doctrinam amplecteretur, vers. 5-16. Addit tum, se postea, cum in templo Hierosolymitano preces faceret, in ecstasi Jesum vidisse ab eoque jussum esse, relicta Hierosolyma, Gentilibus doctrinam Christianam tradere. His vero dictis, Judæi una voce clamant eum e medio esse tollendum.

ruerunt, uti asserit Paulus Agrippæ regi, cap. XXVI, 14.

11. ET CUM NON VIDEREM PRÆ CLARITATE (Græce δόξης, id est *gloria*) LUMINIS. — Significat lucem hanc ingentem fuisse et augustam, utpote quæ a divino Christi corpore evibraretur ejusque majestatem et gloriam repræsentaret.

12. VIR SECUNDUM LEGEM. — Græce εὐλαβής, id est *reverens, pius secundum legem*; Syrus, *justus in lege*. Sensus est, *q. d.* Religiosus legis observator. Commendat Paulus Ananiam a tribus, scilicet a pietate, doctrina et bona fama.

13. RESPICE, — ἀνάβλεψον, id est *recipe visum, attolle oculos, apertis oculis me intuere*. Hac enim voce Ananias cæcitatem Pauli discussit, eique oculorum usum visumque restituit. Unde sequitur, « et ego eadem hora respexi in eum : » Græce ἀνέβλεψα εἰς αὐτόν, id est *recepto visu, vidi illum*, vel *oculos sustuli et aspexi in eum*. Aliqui vertunt, *suspice*, sive *sursum aspice* : hoc enim innuit ἀνα. Solent enim cæcutientes sursum aspicere, ut cœli lucem, utpote clariorem cæteris, intueantur.

14. PRÆORDINAVIT TE. — Legit Interpres προκεχειρίσατο, jam legunt προεχειρίσατο, id est *designavit*, vel *præparavit te*; Syrus, *constituit te*; alii, *expedivit te*, ut esses Deo πρόχειρος, id est *ad manum promptus*, et expeditus ad discurrendum et evangelizandum per totum orbem.

ET VIDERES JUSTUM, — puta Christum, qui est « justus » antonomastice, puta formaliter in se justissimus, et causaliter justificans omnes qui unquam justi fuerunt, sunt aut erunt. Unde Christus a Daniele, cap. IX, 24, vocatur « justitia sempiterna, et Sanctus sanctorum. » Hinc patet Christum Paulo fuisse vicinum eique apparuisse, ac suo fulgore eum cæcasse. Unde et vocem ex ore ejus manantem auribus suis accepit et audivit, quod utique naturaliter fieri non potuisset, si Christus fuisset in cœlo, non in aere Paulo vicino.

Rursum S. Chrysostomus notat Paulum tacite culpare Judæos injustitiæ, quod Christum justum occiderint. Nota pro τὸν δίκαιον, id est *justum* masculine, aliqui legunt τὸ δίκαιον, id est *justum* neutre, puta id quod justum est, justitiam, *q. d.* Ut videas Christi ejusque legis justitiam, quam antea zelo excæcatus non videbas. Minus recte : eodem tamen redit sensus.

16. ABLUE PECCATA TUA, — per baptismum : licet enim videatur Paulus jam ante totum se Deo dedens, per actum contritionis abluisse peccata sua esseque justificatus; tamen is actus includebat propositum baptismi, et ab eo vim abluendi accipiebat, uti docet Concilium Tridentinum, sess. XIV, cap. IV. Insuper baptismus abluebat peccata venialia, si quæ in Paulo erant reliqua, omnemque pœnam tam iis, quam peccatis mortalibus per contritionem jam remissis, debitam, uti communiter docent Doctores Scholastici, tract. *De Pænit.* et *De Baptismo*.

INVOCATO NOMINE IPSIUS. — Oportet enim baptizandos ante baptismum, invocare Christum, a quo sperant gratiam, justitiam et salutem : hæcque Christi invocatio est una inter cæteras congrua ad baptismum dispositio.

17. FIERI ME IN STUPORE MENTIS. — Græce, *in exstasi* : hæc enim stuporem tam corpori quam menti induxit. Videtur hæc exstasis Paulo contigisse tertio anno a conversione et baptismo, cum rediit Jerusalem, *Actor.* IX, 26; *Galat.* I, 18. Hoc enim videtur connexa Pauli narratio exigere. Tum enim constitutus est Gentium doctor : unde et mox cœpit Gentibus prædicare. Ita Sanchez. Aliqui tamen censent eam contigisse diu postea, nimirum cum initurus apostolatum ad Gentes, *Actor.* XIII, 2, raptus est in tertium cœlum, II *Corinth.* XII, 2. Verum ille raptus videtur contigisse Antiochiæ, ubi Paulus ordinatus est Episcopus et Apostolus Gentium; hæc autem contigit Hierosolymis in templo, ut ipse hic asserit.

18. EXI VELOCITER EX JERUSALEM. — Prævidebat Deus Judæos Paulo machinaturos carceres et mortem, si iis in Jerusalem prædicaret, per suam omniscientiam, qua præscit omnia futura, etiam conditionalia, licet nunquam futura, eo quod conditio nunquam sit futura, uti ostendi *Jeremiæ* XXXVIII, 17. Jubet ergo Paulum e Jerusalem excedere, quia ejus vita et salus sibi curæ erat, eaque uti volebat ad multorum conversionem.

19. IPSI SCIUNT. — Est modesta Pauli ad manendum Hierosolymis ibique prædicandum contra Deum egredi jubentem replica, *q. d.* Judæi sciunt quam ferventer pugnarim olim pro Judaismo : nunc cum ab eo tam mire a Deo conversus sim ad Christianismum, pro eoque ferventius decertem, utique scire possunt et debent, me non privato odio aut affectu id agere, sed impelli a Deo, qui intellectum meum et voluntatem tam potenter immutavit, ut Christum, quem prius non cognitum summe oderam, jam agnitum summe diligam et prædicem : ac proinde mihi tanquam Judæo, Christianorum olim hosti, sed nunc a Deo illuminato, et de veritate certo credere debent. Ita Lyranus, Dionysius et alii. Commemorat hoc Judæis Paulus, ut ostendat summum eis amorem, quo apud eos cupivit manere, iisque prædicare : quod ergo, iis relictis, iverit ad Gentes, non ex suo voto, sed Dei jussu compulsum fecisse : simul terret eos, ne religionem Christianam, quasi ab hominibus inventam persequantur, quin potius eam ut divinam et a Deo revelatam revereantur.

20. STEPHANI TESTIS TUI. — Græce, *protomartyris tui*. Primus enim ex adultis Stephanus sanguine fuso, Christo testimonium perhibuit

EGO STABAM, — ἐφεστώς, id est *assistebam, instabam*, et quasi supra stabam, velut dux et choragus.



ET CONSENTIEBAM, — συνευδοκῶν τῇ ἀναιρέσει, id est *complacebam neci ejus, comprobabam ejus interfectionem*.

Moraliter disce hic, quantus fuerit Pauli affectus in suam gentem et patriam, eamque imitare. Rursum, quam ejus ingratitudinem gratia, iram patientia, livorem amore, malevolentiam benevolentia, invidiam modestia, maleficia beneficiis et præteritis et præsentibus vincere et obruere sategerit. Multis enim idipsum, quod Paulo, accidit, ut cum pro republica suisque civibus se suaque impenderint, levi de causa eos ingratos, imo hostes experiantur. Celebrant Græci Epaminondam ducem Thebanorum, qui ab æmulis accusatus, quod quatuor mensibus diutius quam populus jusserat, gessisset imperium, rebus ita exigentibus, quod erat confessus est, neque pœnam mortis lege sancitam abnuit; sed unum ab iis petivit, ut in occisi sepulcro conscriberent : « Epaminondas a Thebanis morte mulctatus est, quod eos coegit apud Leuctra superare Lacedæmonios, quos ante se imperatorem nemo Bœotiorum ausus fuit aspicere : in acie uno prælio non solum Thebas ab interitu retraxit, sed etiam universam Græciam in libertatem vindicavit. » Hæc cum dixisset æmulis pudorem injecit, ac risus omnium cum hilaritate coortus est, neque quisquam judex ausus est ferre suffragium, sic a judicio capitis maxima discessit gloria. Ita Æmilius, Plutarchus et alii in *Vita Epaminondæ*.

Themistocles Atheniensibus ipsum contumelia afficientibus : « Quid tumultuamini, inquit, adversus eos a quibus sæpe magnis estis affecti commodis? » Dicebat autem se similem platanis, sub quarum umbram accurrunt homines afflicti tempestate, et easdem simul ut rediit serenitas, vellunt : sic enim populus in belli periculis, virorum fortium implorat opem; in pace contemnit, conviciis et injuriis vexat : ita Plutarchus, in *Græc. Apophth.* Hinc Antisthenes dicebat : « Regium est cum bene feceris, audire male, » teste Laertio, lib. VI, cap. I.

Demosthenes inter fugiendum respiciens subinde ad arcem Palladis, exclamavit : « O Pallas, urbium domina, cur tribus infaustissimis bestiis delectaris, noctua, dracone et populo? » Noctua cum sit avium inauspicatissima, tamen Palladi erat sacra, uti et draconem habebat pro gestamine; populus autem bellua est multorum capitum, pessimam gratiam referre solita optime de se meritis, ut Socrati, Phocioni, Lycurgo et aliis compluribus. Ita Plutarchus in eodem.

Alfonsus, Aragonum rex, increpitus quod in Alvarum Lunam hominem sibi plane ingratum, tanta beneficia contulisset : « An ignoratis, inquit, ingenti beneficio non nisi ingenti ingratitudine satis semper fieri? » Ita Panormitanus, lib. II *De Gestis Alfonsi*.

Scipio Africanus ab æmulis accusatus peculatus in rostris, libere ita respondit : « Memini, Quirites, me tali die de Annibale et Pœnis egregiam victoriam consecutum : quare posthabitis litibus, hinc eumdem in Capitolium censeo, ut pro Republica felicissime gesta divino Numini gratias agamus. » Scipionem ergo in Capitolium secuta est tota concio, Magistratu cum solis ministris relicto. Ita Plutarchus in *Scipione*.

Hosce omnes longe superavit Moses, qui a populo sæpe lapidibus appetitus, eum tamen dilexit instar matris, adeoque pro eo se devovit, dicens : « Aut dimitte eis hanc noxam : aut si non facis, dele me de libro tuo quem scripsisti, » *Exodi* XXXII, 32. Unde et sibi reipsa a Deo jussum dictumque censuit : « Porta eos in sinu tuo, sicut portare solet nutrix infantulum, et defer in terram pro qua jurasti patribus eorum, » *Numer.* cap. XI, vers. 12. Hinc et a Deo hoc elogium meruit : « Erat enim Moses vir mitissimus super omnes homines qui morabantur in terra, » *Num.* cap. XII, vers. 3. Mosen æmulatus est Paulus, cupiens anathema fieri pro suis ingratissimis Judæis, *Rom.* IX, 2. Vide illis locis dicta.

21. IN NATIONES LONGE, — ad gentes remotas. Addit hoc Paulus, ut ostendat se invitum, nec nisi Dei mandato a Judæis divertisse ad Gentes, ac proinde Judæos in hac re debere sibi veniam dare, divinæ voluntati cedere, imo obsecundare; sed tantus erat Judæorum suæ nationis amor, et tantum Gentium odium, ut interpretantes hunc insignem esse sui contemptum, quod nimirum Gentibus postponerentur, quodque Paulus Messiæ gratiam Judæis promissam ab eis transferret ad Gentes (hoc enim contumeliosum eis videbatur, quasi ipsi indigni essent veritate, Evangelio, Messia et salute : iis autem digne essent Gentes, ideoque promissionum Abrahæ Judæorum parenti factarum, futuræ hæredes), ut illico eum quasi Judæum transfugam et legis proditorem poposcerint ad necem.

Moraliter : tales hodie multi sunt, qui tamdiu audiunt Concionatores, Superiores, Præceptores, Confessarios, Monitores, quamdiu nihil contra eos dicunt; ubi vero vitia reprehendunt ulcusque tangunt, illico aures animumque avertunt. Miseri sane et miserandi qui cum in corporalibus morbis medicos admittant, pharmacaque amara libentes hauriant, in spiritualibus, qui multo majores et damnosiores sunt, omnem medicum et medicinam respuunt.

22. TOLLE DE TERRA HUJUSMODI, — τοιοῦτον, id est *talem*, Paulum scilicet apostatam et suæ gentis hostem.

23. PROJICIENTIBUS VESTIMENTA SUA, ET PULVEREM JACTANTIBUS IN AEREM. — *Primo*, in signum excandescentiæ et detestationis, quod execrentur verba Pauli, ait Lyranus; *secundo*, ut vi quasi a tribuno extorqueant sententiam damnationis Pauli; ita Chrysostomus; *tertio*, ut significent Paulum turbatorem esse non tantum terræ, sed et aeris ac cœli, ait Cajetanus; *quarto*, in signum furoris et

turbulentim : est enim hoc signum, imo imago et principium seditionis et pugnæ. Ita Dionysius. Glossa vero Interlinearis censet hoc signum fuisse mœroris. *Quinto*, Sanchez, ut significent, inquit, Paulum a tribuno lapidibus esse obruendum quasi blasphemum et religionis contemptorem : nam in lapidationes vestis ponitur, et lapides mittuntur, cujus optima imago est ventilatio pulveris : erat enim Paulus in turba et intra templi ambitum, ubi lapidibus appeti non poterat. Pro iis ergo pulverem jactant, ut indicent se primos in eum missuros lapides, ubi id licebit, sicut ipse olim per suos fecerat in Stephanum, ipsomet hic narrante; ut quem persecutus est culpa, sequatur in pœna.

Moraliter : hæ furiæ Judæorum ipsosmet vexarunt, non Paulum. Nam, uti docet S. Augustinus in illud *Psal.* XCVI : *Ignis ante ipsum præcedet et inflammabit in circuitu inimicos ejus* : « Furor magis cruciat animum furentis, quam corpus patientis. » Et alibi : « Maledictum et maleficium patientia repercussum, in suum redit auctorem, illæso eo qui petebatur. » Porro Paulus amore eum furore certabat, perinde ac medicus conviciis et pugnis phrenetici non irritatur, sed magis ad commiserationem ejusque curationem incitatur. Scit enim eum esse phreneticum, id est sui impotem mentisque non sanæ, sed insanæ. Phrenesi ergo convicia tribuit, non homini.

24. JUSSIT TRIBUNUS INDUCI EUM IN CASTRA, — in arcem Antoniam, ubi erat præsidium Romanorum, uti dixi cap. præced., vers. 34. Consistebat enim Paulus in gradibus arcis, perorans ad populum interius ad gradus consistentem : inde ergo in arcem induci jubetur, ne populus tumultuans Paulum, et per Paulum forte arcem invadat.

ET FLAGELLIS CÆDI ET TORQUERI. — Syrus et Græca : *ut per flagra interrogaretur*, vel *examinaretur*. Injuste in Paulum hic agit tribunus : nec enim ob furorem populi tumultuantis licebat Paulum damnare ad torturam et flagra. Ita Chrysostomus. Unde recte Paulus excipit iisque se eximit. Nam, ut ait Lucas,

25. ET CUM ASTRINXISSENT EUM LORIS. — ad palum vel columnam, uti Christus columnæ alligatus est dum flagellaretur, quæ Romæ in templo S. Praxedis religiose servatur et visitur. S. Ignatius, uti refert Antonius a *Melissa*, part. II, serm. 89, dictitabat : « Dum cæderis, firmiter quasi incus stato. Generosi athletæ est cædi et vincere : maxime vero propter Deum omnia nobis patienda sunt, ut et ipse nos patiatur. » Ita Paulus stabat hic quasi incus pro Christo tundenda.

DIXIT ASTANTI (ἑστῶτι, id est *instanti*, *supra-stanti*, quasi qui torturæ et flagellationi Pauli præesset) SIBI CENTURIONI PAULUS : SI HOMINEM ROMANUM ET INDEMNATUM LICET VOBIS FLAGELLARE? — Duplex eis crimen objicit. Prius, quod civem Romanum; posterius, quod indemnatum vellent flagellare. Vide dicta cap. XVI, vers. 37. Dixit hoc Paulus, non quod flagella pro Christo refugeret, qui in iis gloriabatur; sed ne probrum hoc in Christi fidem et religionem derivaretur, quasi Christiani flagellandi et exterminandi essent. Rursum tribuno consulebat, ne is hac iniquitate conscientiam læderet et Deum offenderet, simulque docuit judices, ne simplices et pauperes in gratiam potentum opprimant, memores eorum vindicem fore Deum judicem judicem. Nam, ut ait Psaltes : « Tibi derelictus est pauper, orphano tu eris adjutor. »

28. EGO MULTA SUMMA CIVILITATEM HANC CONSECUTUS SUM, — *q. d.* Ego multa pecunia jus civitatis Romanæ, sive ut haberer civis Romanus, comparavi et emi. Græcum πολιτεία et *civitatem* et *civilitatem* significat. Sicut enim a πολιτεία πολίτης, ita a civitate civis dicitur. Unde aliqui codices hic legunt *civitatem*, id est jus civitatis, jus civium. Sic Jurisconsulti dicunt aliquid fieri civiliter, id est jure civili, vel civico; item dari actionem civilem, petere officia civilia, etc. *Civilitas* ergo non significat hic urbanitatem et concinnitatem morum, quæ rusticitati opponitur; nec etiam socialem inter cives conversationem, vel administrationem reipublicæ, ut vult Beda; sed jus civitatis, quo quis particeps fiebat privilegiorum Romæ, sive prærogativarum quibus gaudebant cives Romani : inter quas erat una, ut verberibus cædi et in crucem agi non possent; qua de causa cum S. Petrus Romæ crucifixus est, S. Paulus, ut civis Romanus, non crucifixus, sed capite plexus est.

Porro jura et privilegia civium Romanorum erant multa et magna, quæ recenset Brissonius, lib. I *Antiq. juris civil.*, cap. XIII. *Primum* erat : Ex civium Romanorum testamentis soli cives capiebant, civiumque duntaxat Romæ rata habebantur testamenta. *Secundum* : Inter solos cives Romæ, justæ nuptiæ contrahebantur. Unde Seneca, lib. IV *De Benef.*, cap. XXXV : « Promisi, inquit, tibi filiam in matrimonium : postea peregrinus (ita vocabatur qui non erat civis) apparuisti; non est mihi cum extraneo connubium. » *Tertium* : In liberos habebant jus patriæ potestatis, hocque eis erat proprium. *Quartum* : Verberibus cædi cives, aut in crucem agi, aut injussu populi in eos animadverti fas non erat. *Quintum* : In legionibus non alii quam qui civitatem accepissent, militabant. *Sextum* : Solis civibus licebat honores Romæ gerere, suffragium ferre et toga uti : peregrinis enim fas non erat indui toga, sed pallio. Hominis enim Romani certissimum signum erat toga. Itaque apud Livium a Q. Fabio in invidiam P. Scipio eo nomine adducitur, quod in Sicilia palliatus fuisset. Hinc etiam regibus, quos amicos et socios appellabant, inter cætera togam muneri mittebant, et amicos populos jure togæ donabant, quod novæ Carthagini concessum



Tertullianus, lib. *De Pallio*, significat. Inde Togatæ Galliæ nomen, quam et ad honores aspirasse et suffragiorum jus in urbe habuisse, memorat Tacitus, lib. XI. Hæc Brissonius, qui et addit solis civibus Romanis prænominibus insigniri licuisse.

Moraliter, si tanti est, tantique emitur esse civem Romanum, quanti est esse civem cœli, quantoque pretio comparanda est civitas cœlestis, ut simus cives sanctorum et domestici Dei. Nam, ut ait Apostolus : « Accessistis ad Sion montem et civitatem Dei viventis, Jerusalem cœlestem et multorum millium angelorum frequentiam, et Ecclesiam primitivorum, qui conscripti sunt in cœlis, » etc. *Hebr.* XII, 23.

NATUS SUM, — non in urbe Romana, sed ex patre et patria civitate Romana donatis. Tarsus enim, ubi natus erat Paulus, hoc privilegium et jus civitatis Romanæ obtinuerat, uti innuit Plinius, lib. V, cap. XXVII, et Dio Cassius, lib. XLVII. Vide Baronium. De Paulo ergo, quasi cive suo, glorietur Roma et Romani, utpote quo illustriorem non habuit, nec habitura sit (1).

30. VOLENS SCIRE DILIGENTIUS, — τὸ ἀσφαλές, id est *certum scire volens* : ita Tigurina et alii.

SOLVIT EUM, — quasi civem Romanum honorans, et præcedentia vincula injuste ei injecta hac gratia et beneficio compensans. Si ita honoratur civis terræ, quomodo honorandus civis cœli? Si illum nemo impune lædit, quis hunc tangere audeat? « Nolite tangere Christos meos, » ait Deus *Psal.* CIV. Sic Deus punivit Pharaonem et totam Ægyptum, propter unam Saram, Abrahæ uxorem, ab eo abreptam, *Gen.* XII; et Abimelech regem, propter eamdem abductam, *Gen.* XX. Sichimitas delevit ob violatam Dinam, *Gen.* XXXIV. Tribum Benjamin pene abolevit ob illatum stuprum uxori Levitæ, *Judic.* XX.

PRODUCENS PAULUM, — καταγαγών, id est *demittens*, scilicet ex turri Antonia in locum concilii, qui erat inferior et in templo. Ibi enim erat locus Sanedrin, sive Concilii magni primorum Judææ, ut colligitur I *Paral.* XXVI, 15; voluit enim tribunus Paulum, utpote Judæum, in lite Judaica causam suam agere coram primis Judææ senatoribus, ita tamen ut ipse totam hanc actionem dirigeret et moderaretur, quasi concilii præfectus et præses, nomine Imperatoris Romani : unde et cap. seq. vers. 10, Paulum abripuit, ne ab eis occideretur. Quam ob causam verisimilius est concilium hoc, non solito loco in templo (illud enim tribuno, utpote Gentili, ingredi non licebat), sed in ima arce ab eo esse congregatum, ne Paulus a Judæis abriperetur et necaretur, uti paulo ante in templo factum et pene perfectum meminerat. Ita Sanchez.

(1) Vid. notat. supra, cap. XVI, vers. 37.

# CAPUT VIGESIMUM TERTIUM.

## SYNOPSIS CAPITIS.

*Paulus in concilio suam agere causam orsus, jubetur a Pontifice percuti. Cui ille* : Percutiet te Deus, paries dealbate. *Inde se esse Pharisæum proclamans, jaciensque pomum discordiæ inter Sadducæos et Pharisæos, ne occidatur, a tribuno abducitur. Apparet ei Christus, jubens esse constantem : oportere enim eum et Romæ prædicare. Mox, vers. 12, Judæi in Pauli necem conjurant : sed conjuratione detecta, Paulus a tribuno Cæsaream ad Felicem præsidem mittitur.*

**1.** Intendens autem in concilium Paulus ait : Viri fratres, ego omni conscientia bona conversatus sum ante Deum usque in hodiernum diem. **2.** Princeps autem sacerdotum Ananias præcepit astantibus sibi percutere os ejus. **3.** Tunc Paulus dixit ad eum : Percutiet te Deus, paries dealbate. Et tu sedens judicas me secundum legem, et contra legem jubes me percuti? **4.** Et qui astabant, dixerunt : Summum sacerdotem Dei maledicis? **5.** Dixit autem Paulus : Nesciebam, fratres, quia princeps est sacerdotum. Scriptum est enim : Principem populi tui non maledices. **6.** Sciens autem Paulus, quia una pars esset Sadducæorum, et altera Pharisæorum, exclamavit in concilio : Viri fratres, ego Pharisæus sum, filius Pharisæorum, de spe et resurrectione mortuorum ego judicor. **7.** Et cum hæc dixisset facta est dissensio inter Pharisæos et Sadducæos, et soluta est multitudo. **8.** Sadducæi enim dicunt, non esse resurrectionem, neque angelum, neque spiritum : Pharisæi autem utraque confitentur. **9.** Factus est autem clamor magnus. Et surgentes quidam Pharisæorum, pugnabant, dicentes : Nihil mali invenimus in homine isto : quid

turbulentiæ : est enim hoc signum, imo imago et principium seditionis et pugnæ. Ita Dionysius. Glossa vero Interlinearis censet hoc signum fuisse mœroris. *Quinto*, Sanchez, ut significent, inquit, Paulum a tribuno lapidibus esse obruendum quasi blasphemum et religionis contemptorem : nam in lapidationes vestis ponitur, et lapides mittuntur, cujus optima imago est ventilatio pulveris : erat enim Paulus in turba et intra templi ambitum, ubi lapidibus appeti non poterat. Pro iis ergo pulverem jactant, ut indicent se primos in eum missuros lapides, ubi id licebit, sicut ipso olim per suos fecerat in Stephanum, ipsomet hic narrante; ut quem persecutus est culpa, sequatur in pœna.

Moraliter : hæ furiæ Judæorum ipsosmet vexarunt, non Paulum. Nam, uti docet S. Augustinus in illud *Psal.* XCVI : *Ignis ante ipsum præcedet et inflammabit in circuitu inimicos ejus* : « Furor magis cruciat animum furentis, quam corpus patientis. » Et alibi : « Maledictum et maleficium patientia repercussum, in suum redit auctorem, illæso eo qui petebatur. » Porro Paulus amore cum furore certabat, perinde ac medicus conviciis et pugnis phrenetici non irritatur, sed magis ad commiserationem ejusque curationem incitatur. Scit enim eum esse phreneticum, id est sui impotem mentisque non sanæ, sed insanæ. Phrenesi ergo convicia tribuit, non homini.

24. JUSSIT TRIBUNUS INDUCI EUM IN CASTRA, — in arcem Antoniam, ubi erat præsidium Romanorum, uti dixi cap. præced., vers. 34. Consistebat enim Paulus in gradibus arcis, perorans ad populum interius ad gradus consistentem : inde ergo in arcem induci jubetur, ne populus tumultuans Paulum, et per Paulum forte arcem invadat.

ET FLAGELLIS CÆDI ET TORQUERI. — Syrus et Græca : *ut per flagra interrogaretur*, vel *examinaretur*. Injuste in Paulum hic agit tribunus : nec enim ob furorem populi tumultuantis licebat Paulum damnare ad torturam et flagra. Ita Chrysostomus. Unde recte Paulus excipit iisque se eximit. Nam, ut ait Lucas,

25. ET CUM ASTRINXISSENT EUM LORIS, — ad palum vel columnam, uti Christus columnæ alligatus est dum flagellaretur, quæ Romæ in templo S. Praxedis religiose servatur et visitur. S. Ignatius, uti refert Antonius a *Melissa*, part. II, serm. 89, dictitabat : « Dum cæderis, firmiter quasi incus stato. Generosi athletæ est cædi et vincere : maxime vero propter Deum omnia nobis patienda sunt, ut et ipse nos patiatur. » Ita Paulus stabat hic quasi incus pro Christo tundenda.

DIXIT ASTANTI (ἑστῶτι, id est *instanti*, *supra-stanti*, quasi qui torturæ et flagellationi Pauli præesset) SIBI CENTURIONI PAULUS : SI HOMINEM ROMANUM ET INDEMNATUM LICET VOBIS FLAGELLARE? — Duplex eis crimen objicit. Prius, quod civem Romanum; posterius, quod indemnatum velint flagellare. Vide dicta cap. XVI, vers. 37. Dixit hoc Paulus, non quod flagella pro Christo refugeret, qui in iis gloriabatur; sed ne probrum hoc in Christi fidem et religionem derivaretur, quasi Christiani flagellandi et exterminandi essent. Rursum tribuno consulebat, ne is hac iniquitate conscientiam læderet et Deum offenderet, simulque docuit judices, ne simplices et pauperes in gratiam potentum opprimant, memores eorum vindicem fore Deum judicem judicem. Nam, ut ait Psaltes : « Tibi derelictus est pauper, orphano tu eris adjutor. »

28. EGO MULTA SUMMA CIVILITATEM HANC CONSECUTUS SUM, — *q. d.* Ego multa pecunia jus civitatis Romanæ, sive ut haberer civis Romanus, comparavi et emi. Græcum πολιτεία et *civitatem* et *civilitatem* significat. Sicut enim a πόλις πολίτης, ita a civitate civis dicitur. Unde aliqui codices hic legunt *civitatem*, id est jus civitatis, jus civium. Sic Jurisconsulti dicunt aliquid fieri civiliter, id est jure civili, vel civico; item dari actionem civilem, petere officia civilia, etc. *Civilitas* ergo non significat hic urbanitatem et concinnitatem morum, quæ rusticitati opponitur; nec etiam socialem inter cives conversationem, vel administrationem reipublicæ, ut vult Beda; sed jus civitatis, quo quis particeps fiebat privilegiorum Romæ, sive prærogativarum quibus gaudebant cives Romani : inter quas erat una, ut verberibus cædi et in crucem agi non possent; qua de causa cum S. Petrus Romæ crucifixus est, S. Paulus, ut civis Romanus, non crucifixus, sed capite plexus est.

Porro jura et privilegia civium Romanorum erant multa et magna, quæ recenset Brissonius, lib. I *Antiq. juris civil.*, cap. XIII. *Primum* erat : Ex civium Romanorum testamentis soli cives capiebant, civiumque duntaxat Romæ rata habebantur testamenta. *Secundum* : Inter solos cives Romæ, justæ nuptiæ contrahebantur. Unde Seneca, lib. IV *De Benef.*, cap. XXXV : « Promisi, inquit, tibi filiam in matrimonium : postea peregrinus (ita vocabatur qui non erat civis) apparuisti; non est mihi cum extraneo connubium. » *Tertium* : in liberos habebant jus patriæ potestatis, hocque eis erat proprium. *Quartum* : Verberibus cædi cives, aut in crucem agi, aut injussu populi in eos animadverti fas non erat. *Quintum* : In legionibus non alii quam qui civitatem accepissent, militabant. *Sextum* : Solis civibus licebat honores Romæ gerere, suffragium ferre et toga uti : peregrinis enim fas non erat indui toga, sed pallio. Hominis enim Romani certissimum signum erat toga. Itaque apud Livium a Q. Fabio in invidiam P. Scipio eo nomine adducitur, quod in Sicilia palliatus fuisset. Hinc etiam regibus, quos amicos et socios appellabant, inter cætera togam muneri mittebant, et amicos populos jure togæ donabant, quod novæ Carthagini concessum



Tertullianus, lib. *De Pallio*, significat. Inde Togatæ Galliæ nomen, quam et ad honores aspirasse et suffragiorum jus in urbe habuisse, memorat Tacitus, lib. XI. Hæc Brissonius, qui et addit solis civibus Romanis prænominibus insigniri licuisse.

Moraliter, si tanti est, tantique emitur esse civem Romanum, quanti est esse civem cœli, quantoque pretio comparanda est civitas cœlestis, ut simus cives sanctorum et domestici Dei. Nam, ut ait Apostolus : « Accessistis ad Sion montem et civitatem Dei viventis, Jerusalem cœlestem et multorum millium angelorum frequentiam, et Ecclesiam primitivorum, qui conscripti sunt in cœlis, » etc. *Hebr.* XII, 23.

NATUS SUM, — non in urbe Romana, sed ex patre et patria civitate Romana donatis. Tarsus enim, ubi natus erat Paulus, hoc privilegium et jus civitatis Romanæ obtinuerat, uti innuit Plinius, lib. V, cap. XXVII, et Dio Cassius, lib. XLVII. Vide Baronium. De Paulo ergo, quasi cive suo, glorietur Roma et Romani, utpote quo illustriorem non habuit, nec habitura sit (1).

30. VOLENS SCIRE DILIGENTIUS, — τὸ ἀσφαλὲς, id est *certum scire volens* : ita Tigurina et alii.

SOLVIT EUM, — quasi civem Romanum honorans, et præcedentia vincula injuste ei injecta hac gratia et beneficio compensans. Si ita honoratur civis terræ, quomodo honorandus civis cœli? Si illum nemo impune lædit, quis hunc tangere audeat? « Nolite tangere Christos meos, » ait Deus *Psal.* CIV. Sic Deus punivit Pharaonem et totam Ægyptum, propter unam Saram, Abrahæ uxorem, ab eo abreptam, Gen. XII; et Abimelech regem, propter eamdem abductam, Gen. XX. Sichimitas delevit ob violatam Dinam, Gen. XXXIV. Tribum Benjamin pene abolevit ob illatum stuprum uxori Levitæ, *Judic.* XX.

PRODUCENS PAULUM, — καταγαγών, id est *demittens*, scilicet ex turri Antonia in locum concilii, qui erat inferior et in templo. Ibi enim erat locus Sanedrin, sive Concilii magni primorum Judææ, ut colligitur I *Paral.* XXVI, 15; voluit enim tribunus Paulum, utpote Judæum, in lite Judaica causam suam agere coram primis Judææ senatoribus, ita tamen ut ipse totam hanc actionem dirigeret et moderaretur, quasi concilii præfectus et præses, nomine Imperatoris Romani : unde et cap. seq. vers. 10, Paulum abripuit, ne ab eis occideretur. Quam ob causam verisimilius est concilium hoc, non solito loco in templo (illud enim tribuno, utpote Gentili, ingredi non licebat), sed in ima arce ab eo esse congregatum, ne Paulus a Judæis abriperetur et necaretur, uti paulo ante in templo factum et pene perfectum meminerat. Ita Sanchez.

(1) Vid. notat. supra, cap. XVI, vers. 37.

# CAPUT VIGESIMUM TERTIUM.

## SYNOPSIS CAPITIS.

*Paulus in concilio suam agere causam orsus, jubetur a Pontifice percuti. Cui ille* : Percutiet te Deus, paries dealbate. *Inde se esse Pharisæum proclamans, jaciensque pomum discordiæ inter Sadducæos et Pharisæos, ne occidatur, a tribuno abducitur. Apparet ei Christus, jubens esse constantem : oportere enim eum et Romæ prædicare. Mox, vers. 12, Judæi in Pauli necem conjurant : sed conjuratione detecta, Paulus a tribuno Cæsaream ad Felicem præsidem mittitur.*

1. Intendens autem in concilium Paulus ait : Viri fratres, ego omni conscientia bona conversatus sum ante Deum usque in hodiernum diem. 2. Princeps autem sacerdotum Ananias præcepit astantibus sibi percutere os ejus. 3. Tunc Paulus dixit ad eum : Percutiet te Deus, paries dealbate. Et tu sedens judicas me secundum legem, et contra legem jubes me percuti? 4. Et qui astabant, dixerunt : Summum sacerdotem Dei maledicis? 5. Dixit autem Paulus : Nesciebam, fratres, quia princeps est sacerdotum. Scriptum est enim : Principem populi tui non maledices. 6. Sciens autem Paulus, quia una pars esset Sadducæorum, et altera Pharisæorum, exclamavit in concilio : Viri fratres, ego Pharisæus sum, filius Pharisæorum, de spe et resurrectione mortuorum ego judicor. 7. Et cum hæc dixisset facta est dissensio inter Pharisæos et Sadducæos, et soluta est multitudo. 8. Sadducæi enim dicunt, non esse resurrectionem, neque angelum, neque spiritum : Pharisæi autem utraque confitentur. 9. Factus est autem clamor magnus. Et surgentes quidam Pharisæorum, pugnabant, dicentes : Nihil mali invenimus in homine isto : quid

ALERE FLAMMAM VERITATIS
UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

si Spiritus locutus est ei, aut angelus? 10. Et cum magna dissensio facta esset, timens tribunus ne discerperetur Paulus ab ipsis, jussit milites descendere, et rapere eum de medio eorum, ac deducere eum in castra. 11. Sequenti autem nocte assistens ei Dominus, ait : Constans esto : sicut enim testificatus es de me in Jerusalem, sic te oportet et Romæ testificari. 12. Facta autem die collegerunt se quidam ex Judæis, et devoverunt se dicentes, neque manducaturos, neque bibituros, donec occiderent Paulum. 13. Erant autem plus quam quadraginta viri, qui hanc conjurationem fecerant. 14. Qui accesserunt ad Principes sacerdotum, et Seniores, et dixerunt : Devotione devovimus nos nihil gustaturos, donec occidamus Paulum. 15. Nunc ergo vos notum facite tribuno cum concilio, ut producat illum ad vos, tanquam aliquid certius cognituri de eo. Nos vero prius quam appropiet, parati sumus interficere illum. 16. Quod cum audisset filius sororis Pauli insidias, venit, et intravit in castra, nuntiavitque Paulo. 17. Vocans autem Paulus ad se unum ex centurionibus, ait : Adolescentem hunc perduc ad tribunum, habet enim aliquid indicare illi. 18. Et ille quidem assumens eum, duxit ad tribunum, et ait : Vinctus Paulus rogavit me hunc adolescentem perducere ad te, habentem aliquid loqui tibi. 19. Apprehendens autem Tribunus manum illius, secessit cum eo seorsum, et interrogavit illum : Quid est, quod habes indicare mihi? 20. Ille autem dixit : Judæis convenit rogare te, ut crastina die producas Paulum in concilium, quasi aliquid certius inquisituri sint de illo : 21. tu vero ne credideris illis, insidiantur enim ei ex eis viri amplius quam quadraginta, qui se devoverunt non manducare, neque bibere, donec interficiant eum : et nunc parati sunt exspectantes promissum tuum. 22. Tribunus igitur dimisit adolescentem, præcipiens ne cui loqueretur quoniam hæc nota sibi fecisset. 23. Et vocatis duobus centurionibus, dixit illis : Parate milites ducentos, ut eant usque Cæsaream, et equites septuaginta et lancearios ducentos, a tertia hora noctis : 24. et jumenta præparate, ut imponentes Paulum, salvum perducerent ad Felicem præsidem; 25. (Timuit enim ne forte raperent eum Judæi, et occiderent, et ipse postea calumniam sustineret, tanquam accepturus pecuniam) 26. scribens epistolam continentem hæc : Claudius Lysias optimo præsidi Felici, salutem. 27. Virum hunc comprehensum a Judæis, et incipientem interfici ab eis, superveniens cum exercitu eripui, cognito quia Romanus est : 28. volensque scire causam quam objiciebant illi, deduxi eum in concilium eorum. 29. Quem inveni accusari de quæstionibus legis ipsorum, nihil vero dignum morte aut vinculis habentem criminis. 30. Et cum mihi perlatum esset de insidiis, quas paraverant illi, misi eum ad te, denuntians et accusatoribus ut dicant apud te. Vale. 31. Milites ergo secundum præceptum sibi assumentes Paulum, duxerunt per noctem in Antipatridem. 32. Et postera die dimissis equitibus ut cum eo irent, reversi sunt ad castra. 33. Qui cum venissent Cæsaream, et tradidissent epistolam præsidi, statuerunt ante illum et Paulum. 34. Cum legisset autem, et interrogasset de qua provincia esset, et cognoscens quia de Cilicia : 35. Audiam te, inquit, cum accusatores tui venerint. Jussitque in prætorio Herodis custodiri eum.

1. Intendens autem in concilium Paulus, — ἀτενίσας, id est *figens oculos, fixisque oculis concilium intuens*. Hæc vox notat Pauli *primo*, confidentiam; *secundo*, innocentiam, quod ipse sibi optime conscius esset; *tertio*, libertatem; *quarto*, prudentiam et prudentum circumspectionem, ut se suamque orationem et gestum auditorum, puta hostium suorum, mentibus et auribus attemperaret; *quinto*, animositatem; *sexto*, benevolentiam. Solent enim oratores hilari vultu intuentes in cœtum populi, vel judicum, eum sibi conciliare : maxima enim vis dicendi consistit in obtutu et ardore oculorum. Hos ergo in Paulo, æque ac Stephano, inhabitans acuebat et accendebat Spiritus Sanctus, ut scintillas divinæ sapientiæ et amoris vibrare viderentur. Unde et vultus obtutusque Stephani erant instar angeli, *Act.* VI, 15. Quin et Augustus Cæsar naturali oculorum fulgore percellebat intuentes. Nam, ut in ejus Vita scribit Suetonius, cap. LXXIX : « Oculos habuit claros ac nitidos : quibus etiam existimari volebat inesse quiddam divini vigoris, gaudebatque si quis sibi acrius



contuenti, quasi ad fulgorem solis vultum submitteret. » Sic et Tiberii Imperatoris oculos lucem evibrasse, idem testatur in ejus Vita, cap. LXVIII. Hinc Varro oculos dictos censuit, quod eos tegminibus superciliorum Deus occuluit. Aut, quod occulta cordis pandant; nam, ut ait Demosthenes : « Oculi morum sunt indices. »

Viri fratres. — Non addit *et patres*, uti addidit XXII, 1, sive quia dicendi libertas animusque ei in vinculis accreverat, sive quia orationem convertit ad Pharisæos, quos in secta similes, compellatione fratrum sibi conciliare satagebat, uti revera eos sibi conciliavit, vers. 9.

Ego in omni conscientia bona conversatus sum ante Deum, — tum in Christianismo, tum suo quodam modo in Judaismo : in eo enim æmulator fui legis Mosi a Deo datæ, in eoque secutus sum conscientiam meam, licet errantem. Hæc enim mihi dictabat persequendos esse Christianos, ut Judaismus stabiliretur. Fuit ergo hæc conscientia Pauli bona, id est sincera, sine adulatione et hypocrisi, ait Vatablus. *Secundo*, bona ex objecto et fine bono : quia intendebat propugnare legem Deique cultum; sed non secundum scientiam, ideoque ignorans et errans. Denique fuit bona civiliter et politice respectu Judæorum et judicum, qui putabant Judaismum esse bonum, Christianismum malum. Sensus ergo est, *q. d.* Non sum mihi conscius, quod in Christianismo, multo minus in Judaismo, vos læserim; quod quidquam mali vobis vestræque legi irrogarim, ac proinde nihil dignum hisce vinculis commisi, inquit Chrysostomus. Sic et Dionysius et Cajetanus.

Nota : Pro *conversatus sum ante Deum*, græce est πεπολίτευμαι τῷ Θεῷ, quod *primo* Vatablus vertit, *gessi quæ Dei erant. Secundo*, Gagneius, *munere meo functus sum Deo*, id est munere mihi a Deo commisso, juxta ejus voluntatem, rite ad ejusdem gloriam perfunctus sum. Nam, ut ait Budæus in *Comment. linguæ Græcæ*, πολιτεύεσθαι, non cives, sed magistratus respicit, significatque officium sibi concreditum administrare. Munus hoc in Paulo erat apostolatus et prædicatio Evangelii, sicut in Judaismo erat cura et propugnatio legis Mosaicæ; utrumque suo tempore fideliter et strenue peregit.

2. Princeps autem sacerdotum Ananias. — Incertum est, quis sit hic Ananias. Aliqui putant esse Annam, socerum Caiphæ, ad quem primo ductus est Christus, captus et vinctus, *Joan.* XVIII, 13. Favet quod Paulus, cap. XXII, 5, innuit ab hoc pontifice sibi olim ante annos 24, datas esse litteras ad persequendum Christianos. Si ita est, utique annosus fuit Annas 70 vel 80 annorum. Alii forte probabilius putant Ananiam esse Ananum, ultimum Annæ jam dicti filium. Habuit enim Annas quinque filios omnesque ex ordine vidit pontifices : ultimus eorum fuit Ananus, qui post quinque annos, puta anno Christi 63, occidit Jacobum, fratrem Domini, ideoque ita displicuit populo et Agrippæ regi, ut eum pontificatu privarit. Favet quod hic Ananus fuerit audax, sævus, ferus et secta Sadducæus, teste Josepho, lib. XX *Antiq.*, cap. VIII. *Tertio*, Sigonius, lib. V *De Republ. Hebr.*, cap. I, Ananiam hunc, Nebedæi filium, ab Agrippa rege Chalcidiæ Pontificem datum et remotum scribit, de quo Josephus, lib. XX, cap. III (1). *Quarto* alii censent Ananiam alio nomine dictum fuisse Ismaelem, Phabæi filium : hunc enim ultimis annis Felicis præsidis, ad quem Paulus vinctus missus est, pontificatum gessisse docet Josephus, lib. XX, cap. VI; licet Baronius et alii censeant errare hic Josephum.

Præcepit astantibus sibi percutere os ejus. — Cur? Respondeo : *Primo*, quia plenus erat malevolentia, felle et odio Christi et Pauli, quasi hostium sui Judaismi et Pontificatus, præsertim quia paulo ante totus populus contra Paulum, quasi gentis suæ proditorem, succlamarat : Tolle eum, cap. XXII, vers. 22. Quare non sustinet audire Pauli vocem, præsertim qua suam innocentiam suamque conversationem bonam protestatur : jubet ergo os ejus, quasi impium et blasphemum ignominiose percuti et obturari, uti olim Martyrum multorum ora, ob dicendi et increpandi libertatem, a præsidibus jussa sunt verberari et obturari, quod sua dicta et edicta suosque deos spernerent. Hoc enim illi sibi contumeliosum et diis blasphemum interpretabantur : ora ergo eorum quasi blasphema, rebellia, contumacia et maledica verberando et obturando puniebant. Unde *secundo*, Dionysium censet Pontificem hunc, superbia inflatum, non tulisse libertatem Pauli, præsertim quod se omnesque Pontifices vocasset fratres, non patres et dominos, ac proinde debitum sibi honorem demisse salutando non detulisset. Putabat impius Pontifex Paulum ex percussione territum cessaturum : e contra, Paulus vel ipsa voce indicat se in eadem fortitudine permansurum. Adversa enim pati, non semper est virtutis : multi enim ex pusillanimitate patiuntur, non audentes resistere; Christiana autem patientia conjunctam habet animi fortitudinem, juxta illud : « Tu ne cede malis, sed contra audentior ito. »

3. Percutiet te Deus, paries dealbate. — Sic vocat eum, quod esset hypocrita : ita ut nomine

(1) Ita et Kuinoelius, cujus verba hæc sunt : « Intelligendus est haud dubie Ananias, Nebedæi filius (Joseph., *Antiq.* XX, v, 2), qui Quadrato, Syriæ præside, antecessore Felicis, pontificatu functus erat. A Quadrato Romam vinctus missus fuit; sed Agrippa juniore pro eo intercedente, absolutus Hierosolymam reversus est. Neque tamen Ananias iterum pontificatum accepit. Nam Felice, procuratore Judææ, pontificatum gessit Jonathan; Jonathane autem per Felicis fraudem in templo a sicariis interfecto, vacuus mansit locus, usque dum Agrippa rex Ismaelem muneri præficeret (Joseph., *Antiq.* XX, VIII, 5). Eo tempore quo locus vacuus erat, evenerunt ea quæ h. l. leguntur. Ananias ergo tunc temporis non pontificatum gerebat, sed hanc dignitatem usurpabat. »

et stola Pontificia forinsecus micaret, intrinsecus lutais concupiscentiis, livore et odio sorderet, ait S. Augustinus, lib. *De Mendacio*, cap. xv. Dixit hoc Paulus auctoritate Apostolica, ex zelo justitiæ intentans, et prædicens injusto judici justam Dei ultionem et plagam, præsertim ut eorum tribuno, qui eum a flagris exemerat, suum jus et decus tueretur. Ita S. Chrysostomus et Œcumenius. Mystice S. Augustinus, lib. I *De Serm. Dom. in monte*, cap. xix, docet hanc Pauli vocem non tam contumeliam sonare quam prophetiam, ut illi qui saperent, intelligerent destruendum esse per adventum Christi parietem dealbatum, hoc est, hypocrisin sacerdotii Judæorum. Minus probabiliter S. Hieronymus, lib. III *Contra Pelag.*, agnoscit hic lapsum Pauli ex infirmitate humana, quod non tam clementer responderit ac Christus dicens danti sibi alapam : « Si male locutus sum, testimonium perhibe de malo : si autem bene, quid me cædis? » Paulum enim sedate hæc dixisse, liquet ex eo quod mox tam mansuete responderit, dicens : « Nesciebam quia Princeps est sacerdotum. » Hoc enim tam cito ab indignantibus et perturbatis fieri non potest, ait S. Augustinus, lib. *De Serm. Dom. in monte*, cap. xix. Aliqui pro *percutiet*, ut habent Romana et Græca, legunt *percutiat* optative, ut sit maledictum, hoc est, mali non tantum prædictio et comminatio, sed et imprecatio, quam Paulus in se agnoscere videtur vers. 5. Et sæpe apud Hebræos est enallage modi, ut futurum ponatur pro optativo, optativum pro futuro vel indicat vo, uti docet S. Augustinus in *Psal.* lxxviii, et S. Hieronymus in *Psal.* xi.

Porro paries dealbatus, vel incrustatus, est parœmia, significans hominem fictum et fucatum. Sic Christus Scribas vocat sepulcra dealbata, quæ foris apparent pulchra, intus autem referta sunt ossibus cadaverum, omnique spurcitia. Sic Seneca asserit Philosophos, qui cum docerent honesta, turpiter tamen viverent, similes esse quorumdam pharmacopœorum pyxidulis, quarum tituli remedium pollicentur, cum intus venenum occultarent. Ex adverso qui meliores sunt intus, quam fronte et sermone præ se ferunt, hos Plato, in *Convivio Socratis*, assimilabat silenis Alcibiadis. Sileni erant imagunculæ sectiles, quæ clausæ ridiculam et monstrosam tibicinis speciem habebant, apertæ subito numen ostendebant. Talis, inquit, erat Socrates, quem si de summa cute vidisses, non æstimasses asse : facies enim erat rusticana, taurinus aspectus, nares simæ et stillantes, cultus neglectus, sermo simplex et plebeius, fortuna tenuis, uxor vilis et maledica : rogatus quid sciret, respondit se nihil scire. Et tamen hic mentem habebat sapientia et virtute illustrem, adeo ut Apollinis oraculo mortalium sapientissimus sit indigitatus. Tales Sileni potius fuere Apostoli, illiterati, rudes, pauperes, ignobiles, imbecilles foris, sed intus Spiritu Sancto ejusque charismatibus pleni ; item Anachoretæ, Silentiarii, similesque Sancti, juxta illud *Col.* iii, 3 : « Mortui estis, et vita vestra abscondita est cum Christo in Deo. » Vide ibi dicta. Hypocritæ ergo et impii sunt parietes et sepulcra dealbata, simplices vero et Sancti sunt basilicæ denigratæ, et templa atrata. Sic Lucianus, in *Gallo*, regum principumque pompas comparat idolo quod exterius aureum est, coronatum sceptroque insignitum, intus interim plerumque araneis et muribus. Vita enim regum forinsecus splendida, intus amara est, puta plena curis, suspicionibus, molestiis, ærumnis.

Moraliter S. Gregorius, lib. VII *Moral.*, cap. xv, notat miram fuisse Pauli aliorumque Prophetarum et Apostolorum animi, licet exterius oppressi, celsitudinem, indeque di endi et principes redarguendi libertatem. « Nam, ait, super se interius rapti, in alto animum figunt, quæque in hac vita patiuntur, quasi longe infra labentia, atque a se aliena conspiciunt, atque, ut ita dixerim, dum mente extra carnem fieri decertant, pene ipsa quæ tolerant, ignorant. In horum profecto oculis quidquid temporaliter eminet, altum non est : nam velut in magni vertice montis siti, præsentis vitæ gaudia plene despiciunt : seque ipsos per spiritualem celsitudinem transcendentes subjecta sibimet intus vident, quæcumque per carnalem gloriam foris tument. Unde et nullis contra veritatem potestatibus parcunt, sed quos attolli per elationem conspiciunt, per spiritus auctoritatem premunt. Hinc est quod Moyses ait ad Pharaonem : Hæc dicit Dominus : Usquequo non vis subjici mihi? Et Nathan ad David : Tu es ille vir, qui fecisti hanc rem. Et Elias ad Achab : Non ego turbavi Israel, sed tu et domus patris tui. Et Eliseus ad Joram regem : Quid mihi et tibi est? Vade ad Prophetas patris tui. Et Petrus ad principes : Si justum est in conspectu Dei vos potius audire quam Deum, judicate. Non enim possumus quæ vidimus et audivimus non loqui. Et Paulus ad Pontificem : Percutiet te Deus, paries dealbate. Et Stephanus ad Judæos : Dura cervice et incircumcisi corde et auribus, vos semper Spiritui Sancto resistitis. Sed quia sancti viri ad verba tantæ altitudinis zelo veritatis, non autem vitio elationis exiliunt, ipsi patenter indicant, qui suam humilitatem et charitatem manifestant. » Id deinde per singulos ostendit, ac nominatim in Paulo, ex eo quod dicit : « Non enim nosmetipsos prædicamus, sed Dominum nostrum Jesum Christum, nos autem servos vestros per Jesum, » II *Cor.* iv.

Et contra legem jubes me percuti. — Lex enim naturæ divina et humana jubet, neminem percuti aut puniri, nisi prius audiatur, auditusque damnetur ; at ego necdum auditus, multo minus damnatus sum ; quia ergo tu injuste jubes me percuti, juste puniet et percutiet te Deus. S. Chrysostomus ait Pontificem hoc Pauli tam justo responso, quasi fulmine ictum obstupuisse, et elinguem ac semimortuum ne verbum quidem respondere potuisse : unde alios astantes id pro ipso fecisse ac dixisse.

4. Summum sacerdotem Dei maledicis? — λοιδορεῖς, id est *convicieris*. Ita Tigurina. S. Cyprianus legit, lib. I, epist. 3 *ad Cornelium* : « Sic insilis in sacerdotem Dei maledicendo? » Maledictum ergo hic vocatur convicium, scilicet quod Paulus Pontificem vocarit parietem dealbatum. Potest secundo maledictum accipi pro mali imprecatione, scilicet si legas vel intelligas per optativum, hoc modo : « Percutiat te Deus, » uti jam dixi, *q. d.* Maledicis, id est malum non tantum prædicis, sed et precaris, latentas et comminaris summo Pontifici.

5. Nesciebam, fratres, quia Princeps est sacerdotum. — Potuisset Paulus regerere : Pontifex me non tractat ut civem, nec ego tracto eum ut Pontificem ; hypocritam et scurram agit, hypocrita et scurra audit, juxta illud S. Hieronymi *ad Nepot.* : « Scitum est istud Domitii : Cur ego habeam te ut principem, cum tu non habeas me ut senatorem? » Et illud Crassi, apud Ciceronem, lib. III *De Orat.*, dicentis, « non esse sibi consulem, cui ipse non esset senator. » Et illud S. Hieronymi, epist. 62 *ad Theophilum*, contra errores Joannis Hierosolymitani Episcopi : « Aut quasi Pontifex cunctis æqualiter imperet, aut quasi imitator Apostoli universorum saluti ex æquo serviat : si talem se præbuerit, ultro præbemus manus. Sentiat in Christo, sicut omnibus Sanctis, ita et nos sibi esse subjectos, etc. Sed contenti sint honore suo : patres se sciant esse, non dominos, maxime apud eos qui, spretis ambitionibus sæculi, nihil quieti et otio præferunt. » Sed noluit id dicere Paulus, voluitque modestiæ et reverentiæ erga Prælatos, etiam impios et tyrannos, publicum tam præsentibus quam posteris dare exemplum, ne Judæi eum ut arrogantem criminarentur acriusque in eum concitarentur, et furibundis animis et manibus in eum insilirent.

Unde S. Cyprianus, lib. I, epist. 3 *ad Cornelium*, quæ in editione Pamelii est 55 : « Si ita, ait, Paulus reveritus est Pontificem, qui tantum inane nomen et umbram Pontificis gerebat, quomodo reverendi sunt Pontifices Catholici et Romani, quibus sacerdotalis auctoritas et potestas de divina dignatione firmatur? Neque enim aliunde hæreses obortæ sunt, aut nata sunt schismata, quam inde, quod sacerdoti Dei non obtemperatur, nec unus in Ecclesia ad tempus sacerdos, et ad tempus judex vice Christi cogitatur : cui si secundum magisteria divina obtemperaret fraternitas universa, nemo adversum sacerdotum collegium quidquam moveret, nemo post divinum judicium, post populi suffragium, post coepiscoporum consensum, judicem se jam non Episcopi et Dei faceret : nemo dissidio unitatis Christi Ecclesiam scinderet ; nemo sibi placens ac tumens, seorsim foris hæresim conderet. » Perstringit Novatum et Novatianum contra Cornelium et Ecclesiam insurgentes : ruminent hoc Novatores.



Quæres : Quomodo Paulus in Jerusalem eruditus et versatissimus, non agnovit summum Pontificem, præsertim ex ipso sedendi ordine? Sedebat enim primus in solio augustiore. Respondet *primo*, Œcumenius, Paulum eum agnovisse, sed ignorationem simulasse ob ædificationem astantium. Verum sic mentitus esset Paulus, dicendo : « Nesciebam, fratres, quia Princeps est sacerdotum. » *Secundo*, Beda : Nesciebam, inquit, eum esse Pontificem, eo quod per Evangelium jam cessasset sacerdotium Mosaicum ; et tamen ita se corrigit Paulus, quasi peccasset, ut alios doceret reverentiam deberi iis in quorum potestate sumus. Sic et S. Augustinus, lib. I *De Serm. Domini in monte*, cap. xix, *q. d.* Ego non alium agnosco Pontificem quam Christum, cui maledicere fas non est : et vos tamen maledicitis, cum in me nihil aliud quam ejus odistis nomen. Unde idem, epist. 5 *ad Marcellinum*, et ex eo Lorinus censet Paulum hic ironice et irrisorie loqui, quasi dicat : Nesciebam eum esse Pontificem, quia ex modo loquendi furioso non videtur esse pontifex, sed tyrannus. Verum prius esto sit verum, potius tamen argutum et mysticum videtur, quam genuinum et litterale ; posterius non satis simplicitati et candori Pauli respondet. Sed ad hoc commode responderi posset, Paulum prudenter cum vulpibus vulpinari, nimirum cum versutis versute agere, ac callidis et irrisoribus callide et irrisorie respondere, juxta illud *Psalm.* cxvii, 27 : « Cum electo electus eris, et cum perverso perverteris, » pro quo Genebrardus et Tigurina vertunt : *Cum candidis candide ages, et cum versutis versute* : hoc enim significat hebr. תתפתל *titpattal*. Et illud : « Responde stulto juxta stultitiam suam, » *Prov.* xxvi, 5. Quare hic sensus argutus et acer, moribus Pauli non indignus, imo ejus genio et ingenio ameno et versatili congruus videtur et appositus. Scitum est illud, quod apud Plutarchum in *Vita Syllæ*, Carbo dixisse memoratur. Cum enim Sylla, non solum aperto Marte, sed et dolis bellum gereret, ait : « Bellum gero cum vulpe et leone (quorum utrumque habitabat in animo Syllæ), sed a vulpe vehementius angor. » Et illud Lysandri apud eumdem : « Si leonina pellis non satis est, vulpina addenda : » quo significabat bellum magis stratagemate quam aperta vi conficiendum. Nam, ut ait Virgilius, « Dolus an virtus, quis in hoste requirat? » *Tertio*, Baronius respondet, præter summum Pontificem, fuisse alium ordine secundum cæteris præpositum, qui princeps sacerdotum dicebatur, huncque ex adverso summi Pontificis latere sedisse primum, ita ut Paulus dubitaverit uter esset summus Pontifex. Verum de hoc secundo Pontifice nihil uspiam legimus : primogeniti enim familiarum sacerdotalium erant Pontifices, inter se æquales, quibus solus præerat summus Pontifex. *Quarto*, simplicius respondet

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

Chrysostomus, Lyranus et Dionysius, Paulum non agnovisse Pontificem, quia diutius Hierosolyma abfuerat, et novus erat hic pontifex, ac multis astantibus cingebatur. Addit Sanchez et alii, Paulum audisse vocem Pontificis, sed præ turba nescisse a quo vox esset emissa, præsertim quia concilium hoc coactum videtur non in loco ordinario, puta in templo, sed in arce Antonia, ubi tumultuarie et confuse sedebatur, ac proinde summus Pontifex non considebat in solio, sed in sede aut scamno, mixtus aliis pontificibus et judicibus (1).

Principem populi tui non maledices, — non detrahes, non conviciaberis, non vilipendes : hoc enim est Hebr. קלל *kalal*. Vide dicta *Exod.* xxii, 28. Ita S. Cyprianus, lib. IV, epist. 9 *ad Florentium*, asserit se in visione hanc vocem a Deo audisse : « Qui Christo non credit sacerdotem facienti, postea credere incipiet sacerdotem vindicanti. »

6. Sadducæorum. — « Quod genus est omnium Judæorum in judicando crudelissimum, » ait Josephus, lib. XX *Antiq.*, cap. viii, ubi et addit Ananiam (quem multi volunt esse hunc Ananiam) pontificem fuisse Sadducæum.

Ego Pharisæus sum. — Hæc enim erat secta Judæorum melior et honoratior : credebat enim animæ immortalitatem, abstinebat deliciis, vacabat legi et sapientiæ. Hoc est pomum discordiæ, quod prudenter jacit Paulus inter Pharisæos et Sadducæos, ut eos inter se committat : utrique enim in necem Pauli inique conspirabant, ac proinde causam ejus, non ut æqui judices indagabant, sed ut testes furiosi præcipitabant. Melius ergo erat eos inter se divisos contendere, quam unanimiter veritatem impugnare. Quocirca pie et prudenter impiam eorum concordiam, serendo schisma, rumpit Paulus, ut per hoc utraque pars eo infirmior ad malum perpetrandum reddatur, quo validius inter se dissidet et disceptat.

Nota : Discordiam inter cives serere impium est. Quare impium est axioma politicum Machiavelli : « Si vis regnare, divide. » Hoc enim non est principis, sed tyranni. Verum si hostes et impii inter se inique in malum meum vel reipublicæ, puta in seditione, hæresi, impietate aliove scelere conspirent, licet inter eos dissensionem serere, imo hoc unicum est medium impiam factionem et conspirationem dissolvendi, uti docet S. Thomas, II II, *Quæst.* XXXVII, art. 1, ad 2. Et S. Gregorius, lib. XXXIV *Moral.*, cap. iv : Noxia, ait, est malorum unitas, ideoque scindenda, juxta illud *Psalm.* liv, 10 : « Præcipita, Domine, et divide linguas eorum. » Sic Deus divisit linguas fabrorum Babel, itaque insanam eorum fabricam et turrim discussit. Sic divisit impiam unionem Abimelech fratricidæ cum Sichimitis, *Judic.* ix, cap. xxiv. Sic divisit Roboam et Jeroboam, sive Juda ab Israel, III *Reg.* xii. Sic Cato, teste Plutarcho in ejus Vita, serebat dissentiunculas inter servos, ne in furta aliave heri damna conspirarent. Idem patet in hæreticis : hi enim quasi vulpes Samsonis caudis conspirant incenduntque Ecclesiam, capite vero abeunt in diversa : quocirca discordia et « bellum hæreticorum est pax Ecclesiæ. » Id sapienter vidit et edixit Cardinalis Hosius, magni illius Hosii Cordubensis in fide tuenda æmulus. Cum enim in Polonicis comitiis, Cracoviæ Lutherani et Calvinistæ urgerent, ut Trideistæ et Anabaptistæ regno pellerentur, restitit Hosius : « Comedant, ait, potius invicem, ut consumantur ab invicem : bellum enim hæreticorum pax est Ecclesiæ. Aut simul omnes qui ab Ecclesia discesserunt proscribantur, aut simul omnes tolerentur. Veritas enim falsitatem, non falsitas pellere debet veritatem. Solos enim Trideistas et Anabaptistas ejicere, est Lutheristas et Calvinistas canonizare, eorumque potentiam augere et audaciam nutrire. Si libet insanire, hanc potius dominatam impii Trideistæ Gregorii perfidiam recipite, et Polonicam quoque fidiculam appellate : vel si vultis ad perfectionem Lutherani Evangelii citius et sine molestia pervenire, universæ fidei Christianæ simul abrenuntiate, et dicite : Edamus, bibamus, cras enim moriemur. Quorsum enim tot ambages? quorsum istæ tot circumitiones? Lutherani Evangelii perfectio, atheismus est et epicureismus. Nec enim aliud Satanæ propositum fuit, dum Lutherum ab inferis suscitavit, quam ut per eum fidem in Deum ex animis mortalium extirparet. Sed noluit statim cornua sua prodere, ne homines rei turpitudine illico ab eo absterreret. Tam est anathema, tam ethnicus et publicanus, qui Ecclesiam in multis, quam qui in paucis non audit : sicut tam mergitur qui palmo aquæ, quam qui abysso maris contegitur. Hinc ille impostor nequissimus librum edidit de tribus orbis impostoribus, Mose, Christo et Mahometo. Ita a parvis initiis ad summum impietatis gradum ascenditur. Si de regni pace laboratur, primi expellendi sunt Lutherani et Calvinistæ. Ili enim in Gallia, Anglia, Germania, bella civilia suscitarunt. Et ex his nati sunt Trideistæ et Anabaptistæ. Semina hæc bellorum et motuum extirpanda sunt. Dolemus pacem Ecclesiæ scissam? scidit Lutherus. Dolemus templa diruta, incensa, profanata, monasteria eversa, agros, pagos, urbes vastatas? diruit, evertit, vastavit Lutherus. Dolemus bella civilia suscitata? suscitavit Lutherus. Desideramus Moros, Roffenses, Carthusianos? eripuit Lutherus. » Vide Stanislaum Rescium in *Vita Hosii*, lib. II, cap. xxi.

(1) Wetstenius : Nesciebam, id est non cogitavi, non satis attente consideravi, q. d. Parcite, quæso, fratres, justæ nostræ indignationi, si æstuantis animi impetu abreptus, liberius aliquid elocutus fuerim, quam oportuit, immemor illius et personæ, et officii mei. Juxta alios, acerba inest ironia; nam, ut supra notavimus, vers. 2, Ananias pontificalem dignitatem sibi arrogaverat : mens igitur Pauli est hæc : Nesciebam pontificem adesse ibi, ubi judices tantum adsunt, ut secundum leges de reo judicent, ut ipsi legibus invitis verberari civem jubeant. Ita Allioli et Bornemannus.



De spe et resurrectione mortuorum ego judicor. — Aliqui distinguunt *spem* a *resurrectione*, quod spes respiciat felicitatem alterius vitæ, cujus objectum est Deus, Deique visio et fruitio; resurrectio vero significet statum corporum denuo copulandorum, tam damnatorum, quam beatorum. Alii per *spem* accipiunt rem speratam, puta Christum Judæis promissum, quem proinde Paulus, *Act.* xxviii, 20, vocet « spem Israel, » dicens : « Propter spem Israel catena hac circumdatus sum. » Simplicius et germanius Syrus hæc duo conjungit, sicque per hendiadyn vertit et explicat : *De spe resurrectionis mortuorum ego judicor*. Spes enim Christianorum non est alia quam resurrectio mortuorum, ut ait Tertullianus. Nec enim Judæi litem movebant Paulo de spe felicitatis æternæ, sed de resurrectione Christi et Christianorum. Unde et Vatablus sic explicat, *q. d. Propterea accusor, quod defendam et asseram sperandam esse omnium resurrectionem* : Judæi enim et præsertim Sadducæi negantes resurrectionem, quorum caput est Ananias Pontifex, me persequuntur, quod doceam Christum, quem ipsi occiderunt, ut eum extinguerent ejusque nomen et sectam abolerent, resurrexisse, ac rediturum ad judicium, ut sit eorum omniumque judex et vindex, atque ab eo expectandam esse resurrectionem nostram, non a Moyse, non a lege, vel aliunde. Ergo non mentitur hic Paulus, sed tacet ea quæ supplevi; quæ prudenter tali loco et tempore tacenda erant. Ts ergo *mortuorum*, intellige Christi et Christianorum, qui ex morte et per mortem sperant transire ad resurrectionem et immortalitatem. Impertinens ergo est Hugonis expositio, quæ talis est : « Mortuorum, » id est pro mortuis qui sunt in Purgatorio aut cœlo : nec enim hac de re quæstio erat inter Judæos et Paulum. Rursum qui sunt in cœlo, non habent spem, sed rem et certitudinem tam felicitatis æternæ, quam resurrectionis æternandæ.

Judicor. — Græce κρίνομαι : quod aliqui accipiunt pro διακρίνομαι, id est *secernor*, *separor*, quasi Pharisæus credens resurrectionem, a Sadducæis eam negantibus; de qua expositione aliisque multa habet hic Sanchez. Verum plane et genuine vertit Syrus, *in judicium vocor*; Vatablus, *accusor*; alii, *condemnor*, et inauditus, quasi præjudicio damnatus, verberor. Nota hic rursum libertatem et animum Pauli in vinculis, inter medios hostes, eosque judices. Quare ei vere applices elogia, quibus Celerinum confessorem celebrat S. Cyprianus, lib. IV, epist. 5 *ad Presbyteros, Diaconos et plebem* : « Hic ad temporis nostri prælium primus, hic inter Christi milites antesignanus, hic inter persecutionis initia fervertia cum ipso infestationis principe et auctore congressus, dum inexpugnabili firmitate certaminis sui adversarium vincit, vincendi cæteris viam fecit : non brevi compendio vulnerum victor, sed adhærentibus diu et permanentibus pœnis longæ colluctationis miraculo triomphator. Per decem et novem dies custodia carceris septus, in nervo ac ferro fuit; sed posito in vinculis corpore, solutus ac liber spiritus mansit. Caro famis ac sitis diuturnitate contabuit, sed animam fide et virtute viventem nutrimentis spiritualibus Deus pavit. Jacuit inter pœnas pœnis suis fortior, inclusus includentibus major, jacens stantibus celsior, vincientibus firmior vinctus, sublimior judicantibus judicatus; et quamvis ligati nervo pedes essent, calcatus serpens, et obtritus et victus est. Lucent in corpore glorioso clara vulnerum signa, eminent et apparent in nervis hominis, membris longa tabe consumptis expressa vestigia. Sunt magna, sunt mira, quæ de virtutibus ejus ac laudibus fraternitas audiat. »

Idem, lib. V, epist. 9 *ad Successum* : « Hæc peto, ait, per vos et collegis vestris innotescant, ut hortatu eorum possit fraternitas corroborari et ad agonem spiritualem præparari, ut singuli ex nostris non magis mortem cogitent, quam immortalitatem; et plena fide ac tota virtute Domino dicata gaudeant magis quam timeant in hac confessione, in qua sciunt Dei et Christi milites non perimi, sed coronari. »

7. Et soluta est multitudo, — discedendo, non domum, sed in varias sententias et factiones. Græce enim est ἐσχίσθη (Noster legit ἐλύθη, id est *soluta est*) πλῆθος, id est *dissecta est multitudo*. Ita Tigurina; Syrus, *divisus est populus*.

8. Sadducæi enim dicunt non esse resurrectionem. — Unde contra illos eamdem probat Christus *Matth.* xxii, 23 et 32, ex illo *Exodi* iii, 15 : « Ego sum Deus Abraham, Deus Isaac, et Deus Jacob : non enim est Deus mortuorum, sed viventium. »

Neque angelum, neque spiritum. — Ergo Sadducæi negarunt : *primo*, animam rationalem esse spiritualem et immortalem; *secundo*, esse dæmones; *tertio*, esse Spiritum Sanctum : ita Nazianzenus, *orat.* 5, quæ est de Spiritu Sancto; *quarto*, S. Trinitatem; generatio enim Verbi est spiritualis, fitque in spiritu; *quinto*, Deum esse spiritum; censebant enim in Deo unam tantum esse personam, æque ac naturam, eamque corpoream, qualis est hominis.

Sic Tertullianus censuit angelos esse corporeos, animam pariter hominis esse corpoream, imo ipsam esse corpus effigiatum et coloratum, aerei scilicet coloris et lucidi, quod suos habeat sensus, « oculos, aures et cæteros artus, per quos in cogitationibus utitur et in somnis fungitur, » hunceque esse hominem interiorem, quem sæpe nominat et celebrat S. Paulus. Ita de Tertulliano refert S. Augustinus, lib. X *De Genes. ad litter.*, duobus ultimis capitibus. Ratio Tertulliani erat hæc, quod anima videatur esse ex traduce. Cum enim pater generat filium, videtur quod anima patris ex se traducat et proseminet animam filii,

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

sicut planta una proseminat aliam : atqui id quod proseminat et proseminatur, est corpus, non spiritus. Addit S. Augustinus, Tertullianum putasse Deum esse corporeum, adeoque nihil in mundo esse incorporeum : quod fuit hæresis Vadianorum, qui inde dicti sunt Anthropomorphitæ. Hinc et Tertullianus dicit animam hominis, puta Adæ, esse ex materia Dei, lib. IV *Contra Marc.*, cap. XXXVII. Pamelius tamen, in *Paradoxis Tertulliani*, eum ab hoc errore excusat, quod ipse per corpus intellexerit substantiam, quæ in Deo et angelis est spiritalis, in hominibus corporalis.

PHARISÆI AUTEM UTRAQUE CONFITENTUR. — Syrus, pro *utraque*, vertit, *omnia* : sunt enim hic tria quæ negabant Sadducæi, confitebantur vero Pharisæi, scilicet resurrectio, angelus et spiritus. Sed Lucas angelum et spiritum quasi unum quid et ejusdem rationis ac generis conjungit opponitque resurrectioni, quæ est corporum. Ita Chrysostomus et Œcumenius. Quare minus recte Cajetanus, spiritum, id est animam rationalem, censet unum censeri cum resurrectione et opponi angelo.

9. QUIDAM PHARISÆORUM. — Græce, οἱ γραμματεῖς τοῦ μέρους τῶν Φαρισαίων, id est *Scribæ qui erant ex parte Pharisæorum*, *q. d.* litterati et doctores Pharisæorum.

PUGNABANT, — certabant, contendebant, non studio veritatis, sed sectæ suæ tuendæ.

QUID SI SPIRITUS (puta Deus, vel Spiritus Sanctus) AUT ANGELUS LOCUTUS EST EI? — Supple, quis culpet, vel incuset Paulum? Alludunt ad extasin qua Paulus se a Deo abreptum, edoctum et missum dixit, cap. XXII, vers. 17, simulque perstringunt adversarios suos et Pauli, Sadducæos, qui negabant angelos et spiritus, *q. d.* Nos Pharisæi cum Paulo credimus esse angelos et spiritus, æque ac resurrectionem, quam angeli nos docuerunt, ipsaque natura animæ evincit. Si enim anima est spiritus, ergo immortalis, ergo resurget rursumque corpus assumet : naturali enim pondere propendet ad illud, et sine eo in æternum esse nequit : sic enim in æternum esset in statu innaturali et violento. Quid si ergo idipsum cæteraque quæ docet Paulus, ei in extasi revelarit Angelus aut Spiritus Dei, quid habetis, o Sadducæi, quod in ipso carpatis eique objiciatis? Quod enim ipse sentit et docet, nos quoque sentimus et docemus. Si ipsum accusatis, nos accusatis. Si ipsum tangitis, nos tangitis. Unde Græca addunt μὴ θεομαχῶμεν, id est *ne cum Deo* Deique Spiritu *pugnemus*, sicut superbi illi olim gigantes, quos proinde Deus disperdidit. Verum hæc additio irrepsisse videtur ex nota marginali, desumpta ex simili sententia Gamalielis, qua Apostolos defendit, cap. V, vers. 39. Ecce quid facit amor patriæ sectæ. Pharisæi pro aris et focis pugnant pro Paulo, alias suo hoste, eo quod ipse Pharisæum se professus sit et filium Pharisæi.

10. DESCENDERE, — ex superiore loco arcis Antoniæ in inferiorem, ubi erat consessus pontificum, ut ex eo abriperent Paulum, quasi civem Romanum, ne a Sadducæis discerperetur.

11. SEQUENTI AUTEM NOCTE ASSISTENS EI DOMINUS. — Hinc videtur Christus per angelum apparuisse in visione Paulo dormienti, ac proinde Paulus hic realiter non vidit, nec audivit Christum. Ita Dionysius.

CONSTANS ESTO. — θάρσει, Παῦλε, id est *aude, Paule*, juxta illud *Joannis* XVI, 33 : « Confidite, ego vici mundum. » Syrus, *obfirma te*. Vere dicebat S. Pantaleon martyr in tormentis : « Cum tu sis mecum, Domine, quid est quod timeam? » « Quid enim times, o homo, in sinu Dei? » ait S. Augustinus.

12. FACTA AUTEM DIE. — Syrus, *cum factum esset mane*.

DEVOVERUNT SE, — dejerantes et dicentes velle se perdi a Deo, et deleri instar anathematis, nisi Paulum occiderent, ait Vatablus. Græce enim est ἀνεθεμάτισαν ἑαυτούς, *q. d.* Se velut anathema devoverunt. Sic Decii pro patria se devoverunt.

*Secundo*, devoverunt se fami et morti, scilicet se non gustaturos quicquam cibi, donec occiderent Paulum, adeoque fame morituros, nisi illum e medio tollerent : ita enim hoc eorum devovere explicatur verbis sequentibus. Ita Beda, Lyranus et alii.

*Tertio* et genuine, nectendo utrumque sensum, *q. d.* Diris se devoverunt, dejerantes et execrantes, dicendo, v. g. Deus nos perdat, si aliquid comedamus aut bibamus, antequam occidamus Paulum. Hoc enim est quod aiunt, vers. 14 : « Devotione devovimus nos nihil gustaturos, donec occidamus Paulum, » ubi Græca habent, « anathemate anathematizavimus nos, » puta execrando execravimus nos nihil comesturos, quoad necemus Paulum.

Suspicatur Baronius, anno Christi 58, cap. CXXXVI, hosce quadraginta conjuratos in necem Pauli fuisse sacerdotes illos, quos Josephus in Vita sua scribit a Felice levi de causa vinctos missos esse Romam, acturos causam apud Cæsarem. « Quos, ait, ut periculo eriperem, præsertim cum audirem ne in calamitate quidem constitutis curam pietatis excidisse, et ficis et nucibus eos vitam sustentare; veni Romam, ubi per Aliturum Judæum Poppææ, uxori Cæsaris, innotui, et confestim per eam impetravi absolutionem illis sacerdotibus; magnisque præterea donatus ab ea muneribus, in patriam reversus sum. » Suspicatur Baronius eos, eo quod jurassent se non manducaturos nisi occidissent Paulum, cum minus voti compotes facti essent, abstinuisse pane, tantumque arida comedisse, ne penitus interirent. Sed ambigua et obscura est hæc conjectura, præsertim quia Paulo, a Festo, Felicis successore, Romam misso, Judæi qui Romæ erant, dixerunt se nihil de eo inaudisse, *Act.* XXVIII, 21, qui utique multa de eo audissent a sacerdotibus illis, si ipsi ob Paulum vincti fuissent destinati Romam.



15. UT PRODUCAT ILLUM AD VOS. — Græca addunt αὔριον, id est *cras*, idque diserte habent Latina et Græca, vers. 20. Cupiebant enim illico rem conficere, itaque juramento votoque absolvi. Ita Lyranus.

16. QUOD CUM AUDISSET FILIUS SORORIS PAULI INSIDIAS, — scilicet a Judæis strui Paulo. Unde Græca plane habent : « Cum autem audisset filius sororis Pauli insidias. » An casu audierit, an de industria, eo quod sollicitus de avunculo clanculum indagarit consilia quæ Judæi contra eum agitabant, uti censet Lyranus, incertum est.

21. EXPECTANTES PROMISSUM TUUM, — non factum; sed faciendum, *q. d.* Expectant ut eis promittas, te cras producturum Paulum in eorum cœtum.

23. PARATE MILITES DUCENTOS, UT EANT USQUE CÆSAREAM, ET EQUITES SEPTUAGINTA, ET LANCEARIOS DUCENTOS. — Videntur ducenti milites esse diversi a ducentis lancearii : forte « milites » communi nomine vocantur levis armaturæ, ut velites, fundibularii et similes, qui jaculis et arcubus certabant; « lancearii » vero qui lanceis vel hastis oblongis depugnabant : hi enim græce vocantur δεξιολάβοι, perinde ac nunc in exercitu sunt sclopetarii, et lancearii sive hastati, qui loricati longas hastas gerunt, suntque quasi triarii roburque exercitus : utrique ergo videntur fuisse pedites, quia hic ab equitibus secernuntur. Alii tamen censent lancearios fuisse equites, quia iis junguntur, sed ab equitibus vulgaribus hic secerni, quod hi jaculis, arcubus aliisve armis certarent; lancearii vero lanceis; perinde ac jam equites alii sunt sclopetarii, alii lancearii, uti Epirotæ sive Albani, quorum auctor et dux fuit Georgius Castriota, Turcarum terror et flagellum, qui proinde a Turcis Scanderbeg, id est Alexander magnus est cognominatus. Aliqui tamen censent ducentos milites eosdem esse cum ducentis lanceariis, ut τὸ et sit ὑπερβατόν, expliceturque τὸ *milites ducentos*. Favet vers. 32, ubi præter equites, soli nominantur milites, quasi iidem sint cum lancearii. Sed ad id respondent alii, lancearios fuisse pedites, vel equites, verum lanceis armatos, ponique ultimo loco, quia ultimi erant in acie quasi triarii, uti etiamnum sunt ultimi. Hic ergo Paulus deductus fuit a 470 præsidiariis. Timebat enim Tribunus, ne illi quadraginta, qui in necem Pauli conspirarant, secum traherent multa populi agmina.

CÆSAREAM. — Cæsarea erat tunc sedes Præsidis, quia Judææ caput. Ita ex Tacito, lib. XVIII, Mariana; præsertim quia Herodes eam exornatam, in gratiam Cæsaris Cæsaream nominarat, in eaque prætorium exædificarat, ut patet vers. 35. Sic Ravenna fuit sedes Exarchorum Italiæ, non Roma.

Vide hic, quam Gentiles et Romani æquiores, sinceriores et humaniores sint Judæis in Paulum contra jus furentibus. Ecce illi Centurionis comitatem, qua Paulo vincto obsequitur, ejusque nepotem ad tribunum deducit. Tribunus pari comitate eum manu apprehendit, seorsim audit, silentium indicit, ac ex ejus indicio, ut Paulum a Judæorum insidiis tueatur, eum 470 militibus stipatum ad præsidem Cæsaream mittit.

Notent hoc illi, qui magistratu intumescunt et insolescunt, ideoque non nisi potentes et divites ad colloquium admittunt. Magistratus enim est omnes benevole audire, misericordiam cum justitia conjungere, ob potestatem non superbire, agnoscere se ministrum aliorum; orphanos, viduas et pauperes contra injurias potentum tueri : contrarium faciunt tyranni. Laudat Suetonius Augustum Cæsarem, in ejus Vita, cap. XXXIII et LXXII, quod perstaret in noctem in audientia, etiam sub porticibus, lectica quoque utens pro tribunali, si parum corpore valeret, vel etiam domi cubans. Plinius, in *Panegyr.*, celebrat Trajanum, quod assiduus esset in tribunali, « adeo ut labore refici ac reparari videretur. » Demonax rogatus a quodam quomodo provinciam sibi commissam optime administrare posset, respondit : « Si minimum loquens, plurima audieris. » Artaxerxes, Cyri frater, cognomento Mnemon, id est Memor, non solum se facilem et affabilem præbuit adire volentibus, sed et uxorem jussit sublatis currus aulæis vehi, ut iis qui eam conventum vellent, etiam in itinere pateret aditus. Ita Plutarchus in *Regum Apophtheg.* Celebre est Vespasiani dictum : « Non oportet quemquam a Cæsare tristem discedere. » Ita Suetonius in ejus Vita. Aristippus, cum aliquando Dionysium interpellaret pro amico, nec ille preces admitteret, prostratus cœpit amplecti pedes regis, et impetravit. Id factum cum quidam abjectius, quam ut Philosophum deceret, culparent : « Non ego, inquit, sum in culpa, sed Dionysius, qui aures habet in pedibus. » Ita Laertius, lib. II, cap. VIII. Legati Lacedæmonii venientes ad Lygdamin tyrannum, cum ille eos differret et infirmitatem obtenderet : « Per Jovem, inquiunt, non venimus huc cum illo luctaturi, sed collocuturi. » Ita Plutarchus in *Lacon.* Anus a Philippo postulans ut causam suam cognosceret, cum ille diceret sibi non esse otium, inclamavit : « Proinde ne rex quidem esse velis; » quare Philippus non tantum illi, sed et aliis faciles aures præbuit. Ita Plutarchus in *Apophtheg. Reg.* Inter Christianos illustris fuit Gratianus Imperator, de quo Ausonius : « Laudabile est, inquit, Imperatorem interpellantibus faciles præbere aditus, nec de occupatione causari. Tu confirmas adhuc cunctantes; etiam querimoniis explicatis, ne quid adhuc sileatur, interrogas. » Celebrat facilitatem S. Ambrosii, eam expertus S. Augustinus : circumsessum enim eum fuisse « catervis negotiosorum hominum, quorum infirmitatibus inserviebat : nec vetitum quemquam ingredi, nec ei venientes nuntiari in more fuisse. »

A TERTIA HORA NOCTIS. — Refer ad *eant*, *q. d.* Ut tertia hora noctis incipiant ire et proficisci

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

cum Paulo Cæsaream. Porro Romani, et ex iis Judæi, uti diem in quatuor partes sive horas dividebant, ita et noctem in quatuor vigilias sive horas, quarum quæque ternas nostrates comprehendebat : in quarum initio fiebat in castris et excubiis mutatio vigilium et excubitorum. Sicut ergo tertia hora diei est tertia ab orto sole, ita tertia hora noctis est tertia ab occasu solis, quam Itali vocant tertiam noctis. Aliter Dionysius, qui tertiam interpretatur tertiam post medium noctem, vel tertiam vigiliam noctis. Prior sententia planior est : nam sequitur, vers. 31 : « Paulum duxerunt per noctem in Antipatridem, » etc.

24. Et jumenta præparate, — puta equos, asinos vel mulos, ad vehendum Paulum et socios ejus. Ita Dionysius. Syrus vertit, *parate jumentum, ut ei Paulum faciatis insequiare, et ereptum perducatis ad Felicem præsidem.* Vide hic quam Deus Paulum non tantum tueatur, sed et honoret. Ibat enim eques septus præsidio 470 equitum et peditum, qui ei ad corporis custodiam contra Judæos erant assignati. Unde δεξιολάβους, id est *lancearios*, Suidas et alii vertunt σωματοφύλακας, id est *corporis custodes.* Quis princeps aut rex incedit stipatus 470 custodibus et stipatoribus? Ita incedit hic Paulus. Vere pretiosa in conspectu Domini non tantum mors, sed et vita Sanctorum ejus.

Ad Felicem præsidem. — Felix hic, teste Suetonio in *Claudio*, cap. XXVIII, erat frater Pallantis, qui e servo factus libertus a Claudio Imperatore, apud eum gratia et potentia pollebat : adeoque matrimonium Agrippinæ, matris Neronis, cum Claudio conciliavit, itaque causa fuit ut Nero in imperium Claudio succederet. Quocirca in gratiam Pallantis, Claudius Felicem ejus fratrem Samariæ, ac postea Nero toti Judææ præfecit. Verum Felix ex servo factus præses intumuit et prolapsus est, de quo cap. sequenti, vers. 3. Sapienter Salvianus *ad Eucherium* : « Pedissequa plerumque novi honoris est arrogantia. » Et Ausonius :

> Fortunam reverenter habe, quicumque repente
> Dives ab exili progrediere loco.

25. Timuit enim. — Hic versus deest in Græco et Syro.

Tanquam accepturus pecuniam. — Supple, a Judæis, permisisset ab eis occidi Paulum. In multis enim verum est istud Catonis apud Gellium, lib. XI, cap. XVIII : « Fures privatorum furtorum in nervo et in compedibus vitam agunt, fures publici in auro et purpura. » Præclare Nazianzenus Juliano Apostatæ in purpura insolescenti, *orat.* 3 : « Annon, inquit, eam Tyriis objicies, a quibus pastoralis ille canis prodiit, qui exeso murice labiisque cruore perfusis, pastori florem indicavit; ac per eos vobis Imperatoribus pannum illum, improbis luctuosum ac superbum porrexit? » Nam, ut explicat ibidem Elias, canis fuit inventor purpuræ ejusque tincturæ. Cum enim muricem devorasset, indeque expresso succo os ejus ruberet, pastor putans canem suum cæsum fundere sanguinem, succum lana excepit, quam videns eo purpurari, ac manare ex murice, rem evulgavit. Porro Nazianzenus purpuram vocat pannum luctuosum, tum quia purpura superbis principibus fastum, quo miseros opprimunt, indeque miseris oppressis luctum, conciliat; tum quia purpureus color monet, ut promptis animis sanguinem suum pro subditorum salute fundant; quod cum non meminerint qui minime tales sunt, fastus inde et arrogantiæ ansam trahunt.

26. Optimo, — κρατίστῳ, quod primo, verti potest *potentissimo*, a κράτος, id est *robur, imperium* : ita Vatablus; secundo, *præstantissimo*, ut sit superlativus comparativi κρείττων, id est *melior, præstantior* : ita Pagninus; tertio, *victoriosissimo* : ita Syrus a κρατεῖν, id est *vincere*; quarto, *optimo.* Ita Noster.

Nota hoc epithetum solere tribui præsidibus, principibus et optimatibus, qui ab optimo nomen acceperunt, quod scilicet fortitudine, clementia, justitia, meritis in Rempublicam omnique virtute optimi et præstantissimi essent (tales enim olim eligebantur præsides), aut esse deberent. Quocirca Dio in *Trajano* ait, eum præ omnibus honorum titulis, gavisum nomine Optimi. Unde et Imperatoribus acclamari solitum : « Vivat Imperator Augusto felicior, Trajano melior! » Porro, sicut Candidati, teste Seneca, lib. I, *ep.* 3, hoc titulo salutabantur : « Boni viri; » ita magistratum jam adepti, iidem « optimi » dicebantur. Quocirca Paulus sine mendacio, cap. XXIV, vers. 3, ait : « Optime Felix; » et cap. XXVI, vers. 25 : « Optime Feste, » licet ipsi essent scelerati, quia τὸ *optimus* est titulus amplissimæ dignitatis, non laus personæ; significans tamen talem debere esse personam, quæ rite publica dignitate et magistratu fungi velit.

27. Eripui, cognito quia Romanus est. — Mentitur Tribunus, ut ostendat se nominis Romani studiosum, itaque Præsidis et Romanorum gratiam captet. Nam cum Paulum e manibus Judæorum eripuit, nesciebat eum esse civem Romanum, sed id ab eo postea didicit, cum præter jus et morem vellet eum flagellare. Ita Lyranus.

29. Nihil. — Græce, οὐδέν, id est *nullum*, scilicet crimen. Nota hic quanta fuerit innocentia Pauli, adeo ut tribunus Gentilis testetur se in eo, licet a Judæis calumniis onerato, nullum invenisse crimen.

31. Duxerunt per noctem in Antipatridem. « Antipatris » distabat Hierosolymis septemdecim leucis, sive horis, ut patet ex tabulis Geographicis : ergo una nocte id iter confici non potuit, præsertim cum tertia noctis hora proficisci cœperint, vers. 31. Quare per diem iter continuantes, post meridiem, imo sub vesperam appulerunt Antipatridem, ibique post longum iter fessi quiescentes et pernoctantes, « postera die dimissis equitibus ut cum eo irent Cæsaream, » quæ Antipatride octo circiter horis distabat, « reversi sunt in castra, » quæ erant Hierosolymis in arce Antonia, uti jam sæpius dixi. Porro Antipatris, prius Capharsalama dicta, urbs pulchra et amœna, sita in optimo campo, divite arboribus et fluminibus, mari Mediterraneo adjacebat, media inter Joppen et Cæsaream, et ab utraque æqualiter distans, puta octo circiter leucis, sive horis. Juxta hanc Nicanor a Juda Machabæo cæsus est, I *Machab.* cap. VII, vers. 31. Hanc Herodes, rex Judææ, extruens, a patre suo Antipatro Antipatridem nominavit. Tempore belli sacri obsessa a Godefrido Bullonio, sed frustra, tandem capta est a Balduino, qui post Godefridum creatus est rex Hierosolymæ : hodie villa est, quæ *Assur* dicitur, ait Brocardus, Bredembachius et Adrichomius, in *Descript. Terræ Sanctæ.*



32. Dimissis equitibus — septuaginta, cum ducentis lancearii, si hi pariter erant equites, sed lanceis armati; sin autem lancearii erant pedites, cum cæteris militibus redierunt Hierosolymam : de quo dixi vers. 23.

33. Statuerunt ante illum et Paulum, — παρέστησαν, id est *stiterunt* ad ejus, quasi summi judicis et præsidis, tribunal. Merito exclamat hic Dionysius : « O Felix præses, quam vere felix fuisses, si agnovisses qualis et quantus fuerat iste tibi directus, et manibus tuis ad tempus subjectus! Quam humiliter eum suscepisses, et quam reverenter tractasses, sicut Cornelius Centurio Petrum! Et nunc quia id non novisti, neque per Paulum converti meruisti, quem tamen pro tua conversione sæpe orasse non ambigo, miser potius et infelix, quam felix fuisti. »

35. Jussitque in prætorio Herodis. — Prætorium erat palatium in quo habitabat Prætor, sive præses loci, aut princeps, qualis fuerat Herodes qui ab Augusto Cæsare rex Judææ creatus, in ejus honorem Turrim Stratonis dilatavit et exornavit, ac a Cæsare Cæsaream nuncupavit, atque inter alias fabricas, in ea prætorium pro se et posteris ædificavit; in quo proinde causæ forenses agebantur, rei vincti servabantur, et jus dicebatur : ibi ergo cum cæteris Paulus, quasi reus, asservatus fuit.

# CAPUT VIGESIMUM QUARTUM.

## SYNOPSIS CAPITIS.

*Paulus a Tertullo accusatus coram Felice præside, suam causam agit et peragit, adeo ut, vers. 24, Felix cupierit a Paulo fidem Christi audire. Disputante autem Paulo de justitia, et castitate, et de judicio futuro, tremefactus est Felix, qui tandem provinciam cedens Festo, eidem Paulum vinctum assignat.*

1. Post quinque autem dies descendit princeps sacerdotum Ananias, cum senioribus quibusdam et Tertullo quodam oratore, qui adierunt præsidem adversus Paulum. 2. Et citato Paulo cœpit accusare Tertullus dicens : Cum in multa pace agamus per te, et multa corrigantur per tuam providentiam, 3. semper et ubique suscipimus, optime Felix, cum omni gratiarum actione. 4. Ne diutius autem te protraham, oro, breviter audias nos pro tua clementia. 5. Invenimus hunc hominem pestiferum et concitantem seditiones omnibus Judæis in universo orbe, et auctorem seditionis sectæ Nazarenorum : 6. qui etiam templum violare conatus est, quem et apprehensum voluimus secundum legem nostram judicare. 7. Superveniens autem tribunus Lysias cum vi magna, eripuit eum de manibus nostris, 8. jubens accusatores ejus ad te venire : a quo poteris ipse judicans, de omnibus istis cognoscere, de quibus nos accusamus eum. 9. Adjecerunt autem et Judæi, dicentes hæc ita se habere. 10. Respondit autem Paulus (annuente sibi præside dicere) : Ex multis annis te esse judicem genti huic sciens, bono animo pro me satisfaciam. 11. Potes enim cognoscere, quia non plus sunt mihi dies, quam duodecim, ex quo ascendi adorare in Jerusalem : 12. et neque in templo invenerunt me cum aliquo disputantem, aut concursum facientem turbæ, neque in synagogis, 13. neque in civitate : neque probare possunt tibi de quibus nunc me accusant. 14. Confiteor autem hoc tibi, quod secundum sectam, quam dicunt hæresim, sic deservio Patri et Deo meo, credens omnibus quæ in lege et Prophetis scripta sunt : 15. spem habens in Deum, quam et hi ipsi exspectant, resurrectionem futuram justorum et iniquo-



UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS
ALERE FLAMMAM VERITATIS

rum. 16. In hoc et ipse studeo sine offendiculo conscientiam habere ad Deum, et ad homines semper. 17. Post annos autem plures, eleemosynas facturus in gentem meam, veni : et oblationes, et vota. 18. In quibus invenerunt me purificatum in templo, non cum turba, neque cum tumultu. 19. Quidam autem ex Asia Judæi, quos oportebat apud te præsto esse, et accusare si quid haberent adversum me : 20. aut hi ipsi dicant si quid invenerunt in me iniquitatis, cum stem in concilio, 21. nisi de una hac solummodo voce, qua clamavi inter eos stans : Quoniam de resurrectione mortuorum ego judicor hodie a vobis. 22. Distulit autem illos Felix, certissime sciens de via hac, dicens : Cum tribunus Lysias descenderit, audiam vos. 23. Jussitque centurioni custodire eum, et habere requiem, nec quemquam de suis prohibere ministrare ei. 24. Post aliquot autem dies veniens Felix cum Drusilla uxore sua, quæ erat Judæa, vocavit Paulum, et audivit ab eo fidem, quæ est in Christum Jesum. 25. Disputante autem illo de justitia, et castitate, et de judicio futuro, tremefactus Felix respondit : Quod nunc attinet, vade, tempore autem opportuno accersam te ; 26. simul et sperans, quod pecunia ei daretur a Paulo : propter quod et frequenter accersens eum, loquebatur cum eo. 27. Biennio autem expleto, accepit successorem Felix Portium Festum. Volens autem gratiam præstare Judæis Felix, reliquit Paulum vinctum

1. POST QUINQUE AUTEM DIES, — non a captura Pauli, ut vult Cajetanus, sed a Pauli appulsu Cæsaream, ad quam postero die a discessu suo Hierosolyma Paulus pervenit, ut dixit Lucas, XXIII, 32. Ideo enim omnes hosce Pauli dies diserte consignat Lucas, ut series rei gestæ et temporis constet, utque ostendat fuisse duodecim, uti dicit Paulus, vers. 11. Vide dicta cap. XXI, vers. 27, ubi hosce dies 12 sigillatim per acta Pauli consignavi. Quare τὸ *descendit* non potest accipi in actu inchoato, ut significet, descendere et proficisci cœpit ; sed in actu perfecto sive finito, ut significet, descendens vel proficiscens appulit Cæsaream. Si enim accipias pro *cœpit descendere*, sequetur eum non post quinque, sed post octo dies ( a Hierosolyma enim usque Cæsaream est iter tridui ) appulisse Cæsaream : quibus adde septem quos recensui cap. XXI. vers. 27, habebis 15, cum tamen Paulus, vers. 11, tantum assignet duodecim. Sin accipias pro *descendens appulit*, habebis præcise duodecim Pauli dies ; quinque enim additi septem, faciunt duodecim. Quocirca tribunus misso nocte Paulo Cæsaream, ne Judæos falleret audiretque fraudulentus, sequenti die monuit pontifices, ut ipsi ex adversa parte actores mitterent Cæsaream, qui Paulum coram Felice accusarent. Pontifices odio Pauli ardentes, sibique metuentes, ne Paulus eos apud Felicem præveniret et denigraret, habito concilio secundo die, cœperunt descendere ireque Cæsaream, eoque post tres dies pervenerunt, ita ut post quinque dies appulsus Pauli, ipsi quoque appulerint Cæsaream. Sensus ergo est, *q. d.* Lucas : Paulus pervenit Cæsaream, uti dixi cap. XXIII, vers. 32, postero die a discessu suo Hierosolyma ; eodem pervenerunt pontifices quinto post Paulum die, ut eum accusarent.

DESCENDIT PRINCEPS SACERDOTUM ANANIAS, — tum quia Sadducæus ardebat odio Pauli et Christi ; tum quia sibi metuebat, ne accusaretur seditionis in Paulum commotæ, præsertim quia contra jus publice in concilio jusserat os ejus percuti, ne causam suam ageret. Sic enim idem Felix sub idem tempus occidit Jonatham, de quo mox.

ET TERTULLO QUODAM ORATORE. — Hunc videtur assumpsisse Ananias quasi advocatum suum, tum facundiæ causa, tum quia linguæ Latinæ, cujus ipse, utpote Hebræus, ignarus erat, peritum. Apud præsidem enim Romanum de more, causa hæc latine agenda erat. Unde Tertullus ex nomine videtur fuisse Romanus, vel Italus. Præsides enim secum ducebant procuratores et advocatos Italos in provincias, ad quas mittebantur, ut illi causas provincialium susciperent, et coram se latine agerent. Sic Tertullianus, qui a Tertullo dictus videtur, causas agebat in foro antequam esset Christianus : sed hoc officio factus Christianus se abdicavit, ideoque a Gentilibus irrisus, quod togam cum pallio commutasset, scripsit librum *De Pallio*, ubi cap. V : « Ego, ait, nihil foro, nihil campo, nihil curiæ debeo : nihil officio advigilo, nulla rostra præoccupo, nulla prætoria observo, cancellos non adoro, subsellia non contundo, jura non conturbo, causas non elatro : secessi de populo, imo unicum negotium mihi est, nec aliud nunc curo, quam ne curem. Vita meliore magis in secessu fruar. Nemo alii nascitur, moriturus sibi. »

2. CUM IN MULTA PACE AGAMUS. — Partim verum dicit, Felix enim Ægyptium pseudoprophetam cum suis factiosis compresserat ; partim falsum, Felix enim Jonatham pontificem per sicarios interfecerat, ac deinde eos in alios impune grassari permiserat, teste Josepho, lib. XX *Antiq.*, cap. V et VI. Tertullus ergo velut rabula garrit, et adulatur homini iniquo et rapaci. De hisce enim rabulis verum est Italorum proverbium : « Laudenses multi, Veronenses pauci, » nimirum laudatores et adulatores multi, veridici pauci.

ET MULTA CORRIGANTUR (Græcus habet, *et multa officia huic genti præstentur*) PER TUAM PROVIDENTIAM. — Κατόρθωμα enim idem est quod officium virtutis, recta affectio, præclarum facinus : item opus rite correctum, emendatum, instauratum, promotum : denique κατορθώματα omnes numeros virtutis continet, ait Cicero, lib. III *De Finibus*. Sic Græci dicunt κατορθοῦν τὴν σωφροσύνην, id est *partes omnes temperantiæ implere* ; et τῆς οἰκονομίας κατορθωτικός, *qui frugaliter administrandæ rei œconomicæ peritus est*. Ita Budæus, Annot. in *epist.*, in verbo *Frugi*.

3. SUSCIPIMUS, — ἀποδεχόμεθα, quod Tigurina et Clarius vertunt, *comprobamus* ; alii, *amplectimur*, nimirum tua κατορθώματα, id est officia jam dicta. Salmeron suspicatur legendum *suspicimus*, id est admiramur et celebramus. Verum τὸ *suscipimus* respondet Græco.

OPTIME. — De hoc titulo dixi cap. XXIII, 26.

FELIX. — Cornelius Tacitus, lib. V *Histor.*, dat ei prænomen *Antonius* : Josephus vero, Zonaras et Suidas, *Claudius*. Utrumque ergo habuit, nimirum dictus est *Antonius Felix*, ab Antonia, matre Claudii Imperatoris, cujus fuerat servus et libertus. Idem dictus est *Claudius Felix*, a Claudio Imperatore, cui a matre transcriptus erat. Erant enim liberti binomines : alias enim principis, alias patronæ mortuæ nomen ferebant, ait Lipsius in lib. XII *Annal.* Taciti.

4. PRO TUA CLEMENTIA. — Græce, ἐπιεικείᾳ, id est « mansuetudine, æquitate, lenitate, modestia, facilitate, patientia, humanitate, clementia (1). »

5. HUNC HOMINEM PESTIFERUM. — Græce, λοιμόν, id est *pestem*. Sic exitialem vocant ὄλεθρον, id est *exitium*, per antonomasiam. Nota : Oratio Tertulli tot pene consuta est mendaciis quot verbis, ut patet singula expendenti.

AUCTOREM, — πρωτοστάτην ; vel, ut alii legunt, πρωτάτην, id est præfectum, primipilarem, primum stantem in acie. Auctor enim et institutor christianismi erat Christus, non Paulus ; sed hic inter Christi duces, puta Apostolos, erat primipilaris et præcipuus auctor propagationis christianismi, quasi antesignanus et primus stans in acie Christi ad præliandum pro eo.

Catilina a Cicerone consule interrogatus in senatu de conjuratione in Rempublicam, an ejus esset auctor ? ut sociis audaciam amentiæ suæ ostentaret, consulem hoc ænigmate derisit : « Cum duo corpora sint, ait, quorum alterum tenue et ægrum sit, caput tamen habeat ; alterum validum et magnum, sed sine capite, quid mali facio, si ipse me huic caput superimpono ? » uti refert Plutarchus in *Vita Ciceronis*. Omnibus vero ei obstrepentibus, hostemque et parricidam inclamantibus, furibundus ille : « Quandoquidem circumventus, ait, ab inimicis præceps agor, incendium meum ruina restinguam. » Testis est Sallustius in *Bello Catil.* Quam dispar Paulus, qui adeo a seditione et ambitu erat alienus, ut ne novæ quidem religionis et Ecclesiæ auctor dici aut haberi vellet ? Nimirum agnoscebat ille et prædicabat ejus auctorem et caput invisibile Christum Dominum, visibile vero S. Petrum ; se autem Christi duntaxat esse administrum et S. Petri adjutorem.

SEDITIONIS. — Hæc vox separatim non est in Græco, sed includitur in præcedenti πρωτοστάτης, si illud a στάσις, id est *seditio*, et πρῶτος, id est *primus*, deducas, imo confles. Probat enim Paulum esse concitantem seditiones, uti dixit, ex eo quod sit πρωτοστάτης, id est præfectus seditionis, quasi primus seditiosus, stans in prima acie sectæ Nazarenorum, quæ ubique seditiones concitat dum contra judaismum et gentilismum insurgit, et utroque excluso, se supponere et surrogare conatur. Cum ergo ait « seditionis sectæ, » est hypallage, *q. d.* Sectæ seditiosæ, vel quæ est mater seditionis. Vide hic quanta et quam falsa calumnia oneratur Paulus, cum potius ipsimet ejus accusatores Judæi essent seditiosi ; nam in omnibus urbibus contra eum seditiones populique tumultus excitarant, ut vidimus cap. IX, 23 ; cap. XIII, 50 ; cap. XIV, 5 ; cap. XVIII, 12 ; cap. XXI, 30. Ejus exemplo se solentur Religiosi, qui eum imitantes, etiamnum a sectariis et æmulis vocantur seditiosi et turbatores. Vere S. Ambrosius, orat. *De tradend. Basil.* : « Semper, ait, Christi laudes verbera perfidorum sunt, et nunc cum laudatur Christus, dicunt hæretici quia seditio commovetur. Dicunt hæretici quia his mors paratur ; et vere mortem habent in laudibus Christi. » Ita galero Campiani nostri, cum eum vinctum Londinum ducerent, titulum uncialibus litteris affixerunt : EDMUNDUS CAMPIANUS SEDITIOSUS JESUITA, sed ibat ille in affluente turba invictus animo, vultu alacer, aucta ipsis in adversis majestate, quæ et hostibus admirationem ac reverentiam injiceret, uti habet ejus martyrium.

NAZARENORUM. — Ita a Christo Nazareno primitus vocabantur Christiani, ut dixi cap. II, 22. Postea Nazaræi dicti sunt hæretici, qui christianismo volebant adjungere judaismum, quorum parens fuit Cerinthus. « Sed dum volunt et Judæi esse et Christiani, nec Judæi sunt, nec Christiani, » ait Epiphanius, *hæresi* 29. Porro per contemptum Paulum vocant « Nazarenum, » æque ac olim Christum vocarant « Nazarenum, » quasi ex vili oppidulo Nazareth oriundum. Verum hæc summa est laus Christi et Pauli, quod uterque sit Nazaræus, id est separatus, sanctus, consecratus, coronatus, imo quod auctor et doctor sit Nazaræorum, id est eorum qui ab æterno

(1) Id est, *ea humanitate qua soles*.



UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

a Deo conscripti Sanctorum cives, impense sanctitati student, ut in cœlestem Sanctorum et Beatorum cœtum transferantur.

6. QUI ETIAM TEMPLUM VIOLARE (Græce, βεβηλῶσαι, id est profanare) CONATUS EST, — introducto in illud Trophimo gentili, de quo cap. XXI, 29. Fallitur rursum et mentitur rabula, cum Judæi potius violassent templum, dum in eo violentas et sacrilegas manus injecerunt in Paulum, eumque verberarunt et tantum non occiderunt.

SECUNDUM LEGEM NOSTRAM. — Judaicam: licet enim Tertullus videatur fuisse Gentilis, tamen Judæorum nomen et legem sibi arrogat, quia eorum quasi patronus causam agebat.

JUDICARE, — judicialiter damnare ac damnatum tradere occidendum præsidi Romano. Mentitur iterum: nam Judæi Paulum tumultuarie occidere volebant, non secundum legem judicare. Hic versus deest in multis Græcis.

7. ERIPUIT EUM. — Syrus addit, *et ad te misit eum*. Idem habent nonnulli Græci codices.

8. A QUO, — tribuno. Ita Dionysius et Hugo; aut potius, Paulo, *q. d.* Paulus ipse crimen negare non poterit, si ἀνακρίνας, id est *examinans, interrogans* et *dijudicans* eum, veritatem ab eo elicias, metuque et minis extorqueas. Nam, ut ait Chrysostomus: « Ne videatur mentiri, Paulum sui ipsius accusatorem adhibet. » Ita effrons et audax est impudentia, ut reum percellat, adigatque ad criminis, licet falsi, confessionem. Rursum effrons et impudens est impietas, dum sua scelera in pios transcribit. Judæi enim hic omnium scelerum, de quibus accusabant Paulum, erant rei: ipse enim contra eum seditionem concitarant, ipsi violarant templum, violentas in eum injiciendo manus; ipsi auctores erant schismatum et sectarum, ipsi erant pestiferi. Ita communiter homines qui livore, invidia, similive passione acti alios accusant, vel judicant de certis vitiis, vel defectibus, ipsi illis ipsis magis, quam is quem accusant vel judicant, obnoxii sunt, uti solerter annotavit Cassianus, lib. V *De Instit. renunt.*, cap. XXX. Ubi rursum nota modestiam Pauli, qui has calumnias vere potuisset regerere in accusatores, ac proferre in judicio injuriosa verba et verbera quæ ab eis sustinuerat; sed noluit omniaque alto silentio pressit.

9. ADJECERUNT AUTEM ET JUDÆI DICENTES, HÆC ITA SE HABERE. — Notat Chrysostomus perverti ordinem judicii, dum Judæi qui erant Pauli accusatores, se faciunt criminis testes, sataguntque sua auctoritate et multitudine opprimere eum.

Moraliter, vide hic quam in periculoso statu sint præsides et judices, qui ab impiis potentibus et Prælatis quasi armata manu adiguntur ad iniquas sententias, nisi leoninum habeant animum, quo eis fortissime resistant: tot enim arietibus pulsantur, quot sunt potentes et tyranni. Sapienter Ecclesiasticus, VII, 6: « Noli, ait, quærere fieri judex, nisi valeas virtute irrumpere iniquitates: ne forte extimescas faciem potentis, et ponas scandalum in æquitate tua. »

10. RESPONDIT AUTEM PAULUS. — Solet reis, utpote pavidis, anxiis, turbatis, consternatis dari advocatus, adeo ut jure civili, si reus neminem habeat, ei dare debeat prætor. Verum Paulus Deo suæque causæ præfidens, ipse sibi advocatus est; nimirum veritas et innocentia nec potentiam, nec eloquentiam timet. Justus enim ut leo confidit; leo autem æque ac lupus non timet multitudinem ovium, sed quærit et ambit. Justus enim sceptrum Dei gestat in capite. Ipse enim dixit: « Qui vos tangit, tangit pupillam oculi mei. » Vere et Nazianzenus in *Sententiis*: « Deo dante, ait, nihil potest livor; eodem abnuente, nihil potest labor. »

ET MULTIS ANNIS TE ESSE JUDICEM. — Græci codices et Chrysostomus addunt δίκαιον, id est *justum*; quod est epithetum proprium judicis, significans Felicem non esse talem, sed talem esse debere, si legitimus judex esse velit, *q. d.* Moneo te, o Felix judex, tacite hoc epitheto tui officii, scilicet ut cum sis judex, justitiæ rationem habeas, non favoris, non turbæ pontificum, qui injuste contra me conspirant. Nota: Felix multis annis a Claudio Imperatore præfectus fuerat Trachonitidi, Batanææ et Gaulanitidi, quæ sunt vicinæ Judææ, sed ipsi Judææ a biennio tantum ab eodem Claudio paulo ante mortem datus fuerat præses. Ita Josephus, lib. II *Belli*, cap. XI. Allegat hoc Paulus ad suam innocentiam, *q. d.* Cum tot annis huic genti præfueris, nec unquam a Judæis de me querelam ullam audieris, facile colliges me nulli unquam nocuisse.

BONO ANIMO. — Legit interpres cum nonnullis Græcis, εὐθύμως: jam multi legunt per comparativum, εὐθυμότερον, id est *æquiore, tranquilliore, securiore, hilariore animo*, *q. d.* Impavide, intrepide, libere, secure et alacriter pro me respondebo: εὐθυμία enim est lætitia, jucunditas, recta animi constitutio, securitas, delectatio, alacritas, hilaritas, et, ut Cicero, lib. V *De Finibus*, vertit, animi tranquillitas, in qua asserit Democritum posuisse summum bonum; illud enim vocasse εὐθυμίαν, id est *animum terrore liberum*.

PRO ME SATISFACIAM, — τὰ περὶ ἐμαυτοῦ ἀπολογοῦμαι, id est *de his quæ me spectant, respondeo; pro me apologiam instituo, accusatus me defendo, causam meam ago*.

11. QUIA NON PLUS SUNT MIHI DIES, QUAM DUODECIM. — Sigillatim hosce dies eorumque acta circa Paulum, recensui cap. XXI, 27. Sensus est, *q. d.* Tam paucis diebus non potui ego advena et ignotus, tot seditiones et tumultus, tot scelera conflare, quot et quanta Judæi mihi objiciunt.

EX QUO ASCENDI ADORARE IN JERUSALEM. — Adoratio generalis est, et complectitur varios actus



et species, inter quas una est sacrificium: hoc enim est adoratio non tam verbalis, quam realis. Est enim protestatio Divinitatis summique Numinis, quod vitæ et necis omnium habet potestatem; cui proinde victimas immolamus, occidimus, incendimus, sacrificamus. Paulus enim ascendebat in templum sacrificaturus.

12. AUT CONCURSUM FACIENTEM TURBÆ. — Non congregantem turbas, scilicet ad seditionem, ut vertit Pagninus.

13. NEQUE PROBARE POSSUNT, — παραστῆσαι, id est *exhibere, ostendere, convincere*. Unde quidam Græci codices addunt με, *q. d.* Non possunt me tibi sistere, repræsentare et demonstrare talem, qualem pingunt et fingunt, scilicet seditiosum, factiosum, sacrilegum.

14. SECUNDUM SECTAM, — ὁδόν, id est *viam*, hoc est institutum normamque vivendi, puta secundum christianismum, quam ipsi vocant hæresim, id est sectam et factionem, sed parum æque et perperam.

15. SIC DESERVIO (λατρεύω, id est *latria colo et adoro*) PATRI ET DEO. — « Patri, » tanquam filius; « Deo, » tanquam creatura et servus latria deservio. Græce τῷ πατρῴῳ Θεῷ, id est *patrio Deo*, quem scilicet patres nostri, puta mei et Judæorum, coluerunt. Ita Syrus, Œcumenius, Tigurina et alii; quo ostendit Paulus se non esse hostem legis, nec apostatam Synagogæ, uti objiciebant Judæi; sed fidei et religioni patrum et avorum insistere. Rursum patrius Deus erat custos patriæ, proprius ac peculiaris Judæis, quales a Gentibus vocabantur penates, indigetes, lares.

SPEM HABENS IN DEUM (supple cum Tigurina, *fore*), QUAM ET HI IPSI EXSPECTANT, RESURRECTIONEM MORTUORUM. — Si enim addas τὸ *fore*, plana est sententia; quæ implicata est, si per *spem* metonymice accipias rem speratam, puta resurrectionem: nec enim hanc habemus apud Deum, sed a Deo faciendam speramus et exspectamus.

16. IN HOC. — Hugo, *credens in hoc*; Syrus, *propter hoc*; planius Tigurina, *quia et in hoc*, *q. d.* Adeo non discedo a patrio Deo, lege, religione, fide et spe, præsertim resurrectionis, ut et in hoc patrii Dei cultu, religione et instituto, studeam puram habere conscientiam ad Deum et ad homines.

STUDEO, — ἀσκῶ, id est *me exerceo, laboro, satago*, *q. d.* Totus sum in hac re. Sic olim *Ascetæ* vocabantur Religiosi, qui toti vacabant sibi et Deo, qui toti erant in domandis animi motibus, toti in exercitatione virtutum, *q. d.* Totus sum in eo, ut inculpate Deo serviam, ut judicio divino et humano nihil in me reprehendi possit; vel, ut nec homines, nec Deum ulla in re offendam. Hæc nimirum est vera sapientia, vera prudentia, verum officium Apostoli et cujusque fidelis. « Deum time, et mandata ejus observa: hoc est enim omnis homo, » ait Sapiens, *Eccles.* XII, 13.

Præclare S. Gregorius Nazianzenus in *Sententiis*: « Optimus, ait, esse contende. Cave unquam in via virtutis subsistas. Tibi enim qui a vitiosa vita excessisti, perinde esse puto consistere, ac si in imum vitii gurgitem labereris. Age vero deserto universo hoc mundo mundique sarcinis excussis, ad vitam cœlestem vela pande: præsertim tibi Trinitas curæ sit. » Idem, *epist.* 57 vel 63, Eudoxium exhortans, ut, rhetorica abdicata, det se studio sapientiæ, virtutis et perfectionis Christianæ: « Ne sustineas, ait, inter graculos excellere, cum aquila esse possis. Migremus hinc, efficiamur viri, somnia projiciamus. Alios occupatos teneant, jactent, ludificentur invidia, et tempus et fortuna. Valeant throni, opes, splendores, vilis hæc et despicabilis gloriola, ac denique magna hujus scenæ ludicra nugæque theatricæ. Nos verbum arctissime complectamur, ac pro omnibus rebus Deum habere optemus, solum, inquam, perenne illud bonum suum et nostrum: quia virtutis præmium est, Deum fieri. Ad hæc contende, volita. Nusquam spes tuas siste, quoadusque ad illud summe expetendum et beatum bonum perveneris. »

SINE OFFENDICULO, — id est inoffensam; Syrus, *puram*.

Moraliter: disce hic a Paulo, quanta cuique esse debeat cura integræ et puræ conscientiæ, de qua vide dicta I *Timoth.* I, 5, et II *Timoth.* I, 3. Quin et hæc communis Philosophorum fuit vox. Bias enim interrogatus, « quænam res in vita metu careret? » respondit: « Bona conscientia. » Ita Maximus, *serm.* 24. Socrates interrogatus, « quinam tranquille viverent? — Illi, ait, qui nullius absurditatis sibi conscii sunt. » Ita Antonius in *Melissa*, II part., serm. 77. Periander percunctatus, « quid in minimo esset maximum? — Bona mens, ait, in corpore humano. »

Moraliter de bona conscientia.

Agis, rex ultimus Lacedæmonum, ab ephoris damnatus, ductus ad supplicium, videns quemdam suam sortem deflentem, « Noli, ait, flere propter me, quia præter jus et æquum ad dirum hoc supplicium ducor, meliorque sum iis qui ad mortem me damnarunt. » Ita Plutarchus in *Lacon.*

Chilon grandævus asserebat se sibi nullius facti conscium esse, cujus pœniteret, uno excepto, quod cum esset delectus arbiter, ut inter duos amicos litem dirimeret, nec quidquam vellet adversus leges facere, persuaserit alteri amico, ut ad alios deferret arbitrium: hoc facto et legem servavit et amicum. Dicebat enim se patronum legis facere debuisse, eoque offendere amicum. Ita Laertius in ejus Vita.

Julii Drusi domus patebat vicinorum prospectibus. Suggessit faber se eam sublaturum quinque talentis. Cui Drusus: Decem dabo si talem reddas domum meam, ut undequaque pateat omnium oculis, ut omnes videant quomodo domi meæ vivatur. Plura congerit Stobæus, *serm.* 22.

Audi ex multis pauca. Periander rogatus, « quid esset libertas? » dixit: « Recta conscientia. » Iso-

crates dicebat : « Omnino sperandum non esse, si quid turpe feceris, te latiturum. Quamvis enim lateas alios, tute tamen tibi male conscius eris. » Pythagoras « neminem tam audacem esse dicebat, quem mala conscientia non faceret timidissimum : » hæc enim ad ventum quemlibet expavescit, uti pulchre in Ægyptiis describit Sapiens, cap. XVII, 4 et seq. Idem dicere solebat : « Virum impium plus mali pati afflictum conscientia, quam eum qui corpore castigatur. » Multo enim graviores sunt animi ægri quam corporis morbi, juxta illud Poetæ :

> Evasisse putes, quos diri conscia facti
> Mens habet attonitos, et diro verbere cædit,
> Occultum quatiente animo tortore flagellum?

Quocirca Chilon asserebat, « damnum turpi lucro semper præferendum esse. Illud enim semel dolere, hoc semper. » Ita Laertius, lib. I, cap. IV. « Conscientia enim rectæ voluntatis, maxima rerum incommodarum est consolatio, » ait Cicero *ad Torquat.*

Deus cardiognostes.

AD DEUM ET AD HOMINES. — Ut nec homines, nec Deus cardiognostes eam culpare possit : Deus enim intima mentis et conscientiæ acutissimis et lucidissimis divinitatis oculis inspicit et perspicit. Nam, ut ait Clemens Alexandrinus, lib. VII *Strom.*, post initium : « Sicut sol non modo cœlum et orbem universum illuminat, terram et mare collustrans, sed per fenestras quoque et exiguum foramen, in abditissimos ædium recessus splendorem emittit; sic Verbum quoquoversus diffusum vel minimas vitæ actiones respicit. » Quocirca S. Leo, serm. 5 *De Quadragesima*, suos monet, « ut non sibi blandiantur : Quia nobis, ait, conscientiæ singulorum patere non possunt ; cum oculos Dei simul universa cernentis, non abditorum, non parietum septa concludant : nec solum ei acta et cogitata, verum et agenda et cogitanda sint cognita. Ista ergo scientia summi judicis, iste est tremendus aspectus ; cui pervium est omne solidum et apertum omne secretum ; cui obscura clarent, muta respondent, silentium confitetur, et sine voce mens loquitur. » Et S. Bernardus, *De Modo bene vivendi*, ad sororem : « Ibi pecca, ubi Deus non est, » non videt. Si autem Deum credis te ubique videre, quomodo in oculis tantæ majestatis et judicis ac vindicis peccare audes? Sane si serio Dei præsentiam et intuitum cogitaremus, impossibile foret coram eo peccare, eum ad iram provocare, eum ad vindictam lacessere. Studeamus cum Paulo inoffensam habere conscientiam ad Deum et ad homines semper. Dicamus cum S. Francisco Xaverio : « Ubicumque fuero, meminero me in orbis terræ theatro, in cœlestis Regis ac superum oculis versari. »

SEMPER. — Syrus, *perseveranter*.

17. POST ANNOS AUTEM PLURES, — puta 24 a conversione Pauli : ipse enim conversus est anno Christi 36, hoc vero gessit et dixit anno Christi 58. Vide Chronotaxin quam Actis præposui.

ELEEMOSYNAS FACTURUS, — puta quas in Asia a fidelibus collegeram pro Christianis pauperibus, qui erant Hierosolymæ, eas ipsis perlaturus. Vide II *Cor.* VIII et IX. Elidit suspicionem seditionis, *q. d.* Adeo non sum seditiosus, ut beneficentiæ et eleemosynæ causa, faciendæ genti meæ, tantum iter Hierosolymam susceperim.

OBLATIONES ET VOTA. — Hinc videtur, quod Paulus prius nuncuparit vota et oblationes quasdam Hierosolymæ in templo offerendas, antequam moneretur a Jacobo, cap. XXI, 20, sed monitum a Jacobo ea accelerasse. Fecit id ad invidiam Judæorum vitandam eorumque gratiam captandam, ostendendo se templi et legis esse cultorem, non hostem.

18. INVENERUNT ME PURIFICATUM IN TEMPLO. — *q. d.* Ergo non violavi templum, ut ipsi objiciunt, sed honoravi : quia purificatus sum in eo. Singula verba Pauli habent nervum et pondus, quo objecta crimina infringit.

19. QUIDAM AUTEM EX ASIA JUDÆI. — Syrus et Vatablus : *Quidam autem ex Asia Judæi eum tumultum concitarunt, non ego, quos oportuit sistere mecum coram te, q. d.* Accusatores mei concitarunt tumultum, non ego : illos ergo hic sistere oporteret, judicare et punire, non me, qui seditionem et injuriam passus sum, ab eisque plagas pene lethiferas excepi (1).

20. CUM STEM IN CONCILIO, — quasi reus accusatus a Judæis : quare ipsorum est dicere, quam iniquitatem in me invenerint, eamque probare et me convincere. Syrus vertit *cum starem*, scilicet in concilio Hierosolymitano reus coram eis, cap. XXIII, 1, et ita legit Dionysius, Cajetanus et nonnulli alii. Græcum στάντος, cum sit in aoristo, utroque modo verti potest. Posteriori lectioni valde congrue respondet id quod subdit Paulus, se clamasse in concilio : « Quoniam de resurrectione ego judicor. »

21. NISI DE UNA HAC VOCE. — Est tacita ironia et sarcasmus, *q. d.* Nullam seditionem concitavi, nisi ita censere et nuncupare velint vocem meam, qua clamavi inter eos stans : « Quoniam de resurrectione mortuorum ego judicor hodie a vobis. » Ob illam enim vocem Pharisæi fecerunt schisma a Sadducæis, ac contra eos Paulum tutati sunt. Verum hujus schismatis vos ipsi fuistis causa, non ego, qui meam causam egi ac veritatem dixi, meamque de resurrectione Christi et Christianorum fidem palam professus sum. Quid in hac mea apologia peccavi? quod in hac fidei meæ professione crimen admisi? Egi enim rem necessariam, laudabilem, veram, religiosam et piam. Unde nonnulli Græcum ἢ, id est *nisi, quam*, vertentes *aut*, sic transferunt : Aut hi ipsi dicant si quid invenerint in me iniquitatis ; aut de una hac voce, qua clamavi inter eos stans, *q. d.* Si nihil aliud habent, vel hoc objiciant crimen, quod clamarim me ob fidem et professionem resurrectionis judicari. Verum hoc non est crimen, sed virtus et laus mea. Addit Glossa, voluisse Paulum rursum Judæos inter se commissos a se avertere ; refricando enim nomen resurrectionis, tacite renovabat dissensionem inter Pharisæos et Sadducæos, quam paulo ante excitarat Hierosolymis. Pharisæi enim avide nomen et fidem resurrectionis excipiebant, eamque contra Sadducæos palam propugnabant. Denique resurrectionis meminit, ut præses Gentilis sciat Paulum a Judæis non seditionis accusari, sed novæ religionis, puta resurrectionis, quam Gentiles, si non credebant, certe non damnabant, imo reverebantur, metuebant et suspiciebant. Hæc enim fides signum est, causa et stimulus pietatis vitæque timoratæ, innocentis et sanctæ. Unde subdit Lucas :

(1) Alii : Judæos Asiaticos, utpote testes αὐτόπτας, Paulus queritur abesse ; quia præsentes ipsi eum defendissent.



22. DISTULIT AUTEM ILLOS FELIX, CERTISSIME SCIENS DE VIA HAC. — Ἀκριβέστερον, id est *certius sciens* ; sed comparativus ponitur apud Græcos et Latinos eleganter pro superlativo. Hinc illud Poetæ :

> Vespere qui faces cœlo jucundior ignis.

id est jucundissima stella. Platonici enim censebant stellas esse ignitas, adeoque esse ignes et faces cœlestes. Et illud Apostoli : « Major autem horum est charitas. » *Major*, id est maxima inter fidem et spem, I *Cor.* XIII, 13.

Porro per *viam* aliqui accipiunt Judaismum et jus Judaicum, *q. d.* Felix, utpote diu versatus inter Judæos, sciebat quænam esset religio Judaica, quantumque distaret a Christiana quam prædicabat Paulus. Melius alii per *viam* accipiunt institutum et religionem Christi et Pauli, *q. d.* Felix tum ex litteris Lysiæ, tum ex audita Pauli tam sapienti, modesta et innocenti apologia, certo cognovit ejus doctrinam, religionem et vitam non esse seditiosam, uti accusabant Judæi ; sed eos ex odio contra eum inique conspirasse, uti Pilatus agnovit Christi innocentiam, ac contra eam injuste conspirasse Scribas et Pontifices. Ita S. Chrysostomus, Lyranus, Hugo, Dionysius et alii. Nota hic insigne testimonium innocentiæ et virtutis Pauli. Quare debuisset eum absolvere illicoque dimittere Felix ; sed instar Pilati, ne pontifices offenderet, et ut pecuniam a Paulo emungeret, eum in custodia inique detinuit. Ita Chrysostomus.

23. ET HABERE REQUIEM, — ἄνεσιν, id est *relaxationem*, laxius haberi, mitius tractari, dari ei plus libertatis et recreationis.

24. CUM DRUSILLA UXORE. — Drusilla erat filia Herodis Agrippæ senioris, qui S. Jacobum occidit et S. Petrum incarceravit, cap. XII, 1 ; ac consequenter erat ipsa soror Agrippæ junioris, de quo cap. seq. Cornelius Tacitus, lib. V *Histor.*, scribit Drusillam fuisse neptem Antonii et Cleopatræ, « ut ejusdem Antonii Felix progener, Claudius nepos esset. » Unde videtur, quod Cypris, uxor Agrippæ et mater Drusillæ, fuerit filia M. Antonii et Cleopatræ, ait Marianus in cap. XXV *Actor.* Hinc et videtur vocata *Drusilla*, a Livia Drusilla, uxore Augusti, ejusque filio Druso, fratre Tiberii Imperatoris. Drusus enim ex Antonia, sorore M. Antonii, genuit Claudium, qui Caio Caligulæ in imperio successit. Agrippa enim rex, pater Drusillæ, evectus fuit ad regnum a Caio Caligula et Claudio Imperatore. Unde in Claudii gratiam, filiam *Drusillam* nominavit : Drusus enim cognomen fuit familiæ Claudiæ. Unde et Livia, uxor Augusti Cæsaris, mater Drusi et avia Claudii, cognominata fuit Drusilla, quam Caius Cæsar quasi deam consecravit habitu Veneris : sicuti eadem nomine lunæ consecrata fuerat dea habitu Junonis. Unde ipsa vocata fuit Venus cœlestis, cognomento Panthea. Ita Dio, lib. LIX, et ex eo Lipsius in lib. V *Annalium* Taciti, sub initium. Porro Drusilla hæc, teste Josepho, lib. XX *Antiq.*, cap. V, tres habuit sponsos. *Primo* enim desponsa fuit Epiphani, Antiochi regis filio : sed hic eam recusavit, quia noluit subire circumcisionem, quæ conditio in nuptiis ipsius, utpote Judææ, petebatur. *Secundus* fuit Azizus, rex Emesæ, qui subiit circumcisionis conditionem, itaque cum ea matrimonium iniit. *Tertius* fuit Felix, qui eam ab Azizo marito ad se pellexit. Hinc Drusilla vocata est « trium regum uxor, et ter regina, » ideoque forte a Suetonio in *Claudio*, cap. XXVIII, Felix dicitur « trium reginarum maritus. » Denique Drusilla profligati pudoris et fidei femina, a marito rege ad adulterum præsidem, non solum abdicata conjugali fide, sed et patria religione spreta, transiit, ac cum Felice Gentili facta est Gentilis (1).

AUDIVIT. — Incitante forte Drusilla uxore, quæ cum esset Judæa, ex curiositate volebat audire, quænam esset nova secta quæ a Judæo Paulo prædicabatur, ac quid differret Christianismus a Judaismo. Unde curiosi hi auditores nullum ex ardenti Pauli concione fructum retulerunt, nisi majoris damnationis, ob majorem post agnitam veritatem in errore et vitio culpam et pertinaciam.

FIDEM QUÆ EST IN CHRISTUM JESUM, — quæ est de Christo Jesu, puta fidem Christi, sive Christianam.

25. DISPUTANTE AUTEM ILLO DE JUSTITIA ET CASTITATE. — Syrus, *de justitia et sanctimonia* ; castitas enim est sanctitas, id est puritas animæ et corpo-

(1) Duas Drusillas Felix uxores habuit : alteram Judæam, de qua hic sermo, Agrippæ majoris filiam ; alteram Romanam, Antonii et Cleopatræ neptem, de qua Tacitus, *Hist.* V, IX. Quam autem prius secum habuerit, adhuc dubitatur. Grævius ad Suetonium, *Claud.* cap. XXVIII, suspicatur Drusillam Antonii neptem ducem obiisse antequam Felix venerit in Judæam, ibi vero istum duxisse Drusillam Agrippæ. Hanc ipsam, Herodis Agrippæ majoris filiam, Azizo, Emesorum regi nuptam, nefariis artibus a marito abduxit, sibique uxorem adscivit : de qua re Josephus, lib. *Antiq.* XX, VII, 2.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
ALERE FLAMMAM VERITATIS
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

ris, uti ostendi I *Corinth.* vii, 34. Studio Paulus appositum hoc Felici thema dicendi accepit : sciebat enim eum esse adulterum et injustum, ut eum ad castitatem et justitiam revocaret. Adulterum, quia Drusillam ob eximiam pulchritudinem, opera Simonis cujusdam magi ad se pellexerat, ut relicto priore matrimonio Azizi, regis Emesenorum, ad suas nuptias transiret : unde ex ea suscepit filium, quem a patre Drusillæ Agrippam nominavit. Addit Tacitus, eum per omnem libidinem grassatum esse, cujus verba mox recitabo. Nec mirum : si enim regium thalamum invadere ausus est, et a rege reginam ad se traducere, quid non tentarit in plebeios et subditos? Merito ergo coram adulteris, Felice et Drusilla, Paulus disputavit de castitate, Paulus, inquam, antistes virginitatis, qui, ut ait S. Augustinus, homines angelos, imo deos efficere satagebat.

Moraliter : docet hic Paulus, judices et præsides debere esse continentes, tam a venere, quam ab avaritia, ne ob lucrum justitiam, ob cupidinem castitatem et conjugia evertant. Unde prisci Romani mire ab utraque se continuerunt, eaque ratione propagarunt imperium, tamque amplum et tantum, quantum in historiis legimus, consecuti sunt, uti multis exemplis docet Valerius Maximus, lib. IV, cap. III.

Injustum, quia, ut ait Tacitus lib. XII *Annal.*, factus præses Judææ « insolescebat, cuncta maleficia sibi impune ratus, tanta potentia subnixo. » Et mox : « Felix intempestivis remediis delicta accendebat. » Idem, lib. V *Histor.* : « Felix, inquit, per omnem sævitiam et libidinem jus regium servili ingenio exercuit. » Fuerat enim ipse servus, æque ac frater ejus Pallas, a quo per Claudium imperatorem libertate donato et evecto, Felix pariter Judææ præfecturam obtinuerat. Hic verum est illud *Proverb.* xxx, 21 : « Per tria movetur terra, et quartum non potest sustinere : per servum, cum regnaverit ; per stultum, cum saturatus fuerit ; per odiosam mulierem, cum in matrimonio fuerit assumpta ; et per ancillam, cum fuerit hæres dominæ suæ. » Quocirca Felicem, ut melius res Judaicas administraret, sæpe admonuit summus pontifex Jonathas ; qui proinde monita et monitorem non ferens, eum curavit interfici per sicarios, qui deinde ejus connivenția in multos alios grassati, plura homicidia, imo latrocinia perpetrarunt, teste Josepho, lib. XX *Antiq.*, cap. vi : « Invitati, ait, hac licentia sicarii, per singula festa ventitantes et tela celantes, pari modo immixti turbis, alios confodiebant propter privatas inimicitias, alios conducti pecunia, idque non modo in reliquis urbis partibus, sed in ipso templo etiam. Unde fas est credere, Deum tanta impietate offensum, adversatum esse Hierosolymam, temploque utpote non amplius puro domicilio, Romanos induxisse, purificaturos id lustralibus flammis. » Subdit deinde Josephus tumultum Cæsareæ inter Judæos et Syros exortum, in quo Felix multos Judæorum immissis militibus occidit. Atque hæc semina fuerunt rebellionis, quæ paulo post in apertum bellum eruperunt, quo a Tito vastata et eversa est Hierosolyma. Pergit Josephus, cap. vii : « Cæterum, inquit, postquam Felici successor, Portius Festus, a Nerone missus est, primores Judæorum Cæsaream incolentium Romam profecti sunt Felicem accusaturi ; dedissetque omnino pœnas injuriarum quibus Judæos affecerat, nisi Nero eum donasset Pallantis fratris precibus, qui tum in pretio erat apud principem. » Vide eumdem, lib. II *Belli*, cap. xii, ubi graphice describit, quanta tum fuerit sicariorum et latronum copia, audacia et terror.

Merito ergo Paulus coram injusto præside de justitia disseruit. Ubi rursum nota libertatem et magnanimitatem Pauli. Felicem enim tyrannum libere tyrannidis arguit, sciens ea de causa ab ipso recenter occisum Jonatham pontificem, ac proinde simili se neci pro Deo et justitia offerens. Eumdem cum Drusilla arguit adulterii, memor et conscius Joannem Baptistam accusantem adulterium Herodis (qui erat propatruus Drusillæ : erat enim patruus Herodis Agrippæ, patris Drusillæ) cum Herodiade, præmium suæ accusationis tulisse mortem et martyrium : nimirum hoc quærebat, hoc ambiebat Paulus.

Vere S. Chrysostomus, homil. 2 *De Laudibus S. Pauli* : « Paulus, ait, tyrannos ac populos spirantes furorem, velut esse quosdam culices existimabat. Mortem vero, et cruciatus, et mille supplicia, quasi ludum putabat esse puerorum, dummodo propter Christum aliquid sustineret. Etenim coarctatus carcere habitabat cœlum, ac libentius verbera excipiebat et vulnera, quam alii bravia diripiunt. » Et inferius : « Siquidem Paulus in terra gradiens, sic se agebat in cunctis, quasi angelorum societate frueretur. Nam passibili adhuc colligatus corpori, illorum perfectione gaudebat, tantisque fragilitatibus subditus, in nullo inferior supernis virtutibus apparere certabat. » Rursum : « Magnanimi est in amore et odio apertum esse, » ait Elias Cretensis in orat. 10 *Gregorii Nazianzeni*. Id hic cernimus in Paulo.

Et de judicio futuro. — Hunc stimulum, qui acerrimus est, impuro et injusto præsidi adhibet Paulus, ut ad pœnitentiam eum adigat, et ad justitiam, castitatem, fidem vitamque Christianam traducat : aut saltem, ut frenum ejus cupidini injiciat, ne tam gravia, ac solebat, committeret, neve in gratiam Judæorum, contra justitiam se innocentem condemnaret, memor judicem suum fore Deum et Christum, qui justitias judicabit, *Psal.* lxxiv, 3.

Discant Concionatores et Confessarii hoc divini judicii stimulo pungere et frangere dura impiorum corda. Ita eodem illo pungit et ferit Moses, *Deuter.* cap. i, vers. 17 ; David, *Psal.* lxxiv, vers. 3 ; Salomon, *Eccles.* v, 7 ; Ecclesiasticus,



cap. vii, vers. 40 ; Machabæi, lib. II, cap. vii ; S. Paulus crebro, ut I *Corinth.* cap. iii, vers. 13 : « Uniuscujusque opus manifestum erit. Dies enim Domini declarabit, quia in igne revelabitur. » Et cap. iv, vers. 1 : « Qui autem judicat me, Dominus est. » Et *epist.* II, cap. v, vers. 10 : « Omnes nos manifestari oportet ante tribunal Christi, ut referat unusquisque propria corporis prout gessit, sive bonum, sive malum. Scientes ergo timorem Domini suademus hominibus. » Paulum secutus S. Cyprianus, lib. IV, epist. 9 *ad Florentium* : « Hæc, ait, pro animi mei pura conscientia, et Domini et Dei mei fiducia rescripsi. Habes tu litteras meas, et ego tuas : in die judicii ante tribunal Christi utræque recitabuntur. » Sic et noster Edmundus Campianus, Angliæ athleta et martyr, in lib. *Decem rationum*, ratione 20 : « Veniet, inquit, Elizabetha, dies ille, ille dies, qui tibi liquido commonstrabit, utri te dilexerint, Societas Jesu, an Lutheri progenies. » Audivi in Belgio concionatorem insignem, qui in singulis concionibus pathos vehemens ciebat intentatione et exaggeratione judicii divini, magno audientium motu et fructu.

Tremefactus Felix. — Vox enim Pauli eum, utpote adulterum et tyrannum, percellebat instar tonitrui. Talis enim est vox virginum, *Apocal.* xiv, 2. Paulus autem fuit virgo, ut patet I *Corinth.* vii, 7. Hinc et talis fuit vox S. Jacobi et S. Joannis intonantis : « In principio erat Verbum : » uterque enim fuit virgo. Unde et a Christo cognominati sunt « Boanerges, » id est filii tonitrui, *Marc.* cap. iii, vers. 17. Vere S. Hieronymus, epist. 61 *ad Pammachium* : « Ubi, inquit, electionis vas, tuba Evangelii, rugitus leonis nostri, tonitru Gentium. » Et S. Augustinus, serm. 31 *De Verbis Apostoli* : « Audivimus, ait, de nube magna tonitrua : nubes enim Dei verba ista sonuerunt et tremere nos fecerunt. » Si impium præsidem perculit Paulus, dum coram eo staret subditus, reus et vinctus ; quomodo percellet eumdem, quando cum Christo et Apostolis sedebit super thronos duodecim, judicans Felicem, adeoque omnes tribus Israelis et totius orbis juxta illud *Sapient.* cap. v, vers. 1 : « Tunc stabunt justi in magna constantia adversus eos qui se angustiaverunt et qui abstulerunt labores eorum. Videntes turbabuntur timore horribili, » etc.? Quocirca in Paulo verum est illud ænigma et elogium antistrophum :

Imbellis ecce bellat, innocens nocet ;
Inermis arma superat, immotus movet ;
In pace pugnax, pacis in pugna tenax ;
Clemens in ira, horrendus in clementia ;
Rigide severus, et severus comiter ;
Judicatus judicat, et judicem percellit ;
Vinctus vincit, vinciendo vincientem ;
Reus fit judex, judicemque facit reum ;
Supplex imperat, imperans supplicat ;
Terror timet, timor terret.
O miram virtutis vim ! o virum ! o angelum !
O novum novi Pharaonis Deum !

Quod nunc attinet. — Perperam Dionysius legit, « quid nunc attinet, » scilicet de istis loqui et ita detonare? Græce enim est, τὸ νῦν ἔχον, quod Pagninus et Tigurina vertunt *in præsentia*, abi scilicet ad liberam custodiam, inquit Glossa ; ita ut libertatem daret eundi per civitatem, ait Lyranus. Sequitur enim per antithesin : « Tempore autem opportuno accersam te, » ut tuam causam plenius audiam, examinem et judicem.

26. Sperans quod pecunia ei daretur a Paulo. — Græca addunt, ὅπως λύσῃ αὐτόν, id est *ut solveret eum*, quasi Paulus se lytro redempturus esset, ac pecunia empturus liberationem et libertatem. Audierat enim Felix a Paulo ipsum pecuniam attulisse Hierosolymam ad faciendas eleemosynas, vers. 17, ac sciebat fideles et discipulos pro eo redimendo sua omnia impensuros. Vide hic sordidam Felicis avaritiam. Rectus præses facit illud Taciti, lib. XIII *Annal.* : « Nihil in penatibus suis venale, aut ambitioni pervium. » Præclare S. Nazianzenus in *Sententiis* : « Avarus, inquit, quidam dixit : Fortunæ guttam malo, quam mentis (sapientiæ) dolium. Huic sapiens reposuit : Mentis guttam pluris facio, quam fortunæ dolium. » Verum generosus animo Paulus Deo fisus, pro eoque patiendi avidus, sordidam hanc nundinationem abominatus est, maluitque in carcere manere et mitti ad Neronem. Quid mirum? Socrates apud Platonem in *Critone* docet, non decere ut vinctus vinculis injustis, dato pretio, sese eximat, decere potius ut pœnam mortemque innocenter et fortiter subeat. Nimis rigide Tertullianus, lib. *De Fuga*, cap. xii, hoc Pauli exemplo concludere conatur illicitam esse omnem in persecutione fugam et redemptionem. Sancte enim faciunt Catholici, qui suos sacerdotes ab hæreticis vel infidelibus captos pretio redimunt, æque ac illi qui redimi se sinunt. Sanctius tamen et generosius faciunt, qui Paulum imitantes redimi nolunt, tum ut plura pro Christo patiantur, tum ne Catholicos sumptu gravent, tum ne infidelibus Catholicos expilandi, et sacerdotes capiendi dent ansam, eis omnem lucri spem præcludendo, quod nonnullos e Societate nostra mihi familiares, in Hollandia captos factitasse scio, magna sacerdotalis constantiæ fama et gloria.

27. Biennio autem expleto. — Scilicet a captivitate et incarceratione Pauli, quam hucusque enarravit Lucas, inquit Œcumenius, Beda, Lyranus, Glossa, Sanchez, Cajetanus et Dionysius hic, ac Onuphrius in *Chronico* : censent enim Paulum per biennium a Felice Cæsareæ in vinculis detentum fuisse. Verum hoc difficile est creditu. Sic enim quadriennium integrum egisset Paulus in carcere, nimirum biennium Cæsareæ, et biennium Romæ. Quare alii passim censent Paulum anno 2 Neronis, quo et captus est, ex Judæa vinctum missum esse Romam ad Neronem. Quocirca Baronius, Lorinus et Scaliger biennium hoc inchoant a Neronis imperio. Nam cum a Cumani

temporibus, Felix a Claudio imperatore in eam provinciam missus fuerat præses. Verum hoc generalius videtur, nec satis ad propositum. Quare magis pertinenter et apposite dicemus biennium hoc inchoandum a præfectura Felicis in Judæa: nam ante illud præfuerat Trachonitidi, Batanææ et Gaulanitidi: Claudius enim, sub finem imperii et vitæ, Felicem præfecit Judææ, ut dixi vers. 10.

Porro Onuphrius in *Chronico* censet Felicem a Claudio missum esse præsidem in Judæam anno Christi 52, Paulum vero Hierosolymæ captum esse anno Christi 55, qui fuit Claudii 14 et ultimus, ac biennio captivum apud Felicem mansisse, ita ut anno Christi 58 a Festo, qui Felici successit, missus sit Romam. Quæ sententia non est incongrua, nec improbabilis. Ex qua colliges, Paulum integro quadriennio fuisse in carcere: nam post hoc biennium missus Romam, ibidem alterum biennium egit in carcere, cap. XXVIII, vers. 30. Mirum sane videtur Deum permisisse Paulum tanto tempore claudi et ab apostolatu impediri. Sed per passiones honoratur Deus magis quam per actiones, præsertim quia Paulus in carcere magis et ardentius quam liber prædicabat Christum tam litteris, quam verbis et exhortationibus, ut patebit in fine cap. XXVIII. Sed hic computus dissentit a chronologia et coordinatione annorum Pauli, quam consignat Baronius et alii, egoque in Chronotaxi secutus sum. Quare prius quod dixi, verius est.

VOLENS AUTEM GRATIAM PRÆSTARE, — χάριτας καταθέσθαι, id est *gratam rem facere*, vel *gratiam inire*. Ita Vatablus, ne scilicet a Judæis, quos vexaverat, accusaretur apud Neronem. Sed impius gratiam hominum quam quærebat, non acquisivit: nam a Judæis accusatus, vinctus missus est ad Neronem a Festo successore, ut dixi vers. 25. Porro hic in Paulo vera est illa aurea Nazianzeni in *Sententiis* gnome: « Dies ad diem te transmittit levissimeque volvitur: constantis autem hominis sententia sempiternum diem habet. » Et illa ibidem: « Ut incus maxima ictus non pertimescit, sic mens sapiens omne detrimentum extrudit. »

# CAPUT VIGESIMUM QUINTUM.

## SYNOPSIS CAPITIS.

*Judæis poscentibus, Festus rogat Paulum num causam dicere velit Hierosolymis. Ille negat et Romam ad Cæsarem appellat. Festus, priusquam ad Cæsarem Paulum mittat, rogat Agrippam regem ut eum audiat, et quid de eo faciendum sit, suggerat.*

1. Festus ergo cum venisset in provinciam, post triduum ascendit Hierosolymam a Cæsarea. 2. Adieruntque eum principes sacerdotum, et primi Judæorum, adversus Paulum: et rogabant eum, 3. postulantes gratiam adversus eum, ut juberet perduci eum in Jerusalem, insidias tendentes ut interficerent eum in via. 4. Festus autem respondit, servari Paulum in Cæsarea: se autem maturius profecturum. 5. Qui ergo in vobis (ait) potentes sunt, descendentes simul, si quod est in viro crimen, accusent eum. 6. Demoratus autem inter eos dies non amplius quam octo aut decem, descendit Cæsaream, et altera die sedit pro tribunali, et jussit Paulum adduci. 7. Qui cum perductus esset, circumsteterunt eum, qui ab Hierosolyma descenderant Judæi, multas et graves causas objicientes, quas non poterant probare. 8. Paulo rationem reddente: Quoniam neque in legem Judæorum, neque in templum, neque in Cæsarem quidquam peccavi. 9. Festus autem volens gratiam præstare Judæis, respondens Paulo, dixit: Vis Hierosolymam ascendere, et ibi de his judicari apud me? 10. Dixit autem Paulus: Ad tribunal Cæsaris sto, ibi me oportet judicari. Judæis non nocui, sicut tu melius nosti. 11. Si enim nocui, aut dignum morte aliquid feci, non recuso mori: si vero nihil est eorum, quæ hi accusant me, nemo potest me illis donare. Cæsarem appello. 12. Tunc Festus cum concilio locutus, respondit: Cæsarem appellasti: ad Cæsarem ibis. 13. Et cum dies aliquot transacti essent, Agrippa rex et Bernice descenderunt Cæsaream ad salutandum Festum. 14. Et cum dies plures ibi demorarentur, Festus regi indicavit de Paulo, dicens: Vir quidam est derelictus a Felice vinctus, 15. de quo, cum essem Hierosolymis, adierunt me principes sacerdotum, et seniores Judæorum, postulantes adversus



illum damnationem. 16. Ad quos respondi: Quia non est Romanis consuetudo damnare aliquem hominem, prius quam is qui accusatur, præsentes habeat accusatores, locumque defendendi accipiat ad abluenda crimina. 17. Cum ergo huc convenissent, sine ulla dilatione, sequenti die sedens pro tribunali, jussi adduci virum. 18. De quo, cum stetissent accusatores, nullam causam deferebant, de quibus ego suspicabar malum: 19. quæstiones vero quasdam de sua superstitione habebant adversus eum, et de quodam Jesu defuncto, quem affirmabat Paulus vivere. 20. Hæsitans autem ego de hujusmodi quæstione, dicebam, si vellet ire Hierosolymam, et ibi judicari de istis. 21. Paulo autem appellante ut servaretur ad Augusti cognitionem, jussi servari eum, donec mittam eum ad Cæsarem. 22. Agrippa autem dixit ad Festum: Volebam et ipse hominem audire. Cras, inquit, audies eum. 23. Altera autem die, cum venisset Agrippa, et Bernice, cum multa ambitione, et introissent in auditorium cum tribunis et viris principalibus civitatis, jubente Festo, adductus est Paulus. 24. Et dicit Festus: Agrippa rex, et omnes, qui simul adestis nobiscum viri, videtis hunc, de quo omnis multitudo Judæorum interpellavit me Hierosolymis, petentes et acclamantes non oportere eum vivere amplius. 25. Ego vero comperi nihil dignum morte eum admisisse. Ipso autem hoc appellante ad Augustum, judicavi mittere. 26. De quo quid certum scribam domino, non habeo. Propter quod produxi eum ad vos, et maxime ad te, Rex Agrippa, ut interrogatione facta habeam quid scribam. 27. Sine ratione enim mihi videtur mittere vinctum, et causas ejus non significare.

1. FESTUS ERGO CUM VENISSET IN PROVINCIAM.—Tigurina, *Festus ergo suscepta provincia*, puta cura et regimine provinciæ, nimirum Judææ; id fecit adeundo Cæsaream: hæc enim erat caput provinciæ, si spectas Romanos; sin Judæos, caput erat Hierosolyma: unde mox eo ascendit Festus.

3. POSTULANTES GRATIAM, — non justitiam: hanc enim in tribunali, coram tribuno et Felice tentarant frustra, Paulo causæ suæ justitiam et innocentiam clare ipsis etiam hostibus demonstrante. Rursum postulant gratiam, ut scilicet Paulus Cæsarea, quo a tribuno ob insidias Judæorum missus erat, remitteretur Hierosolymam, ut ei novas insidias struerent. Solet enim a præsidibus et principibus, dum primo principatum capessunt vel inaugurantur, peti gratia quæpiam. Judæi hic non aliam petunt, quam Pauli necem. Vide, quanti Paulum æstiment, puta quantum Judaismi hostem et Christianismi hyperaspisten, ut, cum multa longe majora et publicum bonum spectantia petere possint et debeant, iis omissis unum Pauli petant caput. Ita invidentes gloriæ Pauli, nescientes longe magis eam celebrant. Vere Nazianzenus, in *Monostichis*:

Gratum est invideri: at invidere ingens probrum.

4. FESTUS AUTEM RESPONDIT SERVARI PAULUM IN CÆSAREA.—Refutavit Festus petitionem Judæorum de Paulo Hierosolymam accersendo, sive quia ex vultu, voce et gestu vidit malevolentiam Judæorum in Paulum; sive quia audierat de insidiis illi a Judæis structis; sive quia tribunal præsidis erat Cæsareæ, quo proinde ipse properabat.

5. POTENTES SUNT — ad conficiendum iter, *q. d.* Qui possunt proficisci et tantum iter (trium dierum) peragere. Aliter Hugo et Vatablus, *q. d.* Qui possunt sine rerum suarum incommodo, quibus scilicet commodum est, ire Cæsaream. *Secundo*, potentes, id est validi oratores, sive accusatores lingua pollentes, et validis argumentis armati ad Paulum accusandum et convincendum. Hi enim vocantur δυνατοί, et hoc proprie ad rem præsentem facit.

SI QUOD EST IN VIRO CRIMEN.— Pro *crimen*, Græce est ἄτοπον, id est *absurdum*, *insolens*, *indecens*, *infame*.

7. GRAVES CAUSAS — αἰτιάματα, id est *crimina criminationes*; ita Tigurina, Pagninus et alii.

9. VIS HIEROSOLYMAM ASCENDERE? — Non jubet, sed rogat. Impudens enim fuisset, si jussisset, et abduxisset illuc, ubi non erat redargutus, inquit Chrysostomus, præsertim quia Paulus erat civis Romanus et stabat Cæsareæ ad tribunal Cæsaris Romani: nomen enim Romanum in reo veneratur præses Romanus, ait Hugo.

AD TRIBUNAL CÆSARIS STO. — *q. d.* Cæsar suum tribunal, quod tu nunc ejus vice occupas, o Feste, habet hic Cæsareæ, quasi in metropoli provinciæ, ibi ergo me judicari oportet, non Hierosolymæ. Porro *Cæsares* nuncupati sunt Reges et Imperatores Romani, a Julio Cæsare, qui primus imperium occupavit, et vocatus est *Cæsar* a familia. Fuit enim Cæsarum familia Juliis ascita, qui ex Julio Ascanio, Æneæ filio, descenderunt, juxta illud Virgilii, *Æneid.* VI:

Julius a magno demissum nomen Julo.

Cæsar autem primitus dictus est, vel a cæsiis oculis, vel a cæsarie seu capillis cum quibus natus sit; vel a cæso matris utero, quos ideo cæsones Cæsaris etymon et origo.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

temporibus, Felix a Claudio imperatore in eam provinciam missus fuerat præses. Verum hoc generalius videtur, nec satis ad propositum. Quare magis pertinenter et apposite dicemus biennium hoc inchoandum a præfectura Felicis in Judæa : nam ante illud præfuerat Trachonitidi, Batanææ et Gaulanitidi : Claudius enim, sub finem imperii et vitæ, Felicem præfecit Judææ, ut dixi vers. 10.

Porro Onuphrius in *Chronico* censet Felicem a Claudio missum esse præsidem in Judæam anno Christi 52, Paulum vero Hierosolymis captum esse anno Christi 55, qui fuit Claudii 14 et ultimus, ac biennio captivum apud Felicem mansisse, ita ut anno Christi 58 a Festo, qui Felici successit, missus sit Romam. Quæ sententia non est incongrua, nec improbabilis. Ex qua colligas, Paulum integro quadriennio fuisse in carcere : nam post hoc biennium missus Romam, ibidem alterum biennium egit in carcere, cap. XXVIII, vers. 30. Mirum sane videtur Deum permisisse Paulum tanto tempore claudi et ab apostolatu impediri. Sed per passiones honoratur Deus magis quam per actiones, præsertim quia Paulus in carcere magis et ardentius quam liber prædicabat Christum tam litteris, quam verbis et exhortationibus, ut patebit in fine cap. XXVIII. Sed hic computus dissentit a chronologia et coordinatione annorum Pauli, quam consignat Baronius et alii, egoque in Chronotaxi secutus sum. Quare prius quod dixi, verius est.

VOLENS AUTEM GRATIAM PRÆSTARE, — χάριτας καταθέσθαι, id est *gratam rem facere*, vel *gratiam inire*. Ita Vatablus, ne scilicet a Judæis, quos vexaverat, accusaretur apud Neronem. Sed impius gratiam hominum quam quærebat, non acquisivit : nam a Judæis accusatus, vinctus missus est ad Neronem a Festo successore, ut dixi vers. 25. Porro hic in Paulo vera est illa aurea Nazianzeni in *Sententiis* gnome : « Dies ad diem te transmittit levissimeque volvitur : constantis autem hominis sententia sempiternum diem habet. » Et illa ibidem : « Ut incus maxima ictus non pertimescit, sic mens sapiens omne detrimentum extrudit. »

# CAPUT VIGESIMUM QUINTUM.

## SYNOPSIS CAPITIS.

*Judæis poscentibus, Festus rogat Paulum num causam dicere velit Hierosolymis. Ille negat et Romam ad Cæsarem appellat. Festus, priusquam ad Cæsarem Paulum mittat, rogat Agrippam regem ut eum audiat, et quid de eo faciendum sit, suggerat.*

1. Festus ergo cum venisset in provinciam, post triduum ascendit Hierosolymam a Cæsarea. 2. Adieruntque eum principes sacerdotum, et primi Judæorum, adversus Paulum : et rogabant eum, 3. postulantes gratiam adversus eum, ut juberet perduci eum in Jerusalem, insidias tendentes ut interficerent eum in via. 4. Festus autem respondit, servari Paulum in Cæsarea : se autem maturius profecturum. 5. Qui ergo in vobis (ait) potentes sunt, descendentes simul, si quod est in viro crimen, accusent eum. 6. Demoratus autem inter eos dies non amplius quam octo aut decem, descendit Cæsaream, et altera die sedit pro tribunali, et jussit Paulum adduci. 7. Qui cum perductus esset, circumsteterunt eum, qui ab Hierosolyma descenderant Judæi, multas et graves causas objicientes, quas non poterant probare. 8. Paulo rationem reddente : Quoniam neque in legem Judæorum, neque in templum, neque in Cæsarem quidquam peccavi. 9. Festus autem volens gratiam præstare Judæis, respondens Paulo, dixit : Vis Hierosolymam ascendere, et ibi de his judicari apud me? 10. Dixit autem Paulus : Ad tribunal Cæsaris sto, ibi me oportet judicari. Judæis non nocui, sicut tu melius nosti. 11. Si enim nocui, aut dignum morte aliquid feci, non recuso mori : si vero nihil est eorum, quæ hi accusant me, nemo potest me illis donare. Cæsarem appello. 12. Tunc Festus cum concilio locutus, respondit : Cæsarem appellasti : ad Cæsarem ibis. 13. Et cum dies aliquot transacti essent, Agrippa rex et Bernice descenderunt Cæsaream ad salutandum Festum. 14. Et cum dies plures ibi demorarentur, Festus regi indicavit de Paulo, dicens : Vir quidam est derelictus a Felice vinctus, 15. de quo, cum essem Hierosolymis, adierunt me principes sacerdotum, et seniores Judæorum, postulantes adversus



illum damnationem. 16. Ad quos respondi : Quia non est Romanis consuetudo damnare aliquem hominem, prius quam is qui accusatur, præsentes habeat accusatores, locumque defendendi accipiat ad abluenda crimina. 17. Cum ergo huc convenissent, sine ulla dilatione, sequenti die sedens pro tribunali, jussi adduci virum. 18. De quo, cum stetissent accusatores, nullam causam deferebant, de quibus ego suspicabar malum : 19. quæstiones vero quasdam de sua superstitione habebant adversus eum, et de quodam Jesu defuncto, quem affirmabat Paulus vivere. 20. Hæsitans autem ego de hujusmodi quæstione, dicebam, si vellet ire Hierosolymam, et ibi judicari de istis. 21. Paulo autem appellante ut servaretur ad Augusti cognitionem, jussi servari eum, donec mittam eum ad Cæsarem. 22. Agrippa autem dixit ad Festum : Volebam et ipse hominem audire. Cras, inquit, audies eum. 23. Altera autem die, cum venisset Agrippa, et Bernice, cum multa ambitione, et introissent in auditorium cum tribunis et viris principalibus civitatis, jubente Festo, adductus est Paulus. 24. Et dicit Festus : Agrippa rex, et omnes, qui simul adestis nobiscum viri, videtis hunc, de quo omnis multitudo Judæorum interpellavit me Hierosolymis, petentes et acclamantes non oportere eum vivere amplius. 25. Ego vero comperi nihil dignum morte eum admisisse. Ipso autem hoc appellante ad Augustum, judicavi mittere. 26. De quo quid certum scribam domino, non habeo. Propter quod produxi eum ad vos, et maxime ad te, Rex Agrippa, ut interrogatione facta habeam quid scribam. 27. Sine ratione enim mihi videtur mittere vinctum, et causas ejus non significare.

1. FESTUS ERGO CUM VENISSET IN PROVINCIAM.—Tigurina, *Festus ergo suscepta provincia*, puta cura et regimine provinciæ, nimirum Judææ; id fecit adeundo Cæsaream : hæc enim erat caput provinciæ, si spectas Romanos; sin Judæos, caput erat Hierosolyma : unde mox eo ascendit Festus.

3. POSTULANTES GRATIAM, — non justitiam : hanc enim in tribunali, coram tribuno et Felice tentarant frustra, Paulo causæ suæ justitiam et innocentiam clare ipsis etiam hostibus demonstrante. Rursum postulant gratiam, ut scilicet Paulus Cæsarea, quo a tribuno ob insidias Judæorum missus erat, remitteretur Hierosolymam, ut ei novas insidias struerent. Solet enim a præsidibus et principibus, dum primo principatum capessunt vel inaugurantur, peti gratia quæpiam. Judæi hic non aliam petunt, quam Pauli necem. Vide, quanti Paulum æstiment, puta quantum Judaismi hostem et Christianismi hyperaspisten, ut, cum multa longe majora et publicum bonum spectantia petere possint et debeant, iis omissis unum Pauli petant caput. Ita invidentes gloriæ Pauli, nescientes longe magis eam celebrant. Vere Nazianzenus, in *Monostichis* :

Gratum est invideri : at invidere ingens probrum.

4. FESTUS AUTEM RESPONDIT SERVARI PAULUM IN CÆSAREA.—Refutavit Festus petitionem Judæorum de Paulo Hierosolymam accersendo, sive quia ex vultu, voce et gestu vidit malevolentiam Judæorum in Paulum; sive quia audierat de insidiis illi a Judæis structis; sive quia tribunal præsidis erat Cæsareæ, quo proinde ipse properabat.

5. POTENTES SUNT — ad conficiendum iter, *q. d.* Qui possunt proficisci et tantum iter (trium dierum) peragere. Aliter Hugo et Vatablus, *q. d.* Qui possunt sine rerum suarum incommodo, quibus scilicet commodum est, ire Cæsaream. *Secundo*, potentes, id est validi oratores, sive accusatores lingua pollentes, et validis argumentis armati ad Paulum accusandum et convincendum. Hi enim vocantur δυνατοί, et hoc proprie ad rem præsentem facit.

SI QUOD EST IN VIRO CRIMEN.— Pro *crimen*, Græce est ἄτοπον, id est *absurdum*, *insolens*, *indecens*, *infame*.

7. GRAVES CAUSAS — αἰτιώματα, id est *crimina criminationes*; ita Tigurina, Pagninus et alii.

9. VIS HIEROSOLYMAM ASCENDERE? — Non jubet, sed rogat. Impudens enim fuisset, si jussisset, et abduxisset illuc, ubi non erat redargutus, inquit Chrysostomus, præsertim quia Paulus erat civis Romanus et stabat Cæsareæ ad tribunal Cæsaris Romani : nomen enim Romanum in reo veneratur præses Romanus, ait Hugo.

AD TRIBUNAL CÆSARIS STO. — *q. d.* Cæsar suum tribunal, quod tu nunc ejus vice occupas, o Feste, habet hic Cæsareæ, quasi in metropoli provinciæ, ibi ergo me judicari oportet, non Hierosolymæ. Porro *Cæsares* nuncupati sunt Reges et Imperatores Romani, a Julio Cæsare, qui primus imperium occupavit, et vocatus est *Cæsar* a familia. Fuit enim Cæsarum familia Juliis ascita, qui ex Julio Ascanio, Æneæ filio, descenderunt, juxta illud Virgilii, *Æneid.* VI :

Julius a magno demissum nomen Iulo.

Cæsar autem primitus dictus est, vel a cæsiis oculis, vel a cæsarie seu capillis cum quibus natus sit; vel a cæso matris utero, quos ideo cæsones Cæsaris etymon et origo

dici, et auspicatius nasci, quam eos qui in pedes nascuntur, asserit Plinius, lib. VII, IX; ideoque Scipionem Africanum seniorem *Cæsarem* cognominatum esse. Spartianus vero et Servius aiunt primum qui *Cæsar* vocatus sit, fuisse Julii Cæsaris avum, qui in Africa elephantum interfecit : Elephas enim lingua Punica vocabatur *Cæsar*. Certe Julius Cæsar, a quo propagata est familia et nomenclatura Cæsarum, non est natus cæso utero materno, habuit enim ipse matrem Aureliam, quam amisit dum in Gallia bellum gereret. Adde : ejus quoque pater nuncupatus est *Cæsar*, qui prætura functus Pisis obiit.

Porro ipse hoc nomen propagavit in posteros, ob rerum a se gestarum splendorem et gloriam quam multi secuti sunt, nemo assecutus. Ipse enim omnem Galliam quæ saltu Pyrenæo, Alpibusque, ac Rhodano Rhenoque continetur, novem annis in provinciæ formam redegit. Ipse Germanos trans Rhenum habitantes, primus Romanorum ponte fabricato invadens, subjugavit. Ipse Britannos antea ignotos devicit. Ipse in Italia Picenum, Umbriam, Hetruriam occupavit. Ipse validissimas Pompeii copias quæ sub tribus legatis, M. Petreio, S. Afranio et M. Varrone in Hispania erant, invasit. In Macedonia superavit Pompeium, in Ægypto Ptolemæum, in Ponto Pharnacem, in Africa Scipionem et Jubam, in Hispania Pompeii filios, idque citissime, instar fulminis omnia pervadens et sternens, ut merito hoc sibi elogium usurparit : « Vidi, veni, vici. » Ipse quinquies triumphavit : primum de Gallia, postea de Alexandria; tertio, de Ponto; quarto, de Africa; quinto, de Hispania. Denique ipse Pompeium, Senatum, Romam totumque imperium primus subegit et occupavit. Porro ipse fuit liberalissimus, maxime post hos triumphos : ita Suetonius in ejus Vita. Quocirca Julius Cæsar hisce elogiis a nupero Poeta celebratur :

Lux Cæsarum et pater,
Romanus Alexander, terræ Mars,
Victo orbe, urbem victricem orbis vicit.
Ingratam patriam patriis armis punit.
Eam vicit invitus, qua vixit invita.

Sane videtur ipse fuisse naturæ, ingenii, prudentiæ, fortitudinis et felicitatis prodigium, adeoque Deus Romanam aristocratiam per eum in monarchiam convertit, ut viam sterneret Christo supremo Monarchæ paulo post nasciture, et totum orbem jam a Julio quasi in monarchiam redactum, per S. Petrum Romanum pontificem et Constantinum Romanum Imperatorem sibi subjugaturo.

Vere enim dixit Tacitus, lib. I : « Unum reipublicæ corpus unius animo regendum est. » Et Thucydides, lib. VI : « Inordinata est res plurium principatus. » Et Homerus, *Iliad.* II, et ex eo Aristoteles, lib. XII *Metaphys.* : « Non multos regnare bonum, rex unicus esto. » Verius S. Leo, serm. I *in Nativit. S. Petri et Pauli* : « Cum duodecim Apostoli, inquit, imbuendum Evangelio mundum, distributis sibi terrarum partibus, suscepissent, beatissimus Petrus, princeps Apostolici ordinis, ad arcem Romani destinatur imperii, ut lux veritatis, quæ in omnium gentium revelabatur salutem, efficacius se ab ipso capite per totum mundi corpus effunderet : » nimirum, sicut idem ibidem ait, « ut tot populos cito pervios haberet prædicatio generalis, quos unius teneret regimen civitatis. »

IBI ME OPORTET JUDICARI. — Caute dicit Cæsarem se debere judicari, non autem Cæsarem esse suum judicem, quia proprius Pauli judex et superior erat S. Petrus; sed quia eum non agnoscebant Judæi et Romani Gentiles, hinc coram Romanis præsidibus accusatus a Judæis Paulus, coram eis causam dicere debuit. Romani enim Judæam et Judæos sibi subegerant eisque dominabantur. Adde, in civilibus Apostolos et Ecclesiasticos primis illis Ecclesiæ temporibus, debuisse parere Magistratui civili, ut insinuat Paulus, *Rom.* XIII, et ibidem expresse docent S. Chrysostomus, Theodoretus, Theophylactus et S. Thomas. Needum enim introducta erat exemptio et immunitas Ecclesiastica, quam posterioribus sæculis Pontifices et Concilia Œcumenica sanxerunt, ac reges principesque Christiani approbarunt et concesserunt. Cum enim ipsi sint oves et subditi Pontificum, non decet ut ipsi judicent suos Pastores et Superiores, etiam in civilibus. Verum tempore Pauli principes erant Gentiles, non Christiani, qui nullo modo tulissent Apostolos a sua jurisdictione eximi. Quocirca eis sponte se subjecerunt Apostoli, ne darent infidelibus scandalum, neve principes contra se et fideles concitarent. Vide Lessium, lib. II *De Justit.*, cap. XXXIII *De tributis et vectigalibus*, dubio 4; et Bellarminum, lib. II *De Romano Pontif.*, cap. XXIX.

[illegible] judex legitimus Pauli

Denique Paulus vim passus a Judæis, licite imploravit auxilium Cæsaris, cum aliud tribunal et remedium se vitamque suam tuendi non haberet, uti docet S. Augustinus, *epist.* 50. Paulum imitatus est S. Athanasius, qui oppressus ab Arianis, imploravit auxilium Constantii Imperatoris Ariani. In Apologia enim ad Constantium sic ait : « Si apud alios accusatus essem, ad tuam Majestatem provocarem, sicut Apostolus dixit : Cæsarem appello, et cessatum est ab insidiis contra eum. »

JUDÆIS NON NOCUI, SICUT TU MELIUS NOSTI. — « Melius, » quam ut plenioris cognitionis causa oporteat te ire Hierosolymam, ibique meam causam investigare meque judicare. Testatus est tibi Lysias, Felix aliique meam innocentiam. Tu eamdem ex accusatione Judæorum turbulenta, qua nihil probare potuerunt, meaque prudenti et vera defensione cognovisti : sat ergo eam nosti.

11. NON RECUSO MORI. — Nota sincerum et intrepidum Pauli animum et vocem : adeo jus et tribunal non declinat, ut si quid contra id peccarit, pœnæ et morti ultro se offerat.



NEMO POTEST ME ILLIS DONARE. — Tacite perstringit Præsidem, quod nimis in gratiam Judæorum pendulus, velit Paulum judicare Hierosolymæ. Hoc enim erat eum tradere Judæis : tum quia ipsi Paulo in via parabant insidias, ut patet vers. 3; tum quia Hierosolymæ conspirantes in eum communi studio, tot tantaque contra eum machinati fuissent, ut manus eorum non potuisset effugere.

Paulus Cæsarem appellat quinque de causis.

CÆSAREM APPELLO. — Syrus, *protectionem Cæsaris invoco.* Appellavit Cæsarem Paulus, *primo*, quia non vitæ suæ, sed Ecclesiæ consulebat, ait S. Augustinus, *epist.* 58. *Secundo*, quia eum ut seditiosum et Cæsaris jura turbantem accusarant Judæi. Unde S. Chrysostomus notat miram Pauli generositatem, qua apud illum, quem accusabatur læsisse, judicari velit. *Tertio*, quia oraculum a Deo acceperat, cap. XXIII, vers. 11, se Romæ evangelizaturum : hujus ergo occasionem commodam captat appellando Cæsarem, sciens id Deum velle, ideoque appellationis hujus successum Deo curæ et cordi fore. *Quarto*, quia experientia continua didicerat Paulus, se in Judæa nusquam et nunquam tutum fore, nec Judæorum insidias et manus evasurum : ergo Romam et Cæsarem appellat. *Quinto*, ut hac appellatione Cæsarem, puta Neronem demereretur, sibique et Christianis conciliaret : aut certe, si ab eo damnaretur, gloriose ut martyr Romæ in orbis theatro occumberet. Nam, ut vere ait Dionysius Halicarn. lib. II : « Aut vita libera, aut mors gloriosa eligenda. » Potissima causa fuit, ad vitandos Judæorum laqueos. Prudenter enim S. Gregorius Nazianzenus in *Sententiis* : « Sapiens, inquit, vitat omnia gravia ac periculosa, æque ac nauclerus tempestates. » Idem *ad Bosphorium*, epist. 49, vel juxta alios 15 : « Demens est, qui bis ad eumdem lapidem impingit. » Et Thucydides, lib. I : « Insidias anticipare potius, quam insidiantibus contra insidiari oportet. » Et Demosthenes, *Philipp.* I : « Rerum occasiones tarditatem nostram et ignaviam non exspectant. » Et Seneca : « Sapiens nunquam potentium iras provocat, imo declinat, non aliter quam in navigando procellam. » Porro Neronem Poeta nuper hisce coloribus pinxit :

Hic inter privatos optimus, inter principes pessimus fuit.
Regno dignus, nisi regnasset.
Mollis illius [illegible] in deliciis, induruere in mollitie.
Patriæ dominus, non princeps fuit.
Romam augustam fecit, augustam urbem.
Patriam incendit, ut extingueret.
Hunc defuit extincto rogus :
Dedignatur terra tegere, qui terram dedignatur tangere.

12. TUNC FESTUS CUM CONCILIO (cum suis *consiliariis* : ita Syrus) LOCUTUS. — *q. d.* Festus audita accusatione Judæorum et defensione Pauli, jussit eos secedere, ac secreto suos consiliarios consuluit, quid in hac causa facto esset opus, et an admittenda esset Pauli appellatio ad Cæsarem, an vero rejicienda : si enim Paulus fuisset seditionum concitator, uti accusabant Judæi, debebat illico plecti, nec mitti ad Cæsarem, uti sanxerunt jura civilia. Consiliarii ergo declararunt eum non esse talem, ac proinde appellationem admittendam esse, tum ut Paulo appellanti, tum ut Judæis qui Paulum in Judæa vivum videre non poterant, aliqua ratione satisfieret; tum ut Cæsari hic appellationis honos a Præside tribueretur, eoque ipse profiteretur Cæsari se esse subjectum, eumque suum esse superiorem et judicem.

CÆSAREM APPELLASTI, AD CÆSAREM IBIS. — *q. d.* Quandoquidem meum tribunal et judicium videris recusare ab eoque ad Cæsarem appellas, ito ad Cæsarem, ac coram eo causam tuam age. Videntur enim hæc verba Præsidis manare ex animo nonnihil in Paulum concitato et suboffenso, quod Paulus præsidis judicium suspectum et nimis in Judæos propensum hac appellatione arguere videretur.

Consilium Dei in mittendo Paulum Romam.

Nota hic altum mirumque Dei consilium et providentiam, quo Paulum per vincula, criminationes, injurias, vexationes non tantum Judæorum, sed et judicum direxit Romam, ut cum S. Petro fundaret Ecclesiam Romanam, eamque invito Nerone matricem cæterarum constitueret. Præclare S. Nazianzenus, orat. 18 *De S. Cypriano* : « Divina, inquit, sapientia magnarum rerum fundamenta multo ante jacere, ac contraria per contraria procurare novit, ut majorem sui admirationem mortalibus excitet. » Exempla dat Joseph, Mosen et Hebræos : « Hac ille (Deus), inquit, Josephum fratrum scelere et injuria venalem, in Ægyptum duxit, et in femina exploravit, et in frumenti largitione nobilitavit, et per insomnia erudivit, ut in extera regione fidem et auctoritatem obtineret, atque a Pharaone honore afficeretur paterque maximarum illarum copiarum fieret, propter quas Ægyptus cruciatur, mare scinditur, panis instar pluviæ funditur, solis cursus inhibetur, promissa terra per sortem distribuitur. » Ita Paulus hic per adversa extollitur et glorificatur, adeo ut per ejus vincula ipsius fides, virtus et gloria in aula Neronis omnique prætorio celebrata sit, uti ipse asserit, *Philip.* I, 13.

Moraliter, idem Nazianzenus ibidem docet, quod Paulus et Sancti sint cosmopolitæ civesque mundi, quia patriam non habent Judæam, nec Jerusalem terrestrem, sed cœlestem, pro qua omnia acerba mortemque subeunt alacriter. S. Cyprianus, inquit, hortabatur omnes fideles in persecutione Decii ad constantiam et martyrium : « Hanc enim negotiationem omnium præstantissimam esse, qua exigui sanguinis pretio cœleste regnum emitur, ac brevia et fragilia bona cum sempiterna gloria commutantur. Unam enim

magnis et excelsis viris patriam esse, nempe Jerusalem illam quæ mente percipitur, non eas quas hic angustis finibus circumscriptas esse, atque ab aliis aliisque hominibus subinde incoli videmus; unum item generis splendorem in eo consistere, ut divinam imaginem conservemus atque exemplar nostrum imitemur. Unum porro principatum in hoc positum esse, ut adversus improbum illum palmam obtineamus, ac ne in iis certaminibus quæ pietatis causa suscipiuntur, animos nostros frangi et expugnari sinamus, ubi vitium cum virtute confligit, et fluxus ac fragilis mundus cum firmo et stabili; et acerbus ac truculentus certaminis præses cum fortibus athletis; et Belial adversus Christum aciem instruit: ob easque causas et gladios contemnere, et frigidum ignem, ac feras quamlibet immanes et truculentas, mites existimare, et famem pro summis deliciis ducere; amicorum autem et propinquorum lacrymas, et luctus ac gemitus, ut diaboli illecebram, viæque ad Deum ferentis impedimenta, præterire suadebat. Hæc enim virilium et strenuarum animarum esse, gravisque consilii ac prudentis. Atque harum rerum propinquum exemplum ille ipse erat, utpote qui omnia pro stercoribus duxisset, ut Christum lucraretur. »

13. Agrippa rex. — Hic Agrippa non fuit senior ille, qui ab angelo percussus interiit cap. xii, sed ejus filius, frater Drusillæ et Bernices. Agrippa enim senior habuit duos filios, Drusum et Agrippam juniorem; ac tres filias, Drusillam, Bernicem et Mariamnem: ita Josephus, lib. XVIII *Antiq.*, cap. vii. Agrippa junior, ad distinctionem Senioris, ab Hebræis vocatur Agrippina. Hic moriente patre puer erat Romæ, et a Claudio imperatore creatus est rex Chalcidis. Deinde tetrarchia Philippi, puta Trachonitis, ei adjecta est; Judæa vero mansit sub præsidibus Romanis. Quod ergo Agrippa motavit Judæorum pontificem eorumque sacris se immiscuit, ut scribit Josephus, id non tam jure quam conniventia præsidum Romanorum fecit, qui id ipsi tanquam religione Judæo, et Judææ regis nepoti ultro permiserunt, præsertim quia ditio Agrippæ censebatur ad Judæam et Judæos pertinere. Porro Agrippa uterque vocatus est, in gratiam M. Agrippæ, qui fuit gener Augusti Cæsaris: ab Augusto enim Herodes Ascalonita, qui fuit Agrippæ avus, regnum Judææ acceperat. Unde Agrippa senior filiam vocavit Drusillam, in gratiam Liviæ, uxoris Augusti, quæ Drusilla est cognominata, ut dixi cap. xxiv, 24; filium vero Drusum, in gratiam Drusi, filii Liviæ et fratris Tiberii Cæsaris. Agrippa enim non Hebræum, sed Romanum est nomen, ita dictum ab ægro partu, vel ab ægritudine et pedibus. Audi Gellium, lib. VI, cap. xvi: Quorum in nascendo non caput, sed pedes primi extiterant, qui partus difficillimus ægerrimusque habetur, Agrippæ appellati, ab ægritudine et pedibus. Confixos autem pueros in utero Varro dicit, capite infimo nixos, sursum pedibus elatis: non ut hominis natura est, sed ut arboris (unde et homo vocatur arbor inversa). Nam pedes cruraque, arboris appellat ramos; caput, stipem atque caudicem. Quando igitur contra naturam forte conversi pedes, brachiis plerumque diductis, retineri solent, ægrius tunc mulieres enituntur. Et Plinius, lib. VII, cap. viii: « in pedes, inquit, procedere nascentem, contra naturam est: quo argumento eos appellavere Agrippas, ut ægre partos. » Unde et M. Agrippa multas corporis animique ægritudines habuit: « Nam fuit adversa pedum valetudine, misera juventa, exercito ævo inter arma mortesque, ad noxia successu, infelici terris stirpe omni, sed per utrasque Agrippinas maxime: » harum enim una genuit Caium Caligulam Cæsarem, altera Neronem, « totidem faces generis humani. Præterea brevitate ævi, 51 raptus anno, in tormentis adulteriorum conjugis, socerique præ gravi servitio, luisse augurium præposteri natalis existimatur: » ita Plinius, et Suetonius, in *Augusto*, cap. lxiii, lxiv et lxv. Pari modo miser, infelix et infaustus fuit uterque Herodes Agrippa: sub Juniore enim gestum est bellum Judaicum, ac eversa Judæa et Hierosolyma a Tito. Addit Plinius: « Neronem quoque toto principatu suo hostem humani generis, pedibus genitum parens ejus scribit Agrippina. Ritu naturæ capite hominem gigni mos est, pedibus efferri. »

Nota hic idem Herodum ingenium et officium in judicandis fidelibus et Christianis, continua generatione propagatum. Primus enim Herodes Ascalonita fuit judex et carnifex parvulorum innocentum, futurus et Christi, si eum nancisci potuisset. Hujus filius, Herodes Antipas, irrisor fuit Christi et carnifex S. Joannis Baptistæ. Nepos vero Herodes Agrippa Senior, fuit judex et incarcerator S. Petri, homicida vero S. Jacobi. Abnepos, puta Agrippa Junior, hic quasi judex fuit S. Pauli.

Et Bernice. — Hoc nomine multæ fuere illustres feminæ. *Prima* Bernice fuit uxor Ptolemæi Lagi, primi post Alexandrum Magnum regis Ægypti, mater Ptolemæi Philadelphi, rara mulier forma et viro dilectissima. *Secunda* Bernice fuit filia Philadelphi, quæ deinde fratri suo Ptolemæo Evergeti nupsit, cujus crines in cœlum relati putantur persuasione Cononis Mathematici, de quibus elegiam habet Catullus. *Tertia* fuit Bernice celeberrima apud Græcos, a quibus vocata est Pherenice, id est ferens victoriam, utpote filia, mater et soror Olympionicarum, id est eorum qui in ludis Olympicis victoriam et palmam tulerant, teste Plinio, lib. VII, cap. xl. *Quarta* Bernice fuit filia Herodis Ascalonitæ, quam Augustus Cæsar in honore habuit. *Quinta* fuit S. Veronica (hæc enim in *Chronico* L. Dextri et ab aliis vocatur Bernice, Berenice, vel Beronice) quæ Christo eunti ad crucem sudarium dedit ad sudorem extergendum, cui Christus vultum suum impressit, quod Romæ in basilica S. Petri magna veneratione asservatur et quotannis in cœna Domini ostenditur. *Sexta* fuit hæc Bernice, Herodis Agrippæ Senioris filia et Junioris soror, ita dicta a proamita, puta a Bernice Herodis Ascalonitæ filia. Porro Agrippæ Juniori hic eam jungit Lucas, ut significet eam non tantum ipsius fuisse sororem, sed et concubinam. Fuit enim ipsa, æque ac soror ejus Drusilla, incontinens et suspecta de incestu cum fratre; unde ita se invicem diligebant, ut semper sociati incederent, ut patebit vers. 23. Hinc et Chrysostomus eam vocat « uxorem Agrippæ: » quare Bernice, ut hanc suspicionem dilueret, nupsit Polemoni, Ciliciæ, vel ut volunt alii Lyciæ regi, quem tamen mox ex intemperantia reliquit, unde « incestam » eam vocat Juvenalis, *Satyra* 6: « Barbarus incestæ dedit hunc (adamantem) Agrippa sorori. » Tacitus autem, lib. I et II *Histor.*, docet eam placuisse Vespasiano et nihil propius fuisse quam ut nuberet Tito. Audi Josephum, lib. XX *Antiq.*, cap. v: « Porro Bernice, post Herodis obitum, qui idem maritus ejus et patruus fuerat, aliquanto tempore in viduitate acto, cum spargeretur rumor cum fratre eam congredi, suasit Polemoni, regi Ciliciæ, ut prius circumcisus se duceret, rata sic se coarguturam mendacium. Nec recusavit Polemon, inductus maxime mulieris divitiis. Id tamen conjugium diuturnum non fuit, propter intemperantiam, ut fertur, discedente ab eo Bernice; qui mox desertus ab uxore et ipse Judaicæ religionis desertor factus est. » Addit Josephus de Mariamne, altera sorore Bernices, ejusdem cum ea genii: « Eodemque tempore etiam Mariamne dedignata Archelaum, migravit in thalamum Demetrii primi inter Alexandrinos Judæos, et Alabarchæ, ex quo filium Agrippinum suscepit. » Ecce cum quam impuris et incestis Paulo fuit certamen, et tamen eos, licet judices suos, vehementia veritatis et orationis suæ perculit et obstupefecit, ut patebit cap. seq., vers. 24 et 27.

Bernice, soror et concubina Agrippæ.

Porro Bernice, si Græcum etymon spectes idem est quod βάρυ νίκη, id est *gravitas*, vel *pondus victoriæ*, sive *gravis et ponderosa victoria*: Pherenice vero idem est quod *ferens victoriam*. Macedones enim φ in β sæpe commutant et pro *Pherenice* dicunt *Berenice*. Sin Hebræum etymon spectes, *Bernice* idem est quod *puritas innocentiæ*: בר *bar* enim est purus, נקי *naki* est innocens; ita Pagninus in *Interpret. nom. Hebr.* Hæc etyma et significata optime conveniunt S. Veronicæ: in cæteris vero, ac præsertim nostra hac, significant non quales fuerint, sed quales esse debuerint (1).

(1) Rectius: Βερνίκη est nomen Macedonicum pro Φερενίκη; nam Macedones φ in β mutant: sic et Βρύγας dicebant pro Φρύγας.



Ad salutandum Festum, — quasi novum præsidem, felicem ei adventum in provinciam gratulaturi.

15. Postulantes adversus illum damnationem, Vers. 15.
— δίκην, id est *sententiam, qua damnaretur ad mortem*; ita Vatablus.

16. Non est Romanis consuetudo, etc. — Eadem Vers. 16.
consuetudo fuit apud alios populos. Est enim juris naturæ et gentium, ut reus accusatus non damnetur, nisi prius audiatur deturque ei locus apologiæ. Unde illud: « Audi alteram partem. » Ita Alexander, teste Plutarcho in *Apophtheg.*, sedens pro tribunali judex alteram claudebat aurem, ut integram servaret reo. Refert Ammianus, lib. XVIII, Delphidium, cum Numerium accusaret furti, nec id probare posset, eo audacter negante, exclamasse: « Ecquis, florentissime Cæsar, nocens poterit esse usquam, si negasse sufficerit? » Cui Julianus: « Ecquis innocens esse poterit, si accusasse sufficiet? » Quocirca jura statuerunt ut reus, nisi de scelere convincatur, absolvatur. Satius est enim nocentem absolvere, quam innocentem condemnare, ff. *De Pœn.*, lib. *Absentem.*, cap. *De accusat.* Qua de causa litigantes astuti et prudentes, in lite se reos faciunt et hac ratione sæpe litem obtinent, quam alias perderent: facilius enim est gerere bellum defensivum, quam offensivum; sicut facilius est urbem propugnare, quam expugnare. Accusatori enim incumbit probatio criminis, reo sufficit ejusdem negatio. Unde si accusator deficiat in probatione, reus hoc ipso absolvitur. Vita enim innocenti semel erepta, nunquam restitui potest: vita vero nocenti condonata, quovis tempore repeti et auferri potest, uti ait Theodoricus rex apud Cassiodorum, lib. VII, *epist.* 1.

Damnare aliquem hominem, — εἰς ἀπώλειαν, *ad necem et interitum*, ut addunt Græca et Syrus. Unde Biblia Romana recte τὸ *donare* corrigunt, pro eoque legunt *damnare*. Donare enim aliquem ad necem, ut habent Græca, idem est quod damnare. Porro Lucas ait χαρίζεσθαι, id est *donare*, quia Judæi petebant gratiam a Festo contra Paulum; ut scilicet is sibi donaretur quasi donum ad mortem, ut ait Paulus, vers. 3, hoc est, damnaretur: quo satis agnoscebant infirmitatem et iniquitatem suæ causæ, scilicet se capere damnari Paulum per gratiam et favorem, quem reum mortis agere non poterant per justitiam.

18. Nullam causam (nullum delictum, nullum crimen) deferebant, — ita Syrus: hoc enim significat αἰτία. Unde Noster causam hanc explicans subdit: « Nullam causam deferebant de quibus ego suspicabar malum. » Quare clare vertit Pagninus, « nullum crimen intendebant super hisce rebus, de quibus ego suspicabar; » suspicabar, inquam, eo quod viderem Judæos tam ardenter eum accusare et deposcere ad mortem.

19. De sua superstitione. — Ita Festus, quia

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS ®

Gentilis, vocat Judæorum religionem. Et vero illa jam per Christi legem et religionem abolita, incipiebat revera esse superstitio.

20. HÆSITANS AUTEM EGO DE HUJUSMODI QUÆSTIONE, DICEBAM, SI VELLET IRE HIEROSOLYMAM. — Mentitur Festus, ut suum factum coloret; nam non ob hæsitationem, sed in gratiam Judæorum volebat eum ducere Hierosolymam. Et cum paulo ante vocarit eam superstitionem, quomodo de ea hæsitabat? Unde Chrysostomus : « Si hæsitans, inquit, et anxius es, cur in Jerusalem trahis? Sic dixit adumbrans suum peccatum (1). »

Vers. 21. Augusti etymon et origo. 21. AD AUGUSTI COGNITIONEM. — Nero hic, uti alibi quilibet Imperator, vocatur « Augustus, » ab Octavio Augusto, qui Julio Cæsari successit, sicut a Julio vocatur Cæsar. Octavius enim infans vocatus est Thurinus. « Postea, inquit Suetonius in ejus Vita, cap. VII, Cæsaris et deinde Augusti cognomen assumpsit : alterum testamento majoris avunculi; alterum Munatii Planci sententia, cum, quibusdam censentibus Romulum appellari oportere, quasi et ipsum conditorem urbis, prævaluisset ut Augustus potius vocaretur, non tantum novo, sed etiam ampliore cognomine; quod loca quoque religiosa et in quibus augurato quid consecratur, augusta dicantur, ab auctu, vel ab avium gestu gustuve, sicut etiam Ennius docet scribens : Augusto augurio postquam inclyta condita Roma est. » Inter multa enim præsagia imperii et felicitatis Octavii Augusti, quæ recenset Suetonius in ejus Vita, cap. XCIV et seq., aquila ei prandenti panem rapuit, et illico reddidit. Rursum : « Aquila tentorio ejus supersedens, duos corvos hinc et inde infestantes afflixit et ad terram dedit, notante omni exercitu, futuram quandoque inter collegas discordiam, qualis secuta est, ac exitum præsagiente, » ait Suetonius, cap. XCVI. Nimirum aquila notabat Augustum, qui duos corvos, id est, Lepidum et Antonium, in triumviratu collegas debellavit, itaque se fecit monarcham.

Hinc Augustus, græce σεβαστός, idem est quod venerandus, et numinis velut majestate quadam colendus. Est enim Rex vel Imperator, viva Dei in terris imago, et quasi Deus quidam terrenus. Unde illud tritum : « Principes fato dari. » Ita Virgilius, lib. VI Æneid., canit : « Augustus Cæsar divum genus; » et Servius in lib. IV Georg. : Augustum, inquit, idem est quod augurio consecratum, abusive nobile et majestatis plenum. Et Statius, lib. IV Silvar., cap. II, et Ovidius, lib. I Fastor. :

> Sancta vocant augusta Patres, augusta vocantur
> Templa, sacerdotum rite dicata manu.

Et Cicero, lib. III *De Natura Deorum*, de diis ait : « Quos auguste omnes sancteque veneramur. » Abusi sunt Gentiles hisce elogiis et titulis, cum suos Reges et Imperatores vel metu, vel adulatione pro diis habuerunt et divinis honoribus ut sacrificiis coluerunt. Unde Virgilius de Octavio Augusto, *Ecloga* I :

> Namque erit ille mihi semper deus, illius aram
> Sæpe tener nostris ab ovilibus imbuet agnus.

Sanius Christiani Reges et Imperatores Augustos nuncupant et venerantur, quasi divinitus datos, et religiosa quadam veneratione, humana tamen, non divina, ob merita in rempublicam observandos.

22. VOLEBAM ET IPSE HOMINEM AUDIRE, — ex curiositate, quæ ingens videndi et audiendi Paulum in Agrippa desiderium exacuerat. « Non enim, inquit Chrysostomus, nisi concupivisset, quæsisset audire; neque uxorem (sic vocat Bernicem, sororem et concubinam Agrippæ) sociam fecisset auditionis, nisi magna de illo sensisset. »

23. CUM MULTA AMBITIONE — φαντασίας, id est *apparentia, ostentatione, pompa, comitatu, fastu* : fastus hic situs erat in multa famulorum et nobilium turba, splendore vestium, diademate, corona, sceptro aliisque regalis dignitatis insignibus, incessu pompatico, etc. Sic Suidas : φαντάζεσθαι, inquit, ἐπὶ τὸ φαίνειν ἔργον, scilicet pro apparare, pro apparatu et ostentatione. Artabanus Xerxi dissuadens bellum contra Græcos : « Ut procera, inquit, et elata animalia fulminat Deus, nec sinit ostentare se, græce, οὐδ' ἐᾷ φαντάζεσθαι, ac velut de se spectaculum præbere : parva vero ne scalpit quidem aut vellicat : » ita Herodotus in *Polymnia*. Quocirca sapienter Isocrates, *Parænesi ad Nicoclem*, docet principum majestatem et custodiam non consistere in stipatorum armis, sed in virtute amicorum, benevolentia civium et prudentia principis, et, ut addit Plinius, *Panegyr. Trajani*, in innocentia : « Hanc enim velut arcem inaccessam et inexpugnabile munimentum, munimento non egere; frustra se terrore succingere, qui septus charitate non fuerit : armis enim arma irritari. » Hic impletur illud de Paulo oraculum : « Ut portet nomen meum coram gentibus et regibus, » *Act.* IX. « Vide, inquit Chrysostomus, quale auditorium congregatur Paulo coram viris principalibus civitatis. Princeps enim et rex stipatoribus suis omnibus congregatis occurrunt, et cum ipsis tribuni et primi civitatis affuerunt. » Pauli enim nomen et fama omnes ad eum videndum et audiendum exciverat, et sane quosvis alios excivisset. Unde optabat S. Augustinus tria videre, nimirum, Paulum in cathedra fulminantem, Romam in flore triumphantem, Christum in carne conversantem, uti dixi proœmio in S. Paulum.

IN AUDITORIUM, — in prætorii aulam, ubi audiebantur et agebantur causæ et lites coram Præside pro tribunali sedente. In illud e carcere inducitur Paulus vinctus, sed præside, rege totoque consessu celsior, uti audiemus ex ejus oratione ca-

(1) « De hujusmodi quæstione, » id est, dubius hærens de quæstione ad eum (Paulum) pertinente. Alii minus recte *hujusmodi* ad Jesum referunt.



pite sequendi. Nimirum « voluit Deus, inquit Chrysostomus, clientis sui in tali theatro innocentiam patefacere, totque tamque locupletibus testimoniis testatam facere. » Unde mox subdit Præses, vers. 25 :

25. EGO VERO COMPERI NIHIL DIGNUM MORTE EUM ADMISISSE. — Comperi tum ex litteris Lysiæ, tum ex testimonio Felicis ante me præsidis, tum ex accusatione Judæorum et apologia Pauli.

IPSO AUTEM HOC (id est ipsomet Paulo, ut patet ex Græco, καὶ αὐτοῦ δὲ τούτου) APPELANTE AD AUGUSTUM, JUDICAVI MITTERE, — q. d. Non ex meo sensu (utpote qui eum innocentem perspexi, ideoque liberum dimittendum censeo), sed ex ipsiusmet Pauli appellatione statui eum mittere ad Neronem, præsertim ne Judæi me apud eum criminentur, quod reum dimiserim et appellationem cognitionemque Cæsaris impedierim.

26. DE QUO QUID CERTUM SCRIBAM DOMINO; — Neroni Cæsari : Cæsaris enim titulus erat *dominus*, quem tamen Augustus Cæsar recusavit, ait Tertullianus, *Apolog.*, cap. XXXIV, et Dio, lib. LV, quia occulto Dei instinctu, reipsa quasi præsagiebat instare ortum Christi, qui futurus erat Rex regum et Dominus dominantium, cujus ipse typus tantum erat et umbra. Sic Turcæ suum Imperatorem vocant Magnum Dominum; Tartari, Persæ aliique eumdem vocant *Sultan*, id est dominum. Porro Imperatores Christiani pinguntur cum globo in manu, cui infixa est crux, quomodo primo pictus fuit Justinianus Imperator, teste Procopio, et ex eo Suida, verbo *Justinianus*. Verum noster Gretserus, lib. II *De Cruce*, cap. LIV, ex Gregorio et Glyca docet, ante Justinianum eo modo pictos fuisse Constantinum, Theodosium et Eudoxiam, uxorem Valentiniani III Imperatoris : quo significatur Imperatorem non tam orbis esse dominum (exiguam enim orbis partem sibi subjectam habet), quam fidem crucemque Christi toto orbe propagare et propugnare debere.

# CAPUT VIGESIMUM SEXTUM.

## SYNOPSIS CAPITIS.

*Paulus e vinculis coram Agrippa et Festo ita ardenter perorat de sua conversione ad Christum, prædicatione et persecutionibus Judæorum, ut Festus exclamet eum insanire; Agrippa :* In modico suades me fieri Christianum. *Cui Paulus optare se ait, ut ipse omnesque auditores sibi similes fiant, exceptis vinculis. Agrippa pronuntiat Paulum innocentem, sed quia appellarat ad Cæsarem, ad eum esse mittendum.*

*Mystice, Agrippa rex Judæus repræsentat mundum; Bernice ejus concubina, carnem; Festus, quia idololatra, diabolum. Cum his congreditur Paulus, et quisque fidelis, præsertim prædicator. Hi Paulum excogitant, tentant et judicant. Agrippa, id est mundus, eum ejusque conciones irridet; Bernice, id est caro curiosa, ejus aspectu et auditu se pascit; Festus, id est dæmon, tentat eum, insanire dictitans. Paulus hos omnes despicit et refutat, ab eisque laudem innocentiæ et virtutis extorquet.*

1. Agrippa vero ad Paulum ait : Permittitur tibi loqui pro temetipso. Tunc Paulus, extenta manu, cœpit rationem reddere. 2. De omnibus, quibus accusor a Judæis, rex Agrippa, æstimo me beatum, apud te cum sim defensurus me hodie, 3. maxime te sciente omnia, et quæ apud Judæos sunt consuetudines, et quæstiones : propter quod obsecro patienter me audias. 4. Et quidem vitam meam a juventute, quæ ab initio fuit in gente mea in Hierosolymis, noverunt omnes Judæi : 5. præscientes me ab initio (si velint testimonium perhibere), quoniam secundum certissimam sectam nostræ religionis vixi Pharisæus. 6. Et nunc in spe, quæ ad patres nostros repromissionis facta est a Deo, sto judicio subjectus : 7. in quam duodecim tribus nostræ, nocte ac die deservientes, sperant devenire. De qua spe accusor a Judæis, Rex. 8. Quid incredibile judicatur apud vos, si Deus mortuos suscitat? 9. Et ego quidem existimaveram, me adversus nomen Jesu Nazareni debere multa contraria agere, 10. quod et feci Hierosolymis, et multos Sanctorum ego in carceribus inclusi, a principibus sacerdotum potestate accepta : et cum occiderentur, detuli sententiam. 11. Et per omnes synagogas frequenter puniens eos, compellebam blasphemare : et amplius insaniens in eos, persequebar usque in exteras civitates. 12. In quibus dum irem Damascum cum potestate et permissu principum sacerdotum, 13. die media in via



UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

vidi, Rex, de cœlo supra splendorem solis circumfulsisse me lumen, et eos qui mecum simul erant. 14. Omnesque nos cum decidissemus in terram, audivi vocem loquentem mihi Hebraica lingua : Saule, Saule, quid me persequeris? durum est tibi contra stimulum calcitrare. 15. Ego autem dixi : Quis es, Domine? Dominus autem dixit : Ego sum Jesus, quem tu persequeris. 16. Sed exsurge, et sta super pedes tuos: ad hoc enim apparui tibi, ut constituam te ministrum et testem eorum quæ vidisti, et eorum quibus apparebo tibi, 17. eripiens te de populo, et Gentibus, in quas nunc ego mitto te, 18. aperire oculos eorum, ut convertantur a tenebris ad lucem, et de potestate Satanæ ad Deum, ut accipiant remissionem peccatorum, et sortem inter sanctos, per fidem quæ est in me. 19. Unde, rex Agrippa, non fui incredulus cœlesti visioni : 20. sed his, qui sunt Damasci primum, et Hierosolymis, et in omnem regionem Judææ, et Gentibus annuntiabam, ut pœnitentiam agerent et converterentur ad Deum, digna pœnitentiæ opera facientes. 21. Hac ex causa me Judæi, cum essem in templo, comprehensum tentabant interficere. 22. Auxilio autem adjutus Dei, usque in hodiernum diem sto, testificans minori atque majori, nihil extra dicens quam ea quæ Prophetæ locuti sunt futura esse, et Moyses: 23. si passibilis Christus, si primus ex resurrectione mortuorum, lumen annuntiaturus et populo et Gentibus. 24. Hæc loquente eo, et rationem reddente, Festus magna voce dixit : Insanis, Paule : multæ te litteræ ad insaniam convertunt. 25. Et Paulus : Non insanio (inquit), optime Feste, sed veritatis et sobrietatis verba loquor. 26. Scit enim de his Rex ad quem et constanter loquor : latere enim eum nihil horum arbitror. Neque enim in angulo quidquam horum gestum est. 27. Credis, rex Agrippa, Prophetis? Scio quia credis. 28. Agrippa autem ad Paulum : In modico suades me Christianum fieri. 29. Et Paulus : Opto apud Deum, et in modico et in magno, non tantum te, sed etiam omnes qui audiunt, hodie fieri tales, qualis et ego sum, exceptis vinculis his. 30. Et exsurrexit Rex, et Præses, et Bernice, et qui assidebant eis. 31. Et cum secessissent, loquebantur ad invicem, dicentes : Quia nihil morte aut vinculis dignum quid fecit homo iste. 32. Agrippa autem Festo dixit : Dimitti poterat homo hic, si non appellasset Cæsarem.

1. Tunc Paulus, extenta manu, — non versus Agrippam, quasi hoc signo gratias egerit Agrippæ de data sibi ab eo loquendi facultate, ut vult Cajetanus; sed *primo*, more oratorum, extenta manu silentium indicens, ut ex Apuleio, lib. II *De Asino aureo*, Persio et aliis dixi, cap. XII; *secundo*, in signum libertatis et confidentiæ, quod innocentiæ suæ conscius, non dubitaret de victoria in hac sua causa et lite; *tertio*, in signum auctoritatis, quod quasi Apostolus, doctor et legatus Christi concionaturus esset : unde extenta manu loquitur, quasi potestatem habens.

2. Æstimo me beatum. — Quia, ut ait S. Hieronymus, *epist.* 101 : « Paulus legerat illud Jesu Sirach, *Eccli.* XXV, 12 : Beatus qui loquitur in aures audientis; et noverat tantum oratoris verba proficere, quantum judicis providentia cognovisset. Unde et ego me beatum in hoc duntaxat negotio judico, quod apud eruditas aures (tuas, o Pammachi) imperita lingua responsurus sum. » Ex adverso, « ubi auditus non est, non effundas sermonem, » ait *Eccli.* XXXII, 6. Quocirca Xenocrates quemdam mathematicæ ignarum, a sua schola ad mathesin ablegans ait : « Apud me vellus non maceratur, scilicet lana rudis non statim traditur vestiario, sed fulloni; » ita Laertius, lib. IV, cap. II. Paulus hic omnem sermonem convertit ad Agrippam, non ad Festum, *primo*, quia coram Festo jam causam suam egerat; *secundo*, quia Festus ad Agrippam Pauli causam rejecerat, eaque de causa Paulum hic in conspectum ejus produxerat; *tertio*, quia Agrippa avidus erat audiendi Paulum; *quarto*, quia Agrippa erat Judæus : unde melius capiebat litem hanc Pauli cum Judæis de Judaismo, quam Festus Gentilis; *quinto*, quia sperabat Paulus se Agrippam ad Christum conversurum, demonstrando ei e Mose et Prophetis Jesum esse Messiam, erat enim Agrippa bonæ indolis, sedatæ mentis, intelligens et prudens. Unde et Judæis bellum contra Romanos omni ratione dissuadere conatus est, dictitans illud fore Judæis ruinæ et excidio, uti exitus demonstravit; ita Josephus, lib. II *Belli*, cap. XVI.

3. Maxime te sciente omnia. — Maxime cum sciam te scire omnia, scilicet quæ ad rem præsentem et litigium meum cum Judæis pertinent. Captat Paulus benevolentiam Agrippæ, non tamen adulando, uti faciunt rabulæ, sed vere eum laudando, quia lucrari eum volebat : quod et ex parte consecutus est, ait Chrysostomus, hom. 33 *in I ad Corinth.*



4. Vitam, — βίωσιν, id est *vitæ actus et mores*, puta *conversationem meam*, ut vertit Syrus.

In Hierosolymis. — Ergo ibi docentem et concionantem Christum vel oculo et aure, vel fama oculisque et auribus aliorum viderat et audierat Paulus; sed nimius zelator Mosis et legis aures mentemque illi occluserat, donec illas vi reseravit Christus, prosternendo eum in terram, et dicendo : « Saule, Saule, quid me persequeris? *Act.* IX.

5. Præscientes me ab initio, — προγινώσκοντες, id est *præcognoscentes me*, qui scilicet noverunt me et mea facta ante Christianismum.

Quoniam secundum certissimam sectam, — ἀκριβεστάτην, id est *diligentissimam, exactissimam, religiosissimam* inter Judæos, talis enim erat secta Pharisæorum. Aliter Mariana : Erant, inquit, septem sectæ Pharisæorum, teste Thalmud in tract. Sota. Paulus ex hisce septem amplexus erat optimam et perfectissimam. Et Arias : Paulus, inquit, a Gamaliele edoctus erat in domo Hillel, quæ selectior habebatur, quam domus Samai, uti patet ex libro *Massoreth*.

6. In spe quæ ad patres nostros repromissionis facta est, *q. d.* Vocor in judicium ob fidem et spem salutis assequendæ per Christum salvatorem, patribus nostris repromissum; ac proinde adeo non recedo a lege, fide et spe majorum, ut illi prorsus insistam, ac propter eam tot tantaque assidue patiar. Apologia Pauli est efficax, probat enim se non esse seditiosum, nec apostatam a lege et fide patrum, quod prædicet fidem et spem in Christum quam omnes patres habuerunt, per eamque salvati sunt. *Secundo*, et aptius per metonymiam *spem* accipe pro re sperata, puta pro justitia et salute per Christum parta : hæc enim patribus promissa erat, et ob hanc prædicatam a Judæis accusabatur Paulus. Unde et subdit :

7. In quam duodecim tribus nostræ, nocte ac die (Græca addunt, ἐν ἐκτενείᾳ, *in assiduitate*, vel *contentione*) deservientes (puta latria Deum colentes, adorantes et invocantes; hoc enim est λατρεύοντες; Syrus, *precibus assiduis vacantes*), sperant devenire. — Judæi enim sperabant justitiam et salutem per Messiam, sive Christum : verum negabant eum jam venisse esseque illum quem prædicabat Paulus : sed adhuc exspectari esseque venturum. Hinc patet spem sumi pro re et salute sperata, nec enim Judæi sperabant devenire in spem, utpote quam jam habebant et ex qua sperabant, sed in ipsam rem speratam, puta ad salutem, resurrectionem et beatitudinem æternam : in hanc enim sperabant devenire.

8. Quid incredibile judicatur apud vos, si Deus mortuos suscitat? — Probavit Apostolus resurrectionem Christi et nostram ex testimonio Patrum, qui omnes illam crediderunt et sperarunt; nunc eamdem probat ex omnipotentia Dei, *q. d.* Deus est Deus, id est omnipotens, ac consequenter Dominus vitæ et mortis : ergo credibile est, imo certum, eum posse mortuos suscitare. Si enim potuit homines, cum non essent, ex nihilo creare, cur non possit eosdem jam creatos, et per mortem dissolutos redintegrare et resuscitare?

9. Et ego quidem existimaveram, — ἔδοξα ἐμαυτῷ, id est *mihi ipsi persuaseram, prorsusque decreveram.* Ostendit se non ex levitate a Judaismo transisse ad Christianismum, sed illustratione et vi divina immutatum et adactum.

10. Multos Sanctorum, — multos Christianorum.

Et cum occiderentur, detuli sententiam, — latam a judicibus, puta a principibus sacerdotum : hanc enim ego detuli ad Officiales quorum erat eam exequi, et Christianos a judicibus damnatos occidere. Hinc videtur plures tunc fuisse occisos. Idem patet ex *Act.* IX, 1 : « Saulus autem adhuc spirans minarum et cædis. » Quod enim aliqui id ad unum S. Stephanum arctant per synecdochen, violentum videtur, præsertim quia Paulus in nece Stephani non detulit sententiam, utpote quæ tunc nulla fuit. Occisus est enim Stephanus, non per sententiam judicis, sed per furorem populi. Addit Cajetanus Paulum sententiam mortis a Judæis judicibus latam in Christianos, detulisse ad Præsidem Romanum, ut is eam confirmaret, sine cujus approbatione robur non habuisset, atque ab eo subscriptam retulisse, ut executioni mandaretur.

Nota : Pro *sententiam*, græce est ψῆφος; quod multa significat, nimirum *primo*, computum et rationem, *q. d.* Detuli computum et rationem damnatorum occidendorum, v. g. tot esse occidendos gladio, tot strangulatione, tot suspendio, etc.; *secundo*, suffragium : unde Syrus vertit, *suffragabar iis qui damnabant eos*, probando, laudando et exequendo eorum sententiam; *tertio*, calculum, *q. d.* Cum judicarentur et occiderentur, ego inter judices meum quoque dedi calculum, eoque illos damnavi; *quarto*, Noster optime vertit, « detuli sententiam, » scilicet a judicibus ad executores : Paulum enim non fuisse judicem, sed judicum administrum, patet *Act.* IX, 1, ubi dicitur : « Saulus autem adhuc spirans minarum et cædis in discipulos Domini, accessit ad principem sacerdotum, et petiit ab eo epistolas in Damascum ad synagogas, ut si quos invenisset hujus viæ viros ac mulieres, vinctos perduceret in Jerusalem, » judicandos a principibus sacerdotum et populi. ψῆφος quadruplex.

11. Compellebam blasphemare, — cogebam eos negare Jesum, ut dicerent Jesum non esse Messiam, sive Christum, sed juste a pontificibus damnatum et crucifixum : hoc enim est blasphemum, utpote Christo Deoque injurium. Nota hic humilitatem Pauli, qua sua scelera publice confitetur et exaggerat.

12. In quibus — civitatibus, vel operibus insa-

*ale*, ait Hugo. Unde Pagninus vertit, *quarum rerum studio*.

Cum potestate et permissu. — Alii vertunt, *cum potestate et commissione* : ἐπιτροπὴ enim significat non tantum *permissionem*, sed et *curationem*, *procurationem*, *commissionem*. Unde ἐπίτροπος est curator, tutor, procurator, vicarius, præfectus, cui quid committitur. Noster solerter vertit, « permissu, » ut significet missionem hanc et commissionem Pauli ad persequendum Christianos, fuisse non tam a principibus et judicibus sponte demandatam, quam ab ipso Paulo sollicitatam, procuratam, et pene ab invitis, vel certe non mittentibus, sed permittentibus extortam : quo significatur ingens zelus et ardor Pauli pro Judaismo contra Christum et Christianos. Utroque ergo sensu crescit oratio Pauli.

13. Supra splendorem solis circumfulsisse me lumen. — Erat ergo hoc lumen ingens et eximium, utpote referens majestatem Christi, ab ejusque corpore glorioso, quod solis splendorem longe superat, emanans. Sic de stella Magis missa a Christo, qui est lux mundi, ut eos ad se evocaret, canit Prudentius in *hymno Epiphan.* :

> Quem stella, quæ solis rotam
> Vincit decore ac lumine,
> Venisse terris nuntiat,
> Cum carne terrestri Deum.

Et S. Ignatius, epist. *ad Ephesios*, de stella hac ait : « Stella effulsit, exsuperans omnes quotquot ante fuerant : lux enim illius inenarrabilis erat, et stuporem incussit omnibus aspicientibus eam rei novitas; omnia autem reliqua astra cum sole et luna, chorus fuere stellæ ipsius; ipsa vero claritate exsuperabat omnes. » Hæc tanta lux Paulo et Magis discussit infidelitatis et errorum tenebras, ut per eam cernerent Christum, qui est via, veritas et vita, ac verus sol mundi. Unde probabile est quod nonnulli censent lumen hoc fuisse orbiculare instar solis, ut quasi globus lucidus ambiret Paulum. Hoc enim innuit τὸ *circumfulsisse*, scilicet circumcirca in modum circuli fulsisse. Præclare S. Augustinus, serm. 28 *De Sanctis* : « Dum portat, inquit, Saulus funereum contra milites Christi gladium, fulmineum de cœlo accipit testimonium. Dum grassatur, percutitur; dum Christi Sanctos persequitur, violento radio cœlestis luminis cæcatur. » Cætera de Pauli conversione dixi vers. 9.

14. Decidissemus in terram, — sed ita ut comites Pauli illico e terra surgerent starentque attoniti, Paulus vero in terra prostratus jaceret, ut dixi cap. ix.

Hebraica lingua. — Unde videtur Paulus hic non hebraice, sed græce, uti locutus erat Lysiæ, cap. xxi, 37, vel certe latine esse locutus. Agebat enim causam coram Festo, præside Romano, et latine norat Agrippa, utpote Romæ a puero versatus.

16. Ad hoc enim apparui tibi. — Ergo Paulus tunc realiter vidit Christum sibi præsentem et astantem, idque ad hoc, ut ab eo edoctus et missus, oculatus posset ejus esse testis.

Et eorum quibus apparebo tibi. — « Quibus, » id est quorum causa, ait Sanchez; Pagninus, *in quibus*. Hinc liquet Christum sæpius apparuisse Paulo multaque ei revelasse.

19. Non fui incredulus, — ἀπειθής, *insuasibilis*, *incredulus*, *inobediens*; sed statim mihi persuaderi permisi fidem in Christum, statim credidi, statim illi obedivi.

Cœlesti visioni. — Græce ὀπτασίᾳ, quæ, ait Œcumenius, est pura rei inspectio, quæ hominem excedit, et quam, qui est in carne, videre nullo modo potest, nisi cœlitus aperiantur ei oculi.

22. Nihil extra (id est, ut vertit Pagninus, *nihil aliud*) dicens quam ea quæ Prophetæ locuti sunt futura esse. — Est hoc tertium argumentum apologiæ Pauli. *Primum* enim fuit ex testimonio patrum, vers. 6; *secundum*, ex visione Christi, oculos et mentem illuminantis, vers. 13; *tertium* est hoc loco ex oraculis Prophetarum, qui prædixerunt futura de Christo, quæ Paulus jam facta prædicabat. Nota : Prophetæ prædixerunt Christum venturum, ac novam legem, Ecclesiam et Sacramenta sanciturum : quæ autem et qualia illa futura essent, non explicarunt, sed id Christo decernendum, et Paulo ac Apostolis explicandum reliquerunt. Quare evanescit sophisma Kemnitii, dum sic argumentatur : Paulus ait se non aliam pœnitentiam prædicare, quam quæ a Prophetis suo ævo prædicata fuerat : illa non erat Sacramentum; ergo nec ea quæ a Paulo in lege nova prædicata est, est Sacramentum. Major enim in rigore est falsa : nam Paulus loquitur in genere, non in specie, de pœnitentia; pœnitentia enim a Prophetis prædicata, fuit virtus pœnitentiæ : a Paulo vero prædicata, fuit virtus et sacramentum Pœnitentiæ, quod Prophetæ non prædicarunt, sed prædixerunt in genere, dum per Christum afferendam remissionem peccatorum modumque ea condonandi sanciendum vaticinati sunt; quis autem ille modus in particulari futurus esset, nimirum per sacramentum Pœnitentiæ a Christo instituendum, non edixerunt, sed Christo edicendum resignarunt.

23. Si passibilis Christus. — Τὸ *si* non est conditionale, sed assertivum, per hebraismum significans *quod*, *q. d.* Prophetæ prædixerunt quod Christus futurus esset passibilis, moreretur et primus a morte resurgeret, ac deinde per eum cæteri Christiani. Ita Lyranus, Hugo, Dionysius, Sanchez et alii. « Quid mirum, ait S. Gregorius, hom. 26 *in Evangel.*, si ossa, nervos, carnem, capillosque reducat ex pulvere, qui lignum, fructus, folia in magna mole arboris ex parvo quotidie semine restaurat? »

Lumen (veritatis veræque religionis, fidei et salutis) annuntiaturus est populo (Judaico) et



Gentibus. — Hinc Simeon Christum vocat « lumen ad revelationem Gentium, et gloriam plebis Israel. » *Luc.* ii, 32.

24. Insanis, Paule. — Dixit hoc Festus, tum ob altitudinem mysteriorum, puta passionis Christi Filii Dei et resurrectionis, quæ ipse, utpote homo Gentilis, non capiebat et delira censebat; tum ob visionem Christi et lucis tam fulgidæ, vers. 13, in qua eum delirare putabat; tum ob ardorem, vim et impetum dicendi in Paulo, qui tantus erat, ut videretur esse emotæ mentis. Verum dicebat

Paulus insanus amore. Festus in sensu, non suo, sed mystico : ebrius enim erat Paulus et insanus, non mero, sed vero; non furore, sed amore : amor enim Dei faciebat eum stultum et insanum mundo. Audi S. Bernardum, tractat. *De Natura divini amoris*, cap. iii : « Mirumne, ait, erat, si insanire pronuntiabatur, qui in ipso mortis periculo ipsos judices, a quibus pro Christo judicabatur, ad Christum convertere nitebatur? Non hanc insaniam multæ litteræ in eo faciebant, sicut dicebat Rex veritatem intelligens, sed dissimulans; sed Spiritus Sancti ebrietas, in qua et in parvo, et in magno, similes eos sibi facere gestiebat, qui eum judicabant. » Vide dicta *Act.* ii, 13.

Nota : Paulus hic in multis refert Christum; Christus vocatus est potator vini, et dæmonium habere : ita Paulus vocatur hic maniacus et insanus. Christus publice docuit, idque Pontifici in passione respondit, *Matth.* xxvi, 55. Ita Paulus ait vers. 26 : « Latere eum nihil horum arbitror; neque enim in angulo quidquam horum gestum est. »

Litterati melancholici. Multæ te litteræ ad insaniam convertunt. — Studiosi enim et litterati nimis litteris addicti, facile in melancholiam, phrenesin et maniam incidunt. Quin et Aristoteles asserit nullum magnum ingenium sine mixtura dementiæ fuisse. Vide eum in *Problem.*, sect. 30, ubi docet Platonem, Socratem, Empedoclem, poetas et heroes laborasse melancholia, nonnullos etiam mania. Porro Œcumenius : « Festus, inquit, dixit hæc turbatus ac indignatus, quod se despici crederet (eo quod Paulus vultum et vocem converteret ad Agrippam, non ad Festum), quod regem, qui tantopere cupierat illum audire, ab illo adeo præfractis oculis conspici cerneret, quod non tam purgare calumniam videretur, quam gloriari de sua doctrina vel vita. »

Moraliter nota : Mundus sui contemptores virosque zelosos et divinos censet insanire, vocatque insanos. Sic Propheta uncturus Jehu in regem, audit : « Quid venit iste insanus ad te? » IV *Reg.* ix. Sic de Christo dicitur : « Et cum audissent sui, exierant tenere eum, dicentes, quia in furorem versus est, » *Marc.* iii, 21. Sic hodie viri religiosi et contemplativi a mundanis habentur ludibrio et vocantur fatui; sed in die judicii suum errorem agnoscent, seroque dicent : « Nos insensati vitam illorum æstimabamus insaniam, etc. Ecce quomodo computati sunt inter filios Dei, et inter Sanctos sors illorum est, » *Sap.* v, 4.

25. Sed veritatis et sobrietatis verba loquor. — *Primo*, *q. d.* Non sum ebrius et insanus, sed sobrius, sanæ mentis et veridicus. Sobrietas enim hic opponitur insaniæ et furori; hic enim facit hominem loqui clamose et turbulente instar ebrii. *Secundo*, *q. d.* Vera loquor, idque moderate et sobrie, non nimis ea exaggerando et supra veritatem extollendo, *q. d.* In veritate prædicanda modum non excedo. Sic Paulus ait : « Sive mente excedimus, Deo : sive sobrii sumus, vobis, » II *Cor.* v, 13. *Tertio*, *q. d.* « Falsitas abest a dictis, petulantia a factis, quæ duo sunt insaniæ propria, » ait Glossa. Vers. 25. Sobrietas Pauli [illegible]

27. Credis, rex Agrippa, Prophetis, — *q. d.* Si credis Prophetis, ut credis quia Judæus es, ergo crede et Christo iisque quæ ego de Christo prædico, quia eadem de eo prædixerunt Prophetæ : est in hac apostrophe acer stimulus quo pungit Agrippam, ut credat in Christum.

28. In modico suades me Christianum fieri. — *Primo*, *q. d.* Modicum abest quin suadeas et persuadeas mihi ut fiam Christianus; modico negotio persuaderes mihi Christianismum. « Parum abest quin me feceris Christianum, » ait Cyrillus Hierosolymitanus, *Catechesi* 17; Cajetanus, Sanchez et alii, quin et Chrysostomus, hom. 16 *ad Popul.* : « Sancti enim, inquit, in periculis non considerant quomodo iis liberentur, sed quomodo persequentes lucrentur. » Unde Gagneius et Salmeron censent Agrippam occulte fuisse Christianum; verum huic sensui non concordat responsio Pauli : « Opto apud Deum, et in modico, et in magno, » etc. Unde Chrysostomus censet Paulum non satis assecutum esse mentem Agrippæ; quod parum videtur credibile. Vers. 28. In modico et magno [illegible]

*Secundo*, Œcumenius, *q. d.* Modico tempore, labore et sermone, quo mecum locutus es, suades me fieri Christianum; et Vatablus et Lyranus, *q. d.* Ex parte et modice suades me fieri Christianum : sed perfecte non suades, non persuades, ut ἐν ὀλίγῳ sit idem quod δι' ὀλίγου, scilicet χρόνου καὶ λόγου, id est per *modicum tempus et sermonem*. Cui Paulus congrue opponit : « Et in modico et in magno, » *q. d.* Opto te non tantum cum modico, sed et cum magno tempore, labore et sermone meo, fieri Christianum.

*Tertio*, et genuine, τὸ ἐν ὀλίγῳ, id est *in modico*, opponitur pro παρ' ὀλίγον, ac respondet Hebræo מְעַט *meat*, id est modice, parum, aliquantulum suades. Cui Paulus congrue opponit : « Et in modico, et in magno, » *q. d.* Non tantum modice, sed et multum, toto corde et affectu opto suadeoque te fieri mei similem, puta Christianum : nec tantum te, sed et omnes qui me audiunt.

Nota hic zelum Pauli, quo Agrippam, regem Judæorum, judicem suum, apud quem a Judæis accusabatur, quod Judæos a Judaismo ad Christianismum traduceret, ad eumdem traducere et

convertere satagit : sed incestuosus rex, veniens cum tanta pompa et fastu, parum aptus erat Evangelio, ejusque continentiæ, modestiæ et humilitati; unde illico surgens, Pauli sermonem incidit et abrupit.

29. FIERI TALES, QUALIS ET EGO SUM, — puta Christianos, imo apostolos et præcones Christi, qualis ego sum. Præclare S. Augustinus, tract. 8 in *Epist. S. Joannis* : « Audi, inquit, Apostolum dicentem de visceribus charitatis : Vellem omnes homines esse sicut meipsum. Quomodo volebat omnes? Æquales. Ideo erat omnibus superior, quia charitate optabat omnes æquales. »

EXCEPTIS VINCULIS HIS. — Hinc liquet Paulum vinculis constrictum et onustum perorasse : nimirum vincula pro Christo ei animos non minuebant, sed augebant; unde in iis exultare et gloriari solet. Vide hæc vincula Pauli mire celebrantem S. Chrysostomum, hom. 9 in *Epist. ad Ephesios*, tom. IV. Sed hanc sapientiam non capiebat Agrippa rex pompaticus; ideoque Paulus vincula ab illo eximit, aitque : « Exceptis vinculis his. » Capiebat eam S. Ignatius, fundator Societatis nostræ, qui pro Christi prædicatione incarceratus, multis ei condolentibus, respondit : « Nescitis quam felix et gloriosum sit vinciri pro Christo; non sunt tot compedes in urbe, quin et ego plures ferre pro Christo desiderem. » Quocirca continua experientia edoctus, dicebat et docebat compendiosam viam ad perfectionem, esse desiderium multa patiendi pro Christo; ita Ribadeneira in ejus Vita, lib. I, cap. XV.

Vide S. Chrysostomum hic, *hom.* 52, ubi inter alia extollit Pauli animos et ignes, quod hæc vincula quibus vinctus erat ut malefactor, nihili fecerit, ideoque in iisdem toto affectu incubuerit ad convertendum Agrippam omnesque astantes. « Talis, inquit, est anima cœlesti amore sublimis : nam cum ii qui fœdis amoribus capiuntur, nihil putant vel gloriosum, vel pretiosum, quam quod ipsorum concupiscentiis servit; id enim solum gloriosum ac honestum putant, et amasia fit eis omnia : multo magis qui tali amore flagrant, nihili faciunt pretiosa. Si autem non consideramus quæ dicuntur, haud mirum est : imperiti enim sumus hujus philosophiæ. Qui enim igne Christi captus fuerit, talis fit, qualis esset homo solus super terram habitans, adeo nihil curæ ei est gloria et ignominia : sed quemadmodum si solus nihil curaret, ita et talis quoque non curaret. Tentationes autem sic contemnit, ac flagella et carceres, quasi in alieno corpore pateretur, vel quemadmodum si adamantinum possideret corpus. Ea autem quæ suavia sunt in hac vita, ita ridet et non sentit, sicut nos vel ipsi mortui, corpora mortua. Tantum autem abest ne ab affectione quadam capiantur, quantum aurum quod igne probatur, a macula abscedit. Et sicut muscæ in medium flammæ incidunt, sed fugiunt : ita et affectiones illis accedere non audent. »

32. DIMITTI POTERAT HOMO HIC, SI NON APPELLASSET CÆSAREM. — Imo dimitti poterat, etiamsi appellasset, quia appellarat coactus, et appellatione sua non nisi dimissionem quærebat : quare si eam præstitisset Præses, ultro appellatione sua cessisset Paulus. Hoc ergo prætexit rex, quia Judæos offendere nolebat dimittendo Paulum, sed eis gratificari mittendo eum vinctum ad Cæsarem ad quem appellarat.

# CAPUT VIGESIMUM SEPTIMUM.

## SYNOPSIS CAPITIS.

*Paulus Romam deducendus Centurioni traditur; Cretam appellit; prædicit tempestatem et naufragium, sed ab eo vectores omnes eripiendos, foreque salvos.*

1. Ut autem judicatum est navigare eum in Italiam, et tradi Paulum cum reliquis custodiis Centurioni, nomine Julio, cohortis Augustæ, 2. ascendentes navem Adrumetinam, incipientes navigare circa Asiæ loca, sustulimus, perseverante nobiscum Aristarcho Macedone Thessalonicensi. 3. Sequenti autem die devenimus Sidonem. Humane autem tractans Julius Paulum, permisit ad amicos ire et curam sui agere. 4. Et inde cum sustulissemus, subnavigavimus Cyprum, propterea quod essent venti contrarii. 5. Et pelagus Ciliciæ et Pamphyliæ navigantes, venimus Lystram, quæ est Lyciæ : 6. et ibi inveniens Centurio navem Alexandrinam navigantem in Italiam, transposuit nos in eam. 7. Et cum multis diebus tarde navigaremus, et vix devenissemus contra Gnidum, prohibente nos vento, adnavigavimus Cretæ, juxta Salmonem : 8. et vix juxta navigantes, venimus in locum quemdam, qui vocatur Boni portus, cui juxta erat civitas Thalassa. 9. Multo autem tem-



pore peracto, et cum jam non esset tuta navigatio, eo quod et jejunium jam præteriisset, consolabatur eos Paulus, 10. dicens eis : Viri, video quoniam cum injuria et multo damno, non solum oneris et navis, sed etiam animarum nostrarum, incipit esse navigatio. 11. Centurio autem gubernatori et nauclero magis credebat, quam his quæ a Paulo dicebantur. 12. Et cum aptus portus non esset ad hyemandum, plurimi statuerunt consilium navigare inde, si quomodo possent, devenientes Phœnicen, hyemare, portum Cretæ respicientem ad Africum et ad Corum. 13. Aspirante autem Austro, æstimantes propositum se tenere, cum sustulissent de Asson, legebant Cretam. 14. Non post multum autem misit se contra ipsam ventus Typhonicus, qui vocatur Euroaquilo. 15. Cumque arrepta esset navis, et non posset conari in ventum, data nave flatibus, ferebamur. 16. In insulam autem quamdam decurrentes, quæ vocatur Cauda, potuimus vix obtinere scapham. 17. Qua sublata, adjutoriis utebantur, accingentes navem, timentes ne in Syrtim inciderent, summisso vase sic ferebantur. 18. Valida autem nobis tempestate jactatis, sequenti die jactum fecerunt : 19. et tertia die suis manibus armamenta navis projecerunt. 20. Neque autem sole, neque sideribus apparentibus per plures dies, et tempestate non exigua imminente, jam ablata erat spes omnis salutis nostræ. 21. Et cum multa jejunatio fuisset, tunc stans Paulus in medio eorum dixit : Oportebat quidem, o viri, audito me, non tollere a Creta, lucrique facere injuriam hanc et jacturam. 22. Et nunc suadeo vobis bono animo esse : amissio enim nullius animæ erit ex vobis, præterquam navis. 23. Astitit enim mihi hac nocte angelus Dei, cujus sum ego et cui deservio, 24. dicens : Ne timeas, Paule, Cæsari te oportet assistere; et ecce donavit tibi Deus omnes qui navigant tecum. 25. Propter quod bono animo estote, viri : credo enim Deo, quia sic erit, quemadmodum dictum est mihi. 26. Insulam autem quamdam oportet nos devenire. 27. Sed posteaquam quartadecima nox supervenit, navigantibus nobis in Adria circa mediam noctem, suspicabantur nautæ apparere sibi aliquam regionem. 28. Qui et summittentes bolidem, invenerunt passus viginti : et pusillum inde separati, invenerunt passus quindecim. 29. Timentes autem ne in aspera loca incideremus, de puppi mittentes anchoras quatuor, optabant diem fieri. 30. Nautis vero quærentibus fugere de navi, cum misissent scapham in mare, sub obtentu quasi inciperent a prora anchoras extendere, 31. dixit Paulus Centurioni et militibus : Nisi in navi manserint, vos salvi fieri non potestis. 32. Tunc absciderunt milites funes scaphæ, et passi sunt eam excidere. 33. Et cum lux inciperet fieri, rogabat Paulus omnes sumere cibum, dicens : Quartadecima die hodie exspectantes jejuni permanetis, nihil accipientes. 34. Propter quod rogo vos accipere cibum pro salute vestra : quia nullius vestrum capillus de capite peribit. 35. Et cum hæc dixisset, sumens panem gratias egit Deo in conspectu omnium; et cum fregisset, cœpit manducare. 36. Animæquiores autem facti omnes, et ipsi sumpserunt cibum. 37. Eramus vero universæ animæ in navi ducentæ septuaginta sex. 38. Et satiati cibo alleviabant navem, jactantes triticum in mare. 39. Cum autem dies factus esset, terram non agnoscebant, sinum vero quemdam considerabant habentem littus, in quem cogitabant, si possent, ejicere navem. 40. Et cum anchoras sustulissent, committebant se mari, simul laxantes juncturas gubernaculorum : et levato artemone secundum auræ flatum tendebant ad littus. 41. Et cum incidissemus in locum dithalassum, impegerunt navem : et prora quidem fixa manebat immobilis, puppis vero solvebatur a vi maris. 42. Militum autem consilium fuit ut custodias occiderent, ne quis cum enatasset, effugeret. 43. Centurio autem volens servare Paulum, prohibuit fieri : jussitque eos, qui possent natare, emittere se primos, et evadere, et ad terram exire : 44. et cæteros alios in tabulis ferebant : quosdam super ea quæ de navi erant. Et sic factum est, ut omnes animæ evaderent ad terram.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

convertere satagit : sed incestuosus rex, veniens cum tanta pompa et fastu, parum aptus erat Evangelio, ejusque continentiæ, modestiæ et humilitati; unde illico surgens, Pauli sermonem incidit et abrupit.

29. FIERI TALES, QUALIS ET EGO SUM, — puta Christianos, imo apostolos et præcones Christi, qualis ego sum. Præclare S. Augustinus, tract. 8 in *Epist. S. Joannis* : « Audi, inquit, Apostolum dicentem de visceribus charitatis : Vellem omnes homines esse sicut meipsum. Quomodo volebat omnes? Æquales. Ideo erat omnibus superior, quia charitate optabat omnes æquales. »

EXCEPTIS VINCULIS HIS. — Hinc liquet Paulum vinculis constrictum et onustum perorasse : nimirum vincula pro Christo ei animos non minuebant, sed augebant; unde in iis exultare et gloriari solet. Vide hæc vincula Pauli mire celebrantem S. Chrysostomum, hom. 9 in *Epist. ad Ephesios*, tom. IV. Sed hanc sapientiam non capiebat Agrippa rex pompaticus; ideoque Paulus vincula ab illo eximit, aitque : « Exceptis vinculis his. » Capiebat eam S. Ignatius, fundator Societatis nostræ, qui pro Christi prædicatione incarceratus, multis ei condolentibus, respondit : « Nescitis quam felix et gloriosum sit vinciri pro Christo; non sunt tot compedes in urbe, quin et ego plures ferre pro Christo desiderem. » Quocirca continua experientia edoctus, dicebat et docebat compendiosam viam ad perfectionem, esse desiderium multa patiendi pro Christo; ita Ribadeneira in ejus Vita, lib. 1, cap. XV.

Vide S. Chrysostomum hic, *hom.* 52, ubi inter alia extollit Pauli animos et ignes, quod hæc vincula quibus vinctus erat ut malefactor, nihili fecerit, ideoque in iisdem toto affectu incubuerit ad convertendum Agrippam omnesque astantes. « Talis, inquit, est anima cœlesti amore sublimis : nam cum ii qui fœdis amoribus capiuntur, nihil putant vel gloriosum, vel pretiosum, quam quod ipsorum concupiscentiis servit; id enim solum gloriosum ac honestum putant, et amasia fit eis omnia : multo magis qui tali amore flagrant, nihili faciunt pretiosa. Si autem non consideramus quæ dicuntur, haud mirum est : imperiti enim sumus hujus philosophiæ. Qui enim igne Christi captus fuerit, talis fit, qualis esset homo solus super terram habitans, adeo nihil curæ ei est gloria et ignominia : sed quemadmodum si solus nihil curaret, ita et talis quoque non curaret. Tentationes autem sic contemnit, ac flagella et carceres, quasi in alieno corpore pateretur, vel quemadmodum si adamantinum possideret corpus. Ea autem quæ suavia sunt in hac vita, ita ridet et non sentit, sicut nos vel ipsi mortui, corpora mortua. Tantum autem abest ne ab affectione quadam capiantur, quantum aurum quod igne probatur, a macula abscedit. Et sicut muscæ in medium flammæ incidunt, sed fugiunt : ita et affectiones illis accedere non audent. »

32. DIMITTI POTERAT HOMO HIC, SI NON APPELLASSET CÆSAREM. — Imo dimitti poterat, etiamsi appellasset, quia appellarat coactus, et appellatione sua non nisi dimissionem quærebat : quare si eam præstitisset Præses, ultro appellatione sua cessisset Paulus. Hoc ergo prætexit rex, quia Judæos offendere nolebat dimittendo Paulum, sed eis gratificari mittendo eum vinctum ad Cæsarem ad quem appellarat.

# CAPUT VIGESIMUM SEPTIMUM.

## SYNOPSIS CAPITIS.

*Paulus Romam deducendus Centurioni traditur; Cretam appellit; prædicit tempestatem et naufragium, sed ab eo vectores omnes eripiendos, forque salvos.*

1. Ut autem judicatum est navigare eum in Italiam, et tradi Paulum cum reliquis custodiis Centurioni, nomine Julio, cohortis Augustæ, 2. ascendentes navem Adrumetinam, incipientes navigare circa Asiæ loca, sustulimus, perseverante nobiscum Aristarcho Macedone Thessalonicensi. 3. Sequenti autem die devenimus Sidonem. Humane autem tractans Julius Paulum, permisit ad amicos ire et curam sui agere. 4. Et inde cum sustulissemus, subnavigavimus Cyprum, propterea quod essent venti contrarii. 5. Et pelagus Ciliciæ et Pamphyliæ navigantes, venimus Lystram, quæ est Lyciæ : 6. et ibi inveniens Centurio navem Alexandrinam navigantem in Italiam, transposuit nos in eam. 7. Et cum multis diebus tarde navigaremus, et vix devenissemus contra Gnidum, prohibente nos vento, adnavigavimus Cretæ, juxta Salmonem : 8. et vix juxta navigantes, venimus in locum quemdam, qui vocatur Boni portus, cui juxta erat civitas Thalassa. 9. Multo autem tem-



pore peracto, et cum jam non esset tuta navigatio, eo quod et jejunium jam præteriisset, consolabatur eos Paulus, 10. dicens eis : Viri, video quoniam cum injuria et multo damno, non solum oneris et navis, sed etiam animarum nostrarum, incipit esse navigatio. 11. Centurio autem gubernatori et nauclero magis credebat, quam his quæ a Paulo dicebantur. 12. Et cum aptus portus non esset ad hyemandum, plurimi statuerunt consilium navigare inde, si quomodo possent, devenientes Phœnicen, hyemare, portum Cretæ respicientem ad Africum et ad Corum. 13. Aspirante autem Austro, æstimantes propositum se tenere, cum sustulissent de Asson, legebant Cretam. 14. Non post multum autem misit se contra ipsam ventus Typhonicus, qui vocatur Euroaquilo. 15. Cumque arrepta esset navis, et non posset conari in ventum, data nave flatibus, ferebamur. 16. In insulam autem quamdam decurrentes, quæ vocatur Cauda, potuimus vix obtinere scapham. 17. Qua sublata, adjutoriis utebantur, accingentes navem, timentes ne in Syrtim inciderent, summisso vase sic ferebantur. 18. Valida autem nobis tempestate jactatis, sequenti die jactum fecerunt : 19. et tertia die suis manibus armamenta navis projecerunt. 20. Neque autem sole, neque sideribus apparentibus per plures dies, et tempestate non exigua imminente, jam ablata erat spes omnis salutis nostræ. 21. Et cum multa jejunatio fuisset, tunc stans Paulus in medio eorum dixit : Oportebat quidem, o viri, audito me, non tollere a Creta, lucrique facere injuriam hanc et jacturam. 22. Et nunc suadeo vobis bono animo esse : amissio enim nullius animæ erit ex vobis, præterquam navis. 23. Astitit enim mihi hac nocte angelus Dei, cujus sum ego et cui deservio, 24. dicens : Ne timeas, Paule, Cæsari te oportet assistere; et ecce donavit tibi Deus omnes qui navigant tecum. 25. Propter quod bono animo estote, viri : credo enim Deo, quia sic erit, quemadmodum dictum est mihi. 26. Insulam autem quamdam oportet nos devenire. 27. Sed posteaquam quartadecima nox supervenit, navigantibus nobis in Adria circa mediam noctem, suspicabantur nautæ apparere sibi aliquam regionem. 28. Qui et summittentes bolidem, invenerunt passus viginti : et pusillum inde separati, invenerunt passus quindecim. 29. Timentes autem ne in aspera loca incideremus, de puppi mittentes anchoras quatuor, optabant diem fieri. 30. Nautis vero quærentibus fugere de navi, cum misissent scapham in mare, sub obtentu quasi inciperent a prora anchoras extendere, 31. dixit Paulus Centurioni et militibus : Nisi in navi manserint, vos salvi fieri non potestis. 32. Tunc absciderunt milites funes scaphæ, et passi sunt eam excidere. 33. Et cum lux inciperet fieri, rogabat Paulus omnes sumere cibum, dicens : Quartadecima die hodie exspectantes jejuni permanetis, nihil accipientes. 34. Propter quod rogo vos accipere cibum pro salute vestra : quia nullius vestrum capillus de capite peribit. 35. Et cum hæc dixisset, sumens panem gratias egit Deo in conspectu omnium; et cum fregisset, cœpit manducare. 36. Animæquiores autem facti omnes, et ipsi sumpserunt cibum. 37. Eramus vero universæ animæ in navi ducentæ septuaginta sex. 38. Et satiati cibo alleviabant navem, jactantes triticum in mare. 39. Cum autem dies factus esset, terram non agnoscebant, sinum vero quemdam considerabant habentem littus, in quem cogitabant, si possent, ejicere navem. 40. Et cum anchoras sustulissent, committebant se mari, simul laxantes juncturas gubernaculorum : et levato artemone secundum auræ flatum tendebant ad littus. 41. Et cum incidissemus in locum dithalassum, impegerunt navem : et prora quidem fixa manebat immobilis, puppis vero solvebatur a vi maris. 42. Militum autem consilium fuit ut custodias occiderent, ne quis cum enatasset, effugeret. 43. Centurio autem volens servare Paulum, prohibuit fieri : jussitque eos, qui possent natare, emittere se primos, et evadere, et ad terram exire : 44. et cæteros alios in tabulis ferebant : quosdam super ea quæ de navi erant. Et sic factum est, ut omnes animæ evaderent ad terram.

1. Ut autem judicatum est. — a præside Festo, qui secutus est judicium Agrippæ suique concilii. Unde Syrus, *decrevit de eo Festus, ut mitteretur ad Cæsarem in Italiam.* Porro missus est Paulus Romam non solus, sed cum sociis, inter quos erat Lucas. Unde pro *navigare eum*, Græce est ἀποπλεῖν ἡμᾶς, id est *navigare nos in Italiam*: ita Pagninus, Tigurina et alii. Lucas ergo socius et achates Pauli particeps fuit omnium ejus afflictionum, easque hic ut oculatus testis describit.

Cum reliquis custodiis, — id est vinctis qui custodiebantur in carcere, vel custodia: hos enim significat Græcum δεσμώτας: custodia enim non tantum carcerem, sed et metonymice ipsos incarceratos, sive custoditos significat. Ita Suetonius in *Domitiano*: « Nec nisi secreto et solus, inquit, plerasque custodias, receptis quidem in manu catenis, audiebat. » Et ff. *De rerum custodia* sancitur, « ne quis receptam custodiam sine causa dimittat. » Et alibi: « Si custodia (id est vinctus) se interfecerit vel præcipitaverit, militis culpæ adscribitur. » Aliquando vero *custodia* significat ipsos custodes et apparitores, ut cum vocantur acres vel vigiles custodiæ. Ita Cæsar, lib. IV *De Bello Gallico*: « Neque clam transire propter custodias Menapiorum possent. » Plautus Capt.: « Ita vinculis custodiisque circummuniti sumus. » Tacitus, lib. I: « Acribus namque custodiis domum et vias sepserat Livia. » Tibullus: « Sed pretium si grande feras, custodia victa est. » Catullus: « Tuo adventu vigilat custodia. » Virgilius, IX *Æneid.*: « Noctem custodia ducit insomnem ludo. » Porro hi vincti, vel ad Cæsarem, æque ut Paulus, appellarant: vel ob criminum enormitatem aut difficultatem causæ aliave ratione ad Cæsarem mittendi erant. Vide hic rursum Paulum assimilari Christo, qui cum iniquis deputatus, et inter duos latrones crucifixus est.

Cohortis Augustæ. — Incertum est unde hæc cohors dicta sit *Augusta*. Hugo ita dictum censet, quod missa esset ab Augusto; Dionysius, quod a Nerone: hic enim vocabatur *Augustus*, quia Imperator (1). Alii, quod esset cohors Imperatoria. Sic enim vocantur milites *Augustales* apud Vegetium, lib. II, cap. VII; æque ac *Prætoriani*, qui prætorem stipant. Alii, *Augustæ*, id est Imperatricis, cohortem hanc fuisse, aut ab ea denominatam autumant.

2. Navem Adrumetinam. — Syrus, *quæ erat ex Adrumeto* urbe, et forte ad eamdem redibat. Adrumetum urbs est in Africa, de qua Plinius, lib. VI, cap. XXXIV. Et illam hic accipit S. Hieronymus in *Locis Hebr.* Verum alii accipiunt urbem in Asia, puta in Æolide sive Mysia, quam Stephanus, lib. *De Urbibus*, vocat Adramytteum. Perperam aliqui legunt *Rumentinam*, explicantque *Romam tendentem.*

Sustulimus — anchoras; Pagninus, *solvimus*, *vela fecimus*. Probabile est navim hanc solvisse e Joppe: Joppe enim non longe aberat Cæsarea, unde vinctus mittebatur Paulus: ita Mariana.

Aristarcho Macedone, — ut ille in Macedonia omnia quæ circa Paulum acta erant, annuntiaret: ita Chrysostomus. Porro Aristarchum vocat Thessalonicensem urbe, qui erat Macedo provincia; Thessalonica enim erat urbs in provincia Macedoniæ.

3. Humane autem tractans Julius Paulum, — captus eximia Pauli modestia, sapientia et virtute.

4. Subnavigavimus Cyprum, — id est sub vel juxta Cyprum navigavimus: ita Pagninus et Tigurina; non enim videntur ingressi Cyprum, sed mansisse in mari. Unde et sequitur: « Et pelagus Ciliciæ et Pamphyliæ navigantes, venimus Lystram. »

Propterea quod essent venti contrarii, — imminente jam hieme. Paulus enim sub Pentecosten appulerat Hierosolymam, ut dixi cap. XXI, 17; mox captus multo tempore, quæ gessit hucusque narrata sunt; ut proinde jam instaret hiems, idque patet ex jejunio, de quo vers. 9. Ita S. Chrysostomus, qui et addit: « Iterum tentationes, iterum venti contrarii. Vide per omnia vitam Sanctorum sic contexi. Effugerant tribunal, et faciunt naufragium, ac ferunt tempestatem. » Ita Sanctis texitur hic spinea patientiæ corona, ut pariter texatur in cœlis gemmeum gloriæ diadema.

5. Lystram. — Græca, Syrus, S. Chrysostomus, Isidorus, Hugo, Gagneius, Vatablus et alii legunt *Myram*: hæc enim est in Lycia; cum Lystra, patria Timothei, sit in Lycaonia. Verum Latina Biblia, etiam a Romanis emendata, constanter habent *Lystram*. Hæc enim, licet sit in Lycaonia, tamen quoque est in Lycia; hæc enim generatim sumpta Lycaoniam aliasque regiones complectitur: ita Stephanus, lib. *De Urbibus*.

7. Contra Gnidum. — Gnidus est urbs aut promontorium Asiæ, Cretæ objectum.

(1) Conf. Tacitum, *Annal.*, XIV, 15, ad ann. Jul. 104, ubi legitur: « Tumque primum conscripti sunt equites Romani, cognomento Augustanorum, ætate ac robore conspicui, et pars ingenio procaces, alii in spe potentiæ. » Et Suetonium, in *Nerone*, XX. Aliam conjecturam, neque eam improbabilem, proposuit Schwarzius in Dissert. *De cohorte Italica et Augusta*; statuit nimirum, cohortem illam cognomen retulisse ab urbe Samaritana, ab Herode in honorem Augusti Σεβαστή vocata, ut proprie diceretur *cohors Sebasta*, vel *Sebastena*, aut *Sebastensis*. Et revera apud Josephum reperitur, *Ant.* XX, VI, *plurimos qui tum temporis per ea loca sub Romanis castra sequebantur, patria fuisse Cæsareenses et Sebastenos*; et *Bell. Jud.* II, V, legimus Cumanum, procuratorem Judææ, secum e Cæsarea adduxisse *alam equitum, quæ vocabatur Sebastenorum*. Atqui, si illo ipso tempore, teste Josepho, Cæsareæ extitit ala equitum quæ vocatur *Sebasta*, vel *Sebastenorum*, cur non ibidem existere potuit peditum cohors, quæ ex eadem ratione cognominata sit *Sebasta*?



8. Et vix juxta (terram) navigantes, — id est littus legentes.

Thalassa. — Græca et Syrus, *Lasæa*; Gagneius ait esse civitatem in littore Cretæ, juxta locum qui dicitur *Boni portus*. Bonitas enim portus urbem celebrat et locupletat, illum enim ambiunt mercatores et nautæ, ut merces et portoria eo inferant. Quatuor sunt quæ ditant, inquiunt Itali et ex eis Tiraquellus, *il porto, morto, porco, horto*. Portus enim dat portoria; mortuus suas opes relinquit hæredibus; porcus pinguescit, caroque venditur; hortus dat herbas et fructus.

9. Cum jam non esset tuta navigatio, eo quod et jejunium jam præteriisset. — Nonnulli cum Syro et Œcumenio putant hoc jejunium fuisse Judæorum, puta mense septimo in festo Expiationis, q. d. Jam præterierat æquinoctium autumnale, urgebatque hiems, quando navigatio est periculosa. Multis id confirmat Sanchez. *Primo*, quia jejunium hoc fuit publicum et solemne: tale autem apud Judæos erat in die Expiationis. Loquitur enim Paulus, et Lucas ex Paulo, Judæis, quibus plena erat navis Judaica. *Secundo*, quia post æquinoctium autumnale ingruunt venti et tempestates, soletque esse periculosa navigatio; unde nautæ metuere solent diem S. Matthæi. *Tertio*, quia in solstitio hiberno sunt dies alcyonii et sereni, nimirum septem dies ante illud et totidem post, teste Plinio, lib. X, cap. XXXII. Vide Sanchez (1). Alii tamen opinantur hoc jejunium fuisse ante festum Tabernaculorum; alii, fuisse jejunium die sexto Marchesuan, id est octobris, inchoatum, quod Judæi ad aliquot dies protrahebant. Ita Mariana.

Verum alii multi accipiunt jejunium decimi mensis, sive quatuor Temporum in decembri. Illud enim apud Christianos antiquissimum est, utpote in quo solebant ordinari Episcopi, Sacerdotes et Diaconi, ut patet ex Vitis Pontificum. Post hoc enim urget hiems estque periculosa navigatio. Jampridem enim apud Christianos exoleverant jejunia et festa Judaica, et pro illis successerant Christiana. Lucas enim hæc videtur scripsisse Christianis christiane: scripsit enim 24 annis post Christum, sive post promulgatam legem novam, *Act.* II. Ita Bellarminus, lib. II *De Bonis oper.*, cap. XIX, qui hinc probat antiquitatem jejunii quatuor Temporum. Adde jejunium hoc Christianum decimi mensis quasi coincidisse cum jejunio Judaico ejusdem mensis: Judæis enim hoc mense indictum fuisse jejunium, patet *Zachar.* VIII, 19. Vide ibi dicta; ita Baronius. Sic Pentecosten non Judaicam, sed Christianam nominat, imo describit Lucas, *Actor.* cap. II, vers. 1 et seq.

Sane verius videtur hic jejunium non septembris, sed decembris intelligi, sive Judaicum illud accipias, sive Christianum. *Primo*, quia in decembri periculosissima est navigatio (non in septembri), qualis hæc fuit, ut patet ex horribili ejus naufragio et ex præmonitione S. Pauli. *Secundo*, quia S. Chrysostomus tradit S. Paulum multo post Pentecosten tempore profectum Cæsarea, et ipsa fere hieme in Cretam devenisse. *Tertio*, noster Octavius Cajetanus, in *Isagoge*, cap. XX, urget illud cap. XXIV, 27: « Biennio autem expleto, accepit successorem Felix Portium Festum, » qui paulo post S. Paulum vinctum misit Romam. Hoc enim biennium ab initio imperii Neronis ordiendum esse censent Baronius, Lorinus et Scaliger: Nero autem orsus est imperium 3 Idus octobris, ut Seneca, Suetonius et Tacitus tradunt. Quare de septembri hæc Pauli navigatio accipi nequit: tunc enim necdum Nero expleverat biennium imperii, sed illud expleturus erat proximo octobri. Verum hæc ratio non plane concludit, uti dixi cap. XXIV, 27; nam, verisimilius alii biennium hoc ordiuntur a præfectura Felicis, quæ cœpit ante Neronem, sub finem Imperii Claudii. *Quarto*, magis urget, quod (uti dicam cap. XXVIII, 16) multi tradunt Paulum Romam appulisse sero admodum, puta die sexta julii. Ergo serum fuit hoc jejunium, et paulo post secutum naufragium, puta in decembri. Si enim fuisset in septembri, utique in januario, ut vult Scaliger, Romam appulisset. Quocirca videtur, ait noster Octavius, Paulus in decembri Cæsarea discessisse, ita ut hæc ejus navigatio longaque in mari jactatio contigerit proxime sequente januario: tum enim solent flare venti navigantibus infesti, ac tardam, molestam et periculosam (qualis fuit hæc) efficere navigationem; ita ut naufragium S. Pauli inciderit in februarium, quando acre est frigus, ob quod accensa pyra eum naufragum cum sociis recrearunt Melitenses. Porro Melitæ hiemavit Paulus mansitque tres menses, ut ait S. Lucas: quibus expletis, in vere cœpit navigare. « Ver enim, teste Plinio, lib. II, cap. XLVII, aperit navigantibus maria, cujus in principio Favonii hibernum molliunt cœlum. » Videtur autem Paulus non ineunte, sed adulto vere, sub initium maii Melita discessisse, ita ut in navigando Melita Syracusas, Syracusis Rhegium, Rhegio Puteolos, Puteolis Romam, mensem et amplius insumpserit. Adde tres dies Syracusis ab eo insumptos, unum Rhegio, septem Puteolis, sic fiet, ut Romam appulerit die sexta julii; quod revera ita contigisse Beda et alii passim tradunt, uti dicam vers. 14.

Hæc noster Octavius apposite, cui in plerisque assentior, excepto exordio navigationis, quod ipse novembri vel decembri assignat. Nam nautæ

(1) Ita et Rosenmüllerus, cujus hæc sunt verba: « Per τὴν νηστείαν, intelligendum est *jejunium magnum*, seu *publicum*, quod agebatur die magno Expiationis, qui in 10 Tisri incidebat. Post illud tempus, mense nimirum octobri, navigatio incerta est et discrimini propior. » Romani quoque mare claudebant a die 3 iduum novembris usque ad 4 iduum martii (Vegetius, *De Re milit.* IV, 39). Illud jejunium νηστεία simpliciter dicitur etiam apud Philonem, lib. II *De Vita Mos.*

et navigantes (qui multi hic erant, scilicet 276) non solent ordiri navigationem tam longam in decembri, utpote instante hieme et procellis in mari periculosis. Quare alii verosimilius censent navem hanc solvisse Cæsarea sub septembrem, ut ante hyemem posset in Italiam appellere; sed quia ipsa adversos pene continuo habuit ventos, hinc sua spe frustrata, tarde admodum navigavit multosque menses in mari insumpsit, nec Italiam attigit, sed Melitæ hiemavit. Hoc est enim quod diserte de ea ait Lucas, hoc cap. XXVII, 4: « Subnavigavimus Cyprum, propterea quod essent venti contrarii. » Et vers. 7: « Et cum multis diebus tarde navigaremus, et vix devenissemus contra Gnidum, prohibente nos vento. » Deinde subdit, vers. 9: « Multo autem tempore (puta multis mensibus) peracto, et cum non esset tuta navigatio, eo quod et jejunium jam præteriisset, » etc., cum scilicet jam esset januarius: sub finem enim januarii videtur sequens Pauli naufragium contigisse, ita ut ex eo evadens Melitam, in ea hiemarit hæseritque tres menses, puta toto februario, martio et aprili: ac inde ineunte maio Romam versus discesserit, juxta id quod ait Lucas, cap. XXVIII, 11: « Post menses autem tres navigavimus. » Sic enim lente navigans, uti ostendam vers. 12, Romam pervenit die sexta julii, quod constanter veteres affirmant.

CONSOLABATUR, — παρῄνει, id est *hortabatur, suadebat*; Syrus, *consulebat*, eoque consolabatur eos in tam lenta molestaque, æque ac periculosa navigatione. Omnia hæc significat vox παρῄνει.

10. VIDEO, — non tam ex aere aliisque naturæ prognosticis, quam ex spiritu prophetico.

INJURIA, — quasi dicat: Iniqui et injurii sumus, non tantum navi et mercibus earumque dominis, puta mercatoribus; sed et animabus, id est vitis nostris: hæc enim perditionis et mortis periculo exponimus, si tempore hiberno et importuno navigare pergamus. Minus recte aliqui per « injuriam » accipiunt Dei offensam et peccata a nautis et vectoribus commissa, quasi ex iis præsagierit Paulus imminentem ex Dei vindicta tempestatem (1).

12. PHOENICEN. — « Phœnix » hæc non est Phœnicia, regio Syriæ, cujus caput est Tyrus et Sidon; sed urbs et portus in Creta ad australe ejus littus. Ita Ptolomæus, lib. III, cap. ult., qui urbem vocat φοίνιξ, portum φοινικοῦντα. Et sic per appositionem explicat Lucas subdens: « Portum Cretæ respicientem ad Africum et ad Corum. » Africus enim est ventus partim Australis, partim Occidentalis, nimirum medius inter Austrum et Occidentem; Corus vero est Occidentalis, seu lateralis vergens in Austrum, de quo Juvenalis, *Satyr.* 14:

> Atque habitas Coro semper tollendus et Austro.

Porro Africus dictus est, quia flat ab Africa. Inde alio nomine Libycus, Libs et Notus vocatur, de quo Horatius, lib. I *Carm.*, ode 1: « Luctantem Icariis fluctibus Africum. » Et Plinius, lib. XVIII, cap. XXXIV: « Ex adverso Aquilonis ab occasu brumali Africus flabit, quem Græci Liba vocant. » Hinc turbidus est et procellosus, et tempestates ciet. Unde *Africæ* procellæ, quasi ab Africo vento excitatæ, vocantur ab Horatio, lib. III *Carm.*, ode 19. Idem, *Epod.* 16:

> Ire, pedes quocumque ferunt, quocumque per undas
> Notus vocabit, aut protervus Africus.

Et Virgilius, I *Æneid*.

> Una Eurusque Notusque ruunt, creberque procellis
> Africus, et vastos volvunt ad littora fluctus.

Hinc et Isaias: « Turbines, inquit, ab Africo veniunt; » ita ipse cap. XXI, 1.

HIEMARE, — in Phœnice, portu Cretæ jam dicto.

13. CUM SUSTULISSENT (scilicet antennas et anchoras, hoc est solvissent) DE ASSON. — Asson hæc non est illa urbs juxta Troadem de qua cap. XX, 13; sed erat urbs vel locus et portus Cretæ ad Septentrionem, ex quo solventes et Cretam prætérlegentes versus Occidentem, ad portum Phœnicem, qui erat ad Meridiem, navigare decreverunt. Ita Baronius.

14. MISIT SE CONTRA IPSAM VENTUS TYPHONICUS, QUI VOCATUR EUROAQUILO. — Græce Εὐροκλύδων, id est Eurus tempestuosus et fluctuosus, excitansque in mari fluctus et vortices, instar Aquilonis; vel qualis est Eurus ad Aquilonem vergens. Unde Noster vertit *Euroaquilo*, ac nonnulli suspicantur Nostrum in Græco legisse Εὐρακύλων, itaque omnino in Græco legendum contendit Philippus Cluverius, lib. II *De Antiqua Sicilia*, cap. XVI.

Eurus, sive Vulturnus, flat ab Oriente: unde opponitur Zephyro, qui flat ab Occidente; sin medius sit et mixtus, hoc est flet inter Orientem et Aquilonem, est Euroaquilo. Et talem hic fuisse indicat Noster, vertens *Euroaquilo*, idque collegit ex eo quod navis ex Cretico littore, hoc vento partim Meridiem, partim Occidentem versus impulsa sit, puta Melitam, quæ inter Africam et Siciliam sita est.

Dices: Melite directe est ad Occidentem respectu Cretæ, et nullo modo vergit ad Meridiem; ergo Euroaquilo navim S. Pauli non poterat impellere versus Melitam, sed versus Africam. Respondet Philippus Cluverius loco citato, Meliten esse ad occidentem Cretæ, sed Gaulum sive Caudam, in quam navim impulit Euroaquilo, esse Cretæ ad meridiem versus Occidentem objectam, teste Mela et Plinio. Hoc ergo vento a Creta infra dextram Gaulum abrepti, cum metuerent ne ulterius eodem cursu in Syrtim impellerentur, « demissis velis ita ferebantur, » nempe ex ortu in occasum versus Melitam, gubernaculi adjumento eam regionem tenentes.

Verum huic responsioni obstat primo, quod Ortelius et alii Geographi Gaulum, sive Gozo, ponant præcise ad occidentem Melitæ, æque ac Cretæ. Rursum, quod idem Euroaquilo navim S. Pauli ex Gaulo impulerit Melitam. Insuper, quod hic Euroaquilo fuerit Typhon, ut ait S. Lucas; Aristoteles autem negat Typhonem fieri spirante Aquilone, eo quod ille conflatus sit ex sicca calidaque exhalatione, ideoque frigus geliduque Aquilonis evincat statimque exstinguat. Fuit ergo hic ventus orientalis, puta Eurus seu Euroclydon, quod Noster vertit « Euroaquilo, » non quod ex Aquilone spiraret, sed quod impetuosus esset et violentus instar vehementis Aquilonis. Typhonicus enim ventus, Euroclydon dictus, Eurus est procellosus verticosusque et cum impetu vibratus. Eurus autem ab Oriente hiberno spirat, ut Aristoteles, Seneca et Plinius docent: ex qua cœli plaga spirans ventus, si navigantes in Adriatico mari deprehendat, in Melitam juxta Siciliam recte impellit, ut ex tabulis navigationis et Geographiæ notum est. Ita noster Octavius Cajetanus, in *Isagoge*, cap. XIX.

Utrumque conciliabis, si utrumque jungas dicasque Euroaquilonem vocari Eurum, qui procellosus erat, ut Aquilo, et simul nonnihil ad Aquilonem inclinabat eratque lateralis, qui a Columella, lib. III, cap. XI, vocatur Euronotus; a Gellio, lib. II, cap. XXII, Vulturnus, flatque ab Oriente hiberno inter Eurum et Notum, sive Aquilonem, teste Plinio, lib. II, cap. XLVII.

Adde, in mari, præsertim hieme, subito sæpe novos, imo contrarios exsurgere ventos, eosque inter se vices alternare, adeoque confligere. Sic Euroaquilonem hunc non toto tempore jactationis navis spirasse, sed cum Zephyro vices mutasse valde est credibile, et pene certum. Nam ventus hic tandem navim ex Cauda insula, quæ est ad occidentem Melitæ, uti inferius dicam, impulit Melitam. Flavit ergo tunc ab Occidente fuitque occidentalis, puta Zephyrus; non orientalis, puta Eurus.

« Typhon » est ventus contortus et turbulentus, vortex seu vertex, et turbo, quem Græci orbe motum vocant, vel ecnephiam, id est e nube erumpentem per exiguum nubis foramen, ideoque impetuosus est et procellosus, de quo Aristoteles, lib. III *Meteor.*, et Plinius, lib. II, cap. XLVIII *De Repentinis flatibus*: « Sin vero, ait, depresso sinu arctius rotati effregerint sine igne, hoc est, sine fulmine, verticem faciunt, qui Typhon vocatur, id est vibratus ecnephias. Defert hic secum aliquid abruptum e nube gelida convolvens, versansque et ruinam suo illo pondere aggravans, et locum ex loco mutans rapida vertigine: præcipua navigantium pestis, non antennas modo, verum ipsa navigia contorta frangens. » Signum imminentis Typhonis, sive ecnephiæ est nubecula quædam, quam ubi vident nautæ, illico vela demittunt et se in portum recipiunt. Frequens est Typhon Genuæ, ubi sæpe naves confringit; saxa, arbores, turres, stabula evertit, imo a fundamentis avellit alioque transfert. Remedium Typhonis Plinius assignat acetum, utpote frigidissimum, in advenientem Typhonem, utpote calidissimum, effusum, unde et dictus est *Typhon* a τύφω, id est *inflammo*. Idem illisu sui ipsius repercussus, correpta secum in cœlum refert sorbetque in excelsum.

Porro hunc Typhonem et tempestatem excitatam esse a diabolo, ut mergeret et perderet Paulum, innuit S. Chrysostomus. Ubi symbolice nota, apposite diabolum insinuasse se Typhoni, quia ipse sæpe Typhoni se immiscet excitatque in mari et aere tempestates. Unde et Typhon ita naves aliasque res abripit, agit et rotat, ut animatus videatur. Dæmon ergo est spiritualis Typhon: *primo*, quia Typho superbia turget; Primo.
*secundo*, quia tentando homines Typhonem imitatur, turbationes in imaginatione et anima suscitando, sicut Typhon suscitat tempestates in mari, idque rotando animam ab una cogitatione in aliam, ab una passione in aliam, ab uno desiderio in aliud: jam enim metu, jam audacia; jam ira, jam pusillanimitate; jam tristitia, jam lætitia; jam suspicionibus, jam præsumptione; jam odio, jam amore hominem exagitat. Unde S. Gregorius, lib. XXXII *Moral.* cap. XVII, illud *Job.* cap. XL, vers. 12, *Nervi testiculorum ejus perplexi sunt*, mystice explicat de multiplicibus argumentis diaboli, quibus ipse animas prostratas sibi polluit et corrumpit: « Testiculi, inquit, ejus sunt suggestiones pravæ, quibus in mentis corruptione fervescit, atque in constuprata anima iniqui operis prolem gignit. Sed horum testiculorum nervi perplexi sunt, quia suggestionum illius argumenta implicatis inventionibus illigantur, ut plerosque ita peccare faciat, quatenus si fortasse peccatum fugere appetant, hoc sine alio laqueo peccati non evadant: et culpam faciant, dum vitant; ac nequaquam se ab uno valeant solvere, nisi in alia consentiant ligari. » Id deinde particularibus exemplis in quolibet statu, ad oculum demonstrat. Secundo.

*Tertio*, Typhon est fulmineus: per disruptam enim nubem laxiorem locum quærens, instar fulminis magno impetu deorsum ruit: imo subinde exhalationum et ventorum repercussu et arctatione ignem, et quasi fulmen concipit, ita ut simul ignis et flatus deorsum ferantur; et tunc Prester dicitur (a πρήθω, id est *incendo*), proxima quæque non solum prosternens, sed et amburens: cujus etiam incendio nonnunquam mare effervescit, uti docent Conimbricenses, tract. 6 in *Meteora*, cap. VII. Ita dæmon fulmineus est,

(1) Juxta alios, injuria, Græc. ὕβρις, h. l. est vis atque sævitia procellarum atque tempestatis, quo fere sensu Horatius, lib. I *Carm.*, ode 14:

> Tu, nisi ventis debes ludibrium, cave.



UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

bno fulmen, juxta illud Christi : « Videbam Satanam sicut fulgur de cœlo cadentem, » *Luc.* x, 18 ; ac fulminis instar homines invadit, sternit, accendit ira, libidine aliisque cupiditatibus, juxta illud *Job*, cap. XLI, vers. 10 : « De ore ejus lampades procedunt, sicut tædæ ignis accensæ. De naribus ejus procedit fumus, sicut ollæ succensæ atque ferventis. Halitus ejus prunas ardere facit, et flamma de ore ejus egreditur. » Ubi vide S. Gregorium, lib. XXXI *Moral.*, cap. XXI. Sic Seleucus, Asiæ rex, Ceraunius, id est fulmineus, cognominatus est, ob ingenium acre et fulmineum.

*Quarto*, S. Gregorius, in *Cant.* cap. III, explicans illud : *Surge, Aquilo, et veni, Auster* : « Quid, inquit, per Aquilonem qui in frigore constringit et torpentes facit, nisi immundus spiritus designatur, qui reprobos omnes dum possidet, a bono opere torpere facit? Per Austrum vero, calidum scilicet ventum, Spiritus Sanctus figuratur, qui dum mentes electorum tangit, ab omni torpore relaxat, et ferventes facit, ut bona quæ desiderant, operentur. »

*Quinto*, aliquando flatus e diversis nubibus, inquiunt Conimbricenses loco citato, vel alia atque alia parte ejusdem nubis protrusi, inter se conglobantur, et dum in diversa nituntur, durante pugna in se retorquentur, ac rotati vorticem efficiunt similem ei quem videmus in aquis fluminum, quæ in saxum ad latus ripæ prominens incurrunt, et sine exitu in sese collectæ flectuntur : quo item modo alias, cum ex lato in angustum in portis aut viis ventus vi adigitur, vortex existit. Igitur flatus magna vi excussus e nube, si recta descendat, proprie ecnephias dicitur : sin in gyrum torqueatur, turbo vel Typho vocatur, qui validissime omnia secum abripit, contorquet, diffringit. Unde Olympiodorus Typhona dictum esse ait, διὰ τὸ τύπτειν σφοδρῶς, id est *quia valide et vehementer corpora, in quæ incidit, verberat et quatit*. Nautæ vero, ait, σίφωνα appellant, quia instar σίφωνος, id est *tubæ*, maris aquam ad se trahit. Ita diabolus homines instabiles et inconstantes validissime quatit et ad se suosque casses trahit, juxta illud *Habacuc*, III, 14 : « Maledixisti sceptris ejus, capiti bellatorum ejus, venientibus ut turbo ad dispergendum me. » Et *Job*, XL, 18 : « Ecce absorbebit fluvium, et non mirabitur, et habet fiduciam quod influat Jordanis in os ejus. » Ubi vide S. Gregorium, lib. XXXII *Moral.* cap. VI.

15. CUMQUE ARREPTA ESSET NAVIS, — a vento Typhonico, qui eam agebat et gyrabat instar turbinis.

16. CAUDA. — Jam Græca habent Κλαύδην, id est *Claudam*. A Plinio, lib. III, cap. VIII, *Gaulos* vocatur : a Mela, lib. II, cap. XVII, *Gaudos* ; a Ptolemæo, lib. III, cap. XIII, *Claudos* ; ab aliis vocatur *Caudos*, ab aliis *Caunos* ; Syrus vertit *Cura*, vel *Cora*. Suidas indicat Καῦδα insulam esse vicinam Cretæ, hoc nomine memorabilem, quod illic generentur ingentes onagri. Alii censent, hic intelligi eam, quæ nunc corrupto nomine Gaulo, Gaudico et Gozo dicitur, et vix tribus horis distat a Melita, tum quia paulo post navis hæc Melitam appulit, tum quia ejus incolæ profitentur se conversos a S. Paulo cum Melitam venit, adduntque per miraculum majores suos ex sua insula Paulum Melitæ concionantem audivise. Quid mirum? ita audita fuit vox Antonii de Padua, et S. Vincentii Fererii ab absentibus et longe remotis. Verum huic opinioni obstat, quod navis hæc vix post quatuordecim dies, ut dicitur vers. 27, appulerit Melitam, cum Gozo a Melita paucis horis distet; nisi quis dicat navim contrariis ventis agitatam, nunc antrorsum, nunc retrorsum actam, circa Gozo jactatam per tot dies fuisse, uti fieri solet in tempestate. Ita *Caudam* esse eam quæ nunc *Gozo* dicitur, censet Philippus Cluverius, lib. II *De Antiqua Sicilia*, cap. XVI, multique alii.

POTUIMUS VIX OBTINERE SCAPHAM, — id est vix scapham e mari subtrahere et in navim imponere potuimus. Solent enim naves onerariæ scapham sibi adjungere, tum ad homines mercesque invehendos et evehendos, tum ad speculandum piratas et vada, tum ut in naufragio per illam evadant, tum ob alia plura commoda. Scapha dicitur a σκάπτω, id est *excavo*. Primitus enim scaphas et naves faciebant ex truncis arborum excavatis, uti etiamnum faciunt Indi, apud quos naves sunt lintres excavati. Beda aliter dispungit et legit, nimirum sic : « Tunc transcurrimus insulam, quæ dicitur Cauda, quam occupare non potuimus, sed scapha missa adjuvare cœperunt navim. » Verum hæc lectio plane discrepat a Græco et Latino Vulgato.

17. QUA SUBLATA, — in navim.

ADJUTORIIS UTEBANTUR, ACCINGENTES NAVIM. — Cajetanus per *adjutoria* accipit adjutores milites et vectores, qui erant in navi : hosce enim adjuvisse nautas ad succingendam navim. Sic enim servos et operarios vocamus *operas* in abstracto. Alii planius per *adjutoria* intelligunt catenas, uncos, funes aliaque instrumenta quibus accinxerunt navim.

Quæres, quid sit *accingere navim?* et quomodo id factum? Cajetanus censet factum per dolia vacua, quæ utrimque navi appensa eam sustinebant, ne in arenam impingeret aut hæreret. Verum hæc dolia navim onerariam sustinere non potuissent.

Quare melius Beda, Gagneius, Arias et alii censent id factum esse, tum per catenas, funes et uncos quibus navim constrinxerunt ; tum per anchoras, saxa aliaque pondera, quæ navi alligata in mare demiserunt : partim ad retardandum cursum navis, ne ventorum impetu acta in saxa et Syrtes dissiliret, uti in mari Britannico refrenandæ navi post tergum ingentia saxa subjungere solent, ait Beda : hæc enim et navim deprimunt, ut minus vim ventorum sentiat, et



eam degravant, ne tam facile vento agitari et rotari possit ; partim ad præsentiendum Syrtes et scopulos ; partim ut recta rectoque libramine incederet navis, ne vi venti acta in latus, everteretur et mergeretur ; partim ut funibus, catenis et uncis latera navis sibi invicem astricta firmiora essent validiusque scopulis resisterent ; partim ut funibus navis retineri a nautis et dirigi aliqua ratione posset. Sic aurigæ in descensu declivi et præcipiti, rotam ultimam catena succingunt, ne rotari possit, ut ita currus vehementiorem cursum et rotationem remorentur, ne in præceps actus evertatur vel frangatur.

Porro tota navis in longum circumcirca accingi nequivit. Erat enim in longitudine ingens et vasta, utpote quæ præter onera continebat 276 homines. Quare in partibus nonnullis duntaxat eam accinxerunt, v. g. in medio, latus utrumque transversim colligando et constringendo, item proram sive partem navis anteriorem : hanc enim in tempestate valida etiamnum accingere solent nautæ, ne in vada impingens diffringatur, et ut fluctibus in eam primo irruentibus validius resistat, eosque constanter secando iter pervium tutumque navi faciat. Est enim prora quasi rostrum et lancea navis, ejusque clypeus, murus et antemurale.

NE IN SYRTIM INCIDERENT. — *Syrtis* in singulari, vel *Syrtes* in plurali, sunt loca arenosa circa fines Africæ Ægyptum versus, ideoque periculosissima, ita dicta a σύρω, id est *trahere*, quod naves trahat et sorbeat. Unde Sirones in Syrtibus naves et nautas incantare et sorbere fabulati sunt Poetæ. Est enim in ea inæqualitas maris et terræ magna, et uno loco profundissima, in alio vero vadosa : spiranteque vento cumulus arenæ qui super mare fuerat, in profundissimas residet valles, et qui deprimebatur, mox super aquas egeritur. Inde arenosa loca in mari quolibet vocantur Syrtes, ait Servius.

SUBMISSO VASE. — *Primo*, Syrus et Beda per *vas* accipiunt antennam, sive lignum transversum in malo, cui velum alligatur, *q. d.* Submisimus antennam cum velo. Ita Chrysostomus et Mariana : vela enim submittunt nautæ in tempestate, ne a furente vento navis abripiatur et mergatur. *Secundo*, Vatablus accipit scapham, *q. d.* Scapham in imam navim demisimus. *Tertio*, Cajetanus accipit dolia jam dicta. *Quarto*, Gagneius, Dionysius et alii multi accipiunt anchoram, id est anchoras. Anchora enim est proprium vas, id est instrumentum navis et nautarum, *q. d.* Submissis in mare anchoris, uti paulo ante dixi, navim retardarunt. *Quinto*, Salmeron accipit ipsam navim ejusque ventrem et fundum, *q. d.* Vas, id est navim depressimus in mare per anchoras, saxa aliaque pondera, ut ipsa submissior esset minusque vim et impetum venti sentiret et exciperet ; quæ expositio valde est apposita (1).

18. JACTUM FECERUNT, — sarcinas et merces projecerunt in mare ad alleviandam navim, ne navis adeo onerata venti impetu allisa ad scopulos, illico dissiliret. Unde Syrus vertit, *supellectilia nostra projecimus in mare*.

19. ARMAMENTA NAVIS PROJECERUNT. — *Armamenta* vocat instrumenta nautica, quæ navis quasi sunt arma, uti sunt anchoræ, conti, remi, saburra, etc.

TEMPESTATE NON EXIGUA, — nubium, imbrium, procellarum, ventorum, tonitruorum et fulminum. Horrisonum est eam in mari videre et audire : habet enim speciem perpetuæ noctis, erebi et inferni. Nam, ut ait Silius, lib. IV,

> Fertur ab immenso tempestas horrida cœlo,
> Nigrantesque globos et turbida nubila torquens,
> Involvit terras.

Et Virgilius, I *Æneid.* :

> Talia jactanti stridens Aquilone procella
> Velum adversa ferit, fluctusque ad sidera tollit.
> Franguntur remi, tum prora avertit, et undis
> Dat latus, insequitur tumulo præruptus aquæ mons.
> Hi summo in fluctu pendent : his unda dehiscens
> Terram inter fluctus aperit, furit æstus arenis.
> Tres Notus abreptas in saxa latentia torquet;
> In brevia et Syrtes urget tres Eurus ab alto,
> Illiditque vadis, atque aggere cingit arenæ.

21. ET CUM MULTA JEJUNATIO FUISSET, — ἀσιτία, id est *inedia*, tum ob metum et pavorem naufragii, qui homini cogitationem cibi famemque adimit, facitque ut homo non aliud quam periculum et mortem instantem cogitet ; tum ad placandum et propitiandum Deum.

STANS PAULUS, — corpore, et magis animo et corde : « Nam navis cordis ejus in marinis fluctibus integra stetit, » ait S. Gregorius, lib. VII, *epist.* 127, quia anchoram spei fixerat in Deo. Notat Chrysostomus Pauli lætitiam in tanto periculo : proposuisse enim sibi Romæ conversionem pro præmio ; modestiam quod non objurget, non exprobret, se cum tempestatem hanc prædiceret, non fuisse auditum, calamitosis enim non est addenda calamitas; prudentiam, qua eis sanum dat consilium ; misericordiam et charitatem, qua vinctorum, qui mille facinorum rei erant, paternam curam gessit omnesque salvavit, ac salutem omnibus prædixit et promisit. Additque permissam esse hanc tempestatem a Deo, ut per eam Pauli virtus, sanctitas et dignitas panderetur.

LUCRIQUE FACERE, — κερδῆσαι, id est *lucrari*, hoc est accersere hanc *jacturam* sive damnum, et *injuriam* ; Syrus, *penuriam*. Hugo et Vatablus per *injuriam* accipiunt maris et cœli tempestatem. Planius *injuriam* hanc accipias pro jactura et damno. Hoc enim erat injurium tam nautis et vectoribus, quam heris mercium, quæ erant in

(1) Grotius : *demisso malo*, ut malus hic κατ' ἐξοχὴν dicatur σκεῦος, vas ; et hoc quidem probabilius est : solet enim demitti malus, aut etiam in repentino periculo abscindi.

navi, præsertim cum Paulus id nautis prædixisset, ideoque ipsi illud cavere debuissent, ut dixi vers. 10.

22. NULLIUS ANIMÆ, — id est vitæ corporalis. Addit Lyranus, *et spiritalis*, quasi omnes hæ animæ in Pauli gratiam, a Deo in æternum salvatæ sint. Verum id non est genuinum, esto sit probabile, uti innuit S. Chrysostomus, de quo vers. 24.

PRÆTERQUAM NAVIS, — tum ut nautæ sua navi mulctarentur, quod non audissent sanum Pauli consilium; tum ut Deus eam permitteret cursui naturali: in naufragio enim solet præ cæteris navis perire et perdi; tum ut majus appareret Dei beneficium et gloria Pauli, quod sine navi omnes vectores salvasset. Ita Chrysostomus.

23. CUJUS SUM EGO — minister, cultor et Apostolus. Dicit hoc, ne Gentiles qui erant in navi, suo deo aut diis hoc oraculum aut miraculum tribuerent.

ET CUI DESERVIO, — λατρεύω, id est *quem latria colo*.

24. DONAVIT TIBI DEUS OMNES. — Ergo omnes jam perditi erant, id est certo perdendi, tum cursu naturæ, ob vim tempestatis, uti ait Œcumenius; tum ultione Dei, ob eorum scelera. Unde Chrysostomus sic explicat, *q. d.* « Digni quidem erant, qui perirent, quoniam inobedientes fuerunt : verumtamen in tui gratiam servabo eos (1). »

Moral. Sancti præsentia cæteros salvat.

Quocirca idem Chrysostomus in *Moral.* : « Si navigantes, ait, periclitantes et naufragium sustinentes, si et vincti per Paulum servati sunt, cogita quid est esse virum sanctum in domo : multæ enim tempestates etiam nobis incumbunt his multo graviores, sed potest Deus etiam nos donare, modo credamus Sanctis, sicut illi, si fecerimus quæ præcipiunt. Non enim simpliciter servantur, sed etiam ipsi fidem attulerunt : licet vinctus esset Sanctus, majora solutis operatur. Et considera hoc hic factum. Solutus centurio vincto illo habebat opus : gubernator peritus non gubernante egebat. Non enim talem gubernabat scapham, sed orbis Ecclesiam; qui didicerat ab illo maris Domino non humana arte, sed spirituali scientia, in navi illa multa naufragia, multas procellas, spiritus malitiæ, intus pugnas, foris timores, atque ita hic revera gubernator erat. » Simili modo S. Benedictus suis meritis et precibus obtinuit, ut Longobardi monasterium suum vastantes, nullum hominem caperent vel necarent : eis ergo Deus res tradidit, animas custodivit. Similis ergo Paulo fuit Benedictus, ait S. Gregorius, II *Dial.*, cap. XVII.

Subdit Chrysostomus nostram vitam esse quasi continuam tempestatem et ærumnarum vicissitudinem, ac proinde nos pariter indigere Paulo, ideoque ejus opem nobis conciliare debere credendo et obediendo ejus epistolis et præceptis; ac concludit : « Retineamus apud nos Sanctos, nec erit tempestas : imo etiamsi fuerit tempestas, erit serenitas ac tranquillitas, et a periculis liberatio. Quoniam vidua illa Sanctum hospitio habebat, etiam filii ejus mors soluta est, et redivivum accepit puerum. Ubi pedes Sanctorum ingrediuntur, nihil erit quod contristat; etiamsi quid fiat, id ad probationem majoremque Dei gloriam pertinet. Assuesce, ut pavimenta domus a talibus calcentur pedibus, et non calcabit dæmon illic, et valde merito : nam sicut ubi fragrantia est, ibi non habet locum graveolentia, ita ubi sanctum est unguentum, ibi suffocatur dæmon, lætificat simul agentes, animam recreat, odorem diffundit : ubi spinæ, ibi bestiæ; ubi hospitalitas, ibi non sunt spinæ. Misericordia ingrediens quavis falce melius sontes exsecat, quovis igne violentius exurit. Ne timeas. Reverentur Sanctorum vestigia, sicut leonem vulpes : Justus enim, ait, ut leo confidit. Introducamus hos leones in domum, et omnes exigentur bestiæ, non clamantibus, sed simpliciter loquentibus illis. Non enim leonis rugitus bestias sic fugat, ut justi oratio dæmones : si loquetur solum, devolant. »

Similia habet S. Ambrosius, lib. I *De Abraham*, cap. VI. Ex dictis merito S. Hieronymus, lib. *Contra Vigilantium et hagiomachos*, colligit, si Paulus in hac vita salutem 276 animabus a Deo impetravit; ergo modo plura poterit jam gloriosus impetrare, eodem fruens in cœlo. « Porro propter Paulum hæc omnia vide fieri, ait Chrysostomus, ut credant vincti milites ac centurio : » quos omnes innuit esse a Paulo ad Christum conversos. « Nam etiamsi lapides fuissent, propter oracula, miracula et beneficia Pauli, de illo magna utique cogitassent. » Et hoc innuit : « donavit tibi Deus omnes, » scilicet tam quoad animæ, quam corporis salutem : illa enim hac longe est potior propriaque S. Paulo.

27. IN ADRIA, — in mari Adriatico. Ita Syrus. Ita dictum est ab Adria veteri oppido et portu, ad Padum fluvium a Tuscis condito, teste Plinio, lib. III, cap. XVI. Porro Adriaticum mare subinde late sumitur; nec tantum sinum Venetum, sed et mare Siculum et Ionium complectitur, ait Strabo, cujus fere ævo hæc contigerunt : ita hic sumitur.

28. BOLIDEM. — « Bolis » est perpendiculum nauticum, puta plumbum ex fune dependens, quo in mare immisso nautæ explorant alvei profunditatem, ne in vada, arenas et scopulos navis impingat. Dicta *bolis* quasi missilis, a βάλλω, id est *projicere, mittere, jacere*.

INVENERUNT PASSUS VIGINTI, — scilicet usque ad alveum sive fundum maris. Unde timentes nautæ ne in aspera loca, puta in arenas et scopulos, navis incideret, jecerunt de puppi anchoras quatuor, ut navim sisterent et firmarent donec dies illucesceret, ut viderent quo loco essent et quo cursum flectere deberent.

(1) Sic Dionysius Hal., lib. V *Ant.*, quum consul Brutus in filios capitalem sententiam protulisset, ab omnibus dicit reclamatum esse, addens : « Indignum quippe judicabant, talem virum mulctari filiis, et vitam adolescentum *donare* (χαρίζεσθαι) patri volebant. »



30. SUB OBTENTU, — sub prætextu, scilicet fingentes quod in scapham descenderent, non fugiendi causa, sed ut anchoras a prora, id est priore navis parte extenderent, vel in ipso mari, vel in terra et littore, ut vertit Syrus, quasi finxerint navim jam ad littus appulisse esseque in tuto.

33. QUARTADECIMA DIE HODIE JEJUNI PERMANENTIS. — « Jejuni, » non quod nihil omnino comedissent, sed quod perparum et obiter, quantum scilicet ad vitam tuendam erat necessarium; ita Hugo, Gagnejus et alii. Nam Hippocrates, lib. *De Carnibus et Princ.*, aliique medici docent hominem sanum non posse sine cibo ultra septem dies vivere. Dico *sanum* : nam ægri, quibus calor naturalis languet, et abundat phlegma, quo calor pascatur, diutius inediam prorogare possunt. Quod ergo ait, « nihil sumentes, » id est perparum et quasi nihil : vel « nihil » per modum stati justique prandii aut cœnæ, sed carptim quædam libantes potius quam comedentes.

35. CŒPIT MANDUCARE. — Nota hic prudentiam charitatis Pauli : ut afflictos consoletur et inedia pene confectos inducat ad sumendum cibum, ipse primus, publice gratiis actis Deo, cœpit manducare. Hoc imitatus est vir quidam religiosus, mihi in Belgio notus, qui ut maniacum quemdam sibi ex læsa imaginatione persuadentem se esse mortuum, ideoque nolentem comedere et inedia se conficientem, quod diceret mortuos non comedere, sanaret, mortui habitum et speciem induit cœpitque comedere coram maniaco, itaque ei persuasit mortuos quoque comedere : qua ratione eum ad comedendum induxit sibique restituit.

38. JACTANTES TRITICUM. — In jactu ergo quem jam ante, vers. 18, fecerant, non projecerant triticum : quia scilicet hoc eis in cibum erat necessarium. Sic nec ea jactarunt quibus enatarunt (1).

40. LAXANTES JUNCTURAS GUBERNACULORUM. — *Gubernacula* vocant clavum, quo navarchus regit navim, sicut auriga habenis regit equos et temone currum, sicut arator stiva regit aratrum. Laxarunt ergo clavum, quasi navim sibi et ventis permittentes, ut facilius ad littus vel terram instantem ferretur; vel potius, ut expeditius clavo uterentur, ad dirigendum ejus impetum quo vellent (2).

ARTEMONE. — « Artemonem, » alii trochleam, qua funes trahuntur, alii antennam, alii aliud esse censent. Verius est esse parvum arctumque velum, ita dictum ab ἀρτάω, id est *suspendo* : ita Julius Pollux. Parvum fuisse colligitur ex eo, quod navis properabat ad littus; et quia nautæ in tempestate magnum velum deponunt parvumque exponunt, ne vi ventorum abripiantur et agantur in exitium.

41. DITHALASSUM — Græce, Latine *bimarem*, ut vertit Tigurina. Ita vocatur locus inter duo maria, sive isthmus, qui utrimque mari alluitur, illudque quasi secat et dividit, qualis est Corinthus, de qua Horatius, lib. I *Carm.*, ode 7 : « Aut Ephesum bimarisve Corinthi mœnia. » Porro in dithalasso, ob terram mare secantem, certum solet esse naufragii periculum. *Dithalassus* hic adjacet Melitæ, et causatur a rupe vicina, a Melitensibus nunc *Selmon* vocatur; in qua proinde etiam visitur sacellum, in memoriam hujus naufragii, S. Pauli nomine dedicatum. In sinu ejus sinistro visitur in rupe concha rotunda, sex palmos profunda, et totidem lata in diametro, quæ communiter plena est aqua dulci, licet paucis passibus distet a mari ejusque aqua salsa, vocaturque fons S. Pauli : creditur ipse in excessu illum miraculose produxisse. Denique hic locus in medio fere hoc littore etiam nunc vocatur vulgo *la Cala di S. Paolo*, id est *portus* sive *appulsus S. Pauli*. Ita Philippus Cluverius, lib. II *De Antiqua Sicilia*, cap. XVI, et noster Octavius Cajetanus, *Isagoge*, cap. XIX.

42. CUSTODIAS, — id est vinctos reos quos custodiebant. Vide dicta vers. 1. Eos ergo, quasi reos mortis, occidere voluerunt milites.

44. SUPER EA QUÆ DE NAVI ERANT, — puta super sarcinas, ligna et tigna; Vatablus, *super fragmenta*, quæ scilicet e navi discindebant : nam navis erat integra, non fracta. Hoc est quartum Pauli naufragium. Tria enim priora recenset ipse, II *Cor.* XI, 25, dicens : « Ter naufragium feci : nocte et die in profundo maris fui. » Illa enim epistola longe ante iter hoc Romanum scripta est. An sæpius passus sit, ignoramus.

Moraliter disce hic, *primo*, quanta sint maris pericula, in quo, ut ait Anacharsis apud Laertium, lib. I, cap. IX, et Juvenalis, *satyra* 12, vectores tantum quatuor digitis (quibus scilicet navis mari eminet) distant a morte. Hinc Bias nautam, neque inter vivos numerabat, neque inter mortuos, teste Platone in *Axiocho*. Unde Cato de tribus dolebat : *primum*, quod suum secretum revelasset mulieri; *secundum*, quod vel dies unus ipsi per negligentiam absque fructu effluxisset; *tertium*, quod eo navi vectus esset, quo poterat pedibus proficisci. Ita Plutarchus in Vita Catonis. Eadem tria Alexandro tribuit Stobæus, Aristoteli vero An- Moraliter : Primum, de maris periculis.

(1) Versus 39 a Kuinoelio ita ex Græco explicatur : Terram non agnoscebant (nempe quæ esset, nec quo nomine appellaretur, cf. XXVIII, 1); littus vero animadvertebant habens sinum quemdam, seu sinum in littore animadvertebant, in quem, etc.

(2) Naves veterum, majores præcipue, duo habebant gubernacula, unum in prora, alterum in puppi. Apuleius, *De Asino*, lib. II : « Navis ipsa qua vehebamur, *utroque regimine* amisso, præcipitio demersa est. » Ea gubernacula navi annectebantur quibusdam vinculis; quibus laxatis, tunc gubernacula in aquas descendunt, et pondere navem retinent, quominus a ventis evertatur.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

tonius in *Melissa*, part. I, serm. 17, nisi quod pro secundo ponat, quod in vita hac tam caduca et incerta, vel unum diem mansisset intestatus. Pittacus roganti, « quid fidum esset? » respondit, « Terra; » « quid infidum? » « Mare. » Laodamas inde Homericus nihil miserius esse censebat, quam virum fortem ponto exagitari. Callimachus dicebat jucundissimum esse mare, sed si quis illud de terra contempletur; quod imitatus Horatius ait :

Neptunum procul a terra spectare furentem

Lucretius, lib. V, scribit aureo Saturni sæculo non fuisse usum navis et navigationis. Quocirca vetus fuit fidelium consuetudo, ut conscensuri navim de peccatis confiterentur, et cum Deo in gratiam redirent, itaque vel se ad mortem componerent, vel mortis pericula evaderent.

Secundum, quam Deus curet suos.

*Secundo*, quam Deus suorum habeat curam. Paulum ecce Deus hic præsenti mortis periculo eripit, et propter eum vectores omnes, etiamsi infideles, numero 276. Vere Poeta :

Favente numine navigea, vel vimine.

Ita Deus servavit Noe justum, cum octo animabus per arcam, in generali orbis cataclysmo : ita et Jonam in ventre ceti. Quin et Julius Cæsar in tempestate navarchum confortans : « Ne metuas, ait, Cæsarem ejusque fortunam vehis : illa te tutabitur. » Est enim Cæsaris, « quem numina nunquam destituunt, » ait Lucanus, lib. IV, et Plutarchus in *Cæsare*. Memorabile est exemplum, quod graphice depingit S. Paulinus tota epist. *ad Macarium*, ubi senem quemdam mire a Deo horrendo naufragio, sociis omnibus et carinæ retinaculis amissis, ereptum commemorat. Simile est quod narrat S. Gregorius, III *Dialog.*, cap. XXXVI, de Maximiano, Syracusæ Episcopo, eum post naufragium nono die salvum cum vectoribus omnibus in portum, sola navi mersa, pervenisse. Sic S. Magdalena, cum S. Martha, S. Lazaro et sociis, a Judæis navi sine velis et remis imposita, Deo navim regente, salvis omnibus Massiliam appulit.

Tertium, Sanctis in periculo crescit spes et animus.

*Tertio*, Paulum et Sanctos in tempestate, naufragio, prælio, peste, latronibus, fame, carcere et quavis alia calamitate vel periculo, stare serenos et securos, præsertim cum obeunt opus pium et Apostolicum; sciunt enim se Deo cordi et curæ esse. Quare tunc adeo non cadunt animo, ut celsiores evadant, eoque magis sperent in Deum; illique se uniant, quo majus est periculum. Ita Psaltes, *Psal.* XXVI, 1 : « Dominus, ait, illuminatio mea, et salus mea, quem timebo? Dominus protector vitæ meæ, a quo trepidabo? Si consistant adversum me castra, non timebit cor meum. Si exurgat adversum me prælium, in hoc ego sperabo. » Et Job, XIII, 15 : « Etiamsi occiderit me, in ipso sperabo. »

Quart., vis obedientiæ et charitatis

*Quarto*, quid valeat virtus charitatis et obedientiæ. Volebat Deus Paulum ire Romam, ibique prædicare : Paulus ut huic voluntati Dei obsecundet, ad Cæsarem appellat, ac ultro subit tot terrarum mariumque discrimina. Quocirca hujus virtutis merito quasi obligat Deum, ut iter suum dirigat et secundet. Deus ergo eum, et ob eum socios omnes, per oraculum et quasi miraculum certo mortis periculo eximit. Celebris est historia et gnome de obedientia S. P. N. Ignatii, quam enarrat in ejus Vita P. Ribadeneira, lib. V, cap. IV in fine. Cum esset, ait, Præpositus Generalis, dixit : si Summus Pontifex imperaret, ut ad ostia Tiberina scapham, vel navim primo obviam, clavo, malo, velis, remis destitutam conscenderem, itaque sine commeatu mare trajicerem, id facerem animo non solum æquo, sed et libenti. Cumque Prælatus quidam admirans, regereret : Quæ isthæc esset prudentia? Respondit S. Ignatius : « Prudentia, Domine, non tam est parentis, quam imperantis. » Parentem secutus est filius S. Franciscus Xaverius, qui in Mauricas insulas barbaras contendens, cum amici iter hoc dissuaderent, ac tandem vim facerent negarentque navigium, respondit, « se nulla pericula, nullum genus mortis, ubi Dei cultus et animarum salus agatur, formidare : nec ullos hostes ducere, nisi qui divino obstent obsequio; sibi certum esse in Mauricam Deum vocantem sequi : nec navigium morari, si navis desit, semet Deo incubantem utique transnaturum. » Ita Turselius, lib. III Vitæ ejus, cap. II. Dixit, et præstitit. Quocirca in naufragiis cum S. Paulo exultabat, rogabatque Deum, ut præsens periculum et crucem sibi non adimeret, nisi majus immitteret. Atque hoc suo zelo in naufragio vectoribus omnibus vitam et salutem a Deo, instar S. Pauli, impetravit. Alias in certum exitium abruptam a navi vi tempestatis scapham, qua infideles vehebantur, illis ipsis in scapha apparens eamque revehens ad navim reduxit : quo miraculo eos ad fidem convertit. Denique Malacæ nobilem illam ducentis Lusitanis, contra quinque Acenorum pugnacissimorum millia, navalem victoriam promisit, prædixit, imo eminus inspexit et precibus suis præstitit.

Præclare S. Augustinus, *in Psal.* CXXXII : « Multi, inquit, naufragaverunt cum Paulo. Amatores hujus sæculi passi sunt naufragium, et nudi omnes exierunt. Illi et quod foris habebant, amiserunt, et domum cordis sui invenerunt inanem. Paulus autem in corde ferebat patrimonium fidei suæ, quod nullis fluctibus, nullis tempestatibus potuit auferri. Nudus exiit, et dives exiit. » Idem Augustinus, serm. 20 *De Sanctis* : « Petrus, ait, ambulare super aquas debita soli Deo potestate præsumpsit, et rerum obstante natura, per insueti maris novas vias pendulum inferens gressum, tumentia maris dorsa calcavit. Sed non minor Paulus, quem velut novi Testamenti Jonam, die ac nocte per maris profunda jactatum, absorbuit fluctus et reddidit, quasi sacrum depositum violare non



…dens : quia famulatrix eum unda custodiens, [..]sum populorum prædicationibus reservabat. »

Quod si quandoque Deus justum, imo Apostolum, naufragio aliove periculo non eripiat, sed mergi et …mori permittat, conquiescat ille in voluntate Dei, dicatque cum S. Jobo afflicto, cap. I, vers. 27 : « Dominus dedit, Dominus abstulit : sicut Domino placuit, ita factum est. Sit nomen Domini benedictum. » Et illud Christi morientis, et ad inferos descendentis : « Providebam Dominum in conspectu meo semper, quoniam a dextris est mihi, ne commovear. Propter hoc lætatum est cor meum, et exultavit lingua mea : insuper et caro mea requiescet in spe. Quoniam non derelinques animam meam in inferno. » *Psal.* XV, 8. Et illud S. Pauli, *Rom.* XIV, 8 : « Sive vivimus, Domino vivimus; sive morimur, Domino morimur. » Ita S. Franciscum Xaverium, jam Chinensis Imperii conversionem molientem, in insula deserta ab omnibus derelictum Deus emori permisit. Ita P. Ignatium Azebedium, cum 40 sociis, Brasiliam Evangelii causa petentem anno Domini 1570, a Calvinistis trucidari mergique permisit. Ita nonnullos alios e Societate nostra navigantes ad Indos, naufragio perire permisit.

Memorabile est recens exemplum Patrum Lusitanorum, qui ad scopulum allisi, cum navarchus eis scapham offerret qua ad littus evaderent, responderunt, malentes vectorum turbæ in scopulo misceri, ut illi fame morituræ in extremo agone assisterent, et tandem commorerentur, quam iis derelictis vivere; quod sane est genus martyrii et heroicæ charitatis, qua quis cum Christo pro fratribus animam ponit.

Legimus de B. Jordane, qui S. Dominico in Generalatu Ordinis Prædicatorum successit, fuitque eximiæ sanctitatis, eum, cum in terram Sanctam trajiceret, juxta Aconem naufragium passum mersumque interiisse; cumque multi non tam tanti viri mortem, quam genus mortis deplorarent, ac pene contra Deum, quod Patrem sanctum fluctibus hauriri permisisset, murmurarent, ipsummet Jordanem apparuisse pluribus, miro lumine coruscum, ac dixisse : « Ego sum Jordanes. Exivi ex hoc sæculo ad gloriam Beatorum, et inter Apostolorum choros et Prophetarum evectus sum, missusque sum ut vos consolarer. Hoc firmiter tenete, nec dubitate, quia salvus erit omnis qui usque in finem Domino nostro Jesu Christo servierit. » Ita habet ejus Vita, tom. I Surii, die 13 februarii. Justus ergo quacumque morte præoccupatus fuerit, in refrigerio erit, præsertim cum in itinere et opere charitatis vel obedientiæ vitam ponit. Talis enim cum Deo, imo pro Deo, et ex Deo moritur, ideoque est victima obedientiæ et charitatis, Deo valde gloriosa et chara.

Præclare S. Augustinus, *epist.* 122, in fine : « Quid interest, ait, febris an ferrum de corpore solverit? Non qua occasione exeant, sed quales ad se exeant, Deus attendit in servis suis. » Misere vixit, mortuus et sepultus est Lazarus, splendide dives Epulo; sed hic descendit in gehennam, ille ab angelis sublatus est in sinum Abrahæ, *Lucæ* XVI, de quo vide S. Augustinum in fine *Psal.* XXXIII. Idem, lib. I *De Civit.*, cap. XI : « Mala mors, ait, putanda non est, quam bona vita præcesserit. Neque enim facit malam mortem, nisi quod sequitur mortem. Non itaque multum curandum est eis qui necessario morituri sunt, quid accidat ut moriantur, sed moriendo quo ire cogantur. Cum igitur Christiani noverint longe meliorem fuisse religiosi pauperis mortem inter lingentium canum linguas, quam impii divitis in purpura et bysso, horrenda illa genera mortium, quid mortuis obfuerunt qui bene vixerunt? » Nam, ut ait Sapiens, cap. IV, vers. 7 : « Justus si morte præoccupatus fuerit, in refrigerio erit. »

# CAPUT VIGESIMUM OCTAVUM.

## SYNOPSIS CAPITIS.

*Paulus Melitæ viperam e manu illæsa excutit, sanat patrem Publii et alios; inde post tres menses navigat, pervenitque Romam. Ubi Judæis convocatis causam adventus sui denuntiat, ac biennio in libero carcere quasi hospitio, degens, intrepide prædicat Evangelium.*

**1.** Et cum evasissemus, tunc cognovimus quia Melita insula vocabatur. Barbari vero præstabant non modicam humanitatem nobis. 2. Accensa enim pyra, reficiebant nos omnes, propter imbrem qui imminebat, et frigus. 3. Cum congregasset autem Paulus sarmentorum aliquantam multitudinem, et imposuisset super ignem, vipera a calore cum processisset, invasit manum ejus. 4. Ut vero viderunt Barbari pendentem bestiam de manu ejus, ad invicem dicebant : Utique homicida est homo hic, qui cum evaserit de mari, ultio non sinit eum vivere. 5. Et ille quidem excutiens bestiam in ignem, nihil mali passus est.



UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

tonius in *Melissa*, part. I, serm. 17, nisi quod pro secundo ponat, quod in vita hac tam caduca et incerta, vel unum diem mansisset intestatus. Pittacus roganti, « quid fidum esset? » respondit, « Terra; » « quid infidum? » « Mare. » Laodamas inde Homericus nihil miserius esse censebat, quam virum fortem ponto exagitari. Callimachus dicebat jucundissimum esse mare, sed si quis illud de terra contempletur; quod imitatus Horatius ait :

Neptunum procul a terra spectare furentem

Lucretius, lib. V, scribit aureo Saturni sæculo non fuisse usum navis et navigationis. Quocirca vetus fuit fidelium consuetudo, ut conscensuri navim de peccatis confiterentur, et cum Deo in gratiam redirent, itaque vel se ad mortem componerent, vel mortis pericula evaderent.

Secundum, quam Deus curet suos.

*Secundo*, quam Deus suorum habeat curam. Paulum ecce Deus hic præsenti mortis periculo eripit, et propter eum vectores omnes, etiamsi infideles, numero 276. Vere Poeta :

Favente numine naviges, vel vimine.

Ita Deus servavit Noe justum, cum octo animabus per arcam, in generali orbis cataclysmo : ita et Jonam in ventre ceti. Quin et Julius Cæsar in tempestate navarchum confortans : « Ne metuas, ait, Cæsarem ejusque fortunam vehis : illa te tutabitur. » Est enim Cæsaris, « quem numina nunquam destituunt, » ait Lucanus, lib. IV, et Plutarchus in *Cæsare*. Memorabile est exemplum, quod graphice depingit S. Paulinus tota epist. *ad Macarium*, ubi senem quemdam mire a Deo horrendo naufragio, sociis omnibus et carinæ retinaculis amissis, ereptum commemorat. Simile est quod narrat S. Gregorius, III *Dialog.*, cap. XXXVI, de Maximiano, Syracusæ Episcopo, eum post naufragium nono die salvum cum vectoribus omnibus in portum, sola navi mersa, pervenisse. Sic S. Magdalena, cum S. Martha, S. Lazaro et sociis, a Judæis navi sine velis et remis imposita, Deo navim regente, salvis omnibus Massiliam appulit.

Tertium, Sanctis in periculo crescit spes et animus.

*Tertio*, Paulum et Sanctos in tempestate, naufragio, prælio, peste, latronibus, fame, carcere et quavis alia calamitate vel periculo, stare serenos et securos, præsertim cum obeunt opus pium et Apostolicum; sciunt enim se Deo cordi et curæ esse. Quare tunc adeo non cadunt animo, ut celsiores evadant, eoque magis sperent in Deum; illique se uniant, quo majus est periculum. Ita Psaltes, *Psal.* XXVI, 1 : « Dominus, ait, illuminatio mea, et salus mea, quem timebo? Dominus protector vitæ meæ, a quo trepidabo? Si consistant adversum me castra, non timebit cor meum. Si exurgat adversum me prælium, in hoc ego sperabo. » Et Job, XIII, 15 : « Etiamsi occiderit me, in ipso sperabo. »

*Quarto*, quid valeat virtus charitatis et obedientiæ. Volebat Deus Paulum ire Romam, ibique prædicare : Paulus ut huic voluntati Dei obsecundet, ad Cæsarem appellat, ac ultro subit tot terrarum mariumque discrimina. Quocirca hujus virtutis merito quasi obligat Deum, ut iter suum dirigat et secundet. Deus ergo eum, et ob eum socios omnes, per oraculum et quasi miraculum certo mortis periculo eximit. Celebris est historia et gnome de obedientia S. P. N. Ignatii, quam enarrat in ejus Vita P. Ribadeneira, lib. V, cap. IV in fine. Cum esset, ait, Præpositus Generalis, dixit : si Summus Pontifex imperaret, ut ad ostia Tiberina scapham, vel navim primo obviam, clavo, malo, velis, remis destitutam conscenderem, itaque sine commeatu mare trajicerem, id facerem animo non solum æquo, sed et libenti. Cumque Prælatus quidam admirans, regereret : Quæ isthæc esset prudentia? Respondit S. Ignatius : « Prudentia, Domine, non tam est parentis, quam imperantis. » Parentem secutus est filius S. Franciscus Xaverius, qui in Mauricas insulas barbaras contendens, cum amici iter hoc dissuaderent, ac tandem vim facerent negarentque navigium, respondit, « se nulla pericula, nullum genus mortis, ubi Dei cultus et animarum salus agatur, formidare : nec ullos hostes ducere, nisi qui divino obstent obsequio; sibi certunn esse in Mauricam Deum vocantem sequi : nec navigium morari, si navis desit, semet Deo incubantem utique transnaturum. » Ita Turselius, lib. III Vitæ ejus, cap. II. Dixit, et præstitit. Quocirca in naufragiis cum S. Paulo exultabat, rogabatque Deum, ut præsens periculum et crucem sibi non adimeret, nisi majus immitteret. Atque hoc suo zelo in naufragio vectoribus omnibus vitam et salutem a Deo, instar S. Pauli, impetravit. Alias in certum exitium abruptam a navi vi tempestatis scapham, qua infideles vehebantur, illis ipsis in scapha apparens eamque revehens ad navim reduxit : quo miraculo eos ad fidem convertit. Denique Malacæ nobilem illam ducentis Lusitanis, contra quinque Acenorum pugnacissimorum millia, navalem victoriam promisit, prædixit, imo eminus inspexit et precibus suis præstitit.

Quartum, vis obedientiæ et charitatis.

Præclare S. Augustinus, *in Psal.* CXXXII : « Multi, inquit, naufragaverunt cum Paulo. Amatores hujus sæculi passi sunt naufragium, et nudi omnes exierunt. Illi et quod foris habebant, amiserunt, et domum cordis sui invenerunt inanem. Paulus autem in corde ferebat patrimonium fidei suæ, quod nullis fluctibus, nullis tempestatibus potuit auferri. Nudus exiit, et dives exiit. » Idem Augustinus, serm. 20 *De Sanctis* : « Petrus, ait, ambulare super aquas debita soli Deo potestate præsumpsit, et rerum obstante natura, per insueti maris novas vias pendulum inferens gressum, tumentia maris dorsa calcavit. Sed non minor Paulus, quem velut novi Testamenti Jonam, die ac nocte per maris profunda jactatum, absorbuit fluctus et reddidit, quasi sacrum depositum violare non



[illegible]dens : quia famulatrix eum unda custodiens, [illegible]sum populorum prædicationibus reservabat. »

Quod si quandoque Deus justum, imo Apostolum, naufragio aliove periculo non eripiat, sed mergi et mori permittat, conquiescat ille in voluntate Dei, dicatque cum S. Jobo afflicto, cap. I, vers. 21 : « Dominus dedit, Dominus abstulit : sicut Domino placuit, ita factum est. Sit nomen Domini benedictum. » Et illud Christi morientis, et ad inferos descendentis : « Providebam Dominum in conspectu meo semper, quoniam a dextris est mihi, ne commovear. Propter hoc lætatum est cor meum, et exultavit lingua mea : insuper et caro mea requiescet in spe. Quoniam non derelinques animam meam in inferno. » *Psal.* XV, 8. Et illud S. Pauli, *Rom.* XIV, 8 : « Sive vivimus, Domino vivimus; sive morimur, Domino morimur. » Ita S. Franciscum Xaverium, jam Chinensis Imperii conversionem molientem, in insula deserta ab omnibus derelictum Deus emori permisit. Ita P. Ignatium Azebedium, cum 40 sociis, Brasiliam Evangelii causa petentem anno Domini 1570, a Calvinistis trucidari mergique permisit. Ita nonnullos alios e Societate nostra navigantes ad Indos, naufragio perire permisit.

Memorabile est recens exemplum Patrum Lusitanorum, qui ad scopulum allisi, cum navarchus eis scapham offerret qua ad littus evaderent, respuerunt, malentes vectorum turbæ in scopulo misceri, ut illi fame morituræ in extremo agone assisterent, et tandem commorerentur, quam iis derelictis vivere; quod sane est genus martyrii et heroicæ charitatis, qua quis cum Christo pro fratribus animam ponit.

Legimus de B. Jordane, qui S. Dominico in Generalatu Ordinis Prædicatorum successit, fuitque eximiæ sanctitatis, eum, cum in terram Sanctam trajiceret, juxta Aconem naufragium passum mersumque interiisse; cumque multi non tam tanti viri mortem, quam genus mortis deploroerent, ac pene contra Deum, quod Patrem sanctum fluctibus hauriri permisisset, murmurarent, ipsum met Jordanem apparuisse pluribus, miro lumine coruscum, ac dixisse : « Ego sum Jordanes. Exivi ex hoc sæculo ad gloriam Beatorum, et inter Apostolorum choros et Prophetarum evectus sum, missusque sum ut vos consolarer. Hoc firmiter tenete, nec dubitate, quia salvus erit omnis qui usque in finem Domino nostro Jesu Christo servierit. » Ita habet ejus Vita, tom. I Surii, die 13 februarii. Justus ergo quacumque morte præoccupatus fuerit, in refrigerio erit, præsertim cum in itinere et opere charitatis vel obedientiæ vitam ponit. Talis enim cum Deo, imo pro Deo, et ex Deo moritur, ideoque est victima obedientiæ et charitatis, Deo valde gloriosa et chara.

Præclare S. Augustinus, *epist.* 122, in fine : « Quid interest, ait, febris an ferrum de corpore solverit? Non qua occasione exeant, sed quales ad se exeant, Deus attendit in servis suis. » Misere vixit, mortuus et sepultus est Lazarus, splendide dives Epulo; sed hic descendit in gehennam, ille ab angelis sublatus est in sinum Abrahæ, *Lucæ* XVI, de quo vide S. Augustinum in fine *Psal.* XXXIII. Idem, lib. I *De Civit.*, cap. XI : « Mala mors, ait, putanda non est, quam bona vita præcesserit. Neque enim facit malam mortem, nisi quod sequitur mortem. Non itaque multum curandum est eis qui necessario morituri sunt, quid accidat ut moriantur, sed moriendo quo ire cogantur. Cum igitur Christiani noverint longe meliorem fuisse religiosi pauperis mortem inter lingentium canum linguas, quam impii divitis in purpura et bysso, horrenda illa genera mortium, quid mortuis obfuerunt qui bene vixerunt? » Nam, ut ait Sapiens, cap. IV, vers. 7 : « Justus si morte præoccupatus fuerit, in refrigerio erit. »

# CAPUT VIGESIMUM OCTAVUM.

## SYNOPSIS CAPITIS.

*Paulus Maltæ viperam e manu illæsa excutit, sanat patrem Publii et alios; inde post tres menses navigat, pervenitque Romam. Ubi Judæis convocatis causam adventus sui denuntiat, ac biennio in libero carcere quasi hospitio, degens, intrepide prædicat Evangelium.*

1. Et cum evasissemus, tunc cognovimus quia Melita insula vocabatur. Barbari vero præstabant non modicam humanitatem nobis. 2. Accensa enim pyra, reficiebant nos omnes, propter imbrem qui imminebat, et frigus. 3. Cum congregasset autem Paulus sarmentorum aliquantam multitudinem, et imposuisset super ignem, vipera a calore cum processisset, invasit manum ejus. 4. Ut vero viderunt Barbari pendentem bestiam de manu ejus, ad invicem dicebant : Utique homicida est homo hic, qui cum evaserit de mari, ultio non sinit eum vivere. 5. Et ille quidem excutiens bestiam in ignem, nihil mali passus est.



UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

**6. At illi existimabant eum in tumorem convertendum, et subito casurum, et mori. Diu autem illis exspectantibus, et videntibus nihil mali in eo fieri, convertentes se, dicebant eum esse deum. 7. In locis autem illis erant prædia principis insulæ, nomine Publii, qui nos suscipiens, triduo benigne exhibuit. 8. Contigit autem patrem Publii febribus et dysenteria vexatum jacere. Ad quem Paulus intravit : et cum orasset et imposuisset ei manus, salvavit eum. 9. Quo facto, omnes qui in insula habebant infirmitates, accedebant, et curabantur : 10. qui etiam multis honoribus nos honoraverunt, et navigantibus imposuerunt quæ necessaria erant. 11. Post menses autem tres, navigavimus in navi Alexandrina, quæ in insula hiemaverat, cui erat insigne Castorum. 12. Et cum venissemus Syracusam, mansimus ibi triduo. 13. Inde circumlegentes devenimus Rhegium : et post unum diem flante Austro, secundo die venimus Puteolos, 14. ubi inventis fratribus rogati sumus manere apud eos dies septem : et sic venimus Romam. 15. Et inde cum audissent fratres, occurrerunt nobis usque ad Appii Forum, ac tres Tabernas. Quos cum vidisset Paulus, gratias agens Deo, accepit fiduciam. 16. Cum autem venissemus Romam, permissum est Paulo manere sibimet cum custodiente se milite. 17. Post tertium autem diem convocavit primos Judæorum. Cumque convenissent, dicebat eis : Ego, viri fratres, nihil adversus plebem faciens, aut morem paternum, vinctus ab Hierosolymis traditus sum in manus Romanorum, 18. qui cum interrogationem de me habuissent, voluerunt me dimittere, eo quod nulla esset causa mortis in me. 19. Contradicentibus autem Judæis, coactus sum appellare Cæsarem, non quasi gentem meam habens aliquid accusare. 20. Propter hanc igitur causam rogavi vos videre, et alloqui. Propter spem enim Israel catena hac circumdatus sum. 21. At illi dixerunt ad eum : Nos neque litteras accepimus de te a Judæa, neque adveniens aliquis fratrum nuntiavit, aut locutus est quid de te malum. 22. Rogamus autem a te audire quæ sentis; nam de secta hac notum est nobis quia ubique ei contradicitur. 23. Cum constituissent autem illi diem, venerunt ad eum in hospitium plurimi, quibus exponebat testificans regnum Dei, suadensque eis de Jesu ex lege Moysi et Prophetis, a mane usque ad vesperam. 24. Et quidam credebant his quæ dicebantur : quidam vero non credebant. 25. Cumque invicem non essent consentientes, discedebant, dicente Paulo unum verbum : Quia bene Spiritus Sanctus locutus est per Isaiam prophetam ad patres nostros, 26. dicens : Vade ad populum istum, et dic ad eos : Aure audietis, et non intelligetis : et videntes videbitis, et non perspicietis. 27. Incrassatum enim est cor populi hujus, et auribus graviter audierunt, et oculos suos compresserunt : ne forte videant oculis, et auribus audiant, et corde intelligant, et convertantur, et sanem eos. 28. Notum ergo sit vobis, quoniam Gentibus missum est hoc salutare Dei, et ipsi audient. 29. Et cum hæc dixisset, exierunt ab eo Judæi, multam habentes inter se quæstionem. 30. Mansit autem biennio toto in suo conducto : et suscipiebat omnes qui ingrediebantur ad eum, 31. prædicans regnum Dei, et docens quæ sunt de Domino Jesu Christo, cum omni fiducia, sine prohibitione.**

1. Melita. — Ita Romana et Græca : quare perperam nonnulli legunt *Mitylenen*, alii *Miletum*. Duæ insulæ vocantur Melite. Una est in Illyrico : in hanc e naufragio appulisse S. Paulum contendunt Illyrici, et ex eis Constantinus Porphyrogenitus imperator lib. *ad Romanum filium, De administrando Imperio*, cap. XXXVI. Argumenta eorum profert et confutat Philippus Cluverius, lib. II *De Antiqua Sicilia*, cap. XVI. Altera est vicina Siciliæ, vulgo *Malta* dicta; ea hic intelligitur, quæ cœlo est clemente, aquis salubribus, agro benigno et frugifero, a bonitate mellis laudata, indeque Melita, ut videtur, appellata. Ipsa nunc invictum Equitum Melitensium est contra Turcas propugnaculum : ubi celebris Pauli, ex hoc ejus in illam appulsu, est memoria, et erga eum devotio, adeoque juxta urbem spelunca ostenditur cum duobus altaribus, in qua Paulus cum cæteris vinctis dicitur hospitatus. Terra, vel potius petra hujus speluncæ, magna religione ab indigenis et advenis excavatur et effertur, valetque contra venena et serpentes : ex ea mihi Romæ par-



ticula data fuit, quasi rarum et insigne donum.

Septem privilegia Melitæ a S. Paulo collata. Unde nota hic septem eximia beneficia et privilegia, quæ S. Paulus contulit Melitæ et Melitensibus; adeo ut Deus ejus naufragium eo ordinasse videatur, ac procurasse, ut id juxta Melitam accideret, ad Melitensium salutem et commoda, quæ per hoc eis conferre ab æterno destinarat.

Primum. *Primum fuit*, Melitensium conversio, fides et salus. Mox enim a Christo, sub ipsa Ecclesiæ primordia, Melitenses præ aliis insulis et gentibus prædicationem Evangelii accepere a S. Paulo, eique prædicanti et miracula patranti credentes, ab eo primum nacti sunt Episcopum S. Publium, civem, imo principem suum.

*Secundum*, quod apud eos 276 navigationis et naufragii sui socios baptizarit. Milliari uno a portu in quo exscendit Paulus, etiamnum visuntur variæ ruinæ antiquarum fabricarum, in quibus extat sacellum indigitatum nomine *S. Joannis Baptistæ Telcheres*, id est *inter ruinas*, ubi S. Paulus 276 jam dictos baptizasse, communis plurium vicinorum pagorum traditio est. Hujus rei indicium est, quod ante paucos annos cum sacellum hoc instauraretur, sub terra inventus sit fons baptismalis e duro lapide. Juxta sacellum extant anguli et parietes longi magnique affabre incisi et elaborati, ubi putatur fuisse villa et domus S. Publii.

*Tertium*, quod S. Paulus Melitæ commoratus sit per tres menses. Tradunt eum cum S. Luca, Aristarcho, Trophimo aliisque sociis habitasse in crypta quadam suburbana civitatis veteris, quam proinde in magna habent veneratione, adeo ut juxta eam ædificarint Ecclesiam, quæ per multa sæcula fuit matrix et Episcopalis totius insulæ. Circa cryptam est cœmeterium ingens, in quo non soli Melitenses, sed et permulti exteri Nobiles devotionis ergo sepeliri eoque se deportari testamento mandarunt, præsertim quia ibi se sepeliri curantibus olim data fuit Indulgentia plenaria, qualis est Romæ sepultoram in Campo Sancto : quocirca in eodem perplura visuntur sacellula; in hoc cœmeterio locus est distans a crypta jactu sagittæ, in quo fama est prædicasse S. Paulum : ad cujus rei memoriam in eodem erexerunt crucem lapideam.

*Quartum*, quod Melitæ scorpiones et serpentes tam nati quam eo illati, ponant venenum : imo terra Melitensis sanat morsus quoslibet venenosos, etiam canum rabidorum, si in potu sumatur, aut plagæ imponatur; nec id tantum in hominibus, sed etiam in bestiis, adeo ut nonnulli medici Siculi eam præferant terræ sigillatæ. Valet enim non tantum contra venena, sed etiam contra febres malignas, dysenteriam, variolos, quin et toxica, præsertim e sublimato, vel casu, vel sponte hausta : cujus rei illustria exempla et miracula mihi narrarunt viri graves, eorum oculati testes.

*Quintum*, quod S. Paulus sæpe Melitam ab incursu hostium tutatus sit. Ut alia taceam, sub annum Domini 1470, cum Mauri classe octodecim millium militum eam invaderent, jamque tormenta disponerent ad quatiendam urbem veterem, tertio die apparuit S. Paulus veste stellata, quali depictus visitur in ecclesia Cathedrali, ac vibrans gladium equo insidens, stipatus innumera multitudine visus est invadere Turcarum agmina : cumque in eum Turcæ multas conjicerent sagittas, omnes in ipsosmet retortæ et repercussæ resilierunt, eosque vulnerarunt et perdiderunt. Visi pariter fuere duo alii insulæ tutelares, S. Georgius et S. Agatha, quam fama est ibidem persecutionem Siculam fugientem latitasse, ac celebre illud velum Ætnæ incendia compescens contexuisse; idque instar Penelopes ea arte, ut quæ per diem texuerat, noctu retexeret, eo quod matri urgenti eam ad nuptias, eas detrectans responderet sibi prius velum hoc pertexendum esse. Quocirca S. Agathæ marmoream statuam tunc in muro collocarunt, sed facie a Turcis aversa, et ad urbem conversa : verum illa suapte vi faciem ad Turcas convertit tanto fragore, quantus est bombardarum majorum, adeo ut eodem perculsi Turcæ solverint obsidionem, seque in fugam dederint.

*Sextum*, quod Melitæ tres extent B. Virginis imagines depictæ a S. Luca, qui, ut ante dixi, comes S. Pauli cum eo in ea hiemavit habitavitque per tres menses. Quocirca illas per tres primarias insulæ regiones dispertiti, magna colunt veneratione.

*Septimum*, quod Melita, a tempore S. Pauli hucusque, nunquam defecerit a fide a S. Paulo accepta, etiamsi Mauri eam occuparint tenuerintque per centenos et amplius annos. Idem Coloniæ Agrippinæ a Deo datum ob merita Martyrum Thebæorum, ac undecim millium Virginum ibidem quiescentium. Unde de ea canitur :

Ex quo fidem recepisti,
Recidiva non fuisti,
Civitas prænobilis.

Hæc omnia de Melita mihi Romæ constanter viva voce affirmarunt et scripto consignarunt nostri Patres Melitenses, viri graves et eruditi, eademque tradidit noster Octavius Cajetanus in *Isagoge*, cap. XIX.

Vide hic munificentiam S. Pauli, qua tanta largitate hospitium et hospitalitatem Melitensium remuneratus est : nimirum Sancti se a nobis liberalitate vinci non patiuntur, sed pro uno exili dono reddunt ingens, septuplum, imo centuplum. Tanti est Sanctos hospitio recipere, eis benefacere, eos præsentes habere, eos colere et invocare. Hoc enim beneficio divino S. Paulus hospitales barbaros, eorumque humanitatem remuneratus est, ut qui barbariem in eum exuissent, natales viperas veneno exutas humanas in seipsos haberent; quin et glebas suas quasi antidota contra

venena possiderent. Quocirca tota Melita S. Paulo consecrata, jure S. Pauli insula tutelaris vocari queat : illam enim sæpe peste, fame, bello, liberat.

Barbari, — incolæ Maltæ sive Melitenses, qui tempore Pauli et lingua et moribus erant barbari. Unde eo laudabiliores, quod tam humanos se præstiterint erga Paulum et naufragos, ita Chrysostomus.

3. Sarmentorum. — *Sarmenta* proprie sunt segmina vitium : inde tamen quorumlibet lignorum et surculorum segmina significant : hæc enim Græce vocantur φρύγανα, id est *ligna combustibilia*, quæ Latini cremia nuncupant, a φρύγω, id est *torreo*.

Vipera. — Multi censent *viperam* dici, quasi *vi parientem*, eo quod fœtus viperæ alvum matris erodant, dum ex eo nascendo in lucem prodeunt. Verum experientia id docet esse falsum, uti alibi ostendi. Unde verius Theophrastes, et ex eo Ælianus, lib. IX *De Hist. anim.*, cap. xxxi et xxxii, censet viperam dici quasi viviparam, eo quod pariat vivum animal, non ova, ut alii serpentes. Porro vipera adeo venenosa est et pestilens, ut solo sibilo et anhelitu quem efflat, hominem obstupefaciat, eique mortem vel morbum quasi lethalem infligat. Vidi Romæ quemdam e Societate nostra, qui viperam feriens, ab ea sibilante ita afflatus et quasi sideratus fuit, ut multos annos stupore et morbo quasi incurabili laborarit. Arabes viperam vocant *Therion*, a Græco θηρίον, id est *fera*. Unde pharmacum contra viperarum et serpentum morsus, ex ipsius viperæ carnibus confectum, vocatur *Theriaca* : cujus compositionem sub Nerone Imperatore (qui matrem interfecit, uti vipera fertur matrem enecare) invenit Andromachus medicus, uti narrat Galenus, qui paulo post vixit sub Antonino Imperatore, tom. V, lib. *De Theriaca ad Pisonem*, cap. v. Sed ante Andromachum Antiochus Philometor, rex Asiæ, theriacam, qua contra omnia venena utebatur, confecit ex serpyllo, aniso, opopanace, milio, trifolio, aneto, fœniculo, ammio, apio, ervo, vino generoso, immixtis et in pastillos digestis, uti refert Plinius, lib. XX, cap. xxiv, et Galenus, libro citato.

Invasit. — Syrus, *momordit*, uti solent serpentes, dum quem invadunt : pendebat enim de manu ejus. Ita Œcumenius et Lyranus hic, ac Tertullianus, in *Scorpiaco*, cap. i, et Ambrosius, lib. VI *Hexam.*, cap. vi.

4. Ultio, — Numinis vindicta. Hæc enim præ cæteris facinorosos homicidas persequi solet, juxta illud Christi, *Matth.* xxvi, 52 : « Omnes qui acceperint gladium, gladio peribunt. » Sic ultio Dei ubique persecuta est Cain fratricidam, *Gen.* iv, 7 et seq. Plura hujus ultionis exempla recensui *Deuter.* xxi, 4. Pro *ultio*, Græce est δίκη; Syrus vertit *justitia*; alii, *judicium*; alii, *vindicta*. Videntur Barbari hi existimasse δίκην, sive justitiam et vindictam esse deam, quam Hesiodus in *Ergis* facit Jovis et Themidis filiam, uti et alii Poetæ, qui eam Astræam vocant. Unde Ovidius, lib. I *Metam.*, agens de ferreo improborum sæculo :

> Ultima cœlestum, *inquit*, terras Astræa reliquit.

Cujus effigiem ita pingit Gellius ex Chrysippo, lib. XIV, cap. iv : « Justitia, ait, pingitur forma atque filo virginali, aspectu vehementi et formidabili, luminibus oculorum acribus : neque humilis, neque atrocis, sed reverendæ cujusdam tristitiæ dignitate. Ex imaginis autem istius similitudine intelligi voluit, judicem, qui justitiæ antistes est, oportere esse gravem, sanctum, severum, incorruptum, inadulabilem, contraque improbos nocentesque immisericordem atque inexorabilem, erectumque et arduum ac potentem, vi et majestate æquitatis veritatisque terrificum. » Vide Lilium Giraldum, *De Diis Gentium*, syntag. i.

5. Et ille quidem excutiens bestiam. — Præclare Œcumenius : « Vipera, ait, cum in manum Apostoli dentes injecisset, et nullam peccati in ea mollitiem et laxitatem invenisset, statim (ab eo excussa) resiliit, et in ignem sese projecit, quasi pœnam de se exegerit, quod nihil ad se pertinens corpus invasisset. Nos vero bestias timemus, propterea quod armatura virtutis muniti minime sumus. » Adam enim in innocentia a bestiis et serpentibus lædi non poterat, imo eis dominabatur. Unde Sancti qui ad primævam ejus innocentiam accedunt, idem sæpe dominium a Deo nanciscuntur, uti nactus est S. Paulus, S. Antonius, S. Macarius, S. Franciscus et similes, uti dixi *Genes.* ix, 2. Vipera ergo hæc ultronea sua nece sibi temeritatis supplicium, Paulo innocentiæ dedit encomium. Neque enim ab ea morsus Paulus mortem obiit, sed famam consecutus est immortalitatis, imo et divinitatis. Nam qui aderant, videntes nihil mali in eo fieri, « dicebant eum esse deum, » *ibid.* vers. 6. Unde optime D. Chrysostomus *in Ps.* xcvi : « Ictus, ait, a vipera Paulus, Spiritus Sancti virtutem quæ in ipso habitabat, ostendit, usus vipera teste; » quasi vipera Apostolo fuerit, non pestis ad mortem, sed testis ad gloriam; et volens lethale venenum Apostolo infundere, sibi hauserit. Vere Arator de Paulo hic :

> Christique cruci sua membra relegans,
> Nescit ab angue mori.

Hinc impletur promissio Christi, *Marc.* xvi, 18 : « Signa eos qui crediderint, hæc sequentur, etc. : serpentes tollent; et si mortiferum quid biberint, non eis nocebit. » Unde Tertullianus, in *Scorpiaco*, cap. i : « Hoc modo, inquit, etiam Ethnicis sæpe subvenimus, donati a Deo ea potestate, quam Apostolus dedicavit, cum morsum viperæ sprevit. »

Porro ex hoc tempore, quo Paulus Melitæ viperam excussit, insulæ illi divinitus impertitum est, ut in ea serpentes omnes veneno careant, et quantumlibet aliquem momorderint, nil prorsus inferant detrimenti; eamque insulani vocant gratiam S. Pauli, qui hac ratione abunde eis hospitii et hospitalitatis meritum compensavit. Melitæ ergo nullum maleficum serpentis genus nascitur, neque nocet aliunde invectum, imo gleba Melitensis antidotum est contra venena, adeoque ipsi Melitenses quasi terrori sunt serpentibus : ita Thomas Fazellus, *De Rebus Siculis*, Decad. i, lib. I, cap. i; Baronius, Gagneius et alii. Sic de S. Phoca martyre, in *Romano Martyrol.*, die 5 martii, ita legimus : « Qualiter de antiquo illo serpente triumphaverit, hodie quoque populis eo miraculo declaratur, quod si quispiam a serpente morsus fuerit, ut januam basilicæ Martyris credens attigerit, confestim evacuata virtute veneni sanatur. »

Sunt in Italia qui se de genere et cognatione Pauli esse jactitant, et serpentes impune contrectant. Sed hos imposturæ arguit Delrio, lib. I *Magic.*, cap. iii, Quæst. IV, et ex eo Lorinus hic, eo quod compertum sit eos se contra morsum antidotis præmunire. Addit Lorinus, Marsos et Psyllos a serpentibus esse intactos et illæsos, non per antipathiam naturalem, ut quidam censent, sed per incantationes et artes magicas. Quin et Delrio *Salutatores*, qui verbis, et *Ensalmatores*, qui halitu varios morbos sanant, suspectos habet, multaque in iis notat suspicione et periculo plena; etsi Navarrus, in *Manuali*, cap. xi, num. 38, Salutatores excuset, putetque donum sanandi in eis, esse gratiam gratis a Deo datam ad bonum reipublicæ. Porro immunitatem hanc a venenis aliqui volunt esse naturalem Melitæ, uti naturalem esse Hiberniæ tradit Beda, lib. I *Hist. Anglic.*, cap. i; et Sardiniæ tradit Solinus Polyhistor, cap. xxxv; sed errant. Nam incolæ Melitæ mirati sunt S. Paulum a vipera tactum non inflari, nec emori, ut aliis accidisse viderant. Ergo ante S. Paulum Melita obnoxia erat venenis. Paulo ergo hanc immunitatem debet, et ultro acceptam refert.

6. At illi existimabant eum in tumorem convertendum, — ex incensione et inflammatione, quam creat viperæ morsus : hoc enim significat Græcum πίμπρασθαι. Unde Tigurina et Pagninus vertunt, *at illi existimabant futurum ut incenderetur, aut concideret repente mortuus.*

Et mori, — id est illico moriturum, uti jam dixi ex Græco. Porro quam cito serpentes, præsertim viperæ et aspides hominem necent, docet Galenus, lib. *De Theriaca ad Pisonem*, cap. viii, in fine, exemplo Cleopatræ : « Cleopatram, ait, ferunt magnum primo ac profundum vulnus brachio suo dentibus intulisse; deinde venenum quod prius ex aspide paraverat, in pyxide quadam ad se allatum, vulneri infudisse; atque ita veneno corpus subeunte, non multo post insciis custodibus, vitam leniter finivisse. Nam revera serpentes illi velociter interficiunt, sicut ego sæpe in magna Alexandria expertus sum. Cum enim aliquem hoc supplicii genere condemnatum, sine longo cruciatu dilationeque necare volunt, aspides illorum pectoribus admovent, ambulareque parumper faciunt, atque sic ipsos brevi perimunt. »

Convertentes se, — ad invicem, mutata mente et sermone : hæc enim omnia significat Græcum μεταβαλλόμενοι. Ita Syrus, Chrysostomus, Tigurina, Pagninus, Lyranus et alii.

Dicebant eum esse deum. — Vide hic subitam Melitensium mutationem. Ex homicida faciunt deum, ait S. Chrysostomus. Sic Lycaonii videntes miraculum Pauli clamabant eum esse Mercurium, *Act.* xiv. 18.

7. Principis insulæ. — Græce, τῷ πρώτῳ, id est *primi*. Erat ergo Publius primarius inter Melitenses, ait S. Chrysostomus, at non princeps absolutus et dominus Maltæ : hæc enim parebat Romanis. Publius nomen est Romanum. Unde videtur ipse fuisse Romanus, qui prætura vel præfectura Maltæ functus, ibidem prædiis comparatis sedem fixit. Melita enim suberat Romanis, æque ac Sicilia, et a Siciliæ Prætore regebatur per vicarium, qui πρῶτος, id est *primus*, *antecedens*, *primarius princeps* insulæ et insulanorum vocabatur, idque docet antiqua inscriptio : *L. Ca. filius Cyr. eques Romanus*, πρῶτος Μελιταίων, id est *primus*, vel *princeps Melitensium*, quam recenset Philippus Cluverius, lib. II *De Antiqua Sicilia*, cap. xvi. Quam dives fuerit Publius, liquet ex eo quod hosce 276 naufragos per triduum hospitio exceperit, teste S. Chrysostomo. Ejus domus fuisse dicitur, quæ in urbe Melita ædes maxima S. Paulo dedicata est; prædia ejus fuisse putantur, quæ hodie *Benuerrat* dicuntur, juxta sinum ad quem navis appulit, non longe a pago *Nazar*. Ita noster Octavius Cajetanus, *Isagoges* cap. xix. Silet hic Lucas, Paulum per tres menses quibus Maltæ fuit, prædicasse et convertisse Melitenses ipsumque Publium, de quo Arator ita canit :

> Mensibus hibernis tribus in regione Melitæ,
> Multiplicem dat Paulus opem.

Sic et Chrysostomus.

Porro Publium hunc a Paulo creatum esse Episcopum Melitensem, docet Ado in *Martyrol.*, die 21 januarii, et Beda, 18 januarii : adduntque eumdem deinde creatum esse Episcopum Atheniensem, esseque illum Publium, qui post Quadratum, Athenis in Episcopatu successit Dionysio Areopagitæ, ac nobili martyrio laureatus decessit, de quo Eusebius, lib. IV *Histor.*, cap. xxiii, et S. Hieronymus in *Catalog. Script. Eccles.*, in *Quadrato*.

8. Salvavit eum, — ἰάσατο, id est *sanavit*, utique per miraculum, præsertim quia febris et dysenteria sunt morbi contrarii, ut notat S. Hieronymus *in cap.* lvi *Isaiæ*. Notat S. Gregorius, lib. XXVII *Moral.*, cap. xi vel xiv, Paulum sanasse patrem Publii, quia is erat infidelis, ut eum hoc miraculo et beneficio converteret ad Christum : Timotheum vero ægrum non sanasse, quia is jam erat con-



UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
ALERE FLAMMAM VERITATIS
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

versus. Morbus ergo ei relictus est ad exercitium patientiæ et augmentum coronæ.

10. Multis honoribus nos honoraverunt, — non tantum reverentiam et honoris signa exhibendo, sed et alimenta nummosque subministrando, ut sequitur: hæc enim honor complectitur, ut patet *Prov.* III, 9: « Honora Deum de tua substantia, » dando ei oblationes, decimas, primitias, victimas. Vide dicta *Deuter.* V, 16.

11. Cui erat insigne Castorum. — Perperam Glossa legit *castrorum*. Usitatum erat, ait Sanchez, ut nautæ in puppi gestarent deos tutelares, id est eorum statuas et idola, vel effigies. Hos Phœnices *Pataecos* vocant, teste Hesychio, de quibus Persius:

Ingentes in puppe dei.

Et Ovidius, lib. I *Trist.*, eleg. 3:

Puppique recurvæ
Insilit, et pictos verberat unda deos

Unde et Chrysostomus opinatur Castorum effigies in navi fuisse depictas. *Castores* vocantur gemini fratres Castor et Pollux. Castor enim, utpote senior, juniori Polluci suum nomen communicavit. Hi duo nati sunt ex Jove et Leda, Tyndari regis conjuge: unde et *Tyndaridæ* vocantur, et Διόσκουροι, id est *Jovis filii*. Fingunt enim Poetæ Jovem cygni formam induisse, et ex eo Ledam ovum concepisse: ex quo nati sunt gemini, Castor et Pollux. Unde Horatius, lib. II *Serm.*, satyra 1:

Castor gaudet equis, ovo prognatus eodem
Pugnis.

Castor enim fuit egregius equorum domitor, Pollux vero pugil. Ambo post mortem inter sidera relati sunt: quorum signum Gemini dicitur, in quo sol degit in junio. A Gentibus pro diis habiti sunt, præsertim a Romanis. Unde etiamnum eorum ingentes statuæ visuntur Romæ in aditu Capitolii. Hinc et Cicero *in Verrem*, act. 1: « Vosque, ait, omnium rerum forensium, consiliorum maximorum, legum judiciorumque arbitri et testes, celeberrimo in loco prætorii locati, Castor et Pollux. » Habiti sunt dii maris, ideoque in navibus picti a nautis in tempestate invocabantur: sive quia sunt stellæ in cœlo hoc nomine, quæ si utraque appareat serenitatis, sin una duntaxat, tempestatis est indicium; sive quia Castor et Pollux mare piratis liberarunt; sive quia iidem fuerunt argonautæ, cum cæteris sociis Colchos navigantes; et orta tempestate, cum cæteri timerent, duæ stellæ super capita Castoris et Pollucis visæ sunt, illicoque mare sedari cœpit: unde se eorum gratia a diis tutandos, cæteri persuaserunt, indeque in simili periculo eos invocare cœperunt, uti ex Diodoro Siculo et Valerio Flacco narrat Giraldus, *Synt.* V, pag. 182. Hæ fabulæ ortæ sunt ex eo quod nautæ observare soleant stellas Castorum, ac credere eas, si appareant, navigantes servare. Unde Horatius, lib. I *Carm.*:

Dicam et Alciden, puerosque Ledæ,
Hunc equis, illum superare pugnis
Nobilem; quorum simul alba nautis
Stella refulsit,
Defluit saxis agitatus humor,
Concidunt venti, fugiuntque nubes,
Et minax (quod sic voluere) Ponto
Unda recumbit.

Idem alibi:

Tyndaridæ sidus ab infimis
Quassas eripiunt æquoribus rates.

Jam nautæ Christiani post B. Virginem, quæ est stella maris, in periculo invocant S. Paulum, qui die ac nocte in profundo maris fuit, S. Clementem in mari mersum, S. Nicolaum, S. Franciscum Xaverium, qui perpetua quasi navigatione immensa Oceani spatia, a Lusitania in Indiam, Moluccas, Japoniam et Chinam emensus et remensus est, et S. Hermetem, vel S. Telmum. Sic enim vocatur a nautis *Telmus*, vel *Elmus*, a loco; qui proprio nomine dictus fuit Petrus Consalvus Ordinis S. Dominici, et ad cœlos migravit anno Domini 1246, cujus vitam et miracula conscripsit Ferdinandus Castiglius, I part. *Hist. S. Dominici*, lib. II, cap. XXIII, XXIV et XXV, et Ribadeneira in ejus Vita, quam habet in *Appendice Sanctorum extravag.* Porro invocant eos, non ut deos et numina, sicut Gentiles, ut objicit Calvinus, sed ut suos apud Deum patronos et advocatos, idque in ea re, in qua ipsi olim Deo servientes, meruerunt ut aliis in eadem opitulari possent. Vide Stapletonium hic in *Antidotis*.

Porro insigne Castorum sic erat effigiatum. Pingebantur Castor et Pollux quasi duo juvenes; cuique dabatur ovi pars dimidia, et jaculum in manu equusque candidus, superne eminebat stella. Ita Lucianus, in *Deorum Dial.*, in fine.

12. Syracusam. — Civitas est Siciliæ maxima et pulcherrima sub Pachyno monte sita, ubi fons Arethusa. Nunquam tam nubilus est dies in anno, quin eo Syracusis, æque ac Rhodi sol cernatur, ait Plinius, lib. II, cap. LXII. Jam nobilitata est S. Luciæ patria et martyrio. Hinc patet Paulum in Sicilia fuisse et Siculis profuisse. Unde S. Chrysostomus: « Porro, inquit, prædicatio etiam usque in Siciliam pervenit. »

Scripsit de Sanctis rebusque Siciliæ opus magno labore et studio, e priscis Siculorum monumentis erutum et elaboratum noster P. Octavius Cajetanus, sed morte præventus in lucem dare non potuit. Ejus ergo posthumum edendum suscepit P. Alfonsus Cajetanus, qui opus maturat, ut avidæ longæque multorum expectationi satisfaciat: interim excerpta ex ejus Isagoge de S. Petri et Pauli in Siciliam adventu et fructu, Panormo ad me Romam misit; cui proinde cum gratiarum actione hæc mecum accepta referat candidus



Lector. Illa hic summatim inseram, utpote quæ S. Lucæ historiam præsentem valde illustrant, multaque addunt et supplent, quæ S. Lucas studio brevitatis omisit. E quibus liquido videas priscam S. Petri et Pauli in Siculos benevolentiam, ac vicissim Siculorum incensa erga Apostolos studia.

Hæc igitur de S. Petro scribit *Isagoges*, cap. XVIII. Certum est Siciliam primitus a S. Petro accepisse fidem, Ecclesias primosque Episcopos. Unde Innocentius I, epist. *ad Decent.*, constanter affirmat in Sicilia nullum hominum instituisse Ecclesias, nisi quos Vener. Apostolus Petrus aut ejus successores constituerunt. Metaphrastes, orat. *De S. Petro et Paulo*, die 29 junii, tradit S. Petrum ex Syria Romam navigantem, in Siciliam Tauromenium appulisse; et apud Pancratium Episcopum, quem antea Antiochiæ agens eodem præmiserat, divertisse; quod anno 2 Claudii Imperatoris contigit. A S. Joanne Chrysostomo idem fuisse scriptum, Constantinus Lascaris in schedis suis firmat, quas in Thesauro Mamertinæ urbis legimus. Metaphrastis testimonium doctissimi viri, Vincentius Bellovacensis, Guilielmus Spirensis, Petrus Calesinus et Cardinalis Baronius anno Christi 44, firmavere. In Siciliam una cum S. Petro, ut ait Metaphrastes, venere ejus discipuli, Marcus Evangelii scriptor, Apollinaris postea a S. Petro Ravennam missus, Martialis ab eodem deinde amandatus in Gallias, Rufus Capuæ creatus Episcopus; Menæa addunt Beryllum. Tauromenii cum esset S. Petrus, Maximum catechesi probe instructum baptizavit et Episcopum ordinavit, constituitque ut Pancratio succederet. Idem Syracusis Marcianum dedit Episcopum, Catanæ Beryllum, ut habet *Martyrologium Romanum* et *Menologia Græcorum*. Hæ ergo tres primæ sunt Siciliæ Ecclesiæ a S. Petro erectæ. Hisce proxima est Agrigentum, cujus primum Episcopum scriptores S. Libertinum martyrem memorant; sed quo anno id factum, nos latet. S. Libertini Encomiastes Syracusanus, fide dignus, ipsum synchronum facit S. Peregrini martyris, qui S. Marciani, Syracusanorum Episcopi, a S. Petro instituti, fuit discipulus.

*Isagoges* vero, cap. XX, tradit S. Paulum Syracusis a Marciano (quem eodem ante aliquot annos miserat S. Petrus, urbisque Episcopum ordinarat) Episcopo incredibili lætitia exceptum, et Christianorum omnium ejus Ecclesiæ studiis officiisque obviam euntium inclyto Apostolo in vinculis triumphanti. Certum mihi est, tres illos dies in eodem cum Marciano hospitio commoratum; ea in spelunca, quam ille pulsis dæmonibus Christo consecraverat, D. Paulum sacris operatum esse; Syracusanam Ecclesiam, primitias Occidentis, Deo obtulisse; multos ad Christum convertisse, eamque Ecclesiam adspectu colloquiisque recreasse, atque in Dei amorem incendisse. Vicina etiam Syracusis loca vicosque obivisse credimus: quanquam enim vinctus Romam duceretur, humanitate tamen Julii centurionis, cujus custodia tenebatur, multum Apostoli reverentiæ dabatur. Sidone enim ab eo permissus est ad amicos ire, et sui curam agere, Melitæ apud Publium tres dies hospitari. Super humanitatem Centurionis accedebat pietas et Christiana religio, quam omnes profitebantur quicumque socii navigationis D. Pauli fuerant, eorumque amor erga Apostolum, utpote cujus beneficio naufragium evasissent et in Christum credidissent: nam in Pauli gratiam omnium qui navi vehebantur, non solum corpora naufragio, sed animas infidelitati ereptas, ex Actis Apostolorum et D. Joannis Chrysostomi interpretatione superius docuimus. Ex his non ambigimus doctori Gentium permissum Syracusis libere agere, prædicare regnum Dei, quin et proximos urbis vicos obire. Certe quidem procul Syracusis fere octo passuum millibus, in agro cui Solarino nomen, ecclesia est D. Pauli Apostoli titulo insignita; et sane antiqua est architectura: in qua puteus visitur, cujus aqua hausta, ablutisque ægrotis, invocatione Apostoli Pauli multa in dies miracula patrantur, votaque et tabellæ pendentes sanctissimi Apostoli collata adversum mortales beneficia contestantur. Apud Syracusanos vetus traditio est, D. Paulum Apostolum, cum Syracusas venit, eum in locum excurrisse, ecclesiamque a Christianis in ejus rei memoriam fuisse extructam: in eo sane tractu antiquæ habitationis vestigia reperiuntur; fortasse ævo illo oppidum ibi fuit, quod Apostolus pro charitate sua invisit.

*Isagoges* vero, cap. XXI, docet S. Paulum oram Siciliæ legisse a Pachyno ad Pelorum, ac monumenta ab eo ibidem relicta recenset. Navigationem, inquit, ex insula Melita Syracusas lentam fuisse, non desunt qui probent: antequam enim ille navi vectus in Syracusanum portum appelleret, in oram cis Pachynum promontorium descendisse existimamus et vicina loca collustrasse. Vetus est traditio apud Helinos et Pachyni accolas, Paulum Apostolum in eam oram pervenisse, atque intus ad milliaria quatuor in agrum Elorinum penetrasse: quo loco ædificata est a posteris ecclesia juxta fluvium Elorum, D. Paulo dicata, quæ adhuc manet, in adventus ejus memoriam; neque ab ea procul puteus est in veneratione summa habitus, cujus aquam qui biberint, vel laverint se, variis e morbis eripiuntur, maximeque valet adversum vulnera morsusque noxios bestiarum. Eodem in agro, cui nomen Biliscalis, alter puteus est, ad quem ejusdem Apostoli virtute et gratia multa miracula patrantur. Porro ex accessu D. Pauli ad ea loca, illud omnino constat, tardam ejus navigationem per eam Siciliæ oram fuisse, non sine magna Dei providentia, ut Apostolus Siciliam collustraret, et quos posset, sua prædicatione ad Christum perduceret; sed et Apostolum Syracusis profectum, insulam circumlegisse D. Lucas docet.

Igitur Paulina navis posteaquam Syracusis solvit, oram Siciliæ maritimam prætervecta, rursum e cursu suo deflexit in littus, intra Tauromenium atque Messanam, ubi nunc ædes est Paulo Apostolo sacra. Antiqua ea fama est apud loci accolas, D. Paulum cum Siciliæ oram legeret, in sinum illum appulisse, cui monasterium D. Placidi in edito colle incumbit, in eoque commoratum littore, quod decem passuum millibus ab urbe Messana distat; ipso in littore locoque Apostoli pedibus calcato, Christiani deinde, ubi Christi fides adolevit, parvam, sed magnæ pietatis indicem Ecclesiam, D. Paulo sacram construxerunt, quæ Apostoli in illud littus descensum testificaretur, reique memoriam ad posteros derivaret. Rhegium Apostolus ea ex ora maritima solvit, quæ res a majoribus per manus nobis tradita, a D. Pauli navigatione non abhorret. Ejus enim testis ac scriptor D. Lucas, in *Actis Apost.*, ait Syracusis solventem, ora maritima Siciliæ navigata, Rhegium pervenisse. Verosimile est navim insulæ littus circumvectam illuc applicuisse, ubi adverso maris æstu ventisque, sive urgente nocte constitit, dum secundus esset æstus ventique, vel illucesceret dies, ne fretum illud infame naufragiis Charybdisque vorticibus formidatum cæca nocte trajiceretur, atque iis maxime quibus satis esset timoris ex proximo ad Melitam naufragio. Sinus autem ille, in quem fama est Apostolum descendisse, ad id videtur natura factus; neque illo opportunior maris tractus, Rhegium ex ora Mamertina solventibus; sed et naves quibus ex Oriente iter est per Siciliam in Occidentem, insula præternavigata, eo ex sinu qui nunc æde D. Pauli Apostoli nobilitatur, Rhegium de more transmittunt.

*Isagoges*, cap. XXII ostendit S. Paulum, fretum Siculum navigantem, conspexisse Messanam, sed non adiisse, uti contendit Constantinus Lascaris: adiisse vero eam postquam e primis Neronianis vinculis liber, rursum provincias et Siciliam (ut videtur innuitque S. Chrysostomus) peragravit. Traditio enim est Messanensis Ecclesiæ, S. Paulum Messanensibus Bacchylum Episcopum præfecisse. Sane quotannis ea in urbe supplicationes habentur festo Conversionis S. Pauli, in memoriam Bacchyli Episcopi, Messanensi Ecclesiæ a S. Paulo præpositi: ac vetus mos in ea Ecclesia est deducendi per urbem reliquias S. Pauli. Hæc noster Octavius. Addunt alii, in ditione Avola, quam multi censent esse Hyblem vel Hyblam, in qua thymi et salicum est copia, unde apes pastæ mel optimum conficiunt, indeque apes Hyblææ et mel Hyblæum nuncupatur, de quo Martialis in *Xeniis*:

> Cum dederis Siculis mediæ de collibus Hyblæ,
> Cecropios dicas tu licet esse favos.

Juxta Hyblam, inquam, pergendo versus Syracusas, similis illi Elorino est puteus qui a S. Paulo nomen accepit, ejusdem virtutis et venerationis: ad quem quia multi serpentes bibendi causa accedunt, hinc juxta eum multæ cernuntur viperæ et serpentes mortuæ, potu hujus aquæ occisæ. Similis et nomine et virtute est puteus juxta Syracusas, cujus aqua multas curat infirmitates. Hoc accepi a nostris Patribus Siculis oculatis testibus. Ubi vide quantæ dignitatis et meriti fuerit S. Paulus, quantæ etiam bonitatis et beneficentiæ, quæ eum nusquam sinebat esse otiosum et vacuum, sed suæ virtutis semina et vitales radios instar solis ubique spargere compellebat, ut imitaretur Christum, « qui pertransiit benefaciendo et sanando omnes oppressos a diabolo, » ut ait S. Petrus, *Act.* X, 38. Vere de S. Paulo dicas, quod officium Ecclesiasticum canit de S. Cæcilia: « Cæcilia famula tua, Domine, quasi apis tibi argumentosa deservit. »

Denique Syracusis triduo commorans Paulus evangelizando majorem incolarum partem (ac per eos, vicinos Siculos, ut Sicilia fidem S. Paulo debeat) ad Christum convertit, uti narrat Hieronymus Marasiotus in *Chronicis Calabriæ*, lib. I, cap. XX.

13. RHEGIUM, — civitas Calabriæ objacens et vicina Siciliæ. Ita dicta ἀπὸ τοῦ ῥηγνύναι, id est *abrumpere*, eo quod terræ motu vel maris eluvione abrupta sit a Sicilia, cui prius cohærebat eratque contigua, imo continua. Sic et Siciliam dictam volunt quasi *Sicilitam*, id est *resectam* ab Italia, cui antea cohærebat. Ita Plinius, lib. III, cap. VIII: « Sicilia, inquit, quondam Brutio agro cohærens, mox interfuso mari avulsa XIIM in longitudinem freto, in latitudinem autem MD, juxta columnam Rheginam. » Et Isidorus clarius, lib. XIII *Orig.*, cap. XVIII: « Fretum, ait, appellatum est, quod ibi semper mare ferveat: fretum enim est angustum et quasi fervens. Nam freta Varro dicta ait quasi fervida, id est ferventia et motum fervoris habentia. Fretum Siciliæ, quod Rhegium dicitur, Sallustius ex tali causa vocari scribit dicens, Italiæ olim Siciliam conjunctam fuisse, et dum esset una tellus, medium spatium aut per humilitatem abruptum est aquis, aut per angustiam scissum; et inde ῥήγιον nominatum, quia græce abruptum hoc nomine nuncupatur. » Eadem quasi ad verbum habet S. Hieronymus in *Nomin. Act. Apost.*, et ex eo Beda hic. Recte ergo fretum hoc vocatur Rhegium, indeque urbs freto adjacens pariter vocatur Rhegium, quia hoc spatio ante fuerat isthmus, quem mare perrupisse dicitur. Porro Thucydides, lib. IV, hoc fretum vocat Charybdin: sic et Mela, lib. II, cap. VII: et Plinius, lib. XIII, cap. XVIII: « Eo quod gurgitibus, inquit, occultis naves absorbeat. Ter autem in die erigit fluctus, et ter absorbet: nam accipit aquas, ut vomat; vomit, ut rursus accipiat. » Vide Philippum Cluverium, lib. *I De Antiqua Sicilia*, cap. V.

Porro Rhegium vetusta et nobilis est Calabriæ civitas, de qua multa Hieronymus Marasiotus in



*Chronicis Calabriæ*, lib. I: « Rhegium, inquit, prima Italiæ civitas, olim fuit una e quatuor Rebuspublicis magnæ Græciæ, metropolis Calabriæ, ut liquet ex eo quod cum in Calabria sint quatuor Archiepiscopatus, antiquissimus sit Rhegiensis, qui decem habet Suffraganeos, Consentinus quatuor, S. Severinæ quinque, Rossanensis nullum. »

Silet hic multa Lucas, ac præsertim Rhegiensium a Paulo conversionem uno die, quo apud eos hæsit, factam: quæ ex Ecclesiæ Rhegiensis monumentis eodem ævo græce conscriptis, ac deinde in Latinum idioma translatis, et in Archiepiscopali archivio asservatis, a Rhegiensibus viris eruditis et primariis ad me Romam transmissa, hic transcribam, quia ad historiam præsentem faciunt, ut ex iis liqueat tum Rhegiensium primæva erga Christum et Paulum fides et devotio, tum S. Pauli erga eos amor, simulque ejus insatiabilis, etiam in mediis itineribus et vinculis, ubique evangelizandi sitis et ardor, æque ac energia et fructus. Sic igitur habent in vita et martyrio S. Stephani, qui S. Pauli comes et discipulus, primus ab eo creatus est Rhegiensium Episcopus: « Hic sanctus martyr Stephanus fuit e civitate Nicæa: petente autem Paulo Apostolo Romam, comitatus est eum usque ad civitatem Rhegii Calabriæ. Cum autem Apostolus civitatem invenisset idola colentem, prædicavit in ea verbum Domini; et sicut terra bona acceptum semen centuplum reddit, ita et ejus civitatis incolæ verbum Dei receperunt: quos cum Paulus instruxisset, et plurimos illorum in nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti baptizasset, creavit ipsis Episcopum Stephanum: qui sibi creditum gregem bene pascens, multos ad fidem Christi suis doctrinis convertit. Cum autem in hac civitate decem et septem annos moratus esset, et Episcopos et presbyteros ordinasset, Deique gratia Ecclesia aucta fuisset, postea persecutione contra Christianos mota, captus fuit ab Hierace duce Sanctus, tanquam præcipuus fidei Christianæ, et coactus fuit ut abnegaret Christum et immolaret idolis: ipse autem non admittebat, quin potius intrepide Christum Deum confitendo et factorem omnium, idola autem Gentium ligna et lapides sensu carentia, opera manuum hominum esse asserens et diaboli inventiones, idcirco indefesse percutitur una cum Socra Episcopo, et saxis quoque vultus eorum confringuntur, in caminumque ignis conjecti exierunt illæsi. Unde multi crediderunt in Christum et acclamaverunt dicentes: Magnus Deus qui a pontificibus Stephano et Socra prædicatur. Inter quos erant mulieres pudicæ Agnes, Felicitas et Perpetua nuncupatæ, discipulæ divi Stephani, quæ intrepide coram Hierace duce confessæ sunt, nomen Christi Dei, veri creatoris omnium prædicantes; tunc ira plenus dux, ipsas una cum Stephano et Socra pontificibus gladio discindi jussit: quo facto, illico tradiderunt sanctas animas suas Domino, gratias agentes et exultantes, quod digni facti essent pro Christo mori. » Addita erant elegantia troparia et protonia Græco-Latina, puta antiphonæ, versus et hymni in laudem S. Stephani, ex pervetusto codice Vaticano manuscripto, num. 1543, *Menæo* nuncupato, quo Ecclesia Græcorum in officiis divinis recitandis utitur, accepta, in quibus S. Stephanus vocatur Hierarcha, Hiero-martyr, τοῦ Παύλου ὁμόζηλος, id est « æmulator et similis zeli cum S. Paulo; » ejusque martyrium consignatur die 5 julii, quo pariter die Rhegini ejus festum tota diœcesi celebrant: quæ, ne æquo sim longior, omitto. Addit Hieronymus Marasiotus in *Chronicis Calabriæ*, lib. I, cap. XX, hac de causa Rhegiensem ecclesiam Cathedralem esse insignitam titulo et sede Archiepiscopali, eique olim subjectas fuisse omnes Calabriæ Ecclesias, eo quod ipsa prima inter Calabros Episcopum S. Stephanum acceperit a S. Paulo, quodque S. Stephanus Episcopos, Presbyteros et Diaconos aliis Calabriæ civitatibus dederit et ordinarit.

Porro constans et antiquissima apud Rhegienses est traditio, hac ratione et miraculo S. Paulum Rhegienses convertisse: navi quæ Paulum vehebat, Rhegium appellente, ejus visendi causa ad littus concurrerunt Rhegienses, præsertim ut in ea sua numina Castoris et Pollucis, quæ præferebat navis, venerarentur. Mox Paulus de more orsus eis prædicare Evangelium, cum ab eis, utpote idololatris, non audiretur, postulavit ut sibi prædicanti vel ad modicum aures commodarent, tantillo scilicet tempore, quantulo candela exigua arderet. Eo impetrato, candelulam accendit affixitque columnæ, cui naves appellentes solebant alligari: cumque statim absumpta candela evanesceret, illico per miraculum cœpit ardere ipsa columna, quo portento perculsi et compuncti Rhegienses, Paulum ut hominem divinum auscultantes, ab eo ad Christum traducti sunt. In hujus rei fidem et memoriam columna in ecclesiam S. Pauli (quæ in littore erecta est) translata, honorifice supra altare majus reposita est: ubi mira veneratione colitur multisque miraculis coruscat, uti liquet ex hoc de ea Rhegiensium hymno, quem typis excusum vulgarunt mihique exemplar transmiserunt:

HYMNUS

### IN COLUMNAM RHEGINAM

S. PAULI APOSTOLI.

> Ave, columna nobilis,
> Electro et auro ditior,
> Illaque Mosis ignea
> Columna fortunatior.
> Quod ore Paulus prædicat,
> Te fulgurante comprobat:
> Te conflagrante Rhegium
> Christi fidem complectitur.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ®
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

Te palma tangens languida
Sensit medelam cœlicam :
Haustusque salvis illico
Ægris salutem contulit.
Ergo columna Rhegia,
Hebræos ut Israelica
In terræ opima transtulit,
Tu nos in astra ducito.
Summo Patri sit gloria
Natoque Patris unico,
Et Paracleto numini,
Cunctis in ævum seculis. Amen.

℣. Paulus Apostolus devenit Rhegium. Alleluia.
℟. Et seminavit verbum Dei. Alleluia.

ORATIO.

« Deus, qui ad Pauli Apostoli prædicationem, lapidea columna divinitus ignescente, fidei lumine Rheginos populos illustrasti; da, quæsumus, ut quem Evangelii præconem habuimus in terris, intercessorem habere mereamur in cœlis. »

Insuper Joannes Angelus Spagnolus Canonicus Rheginus, *De Rebus Rheginis* lib. IV, cap. I, narrat vulgo credi, Paulo prædicante, pisces littus egressos ei auscultasse, uti auscultarunt S. Francisco et S. Antonio Patavino. Additque nonnullos dicere cicadas a S. Paulo tacere jussas, nunquam deinceps eo loci comparuisse; sed se id non credere.

PUTEOLOS. — Civitas est Campaniæ juxta Neapolim (ita Syrus), nobilis S. Januarii martyrio. Hinc tradunt et gloriantur Neapolitani, S. Paulum ex itinere Neapolim divertisse. *Puteoli* dicti, ab aquæ calidæ ibi ebullientis putore, ait Festus; vel, ut alii, a multitudine puteorum earumdem aquarum gratia factorum. Hæc etiam vocata est *Dicæarchia*, a justitiæ administratione; a Samiis condita, ut vult Eusebius, eo tempore quo Tarquinii Roma a Bruto sunt expulsi. Pari modo S. Petrum Romam navigantem appulisse Neapolim, ibique missam celebrasse tradunt Neapolitani, et Cardinalis Baronius, anno Christi 44.

14. ET SIC (hoc est non mari, ut hactenus, sed terra pedestri itinere) VENIMUS (id est venire et pergere cœpimus) ROMAM, — unde pedites primo venimus ad Appii Forum, deinde ad tres Tabernas, denique Romam, ut mox explicat Lucas, vers. 15. Unde minus recte Cajetanus per Romam accipit portum Romanum, sive ostia Tiberina, ubi scilicet Tiberis in mare influit, qui Roma distat duodecim milliaribus Italicis. Nam inter portum Romanum et Romam non interjacet Forum Appii et tres Tabernæ, quo prius devenisse Paulum narrat Lucas. Melius alii per « Romam, » accipiunt agrum Romanum, præsertim quia olim suburbia Romana longissime se quaquaversum extendebant. Denique potest hic esse anacephalæosis, qua Lucas generatim primo dicat Paulum Puteolis venisse Romam, deinde particulatim itinera media enarret quibus Romam contendit et pervenit, nimirum per Appii Forum et tres Tabernas, ubi ei occurrerunt fideles Romani eumque Romam deduxerunt. Hoc enim frequens est Hebræis, uti videre est in libris *Regum* et alibi.

15. ET CUM AUDISSENT (forte ex litteris Christianorum Puteolanorum) FRATRES, — puta Christiani, quod Paulus in urbem adventaret.

USQUE AD APPII FORUM. — Hoc Plinius, lib. XIV, cap. VI, ponit in agro Setino, dictum ab Appio Claudio, qui est auctor viæ Appiæ. Ortelius in *Theatro* censet, cum Blondo et aliis, esse Fossam Novam, ubi diem obiit S. Thomas Aquinas. Accedit Baronius, qui *Forum Appii* censet fuisse juxta Pontinas Paludes, ac Roma distare uno et quinquaginta passuum millibus, tres Tabernas vero triginta tribus, easque hodie vocari *Cisterna*, quæ urbecula est juxta Velitras, patriam Augusti Cæsaris. Eas enim fuisse contra Antium, quod modo *Nettuno* dicitur, docet Cicero *ad Atticum*, lib. II, epist. 29 : « Emersimus, inquit, commode ex Antio in Appiam, ad tres Tabernas. » Porro Isidorus Pelusiota, lib. I, *epist.* 337, et ex eo Œcumenius hic, tradit Forum hoc dici Appii, quod fuerit Appii statua insignitum : Romani enim loca, in quibus regum et principum statuæ positæ erant, vocabant fora. Sic vocatum est Forum Cornelii, quod hodie *Imola* dicitur; Forum Claudii, hodie *Tolsa*; Forum Julii, hodie *Frigoli*; Forum Livii, hodie *Forli*; Forum Sempronii, vulgo *Fossombrone*; Forum Segusianorum, vulgo *Bourg en Bresse*; Forum Tiberii, vulgo *Schwits*, civitas apud Helvetios.

ACCEPIT FIDUCIAM, — θάρσος, id est *præfidentiam*, *animos*, *audaciam*, q. d. Majores accepit animos Romæ prædicandi et majorem spem Romanos convertendi, tum quia Romanos fideles tam erga se propensos et devotos videbat; tum quia ex eis colligebat indolem Romanorum benignam, amicam, docilem; tum quia eos habiturus erat in prædicatione cooperatores et adjutores.

16. CUM AUTEM VENISSEMUS ROMAM. — Græca addunt, *tradidit Centurio vinctos* στρατοπεδάρχῃ, id est *principi exercitus*, ita vocabatur Prætor, vel Præfectus reorum, vinctorum et carcerum; sicut nunc Romæ vocatur *Barzellus*, qui post se ducit agmen sbirrorum, sive satellitum instar exercitus. Unde vir eruditus censet *Barzellum* dici ab Hebræo *Barzel*, id est ferrum, eo quod ferro et armis armatisque militibus stipatus incedat.

Porro Paulus ingressus est Romam anno Christi 57, ait Eusebius in *Chronolog.*; S. Hieronymus, *De Script. Eccles.*, in *Paulo*; Baronius et alii. Addit Beda, Ado, Usuardus et Onuphrius in *Chronol.*, ingressum esse die sexta julii. Baronius tamen et noster Lorinus citius id factum putant, et vere putant, si Paulus, ut vult Arator, initio veris solvit Melita. Sed hoc incertum est. Potius credendum est priscis, Bedæ, Adoni, Usuardo. Vide dicta cap. XXVII, vers. 9. Prisci enim inter se hic consentiunt.



SIBIMET MANERE, — in suo hospitio, *q. d.* Non ductus est in carcerem cum cæteris vinctis, sed in sua domo manere permissus est; ita tamen ut gestaret catenam, ut patet vers. 19, et haberet custodientem se militem, ne fugere vel elabi posset. Id honoris præstitum videtur Paulo, quod virum magnum, et, ut ait Chrysostomus, admirabilem censeret Centurio et cæteri, tum ex occursu et reverentia, quam ei ubique a Christianis exhiberi cernebant; tum ex ejus excelso animo, sapientia et virtute.

17. POST TERTIUM AUTEM DIEM. — Tres enim dies primos Paulus dedit quieti, utpote fessus tam longo itinere, ac comparando hospitio cæterisque rebus accommodandis. Addit Gagneius ex Œcumenio per hosce dies eum explorasse, num Judæi aliquas Romæ ei struxissent insidias, aut contra eum litteras dedissent ad suos Romæ degentes; cumque cognovisset nil tale eos factitasse, convocasse primos Judæorum. Vide hic curam et charitatem Pauli in Judæos, a quibus tanta, et hæc ipsa vincula patiebatur : ubique primos eos salutat et salutare satagit.

NON QUASI GENTEM MEAM HABENS ALIQUID ACCUSARE. — *Non quasi habeam de quo gentem meam accusem* : ita Tigurina; adimit suspicionem et metum Judæis, ne putent eum Romam venisse, ut Judæos accuset apud Cæsarem, itaque ipsi contra eum se arment. Tales enim multi e Judea Romam veniebant Pontifices, Scribas et Judæos accusaturi apud Imperatorem, ut patet ex Josepho.

20. PROPTER SPEM ENIM ISRAEL CATENA HAC CIRCUMDATUS SUM. — *Spes* metonymice ponitur pro re sperata. Nam *spem Israel* vocat Christum; quia Messias, sive Christus, uti Israelitis a tempore Abrahæ fuit a Deo promissus, ita assidue per tria annorum millia ab eisdem fuit exspectatus, et etiamnum exspectatur et exspectabitur usque ad finem mundi. Judæi enim in tot ærumnis suis non aliud sperant, non aliud orant, non aliud clamant quam ut veniat Messias, qui eos liberet et salvet. Vocatur autem Christus « spes Israel, » quia per Christum sperabant, et sperant veri Israelitæ justitiam, gratiam, salutem, resurrectionem, felicitatem et gloriam sempiternam. Hæc enim a Christo speranda et exspectanda esse promiserunt Prophetæ. Sensus ergo est, *q. d.* Ego Paulus hac catena vinctus sum, quia prædico Jesum esse Christum, ab eoque sperandam et petendam esse remissionem peccatorum, gratiam et salutem. Judæi ergo me vinxerunt, quia attuli eis suam spem. At vos spem vestram, puta Christum, quem vobis annuntio, et propter quem vinctus sum, excipite et in eum credite, ut salutem æternam assequamini. Sic Apostolus, *Coloss.* I, 27, Christum vocat « spem gloriæ, » et I *Tim.* I, 1, « spem nostram, » quia ipse est objectum et causa spei nostræ : per illum enim bona sperata, puta gratiam et gloriam consequimur. Hinc illæ Prophetarum ardentes de Christo preces et voces, Isaiæ, cap. XLV, vers. 8 : « Rorate cœli desuper, et nubes pluant justum : aperiatur terra, et germinet Salvatorem. » Et cap. LXIV, vers. 1 : « Utinam dirumperes cœlos et descenderes : a facie tua montes defluerent; » Jacobi : « Salutare (Salvatorem) tuum exspectabo, Domine, » *Gen.* XLIX, 18; Mosis : « Obsecro, Domine, mitte quem missurus es, » *Exodi* IV, 13.

Tropologice : Christus est « spes Israel, » id est dominantis Deo Deumque videntis, aut potius visuri; quia fideles non aliud sperant quam videre Deum et Christum in cœlo, ejusque præsentia et gloria beari et frui, juxta illud *Apoc.* XXI, 23 : « Claritas Dei illuminavit eam (cœlestem Jerusalem), et lucerna ejus est Agnus. » Et illud Ecclesiæ :

Jesu nostra redemptio,
Amor et desiderium,
Deus creator omnium,
Homo in fine temporum.

Et illud *Isaiæ* XXVI, 8 : « Domine, nomen tuum et memoriale tuum in desiderio animæ. » Et illud Psaltis, *Psalm.* XV, 5 : « Dominus pars hæreditatis meæ et calicis mei, tu es qui restitues hæreditatem meam mihi. Quid mihi est in cœlo, et a te quid volui super terram, Deus cordis mei, et pars mea Deus in æternum? »

22. ROGAMUS AUTEM A TE AUDIRE QUÆ SENTIS, — de spe Israel, quam dixisti, puta de Messia, an venerit, an adhuc sit venturus.

NAM DE SECTA HAC (Christi et Christianorum, quæ Christum jam venisse credit, quamque tu, o Paule, tacite commendasse videris, ideoque a Judæis esse vinctus) NOTUM EST NOBIS QUIA UBIQUE EI CONTRADICITUR. — Id dicunt, ut Pauli animum præoccupent, infringant et a Christo prædicando avertant, *q. d.* Tu, o Paule, occulte videris Christi sectam sequi et prædicare; at videris deceptus : nam ubique viri sapientes, inter quos sumus et nos, ei contradicunt. Illis ergo nobisque assentire, mentem affectumque erga Christum depone, ac nobiscum perge colere Mosen et religionem ab eo sancitam.

Moraliter hic disce signum Christi et Christianismi esse contradictionem et persecutionem. Hoc enim prædixit Simeon dicens : « Ecce positus est hic in ruinam et in resurrectionem multorum in Israel, et in signum cui contradicetur, » *Lucæ* II, 34. Vere S. Hieronymus, *in Ezech.*, cap. XLVII : « Incipit, ait, possessio a Thamar, a palma videlicet victoriaque vitiorum, usque ad aquas contradictionis. Semper enim virtutibus contradicitur. » Ac citatis hisce Judæorum verbis, subjungit : « Omnis contradictio est sanctitatis, quæ interpretatur Cades, dicente Psalmo, » *Psal.* XXVIII, 8 : « Concutiet Dominus desertum Cades. » Hoc est quod ait Paulus : « Omnes qui pie volunt vivere in Christo Jesu, persecutionem patientur, » II *Tim.* III, 12. Vide ibi dicta.

23. TESTIFICANS REGNUM DEI, — multis testimoniis Mosis et Prophetarum ostendens regnum Dei esse Ecclesiam Christianam, eamque esse viam ad regnum cœlorum, quod plenum et gloriosum est Dei regnum. Vide dicta cap. II, 40.

A MANE USQUE AD VESPERAM. — Fuit ergo hæc prolixa Pauli vel lectio, vel concio; sed nimirum de Christo loqui non satiabatur, in ejus prædicatione non fatigabatur; zelus et sitis salutis Judæorum omnem ei corporalis sitis et famis memoriam adimebat. Si enim mercatores in die nundinarum toto die negotiantur, et usque in noctem jejuni permanent, nec famem sentiunt, ob lucri terreni sitim, multo magis Paulus captans animarum lucra, omnis cibi, potus, laboris et fatigationis obliviscebatur.

25. UNUM VERBUM, — appositum, insigne et illustre. Sic de Fabio Maximo dixit Ennius : « Unus homo nobis cunctando restituit rem. » *Unus*, id est insignis et eximius.

26. AURE AUDIETIS. — Sunt verba *Isaiæ* VI, 9, ubi ea explicui : quare hic illa non repetam.

28. GENTIBUS MISSUM EST HOC SALUTARE DEI, — id est hæc salus Dei, puta Christus salvator, cujus Evangelium, gratiam et salutem ego prædico. Septuaginta enim, quos sequitur S. Paulus, hebr. ישועה *iesua*, id est salus vertunt σωτήριον, id est *salutare*, ut innuant salutem hanc esse Christum salvatorem. Ita S. Basilius, *in Psalm.* LXV, et S. Augustinus, lib. I *Contra advers. legis et Prophet.*, cap. XV.

29. QUÆSTIONEM, — ζήτησιν, id est *disquisitionem*, ob scrupulos de Christo, quos eis injecerat Paulus.

30. MANSIT AUTEM BIENNIO. — Ergo usque ad annum Christi 61, qui fuit Neronis quintus.

IN SUO CONDUCTO. — Ita lege cum Romanis, Græcis et Syris, *non conductu*, ut perperam aliqui legunt : *conducto*, scilicet hospitio et domo. Sic *conductum* substantive pro loco conducto, accipit Cicero, orat. *pro Cluentio*, dicens : « Solet enim extra portam aliquid habere conducti. » Unde Syrus vertit, *conduxit sibi Paulus domum, et fuit in ea duobus annis*. Domus hæc versa in ecclesiam, vocatur nunc *Diaconia S. Mariæ in via lata*, cui inscriptum est hoc fuisse hospitium S. Pauli, S. Lucæ, et postea S. Martialis; ac S. Lucam in eadem pinxisse imagines B. Virginis : ubi et Lucas hunc Actorum librum conscripsit et absolvit. Diaconia hæc vicina est Collegio Romano, in quo pariter hunc in Lucam commentarium, ejusdem ope et quasi vicini spiritu afflatus elucubravi.

31. PRÆDICANS, etc., CUM OMNI FIDUCIA, — μετὰ παῤῥησίας, id est *libertate, audacia, fiducia*. Verisimile est quod scribit Eusebius, lib. II *Histor.*, cap. XXII, Neronem primo imperii sui quinquennio lenem et facilem, apologiam Pauli clementer excepisse, præsertim quia quæstio hæc de Christo contra Judæos, quos ipse parvi faciebat, agebatur. Adde Paulum sibi conciliasse familiares Neronis. Sic enim de eo scribit S. Chrysostomus hic, *hom.* 54 : « Dicitur salutasse Neronis pocillatorem et concubinam, » quam Baronius et alii censent fuisse Poppæam Sabinam, de qua ita scribit Tacitus, lib. XIII : « Huic mulieri cuncta alia fuere præter honestum animum. Quippe mater ejus, ætatis suæ feminas pulchritudine supergressa, gloriam pariter et formam dederat. Opes claritudini generis sufficiebant : sermo comis, nec absurdum ingenium, modestiam præ se ferre et lascivia uti, rarus in publicum egressus, idque velata parte oris, ne satiaret aspectum, vel quia sic decebat. » Quocirca Paulus in primis hisce vinculis, plures e familia Neronis ad Christum convertit, de quibus ipse ait *Philip.* IV, 22 : « Salutant vos omnes Sancti, maxime qui de Cæsaris domo sunt. » Inter hos eminuere Torpes et Evellius, quos postea Nero sævior factus occidit et martyrio coronavit : ut Martyres enim ascripti leguntur *Martyrologio Romano*, die 11 et 27 maii.

Nota hic *primo* : Paulum in vinculis agentem Philippenses Christiani consolati sunt, mittentes ad eum Epaphroditum suum Episcopum cum pecunia, ut necessitatibus ejus subvenirent : quibus ipse gratias egit scripsitque epistolam *ad Philip.* Venit quoque Iconio ad eum Onesiphorus, ut ei ministraret, uti Paulus testatur II *Timoth.* I, 16. Nam Pauli comites omnes, excepto Luca, metuentes Neronem, eum dereliquerant, uti ipse ibidem ait cap. IV, 16. Sed Dominus ei astitit eumque confortavit. Ex vinculis quoque scripsit Paulus epistolam ad Colossenses, ad Ephesios, ad Philemonem, ad Timotheum. Unde illæ cæteris ardentiores, spirant martyrem et martyrium.

Nota *secundo* : Censet Baronius Neronem causam Pauli, quia sacra erat, et religionem spectabat, ad pontifices Romanos rejecisse; qui cum Gentiles essent, et Judæos odissent, Paulum ab eis accusatum absolverunt. Et hoc videtur innuere Paulus, *Philip.* I, 13, dicens vincula sua fidemque et prædicationem Christi, nota facta fuisse in omni prætorio.

Nota *tertio* : Olim Marsilius de Padua, tempore Joannis XXII Pontificis, scripsit librum, cujus titulus *Defensor pacis*, in quo contendit S. Paulum fuisse Episcopum Romæ, non S. Petrum, eo quod S. Lucas Paulum biennio Romæ versatum dicat, Petri vero non meminerit. Eum hoc sæculo secutus est Uldaricus Valenus aliique hæretici, qui impudenter negant S. Petrum Romæ fuisse; quem fuse refutat Bellarminus, lib. II *De Rom. Pontific.*, cap. I et sequentibus. Nam, ut alia taceam, ejus impudentiam refutat continua Ecclesiæ Romanæ et cæterarum omnium fides, et sæculorum omnium traditio; adhæc omnes Historici et Patres, quos operose citat Bellarminus. S. Petrus ergo fuit Romanus Episcopus, ac episcopatui Romano annexuit pontificatum totius Ecclesiæ, in eoque sibi sequentes Romanos Episcopos succedere voluit et sanxit, ut, quicumque eligeretur in Romanum Episcopum, is pariter esset Episcopus et Pontifex totius Ecclesiæ, uti a S. Petro hucusque, continua Episcoporum et Pontificum Romanorum successione factum esse constat. Paulus ergo Romæ in vinculis prædicando, Petrum in fundando Romano episcopatu et pontificatu adjuvit : eaque de causa S. Epiphanius, *hæres.* 27, Petrum et Paulum vocat Romanos Episcopos, quia scilicet uterque tanquam Apostolus Romanam Ecclesiam erexit, docuit, fundavit, ibique munia episcopalia exercuit : sed Petrus, ut proprius Romæ Episcopus; Paulus, ut Petri administer et adjutor, præsertim quia Romæ ex professo Paulus sedem non fixit, sed per accidens duntaxat, et quasi transiens, uti ipse Romanis scripserat cap. XV, 24, dicens : « Cum in Hispaniam proficisci cœpero, spero quod præteriens videam vos, et a vobis deducar illuc, si vobis primum ex parte fruitus fuero. »



Nota *quarto* : Lucas hic finit Acta Pauli in biennio vinculorum ejusdem, puta anno Christi 61, Neronis 5; quid deinde ab eo gestum sit, nec ipse, nec alius authentice conscripsit. Nam Acta Lini, quæ hæc conscribunt, de fide suspecta et apocrypha sunt. Illud constat, Paulum a Neronis vinculis fuisse solutum. Hoc enim ipse Paulus testatur, II *Tim.* IV, 17 : « Dominus, ait, mihi astitit, et confortavit me, ut per me prædicatio impleatur, et audiant omnes gentes, et liberatus sum de ore leonis, » id est Neronis. Ad quod juverunt litteræ Festi, præsidis Syriæ, quas ad Neronem de Paulo dedit, quibus utique significavit se nullum crimen in eo deprehendisse, nec Felicem, nec Lysiam. Causam aliam ex Tacito, lib. XIV, dat Baronius, anno Christi 61, in fine : Cum, ait, publica adulatione lætitia quoque publica omnium esset, ut de salute parta Imperatoris (ac forte ut suam crudelitatem specie humanitatis tegeret : eodem enim anno occidit Agrippinam matrem suam), fortasse ex ea causa accidit, ut Paulus in carcere jam insumpto biennio, una cum cæteris vinctis solutus vinculis liber juberetur abire.

Nota *quinto* : Patrum (quos citavi *Rom.* XV, 24) traditio est, Paulum vinculis solutum, inter alias provincias adiisse Hispaniam, uti proposuerat, *Rom.* XV, 24, ibique prædicasse, præsertim ut apud Hispanos jam quasi desertos suppleret locum S. Jacobi, ab Herode capite truncati. Nonnulla quæ ibi gessit sigillatim enarrat L. Dexter in *Chronico*, anno Christi 64 : « L. Annæus Seneca, ait, Cordubensis Hispanus, missis ultro citroque ad S. Paulum litteris, de Christiana re bene sentit, factusque Christianus, occultus ejus discipulus fuisse creditur, dulciterque scribit ad Paulum in Hispania morantem.

» S. Paulus ad Hispanias veniens secum fert Philemonem, Timotheum aliosque discipulos : Libysocæ Laminiique, urbibus provinciæ Arenatum prædicat; Philippum, cognomento Philotheum (quem anno Christi 91, asserit sepelisse corpora S. Gervasi et Protasii martyrum, suorum Mediolani), Probum, Xantippenq uxorem ad fidem convertit : presbyteros linquit.

» S. Paulus (Proconsul olim Cypri, *Act.* XIII, 7, conversus a S. Paulo), Narbonensis Episcopus, qui cum Paulo Apostolo venit in Hispaniam, ibidem prædicat. »

Et mox anno Christi 66 : « Sanctæ feminæ, virgines Basilissa et Anastasia, Hispanæ, ex urbe Setabi in Edetanis, secutæ sunt S. Paulum Apostolum, cujus et Petri corpora curantes, a Nerone Cæsare hujus rei gratia præclarem coronam (martyrii) obtinent.

» S. Paulus scripsit epistolam ad Hebræos Hispanos conversos. »

Et inferius, anno Christi 100, in Hispania discipulos Pauli nominat Xantippen, Polyxenam, M. Lupum, Philippum, Lucium, maritum Candidæ et martyrem, additque : « Floret Q. Marcella, M. Marcelli Romæ Præfecti filia, M. Marcelli Eugenii Toletanorum Pontificis soror, quam S. Paulus visis in ejus fronte aureis litteris, ad fidem Laminii convertit. Ejus mater Claudia Xantippe, civis Romana, fuit corpore super justam staturam procero, in quam jocatur Martialis. » Hæc ille, de cujus fide dixi in fine Chronotaxeos. Illi adstipulantur alii. Nam *Martyrologium Romanum*, die 15 septembris, asserit Paulum eundem in Hispanias, duxisse secum Paulum, olim Proconsulem Cypri, eumque Narbonæ reliquisse Episcopum. Addit Ado in *Chronico*, anno Christi 59, Paulum reliquisse Trophimum Arelate, Viennæ vero Crescentem. *Menologium Græcorum*, die 25 septembris, tradit Xantippen et Polyxenam in Hispania a Paulo ad Christum esse conversas. Idem tradit Metaphrastes in *Vita S. Pauli*, additque cum Isidoro et aliis, eum per Italiam et Franciam evangelizasse. Adjungunt Hispani et Græci Interpretes S. Dionysii, Hierotheum, quem ut virum divinum suumque magistrum celebrat Dionysius Areopagita, lib. *De Divinis Nomin.*, cap. III, fuisse Hispanum, et a S. Paulo ad Christum conversum. Quocirca Lucianus, Christi, Pauli et Christianismi irrisor, ita Paulum quasi cœlestem et cœlitem pingit in *Philopatro* : « Quando autem me Galilæus ille convenit recalvaster, naso aquilino, qui in tertium usque cœlum per aerem ingressus est, quæ optima et pulcherrima sunt, inde didicit; per aquam nos renovavit, in beatorum vestigia insistere fecit, et ex impiorum regionibus nos reduxit. »

Hisce consentit Sophronius, Patriarcha Hierosolymitanus, quem citat Salmeron hic, *tract.* 59, qui asserit Xantippen vidisse in fronte Pauli inscripta hæc verba, « Paulus Apostolus prædicator Christi; » quo viso eum audiisse, et Christi fidem cum marito Probo suscepisse. Et S. Anselmus, *in epist. ad Rom.*, cap. XV, asserens Paulum in Hispania prædicasse, subjungit : « Pervenit igitur usque ad Hispanias, et a mari Rubro usque ad Oceanum

prædicando cucurrit, imitans solis cursum ab Oriente usque ad Occasum, ut ante ei terra deficeret, quam studium prædicandi. » Hinc Dertosensis Ecclesia in Hispania agnoscit et celebrat primum suum Episcopum Rufum, filium Simonis Cyrenensis bajulantis crucem Christi, quem Paulus veniens in Hispaniam secum adduxit. Addit probatque Salmeron, tom. XII, *tract.* 50, Paulum post prima vincula visitasse Syriam, Asiam, Macedoniam, Græciam. Paulus enim, *ad Hebr.* cap. ult., scribens e vinculis : « Cognoscite, inquit, fratrem nostrum Timotheum dimissum, cum quo si celerius venerit, videbo vos. » Et *ad Philip.* II, 24 : « Confido in Domino, quoniam et ipse veniam ad vos cito. » Et *ad Philem.*; vers. 22 : « Para mihi hospitium : nam spero per orationes vestras donari me vobis. » Ita Theophylactus, præfat. *in epist. ad Hebr.*; Œcumenius *in cap.* XV *Rom.*, et alii.

Nota *sexto* : Paulus e primis hisce vinculis dimissus, vixit adhuc 8 annos, quibus Hispanias aliasque provincias evangelizando peregravit : quibus exactis Romam rediens, certansque cum S. Petro contra Simonem Magum et Neronem, ab ipso, eo quod pellicem a se ad Christum traduxisset, damnatus gladioque percussus, gloriosum Apostolatum gloriosiore martyrio coronavit anno Christi 69, Neronis 13, die 29 junii : sed illico Neronem persecuta est divina tam sancti effusi sanguinis ultio. Nam anno sequenti, eodem mense junio, die decima, qua olim Octaviam uxorem occiderat, a senatu proscriptus quæsitusque ad necem, ex desperatione semetipsum confodit anno ætatis 32. Ita Suetonius, Dio et alii in ejus Vita.

Moraliter S. Chrysostomus hic, *homilia* 54, docet Paulum et fideles per vincula, adversitates et tentationes gloriosiores fieri : « Perinde enim esse, ac si quis calamo prælietur contra ignem. Hic enim ignem videtur verberare, sed ignis clarior fit, et calamus consumitur. Alimentum enim et fomes claritudinis est malitia virtuti. Injustitia, quando ut opus fuerit utitur Deus, res nostras clariores reddit. Iterum quando diabolus operatur tale quiddam, clariores facit sustinentes; » uti Pharao persequendo Mosen et Hebræos, eos illustriores effecit; et diabolus affligendo S. Job, ejus patientiam celebravit. « Gymnasium ergo philosophiæ ac eos virtutis sunt afflictiones et curæ. » Probat id exemplis et similitudinibus. « Ea propter, ait, pauperes divitibus sunt sapientiores, utpote multis fluctibus vexati et exerciti. Nam corpus quod otiosum est et immobile, morbis magis obnoxium et fœdum est; quod autem movetur et laborat, et ærumnis exercetur, formosius est et sanius. Hoc etiam in anima reperire licet. Et ferrum quidem si jaceat, corrumpitur; si exerceatur autem, splendet. Et similiter anima quæ movetur. Motio autem animæ, curæ ipsæ; et artes ipsæ pereunt, si non moveatur anima. Fortes nos faciunt contraria. » Idem, *hom.* 15 : « Suscepit, inquit, illum (Paulum) Roma vinctum a mari venientem, ex naufragio servatum, et liberata est ab errorum naufragio; sicut rex quidam post navalem pugnam et victoriam, in regalissimam istam aulam ascendit. Suscepit illum Roma vinctum, et vidit coronatum ac celebratum. Hoc autem initium cursus iterum erat, et triumphos triumphis inexpugnabiles conjunxit. » Et mox : « Cœlum erat ille (imo omnibus cœlis sublimior), solem habens justitiæ. Cui comparaverit quis illius verba? mari vel Oceano? Sed nihil par est : illo sunt verba ejus copiosiora, puriora et profundiora; et sic non peccarit quis, si cor Pauli mare etiam ac cœlum dixerit, cum ob puritatem, tum ob profunditatem. Mare est, navigantes non a civitate in civitatem, sed a terra in cœlum vehens. Si quis in hoc mari navigaverit, secunda aura navigat. Non est in hoc mari ventus, sed pro vento est Spiritus Sanctus, qui in illo navigantes animas vehit. Mare est portu tranquillius et securius, nihil habens salsum; sed dulcem ac purum laticem, sole limpidiorem et magis perspicuum, » etc. Ac Paulum vocans « os igneum, » concludensque, ait : « Æmulemur Paulum, et imitemur fortem illam ac adamantinam animam, ut per vestigia eorum, qui sic vixerunt euntes, possimus vitæ istius pelagus pernavigare, et in portum sine fluctibus pervenire, bonaque diligentibus Deum promissa assequi, gratia et humanitate Domini nostri Jesu Christi, cum quo Patri simul ac Sancto Spiritui gloria, imperium, honor nunc et semper, et in sæcula sæculorum. Amen. »

VIVE ÆTERNITATI.

Perpetuam sempiternæ gloriæ curam habe.

**S. Gregorius Nazianzenus in *Sententiis*.**

---

# INDEX

# LOCORUM SACRÆ SCRIPTURÆ

## QUÆ HISCE IN ACTA APOSTOLORUM COMMENTARIIS EXPLICANTUR ET ILLUSTRANTUR.

***Prior** numerus paginam, secundus columnam indicat; si unicus tantum occurrat numerus, ad præcedentem referri indicio est.*

EX GENESI.

*Cap.* XII, *vers.* 1. Exi de terra tua et de cognatione tua, 173, 1.
XIV, 23. A filo subtegminis usque ad corrigiam caligæ, non accipiam, 264, 1.
XLIX, 5. Vasa iniquitatis bellantia, 216, 1.

EX EXODO.

*Cap.* VII, *vers.* 1. Ecce constitui te Deum Pharaonis, 290, 1.
XXII, 28. Diis non detrahes, 360, 2.
XXXIII, 19. Ostendam tibi omne bonum, 366, 2.

EX LEVITICO.

*Cap.* XIII, *vers.* 11. Contaminabit eum sacerdos, 338, 1.

EX DEUTERONOMIO.

*Cap.* XVIII, *vers.* 19. Ego ultor existam, 121, 2.
XXIII, 17. Non erit meretrix de filiabus Israel, 155, 1.
XXXI, 2. Non possum ultra egredi et ingredi, 70, 1.
XXXIII, 3. Qui appropinquant pedibus ejus, accipient de doctrina illius, 387, 1.

EX LIBRO JUDICUM.

*Cap.* XIV, *vers.* 6. Irruit Spiritus Domini in Samson, 135, 2.

EX LIBRIS REGUM.

*Lib.* III *Reg.*, *cap.* XV, *vers.* 5. Excepto sermone Uriæ Hethæi, 281, 1.
*Lib.* III *Reg.* XVII, 1. Vivit Dominus, in cujus conspectu sto, 98, 1.

EX LIBRO II PARALIPOMENON.

*Cap.* I, *vers.* 10. Ut ingrediar coram populo tuo, 70, 1.

EX LIBRO II ESDRÆ.

*Cap.* XI, *vers.* 22. Episcopus Levitarum, 69, 2.

EX LIBRO TOBIÆ.

*Cap.* XII, *vers.* 19. Videbar quidem vobiscum manducare et bibere; sed ego cibo, etc., 51, 2.

EX PSALMIS.

*Psal.* II, 1. Quare fremuerunt Gentes, et populi meditati sunt inania, 130, 1, 2. Convenerunt in unum adversus Dominum, etc., *ibid.*
— 7. Filius meus es tu, ego hodie genui te, 282, 1, 2.
IV, 6. Quis ostendit nobis bona? 218, 1.
VII, 14. Et in eo paravit vasa mortis, 216, 1.
XV, 8. Quoniam a dextris est mihi, ne commovear : et caro mea requiescet in spe, 98, 1, 2.
— 10. Quoniam non derelinques animam meam in inferno, nec dabis sanctum tuum videre corruptionem, 98, 2; 283, 1.
— 11. Notas mihi fecisti vias vitæ, 99, 1.
— — Adimplebis me lætitia cum vultu tuo, 100, 1.
XVII, 5. Circumdederunt me dolores mortis, 97, 2.
LIX, 5. Ostendisti populo tuo dura, 218, 1.
LXVII, 32. Æthiopia præveniet manus ejus Deo, 203, 2.
LXVIII, 26. Fiat habitatio eorum deserta, 70, 2.
LXX, 20. Quantas ostendisti mihi tribulationes, 218, 1.
CVIII, 6. Constitue super eum peccatorem, 69, 2.
— — Diabolus stet a dextris ejus, cum judicatur, exeat condemnatus : oratio ejus fiat in peccatum : fiant dies ejus pauci, et episcopatum ejus accipiat alter, 69, 2.
CIX, 1. Dixit Dominus Domino meo : Sede a dextris meis, 100, 1.
*Ibid.* Donec ponam inimicos tuos scabellum, *ibid.*
CXI, 9. Justitia ejus manet in sæculum sæculi, 340, 1.
CXVII, 22. Lapidem quem reprobaverunt ædificantes, hic factus est in caput anguli, 127, 2.
CXVIII, 74. Qui timent te, videbunt me, et lætabuntur, 115, 2.
— 109. Anima mea in manibus meis semper, 304, 1; 368, 1.
— 124. Et tuas justificationes doce me, 129, 1.
CXXV, 1. In convertendo Dominus captivitatem Sion, facti sumus sicut consolati, 153, 2.
CXXVIII, 1. Sæpe expugnaverunt me a juventute mea, 221, 2.
CXXXI, 3. Si introiero in tabernaculum domus meæ, etc., 177, 2.

EX LIBRO PROVERBIORUM.

*Cap.* III, *vers.* 9. Honora Deum de tua substantia, 858, 2.
XVIII, 10. Turris fortissima, nomen Domini, 128, 2; 304, 2.

EX ECCLESIASTE.

*Cap.* XII, *vers.* 13. Hoc est enim omnis homo, 372, 1.

EX LIBRO SAPIENTIÆ.

*Cap.* VIII, *vers.* 12. Manus ori suo imponent, 198, 1.
XI, 23. Momentum stateræ, 53, 1.

EX ECCLESIASTICO.

*Cap.* XVII, 24. Sta in sorte propositionis et orationis altissimi Dei, 72, 1.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ®
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

prædicando cucurrit, imitans solis cursum ab Oriente usque ad Occasum, ut ante ei terra deficeret, quam studium prædicandi. » Hinc Dertosensis Ecclesia in Hispania agnoscit et celebrat primum suum Episcopum Rufum, filium Simonis Cyrenensis bajulantis crucem Christi, quem Paulus veniens in Hispaniam secum adduxit. Addit probatque Salmeron, tom. XII, *tract.* 50, Paulum post prima vincula visitasse Syriam, Asiam, Macedoniam, Græciam. Paulus enim, *ad Hebr.* cap. ult., scribens e vinculis : « Cognoscite, inquit, fratrem nostrum Timotheum dimissum, cum quo si celerius venerit, videbo vos. » Et *ad Philip.* II, 24 : « Confido in Domino, quoniam et ipse veniam ad vos cito. » Et *ad Philem.*; vers. 22 : « Para mihi hospitium : nam spero per orationes vestras donari me vobis. » Ita Theophylactus, præfat. *in epist. ad Hebr.*; Œcumenius *in cap.* XV *Rom.*, et alii.

Nota *sexto* : Paulus e primis hisce vinculis dimissus, vixit adhuc 8 annos, quibus Hispanias aliasque provincias evangelizando peragravit : quibus exactis Romam rediens, certansque cum S. Petro contra Simonem Magum et Neronem, ab ipso, eo quod pellicem a se ad Christum traduxisset, damnatus gladioque percussus, gloriosum Apostolatum gloriosiore martyrio coronavit anno Christi 69, Neronis 13, die 29 junii : sed illico Neronem persecuta est divina tam sancti effusi sanguinis ultio. Nam anno sequenti, eodem mense junio, die decima, qua olim Octaviam uxorem occiderat, a senatu proscriptus quæsitusque ad necem, ex desperatione semetipsum confodit anno ætatis 32. Ita Suetonius, Dio et alii in ejus Vita.

Moraliter S. Chrysostomus hic, *homilia* 54, docet Paulum et fideles per vincula, adversitates et tentationes gloriosiores fieri : « Perinde enim esse, ac si quis calamo prælietur contra ignem. Hic enim ignem videtur verberare, sed ignis clarior fit, et calamus consumitur. Alimentum enim et fomes claritudinis est malitia virtuti. Injustitia, quando ut opus fuerit utitur Deus, res nostras clariores reddit. Iterum quando diabolus operatur tale quiddam, clariores facit sustinentes; » uti Pharao persequendo Mosen et Hebræos, eos illustriores effecit; et diabolus affligendo S. Job, ejus patientiam celebravit. « Gymnasium ergo philosophiæ ac cos virtutis sunt afflictiones et curæ. » Probat id exemplis et similitudinibus. « Ea propter, ait, pauperes divitibus sunt sapientiores, utpote multis fluctibus vexati et exerciti. Nam corpus quod otiosum est et immobile, morbis magis obnoxium et fœdum est; quod autem movetur et laborat, et ærumnis exercetur, formosius est et sanius. Hoc etiam in anima reperire licet. Et ferrum quidem si jaceat, corrumpitur; si exerceatur autem, splendet. Et similiter anima quæ movetur. Motio autem animæ, curæ ipsæ; et artes ipsæ pereunt, si non moveatur anima. Fortes nos faciunt contraria. » Idem, *hom.* 15 : « Suscepit, inquit, illum (Paulum) Roma vinctum a mari venientem, ex naufragio servatum, et liberata est ab errorum naufragio; sicut rex quidam post navalem pugnam et victoriam, in regalissimam istam aulam ascendit. Suscepit illum Roma vinctum, et vidit coronatum ac celebratum. Hoc autem initium cursus iterum erat, et triumphos triumphis inexpugnabiles conjunxit. » Et mox : « Cœlum erat ille (imo omnibus cœlis sublimior), solem habens justitiæ. Cui comparaverit quis illius verba? mari vel Oceano? Sed nihil par est : illo sunt verba ejus copiosiora, puriora et profundiora; et sic non peccarit quis, si cor Pauli mare etiam ac cœlum dixerit, cum ob puritatem, tum ob profunditatem. Mare est, navigantes non a civitate in civitatem, sed a terra in cœlum vehens. Si quis in hoc mari navigaverit, secunda aura navigat. Non est in hoc mari ventus, sed pro vento est Spiritus Sanctus, qui in illo navigantes animas vehit. Mare est portu tranquillius et securius, nihil habens salsum; sed dulcem ac purum laticem, sole limpidiorem et magis perspicuum, » etc. Ac Paulum vocans « os igneum, » concludensque, ait : « Æmulemur Paulum, et imitemur fortem illam ac adamantinam animam, ut per vestigia eorum, qui sic vixerunt euntes, possimus vitæ istius pelagus pernavigare, et in portum sine fluctibus pervenire, bonaque diligentibus Deum promissa assequi, gratia et humanitate Domini nostri Jesu Christi, cum quo Patri simul ac Sancto Spiritui gloria, imperium, honor nunc et semper, et in sæcula sæculorum. Amen. »

VIVE ÆTERNITATI.

Perpetuam sempiternæ gloriæ curam habe.

**S. Gregorius Nazianzenus in *Sententiis*.**

# INDEX
# LOCORUM SACRÆ SCRIPTURÆ
## QUÆ HISCE IN ACTA APOSTOLORUM COMMENTARIIS EXPLICANTUR
### ET ILLUSTRANTUR.

*Prior numerus paginam, secundus columnam indicat; si unicus tantum occurrat numerus, ad præcedentem referri indicio est.*


EX GENESI.

*Cap.* XII, *vers.* 1. Exi de terra tua et de cognatione tua, 173, 1.
XIV, 23. A filo subtegminis usque ad corrigiam caligæ, non accipiam, 264, 1.
XLIX, 5. Vasa iniquitatis bellantia, 216, 1.

EX EXODO.

*Cap.* VII, *vers.* 1. Ecce constitui te Deum Pharaonis, 290, 1.
XXII, 28. Diis non detrahes, 360, 2.
XXXIII, 19. Ostendam tibi omne bonum, 366, 2.

EX LEVITICO.

*Cap.* XIII, *vers.* 44. Contaminabit eum sacerdos, 338, 1.

EX DEUTERONOMIO.

*Cap.* XVIII, *vers.* 19. Ego ultor existam, 121, 2.
XXIII, 17. Non erit meretrix de filiabus Israel, 155, 1.
XXXI, 2. Non possum ultra egredi et ingredi, 70, 1.
XXXIII, 3. Qui appropinquant pedibus ejus, accipient de doctrina illius, 337, 1.

EX LIBRO JUDICUM.

*Cap.* XIV, *vers.* 6. Irruit Spiritus Domini in Samson, 135, 2.

EX LIBRIS REGUM.

*Lib.* III *Reg., cap.* XV, *vers.* 5. Excepto sermone Uriæ Hethæi, 281, 1.
*Lib.* III *Reg.* XVII, 1. Vivit Dominus, in cujus conspectu etc, 96, 1.

EX LIBRO II PARALIPOMENON.

*Cap.* I, *vers.* 10. Ut ingrediar coram populo tuo, 70, 1.

EX LIBRO II ESDRÆ.

*Cap.* XI, *vers.* 22. Episcopus Levitarum, 69, 2.

EX LIBRO TOBIÆ.

*Cap.* XII, *vers.* 19. Videbar quidem vobiscum manducare et bibere; sed ego cibo, etc., 51, 2.

EX PSALMIS.

*Psal.* II, 1. Quare fremuerunt Gentes, et populi meditati sunt inania, 130, 1, 2. Convenerunt in unum adversus Dominum, etc., *ibid.*
— 7. Filius meus es tu, ego hodie genui te, 232, 1, 2.
IV, 6. Quis ostendit nobis bona? 218, 1.
VII, 14. Et in eo paravit vasa mortis, 216, 1.
XV, 8. Quoniam a dextris est mihi, ne commovear : et caro mea requiescet in spe, 98, 1, 2.
— 10. Quoniam non derelinques animam meam in inferno, nec dabis sanctum tuum videre corruptionem, 98, 2; 233, 1.
— 11. Notas mihi fecisti vias vitæ, 99, 1.
— — Adimplebis me lætitia cum vultu tuo, 100, 1.
XVII, 5. Circumdederunt me dolores mortis, 97, 2.
LIX, 5. Ostendisti populo tuo dura, 218, 1.
LXVII, 32. Æthiopia præveniet manus ejus Deo, 193, 2.
LXVIII, 26. Fiat habitatio eorum deserta, 70, 2.
LXX, 20. Quantas ostendisti mihi tribulationes, 218, 1.
CVIII, 6. Constitue super eum peccatorem, 69, 2.
— — Diabolus stet a dextris ejus, cum judicatur, exeat condemnatus : oratio ejus fiat in peccatum : fiant dies ejus pauci, et episcopatum ejus accipiat alter, 69, 2.
CIX, 1. Dixit Dominus Domino meo : Sede a dextris meis, 100, 1.
*Ibid.* Donec ponam inimicos tuos scabellum, *ibid.*
CXI, 9. Justitia ejus manet in sæculum sæculi, 140, 1.
CXVII, 22. Lapidem quem reprobaverunt ædificantes, hic factus est in caput anguli, 127, 2.
CXVIII, 74. Qui timent te, videbunt me, et lætabuntur, 115, 2.
— 109. Anima mea in manibus meis semper, 304, 1; 368, 1.
— 124. Et tuas justificationes doce me, 129, 1.
CXXV, 1. In convertendo Dominus captivitatem Sion, facti sumus sicut consolati, 153, 2.
CXXVIII, 1. Sæpe expugnaverunt me a juventute mea, 221, 2.
CXXXI, 3. Si introiero in tabernaculum domus meæ, etc., 177, 2.

EX LIBRO PROVERBIORUM.

*Cap.* III, *vers.* 9. Honora Deum de tua substantia, 358, 2.
XVIII, 10. Turris fortissima, nomen Domini, 128, 2; 304, 2.

EX ECCLESIASTE.

*Cap.* XII, *vers.* 13. Hoc est enim omnis homo, 379, 1.

EX LIBRO SAPIENTIÆ.

*Cap.* VIII, *vers.* 12. Manus ori suo imponent, 198, 1.
XI, 23. Momentum stateræ, 53, 1.

EX ECCLESIASTICO.

*Cap.* XVII, 24. Sta in sorte propositionis et orationis altissimi Dei, 72, 1.


UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ®
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

Cap. XVII, vers. 25. In partes vade sæculi sancti, 75, 2.
XX, 20. Qui operatur justitiam, ipse exaltabitur, 240, 1.
XLVI, 18. Ossa ipsius visitata sunt, et post mortem prophetaverunt, 68, 1.

EX ISAIA.

Cap. XVIII, vers. 2. Ite, angeli veloces, ad gentem convulsam et dilaceratam, 263, 2.
XLIX, 3. Servus meus es tu Israel, 173, 1.
— 6. Dedi te in lucem Gentium, 384, 1.
LIII, 7. In humilitate judicium ejus sublatum est, 68, 1.
LV, 3. Misericordias David fideles, 283, 1.
LXVI, 1. Quis est iste locus quietis meæ? 176, 1.

EX JEREMIA.

Cap. XXV, vers. 12. Cum impleti fuerint septuaginta anni, 76, 1.

EX EZECHIELE.

Cap. XXXIV, vers. 23. Suscitabo super eas servum meum David, 174, 2.

EX DANIELE.

Cap. III, 44. Confundantur omnes qui ostendunt servis tuis mala, 218, 1.

EX AMOS.

Cap. VI, vers. 5. Putaverunt se habere vasa cantici, 216, 1.

EX ZACHARIA.

Cap. III, vers. 1. Satan stabat a dextris ejus, ut adversaretur ei, 146, 1.

EX S. MATTHÆO.

Cap. I, 25. Non cognoscebat eam, donec peperit filium suum, 101, 2.
III, 15. Sic enim decet nos implere omnem justitiam, 366, 2.
— 16. Vidit Spiritum Dei descendentem sicut columbam, 83, 1.
VI, 13. Et ne nos inducas in tentationem, 145, 2.
IX, 8. Timuerunt turbæ, 106, 1.
X, 16. Estote simplices sicut columbæ, et prudentes sicut serpentes, 109, 2.
XI, 23. Forte mansissent usque in hanc diem, 201, 2.
XVI, 23. Vade post me, Satana, 146, 1.
XXVI, 8. Discipuli indignati sunt, dicentes 175, 1.

EX S. LUCA.

Cap. II, 22. Postquam impleti sunt dies purgationis ejus, 76, 1.
Cap. V, 26. Apprehendit omnes stupor, 66, 1.
VII, 38. Stans retro secus pedes ejus, 214, 2.
XXIV, 50. Elevatis manibus suis benedixit eis, 57, 2.

EX S. JOANNE.

Cap. I, vers. 14. Vidimus gloriam ejus quasi Unigeniti, 82, 1.
— 21. Elias es tu? 101, 1.
IV, 20. Patres nostri in monte hoc adoraverunt, 201, 1.
VI, 71. Ex vobis unus diabolus est, 272, 1.
XIV, 16. Ego rogabo Patrem, et alium Paraclitum dabit vobis, 53, 1.
— 23. Mansionem apud eum faciemus, 86, 1.
XVII, 3. Hæc est autem vita æterna, ut cognoscant te solum verum Deum, 235, 1.

EX EPISTOLIS S. PAULI.

Rom. cap. XV, vers. 8. Christus est minister circumcisionis, 122, 1.
I Corinth. X, 17. Quoniam unus panis, unum corpus multi sumus, omnes qui de uno pane participamus, 104, 2.
I Corinth. XIII, 13. Major autem horum est charitas, 407, 1.
I Corinth. XV, 32. (Si secundum hominem) ad bestias Ephesi pugnavi, 352, 1, 2.
I Corinth. XVI, 8. Permanebo Ephesi usque ad Pentecosten, 351, 2.
II Corinth. III, 9. Si ministratio damnationis gloria est, multo magis, etc., 168, 1.
Philip. II, 17. Sed et si immolor super sacrificium et obsequium fidei, 37, 2.
I Tim. IV, 14. Quæ data est tibi cum impositione manuum presbyterii, 295, 1.
Hebr. XI, 33. Sancti per fidem operati sunt justitiam, 240, 1.
XI, 37. Secti sunt, tentati sunt, 307, 1, 2.

EX EPISTOLIS CANONICIS.

Jacob. cap. I, vers. 2. Cum in varias tentationes incideritis, 369, 1.
I Petri. V, 5. Omnes invicem humilitatem insinuate, 316, 1.
I Joan. III, 15. Omnis homicida non habet vitam æternam, 272, 2.

EX APOCALYPSI.

Apoc. cap. III, vers. 4. Habes pauca nomina in Sardis 66, 2.


# INDEX
# RERUM ET VERBORUM
## MEMORABILIUM,
### QUÆ HIS IN ACTA APOSTOLORUM COMMENTARIIS CONTINENTUR.

## A.


Aaron vitulum aureum fieri permittens, an excusari valeat, 176, 1.
Abraham quomodo in Chanaan non passum pedis possedisse dicatur, cum tamen haberet ibi sepulcrum, 172, 2. a quo sepulcrum emerit, an a filiis Hemor, an ab Ephron, 174, 1.
Abrahamus Eremita patientia sua Paganos convertit, 294, 1, 2. qua industria neptem ad meliorem frugem reduxerit, 315, 2.
Abyssini in templis nunquam sedent, 112, 1. quotidie in Missa communicant, 105, 2 et seqq. eorum Antistites cum cruce vas cinerum præferri curant, 234, 2.
Accipiter est Dei symbolum, 328, 1, 2.
Acilius Glabrio, consul Romæ, martyrio afficitur, 10, 2.
Actiones ad omnes Deus concurrit, 334, 2. in actionibus oportet esse providum, 267, 1.
Actorum (libri) Apostolicorum quod sit argumentum: est Evangelium Spiritus Sancti, 39, 2; 40, 1. ejus nomen est actus, 39, 2. quot annorum gesta contineat, 40, 1, duæ ejus partes, ibid. ejus interpretes, 2. ejus scopus et finis, ibid. docet præ cæteris Christi nostramque resurrectionem, 41, 1. Acta sub quibus Imperatoribus contigerint, 251, 2.
Actum an cum Deus præscit, necessario ille fieri debeat, 95, 2. actus liber spectatur ut est in fieri et ut in facto esse, 96, 1.
Adolescentia quot annos comprehendat, 184, 2.
Adoratio varios actus et species complectitur, 404, 2.
Adoratio civilis et religiosa in quo consistat, 238, 1, 2.
Adria mare unde dictum, et quod sit, 439, 2.
Adrumetum urbs est in Africa, 424, 2.
Adulatio quam frequens in aulis, et quantum malum, 271, 1.
Ædes (quas) Dianæ effingeret Demetrius argentarius, 357, 2.
Ægyptii impostura celebres, 385, 1.
Ælamitæ sunt duplices, 91, 1.
Æqualitas origo est concordiæ, 160, 2.
Æris Corinthii præstantia, 314, 2.
Ætati cuique tempus est a Deo assignatum, 329, 1.
Æthiops a quo ad fidem Christi conversus, 263, 2 et seqq.
Æthiopes magnam habebant cum Judæis familiaritatem, et in religione consensionem, ibid. olim regebantur a feminis, 263, 1.
Africa civitas dedit nomen provinciæ toti, 91, 1.
Africus quis sit ventus, 426, 1. unde dictus, ibid., 2. est procellosus, ibid.
Agabus propheta relatus inter Sanctos: unde nomen id derivetur, 233, 1. an Paulo, an sibi pedes et manus alligarit, 379, 1.
Agape erat mensa sacra, quomodo, 102, 2. celebrabatur post Eucharistiam, 105, 1.
Agatha S. cur sit patrona Melitensium, 425, 2.
Ager e Judæ argenteis emptus cur dictus sit sanguinis, 69, 1.
Agni occisi nomine cur intelligatur Christus, 133, 1.
Agones capitolini quando numerari cœpti, 10, 1.
Agrippa vox unde formata, et qui dicti Agrippæ, 414, 1, 2.
Agrippa rex. — Vide Herodes.
M. Agrippæ morbi et invaletudo, 414, 2.
Agrippina quando Coloniam in Ubios duxerit, 4, 2. ejus mors, 6, 2.
Alexander Alabarcha Alexandrinus quis, 126, 1.
Alexander Carbonarius factus est episcopus et martyr, 31, 1.
Alexandri Magni symbolum fulgur est, 34, 1, 2.
Alexander adversus quem Ephesi tumultuantes clamarunt, quis fuerit, 359, 2.
Alexandrinæ Ecclesiæ Catechistæ qui, 32, 1.
Alfonsus, Aragonum rex, astrologos cur detestaretur, 356, 2. in Alvarum Lunam ingratum cur beneficus esset, 389, 1.
B. Aloysius Gonzaga vultu et moribus erat Angelicus, 169, 2.
Amantes habent unum cor et animam, 132, 1.
Ambitio est fons hæresum, 371, 2.
S. Ambrosii facilitas in aliorum rebus audiendis, 309, 1.
Amor in Christum commendatur, 119, 1. amoris divini effectus, 92, 2 et seq. ejus effectus, 19, 1. amor a rebus terrenis avocandus, 96, 2.
Amphipolis quæ sit civitas, 315, 1.
Amphitheatrum Titi Romæ etiamnum superest, 9, 2.
Ampulla chrismatis ab angelis, ne frangeretur, excepta fuit, 199, 1.
Anabaptistarum error circa bonorum possessionem, 108, 1. hi quomodo in Moravia in communi agant, 108, 2.
Anachoretæ in desertis similes fuere Silæ, cur, 321, 1.
Ἀνάκρισις est verbum forense, 270, 1.
Ananias baptizans Paulum, quis fuerit: ejus martyrium, 215, 1. cur manus Paulo imposuerit, 219, 1. cur cum eo vincto Cæsaream venerit, 402, 2.
Ananias et Sapphira, quid proprie vox sonet, 141, 1. an fecerint votum paupertatis, ibid. quomodo fraudarint de pretio agri, 143, 2 et seq. mentiuntur Spiritui Sancto, 146, 1. vendiderunt agrum ante votum, 146, 2; 147, 1. eorum peccatum erat sacrilegium, ibid. quomodo sint mortui, 147, 2. an sint damnati, et cur occisi, ibid.




UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

Cap. XVII, vers. 25. In partes vade sæculi sancti, 75, 2.
XX, 20. Qui operatur justitiam, ipse exaltabitur, 240, 1.
XLVI, 18. Ossa ipsius visitata sunt, et post mortem prophetaverunt, 68, 1.

EX ISAIA.

Cap. XVIII, vers. 2. Ite, angeli veloces, ad gentem convulsam et dilaceratam, 263, 2.
XLIX, 3. Servus meus es tu Israel, 173, 1.
— 6. Dedi te in lucem Gentium, 384, 1.
LIII, 7. In humilitate judicium ejus sublatum est, 68, 1.
LV, 3. Misericordias David fideles, 183, 1.
LXVI. 1. Quis est iste locus quietis meæ? 176, 1.

EX JEREMIA.

Cap. XXV, vers. 12. Cum impleti fuerint septuaginta anni, 76, 1.

EX EZECHIELE.

Cap. XXXIV, vers. 23. Suscitabo super eas servum meum David, 174, 2.

EX DANIELE.

Cap. III, 44. Confundantur omnes qui ostendunt servis tuis mala, 218, 1.

EX AMOS.

Cap. VI, vers. 5. Putaverunt se habere vasa cantici, 216, 1.

EX ZACHARIA.

Cap. III, vers. 1. Satan stabat a dextris ejus, ut adversaretur ei, 146, 1.

EX S. MATTHÆO.

Cap. I, 25. Non cognoscebat eam, donec peperit filium suum, 101, 2.
III, 15. Sic enim decet nos implere omnem justitiam, 366, 2.
— 16. Vidit Spiritum Dei descendentem sicut columbam, 83, 1.
VI, 13. Et ne nos inducas in tentationem, 145, 2.
IX, 8. Timuerunt turbæ, 106, 1.
X, 16. Estote simplices sicut columbæ, et prudentes sicut serpentes, 109, 2.
XI, 23. Forte mansissent usque in hanc diem, 201, 2.
XVI, 23 Vade post me, Satana, 146, 1.
XXVI, 8. Discipuli indignati sunt, dicentes 175, 1.

EX S. LUCA.

Cap. II, 22. Postquam impleti sunt dies purgationis ejus, 76, 1.
Cap. V, 26. Apprehendit omnes stupor, 96, 1.
VII, 38. Stans retro secus pedes ejus, 214, 2.
XXIV, 50. Elevatis manibus suis benedixit eis, 57, 2.

EX S. JOANNE.

Cap. I, vers. 14. Vidimus gloriam ejus quasi Unigeniti, 82, 1.
— 21. Elias es tu? 101, 1.
IV, 20. Patres nostri in monte hoc adoraverunt, 201, 1.
VI, 71. Ex vobis unus diabolus est, 272, 1.
XIV, 16. Ego rogabo Patrem, et alium Paraclitum dabit vobis, 53, 1.
— 23. Mansionem apud eum faciemus, 86, 1.
XVII, 3. Hæc est autem vita æterna, ut cognoscant te solum verum Deum, 233, 1.

EX EPISTOLIS S. PAULI.

Rom. cap. XV, vers. 8. Christus est minister circumcisionis, 122, 1.
I Corinth. X, 17. Quoniam unus panis, unum corpus multi sumus, omnes qui de uno pane participamus, 104, 2.
I Corinth. XIII, 13. Major autem horum est charitas, 407, 1.
I Corinth. XV, 32. (Si secundum hominem) ad bestias Ephesi pugnavi, 352, 1, 2.
I Corinth. XVI, 8. Permanebo Ephesi usque ad Pentecosten, 351, 2.
II Corinth. III, 9. Si ministratio damnationis gloria est, multo magis, etc., 168, 1.
Philip. II, 17. Sed et si immolar super sacrificium et obsequium fidei, 37, 2.
I Tim. IV, 14. Quæ data est tibi cum impositione manuum presbyterii, 295, 1.
Hebr. XI, 33. Sancti per fidem operati sunt justitiam, 240, 1.
XI, 37. Secti sunt, tentati sunt, 367, 1, 2.

EX EPISTOLIS CANONICIS.

Jacob. cap. I, vers. 2. Cum in varias tentationes incideritis, 369, 1.
I Petri. V, 5. Omnes invicem humilitatem insinuate, 316, 1.
I Joan. III, 15. Omnis homicida non habet vitam æternam, 272, 2.

EX APOCALYPSI.

Apoc. cap. III, vers. 4. Habes pauca nomina in Sardis 66, 2.

# INDEX
# RERUM ET VERBORUM
## MEMORABILIUM,
### QUÆ HIS IN ACTA APOSTOLORUM COMMENTARIIS CONTINENTUR.

## A.

Aaron vitulum aureum fieri permittens, an excusari valeat, 176, 1.
Abraham quomodo in Chanaan non passum pedis possedisse dicatur, cum tamen haberet ibi sepulcrum, 172, 2. a quo sepulcrum emerit, an a filiis Hemor, an ab Ephron, 174, 1.
Abrahamus Eremita patientia sua Paganos convertit, 294, 1, 2. qua industria neptem ad meliorem frugem reduxerit, 315, 2.
Abyssini in templis nunquam sedent, 112, 1. quotidie in Missa communicant, 105, 2 et seqq. eorum Antistites cum cruce vas cinerum præferri curant, 234, 2.
Accipiter est Dei symbolum, 328, 1, 2.
Acilius Glabrio, consul Romæ, martyrio afficitur, 10, 2.
Actiones ad omnes Deus concurrit, 334, 2. in actionibus oportet esse providum, 257, 1.
Actorum (libri) Apostolicorum quod sit argumentum: est Evangelium Spiritus Sancti, 39, 2; 40, 1. ejus nomen est actus, 39, 2. quot annorum gesta contineat, 40, 1. duæ ejus partes, ibid. ejus interpretes, 2. ejus scopus et finis, ibid. docet præ cæteris Christi nostramque resurrectionem, 41, 1. Acta sub quibus Imperatoribus contigerint, 251, 2.
Actum an cum Deus præscit, necessario ille fieri debeat, 95, 2. actus liber spectatur ut est in fieri et ut in facto esse, 96, 1.
Adolescentia quot annos comprehendat, 181, 2.
Adoratio varias actus et species complectitur, 404, 2.
Adoratio civilis et religiosa in quo consistat, 238, 1, 2.
Adria mare unde dictum, et quod sit, 439, 2.
Adrumetum urbs est in Africa, 424, 2.
Adulatio quam frequens in aulis, et quantum malum, 271, 1.
Ædes (quas) Dianæ effingeret Demetrius argentarius, 337, 2.
Ægyptii impostura celebres, 385, 1.
Ælamitæ sunt duplices, 91, 1.
Æqualitas origo est concordiæ, 100, 2.
Æris Corinthii præstantia, 114, 2.
Ætatis cuique tempus est a Deo assignatum, 322, 1.
Æthiopissa quo ad fidem Christi conversa, 203, 2 et seqq.
Æthiopes magnam habebant cum Judæis familiaritatem, et in religione consensionem, ibid. olim regebantur a feminis, 203, 1.
Africa civitas dedit nomen provinciæ toti, 91, 1.
Africus quis sit ventus, 426, 1. unde dictus, ibid., 2. est procellosus, ibid.
Agabus propheta recitus inter Sanctos: unde nomen id derivetur, 233, 1. an Paulo, an sibi pedes et manus alligarit, 379, 1.
Agape erat mensa sacra, quomodo, 102, 2. celebrabatur post Eucharistiam, 105, 1.
Agatha S. cur sit patrona Melitensium, 435, 2.
Ager e Judæ argenteis emptus cur dictus sit sanguinis, 69, 1.
Agni ocrisi nomine cur intelligatur Christus, 133, 1.
Agones cupiditini quando numerari cœpti, 10, 1.
Agrippa vox unde formata, et qui dicti Agrippæ, 414, 1, 2. Agrippa rex. — Vide Herodes.
M. Agrippæ mortis et invaletudo, 414, 2.
Agrippina quando Coloniam in Ubios duxerit, 4, 2. ejus mors, 6, 2.
Alexander Alabarcha Alexandrinus quis, 126, 1.
Alexander Carbonarius factus est episcopus et martyr, 31, 1.
Alexandri Magni symbolum fulgur est, 34, 1, 2.
Alexander adversus quem Ephesi tumultuantes clamarunt, quis fuerit, 359, 2.
Alexandrinæ Ecclesiæ Catechistæ qui, 32, 1.
Alfonsus, Aragonum rex, astrologos cur detestaretur, 356, 2. in Alvarum Lunam ingratum cur beneficus esset, 389, 1.
B. Aloysius Gonzaga vultu et moribus erat Angelicus, 169, 2.
Amantes habent unum cor et animam, 132, 1.
Ambitio est fons hæresum, 371, 2.
S. Ambrosii facilitas in aliorum rebus audiendis, 399, 1.
Amor in Christum commendatur, 119, 1. amoris divini effectus, 92, 2 et seq. ejus effectus, 19, 1. amor a rebus terrenis avocandus, 96, 2.
Amphipolis quæ sit civitas, 315, 1.
Amphitheatrum Titi Romæ etiamnum superest, 9, 2.
Ampulla chrismatis ab angelis, ne frangeretur, servata fuit, 199, 1.
Anabaptistarum error circa bonorum possessionem, 104, 1. hi quomodo in Moravia in communi agant, 108, 2.
Anachoretæ in desertis similes fuere Silenis, cur, 321, 1.
Ἀναχώρησις est verbum forense, 270, 1.
Ananias baptizans Paulum, quis fuerit: ejus martyrium, 215, 1. cur manus Paulo imposuerit, 219, 1. cur cum eo vincto Cæsaream venerit, 402, 2.
Ananias et Sapphira, quid proprie vox sonet, 141, 1. an fecerint votum paupertatis, ibid. quomodo fraudarint de pretio agri, 143, 2 et seq. mentiuntur Spiritui Sancto, 146, 1. vendiderunt agrum ante votum, 146, 2; 147, 1. eorum peccatum erat sacrilegium, ibid. quomodo sint mortui, 147, 2 an sint damnati, et cur occisi, ibid.



UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

Ananias pontifex quis sit, a quo Paulus jussus percuti, 393, 1. cur ille eum percuti jusserit, 2. cur vocetur paries dealbatus, *ibid.* cur percussus tacuerit, 394, 2. erat Sadducæus, 396, 1.
Ananus cur Pontificatu ab Agrippa rege sit privatus, 393, 1.
Ancona urbs, ubi sita et quomodo, 484, 2.
S. Andreas quando sit mortuus, 6, 2.
P. Andreæ Oviedi in Æthiopia paupertas, 27, 2.
Andrachus, conditor Ephesi, Codri filius fuit, 351, 2.
Angelus corporaliter visus est Cornelio Centur. quatuor de causis, 232, 1, 2. angelus quare subito Philippum ab Eunucho rapuerit, 206, 1. angelus quis Petrum e carcere liberavit, et quomodo, 151, 2; 262, 2. quando is eum carcere eductum dereliquerit, 263, 2. angelum custodem habet quilibet homo, 265, 2. ejus officia, 232, 2.
Angeli occurrerant Christo cœlos penetranti, 58, 1. peragunt particulare judicium, 183, 1. tribus de causis apparent Apostolis post Christi ascensionem, 62, 1. sæpe induunt speciem et personam clientum, 269, 1. per eos Deus suos a periculis liberat, 266, 2. angelorum dispositio quæ fuerit in danda lege, 179, 1.
Angelus in Scrip. est symbolum principii et regni. 128, 1.
S. Aniani mors quando acciderit, 10, 1.
Anna hebraice quid sonet, 225, 1, 2.
Anima Christi qua ratione eum resuscitarit, 48, 1, 2. anima et vita nostra docet nos Deum esse, 332, 1. ejus origo cœlestis est, 336, 2 et seqq. cum Tertull. censet esse corpoream, 337, 2. ipsa in fruitione visionis beatificæ an active, an vero mere passive se habeat, 384, 2. animæ an cœlo et inferno egredi queant, 121, 1. et quare, et quando, 2. animas suorum morientium excipit Dominus, 185, 1.
Animalia immunda erant pleraque in vase linteo S. Petri 225, 2. quid ea denotarent, *ibid.* erant vera animalia, non espicta, 225, 1. sub Messia nulla erant animalia immunda, *ibid.*, 2.
L. Annæus Seneca fuit præceptor Neronis, 347, 1. an is S. Paulo scripserit, 2. non fuit Christianus, *ibid.*
Annas quando esset pontifex, 125, 1. omnes filios vidit pontifices, *ibid.*, 2; 393, 1, 2.
Annus conversionis S. Pauli, 229, 1, 2. anno quoto Christi Cornelius Centurio sit conversus, 245, 1. anni CCCCL, quibus Hebræis facta promissio de terra Chanaan possidenda, quomodo computandi, 250, 2. annos quadringentos servitutis et peregrinationis Hebræorum quomodo supputet S. Stephanus, cum fuerint plures, 173, 1. anni gestorum Apostolicorum subducuntur, 1, 1, 2 et seq. annis duodecim post Christi ascensionem Apostoli in Jerusalem non manserunt, 57, 1.
Anthropomorphitæ putarunt Deum esse corporeum, 208, 1.
Antichristus an in monte Oliveti cœlos velet ascendere, 63, 1.
Antilogiæ septem S. Stephani et Mosis quoad priscas historias, 171, 1.
Antiochena Cathedra et Ecclesia a S. Petro quando fundata, 224, 1; 245, 2. ejus sedis dignitas, *ibid.*
Antiochia Syriæ dicitur absolute Antiochia, reliquæ cum addito, 447, 1. Antiochiæ variæ sunt civitates, 274, 1.
Antiochus rex cur Soter sit cognominatus, 153, 1.
S. Antipas quando martyrium subierit, 16, 2.
Antipatris urbs ubi sita, ejus descriptio, 409, 2.
Antonia, arx Hierosolymæ, erat Rom. præsidium, 124, 2 et seqq.; 384, 2.
S. Antonii Vitæ lectione quam multi sint conversi, 295, 1. ipse identidem cœlum aspiciebat, 64, 1. erat dux anachoretarum, 135, 1, 2.
S. Antonio de Padua morienti apparuit Christus, 185, 2. a variis nationibus intellectus est in una lingua loquens, 88, 2. Ecelini tyranni munera rejecit suo bono, 373, 1. cur sit dictus *arca testamenti*, 217, 1.
Aperire sua superiori optima tentationum evincendarum ratio est, 324, 1. aperire os dicimus, dum rem gravem et sublimem dicere volumus, 205, 2.
Ἀποστολος variæ significationis est, 263, 2.
Apocalypsis S. Joannis quid tractet, et quis ejus scopus, 10, 2.
S. Apollinaris quando sit martyrio affectus, 9, 1.
Apollinaristæ Christo homini mentem et animam adimebant, 334, 2.
Apollo alius est ab Apelle: ejus eloquentia et doctrina, 347. quando et a quo baptizatus, 347, 2. ejus humilitas, 348, 1.
Apollo deus cur olim dictus Pythius, 310, 1.
Apolloniæ plures urbes vocatæ sunt, 315, 1.
Apollonius Thyanæus quando Romam venerit, 8, 1. ejus gesta, 10, 1. vidit absens necem Domitiani, 11, 1, 2. ejus mors, 12. habuit scholam magicam Ephesi, 351, 2; 356, 1. ejus præstigiæ, 152, 1.
Apostolatus cur dicatur sors, 67, 1.
Apostolici viri sint moribus et vita angeli, 289, 2. vitam parvi faciant, sed prodigant, 359, 2.
Apostoli quales virtutum cultores fuerint, 14, 1. eorum mors heroica, 2. sunt digniores heroibus, *ibid.* sunt velut cœli, 15, 1. vitæ eorum typus et descriptio, 21, 2. eorum paupertas, 27, 1. pedites obibant pagos et urbes, *ibid.* carne et vino abstinebant, 28, 1. igni comparantur, 31, 1. sunt satores æternitatis, 39, 2. eorum gesta plurima interciderunt, 41, 2. eos Christus assumpsit instinctu Spiritus Sancti, 47, 1, 2. quomodo eos Spiritus Sanctus auctoraverit, 2. cur cum exspectare jubeantur, 52, 2. a quo sint baptizati, 53, 1. exspectabant restitutionem temporalem regni Israel, 54, 2. sunt testes Christi, 55, 2; 70, 1. eorum encomia, 56, 2; 78, 2. quibus virtutibus sese ad adventum Spiritus Sancti disposuerint, 65, 1. omnes fuere Judæi, nulli Gentiles, 71, 1. orarunt antequam Matthiam in Apostolum assumerent, 71, 2. cur et quomodo sortibus usi in hac electione, 72, 2. id fecerunt instinctu divino, 73, 1, 2. sunt velut stellæ, 78, 2. orarunt cum venit Spiritus Sanctus, 80, 1. habuere donum linguarum, et quomodo, 2. quidnam per Spiritum Sanctum acceperint, 81, 1; 82, 2. quomodo super eos linguæ sedisse dicantur, 83, 2. an eos Spiritus Sanctus crearit Episcopos, 84, 1. an ab eo in gratia sint confirmati, *ibid.* eo pleni, statim cœperunt loqui variis linguis, et quomodo id fieret, 87, 2. an omnium linguarum totius orbis cognitionem habuerint, 88, 1. eorum ebrietas spiritualis, 92, 2. habebant potestatem permanentem faciendi miracula, 110, 1. non tenebantur obedire Synagogæ, 129, 1, 2. paupertatis votum fecerunt, 142, 1. majora miracula fecerunt quam Christus, 150, 1. venere in suspicionem sectæ Galilæorum, et cur, 155, 1. jussere suos principibus obedire, etiam infidelibus, *ibid.* fuerunt a Judæis flagellati, 156, 2. quando ad Gentes sint profecti, 158, 2; 190, 2; 244, 2; 245, 2; 257, 2. quando septem diaconos elegerint, 159, 1 et seq. post dispersionem Christianorum factam Hierosolymæ, manserunt in Judæa, 190, 2. curarunt et sepelierunt corpus S. Stephani, 191, 2. an contulerint chrismate, vel sola manus impositione, 197, 2 et seqq. erant catechistæ, 205, 2; 240, 2. ut plurimum per alios baptizabant, 243, 2. non simul omnes in provincias suas abiere, sed plerique, et alternative, 253, 2. eorum chronotaxis, 14, 1, 2. eorum calcei quales essent, 264, 2. an extra Judæam gestarint calceos plenos, 2 et seqq. honoris divini zelosi erant, 292, 1. ad mortem B. Virginis omnes convenere, etsi toto orbe dispersi essent, 380, 1. eorum animi celsitudo, 394, 2. subdebant se principibus Gentilibus, etsi ad id non tenerentur, 412, 2



Apostoli quinam interfuerint primo Concilio Hierosolymitano, 299, 1.
Appii forum urbs unde dicta, et quantum Roma distet, 442, 2.
S. Apronianus, Confirmationis sacramento accepto, fortiter martyrium subiit, 199, 1.
Aquila, Scripturarum interpres, cur ab Ecclesia ejectus, 356, 1.
Aquila Ponticus, Pauli adjutor, erat in arte scenofactoria cum uxore Priscilla, 341, 1. quam varia significet, 391, 2.
Arator carmine Acta Apostolorum reddidit, 40, 2.
Aratus quis poeta fuerit, et quæ scripserit, 335, 1. quomodo ex ejus scriptis sua dogmata confirmarit Apostolus, *ibid.*, 2.
Arbore (a qua) Judas se suspenderit, 68, 2.
Archidiaconi qui dicerentur Romæ, 163, 2.
Archiepiscoporum pallium quid designet, 279, 2.
Archiepiscopatus quatuor sunt in Calabria, 441, 1.
Areopagus quis locus Athenis, et unde dictus, 323, 1. unde ibi tribunal, et a quo institutum, *ibid.* ejus judices quam integri et sinceri, *ibid.*
Argentarius quis proprie sit, 357, 2.
Argentei Judæ cur vocentur merces iniquitatis, 68, 1.
Aristarchus Thessalonicensium Episcopus fuit, 359, 1, 2.
Aristidis paupertas, 136, 2.
Arius in latrinis animam effudit, 88, 2.
Armamenta navis quæ dicantur, 429, 1.
Armenia per pœnas maxime conversa est, 32, 2.
S. Arnulpho morienti varii Sancti apparuerunt, 185, 2.
Artemon in navi dicitur parvum velum, 431, 2.
Ascensionis Christi prodigia, 62, 2; 91, 2. ejus modus et forma, 57, 1. Christus ascensurus cur Apostolos in montem Oliveti duxerit, 62, 1, 2. — *Vide* Jesus Christus.
Ascetæ qui dicerentur, 403, 1.
Asia (in) cur Paulus vetetur a Deo prædicare, 307, 1.
Asia Minor quæ dicatur, 2. Asia quæ in Actis intelligatur per eam, e qua dicuntur Judæi venisse Jerusalem, 91, 1.
Asiæ partis orbis tertiæ descriptio, *ibid.*
Aspectus Sanctorum plerumque salutaris est, 115, 1.
Aspirationem Græcam Latini vertunt in S, 89, 1.
Assum urbs in Æolide est, 367, 1, 2.
Astionis parentes qua ratione ad Christum sint conversi, 315, 2.
Astrologia judiciaria explodítur, 356, 1, 2.
Asyli jus quoad templa est novum, et olim non usurpatum, 381, 1.
S. Athanasius omnem pene vitam in exilio egit, 21, 2; 364, 1.
Athenæum Philosophorum, 321, 1. huic Calvinus viam sternit, 28, 1.
Athenæ erant scholæ eloquentiæ et sapientiæ, 319, 1. earum elogium, *ibid.*
Atheniensium ingratitudo erga suos duces, 350, 1. mire fuerunt novorum avidi, 322, 2.
Atrii Judæorum in templo descriptio, 118, 1 et seq. atrii Gentilium descriptio, 118, 2. cur dicatur porticus Salomonis, *ibid.*
Attalia locus est in Pamphylia, 280, 2.
Atticæ vestes quæ dicerentur, 226, 1.
Attritio ante baptismum necessaria, 103, 2.
Auctor libri *de Spiritu et Anima* an sit S. Augustinus, 338, 1.
Audiendi pauci quam melior multorum, 237, 2 et seqq.
S. Augustini frugalitas in mensa, 28, 2. viaticum suæ in vita optavit, 425, 1. deplorat quod juvenis frequentarit malos, 104, 1.
Augustus Imp. oculos habuit claros ac nitidos, 332, 2.
Augustum proprie quid sit, 418, 1.
Aurorum immunitas, 151, 2.
Ætymarum dux qui dicerentur, 280, 2.

B.

Babylonica captivitas quando finita, 70, 1.
Balaam oracula sua pretio vendens, item benedictiones et maledictiones suas, simoniacus fuit, 190, 2.
Baptismum et baptismus dicitur, 241, 1. in Baptismo aliquando visibiliter datus est Spiritus Sanctus, 197, 1. per eum semper datur ejus gratia, 113, 1. baptismi vis, 151, 1. quando sit institutus et obligare cœperit, 53, 2. triplex est baptismus, 54, 2. baptismus non significat doctrinam, 330, 1 et seqq. requirit in adultis attritionem, 102, 2. baptismus in nomine solo Christi an valeat, *ibid.* baptismus Joannis quamdiu duravit, 53 2. fuit diversus a baptismo Christi, 2; 350, 2. hujus forma, *ibid.* baptismus Spiritus Sancti vocatur ejus effusio in Pentecoste, et differt a baptismo aquæ, 53, 2 et seqq.
S. Barbaram ad martyrium Christus animavit, 185, 2.
Barjesu quisnam impostor esset, unde hoc sibi nomen arrogaret, 277, 1.
S. Barlaam martyr in tormentis præ mentis jubilo cecinit, 157, 1.
S. Barlaam Eremita quo schemate Josaphatum converterit, 315, 1.
S. Barnabas prædii venditi pretium ad pedes Apostolorum posuit, 138, 2. dictus est et Joseph, *ibid.* cur dictus filius consolationis, *ibid.* nominis Barnabæ etymon, 139, 1. fuit Levites, 2. an fuerit Cyprius, *ibid.* ejus prosapia, *ibid.* S. Paulum ad Apostolos introduxit, cum ei suspectum haberent, 222, 1. ejus elogium, 249, 2. fuit condiscipulus S. Pauli, 250, 1. latuit in persecutione Herodis, 275, 1, 2. ejus elogia, 275, 2. an fuerit Episcopus, 276, 1. cur a S. Paulo discesserit, an in Italiam venerit: in Cypro pro Christo martyr occubuit, 304, 2 et seqq. cur a Lycaonibus vocetur Jupiter, 289, 2.
Barsabas quid proprie significet, 70, 2. unde vox formetur, *ibid.* ab insigni vitæ sanctitate et justitia, æque ac frater ejus, vocatus est Justus, *ibid.*
S. Bartholomæus quando sit occisus, 9, 1.
Bartimæus idem est quod filius Timæi, 70, 2.
S. Basilius S. Ephræmo linguæ Græcæ cognitionem impetravit, 88, 2. vultu suo angelico Valentem Imp. terruit, 168, 2 et seqq.
S. Basilius Seleuciensis S. Theclæ vitam conscripsit, 288, 2.
Beati in cœlo nulla veste, sed gloria sola vestiuntur, 61, 1.
Ven. Beda quando et quomodo sit mortuus in festo Ascensionis Domini, 51, 1, 2.
Benedicere Dei semper est efficax et eximium, 122, 1.
Benedictio omnis in Ecclesia fit per signum crucis, 57, 2.
S. Benedictus suos defendit ab incursu Longobardorum, 430, 1, 2. quomodo sit inter orandum mortuus, 19, 2.
Benefacere divinum est, 373, 1.
Benefacta calumniari et sinistre interpretari Judæorum est, 127, 1.
Benefactor summus est Christus, 251, 2.
Beneficia æqualiter danda tam gratis quam ingratis, 241, 2.
Beneficus beatior est beneficium accipiente, 374, 1. varia beneficorum apophthegmata, 375, 1.
S. Bernardini sermones ubi asserventur manu ipsius scripti, 81, 1, 2. quæ adhuc juvenis sanctitas quanta esset, 74, 2. munera ducis Mediolanensis sibi missa in pauperes distribuit, 373, 1.
S. Bernardus cum Deo in nube versabatur et habitabat, 19, 2. sedens contemplationi vacare solebat, 80, 1.
Bernicæ plures illustres feminæ fuerunt, uti uxor Ptolemæi Lagi, regis Ægypti, et alia, filia Ptolemæi Philadelphi, 414, 2. sic quoque vocata mulier quæ Christo eunti ad crucem sudarium dedit ad sudorem extergendum, alio nomine Veronica dicta, *ibid.* vox Bernice unde formetur, 418, 1.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS
ALERE FLAMMAM VERITATIS

Berenice, Herodis Agrippæ Senioris filia, fratris sui fuit concubina, 445, 1. nupsit Polemoni, regi Ciliciæ, postea quoque nupsit Tito Imperatori, *ibid.*
Berœa urbs est Macedoniæ, 318, 1.
Bestiis vero Paulus Apostolus in Ephesina urbe objectus fuit, 361, 2.
Bet contactus omnibus verbis contactum significantibus addunt Hebræi, 149, 2.
Bezæ impietas per baptismum Joannis Baptistæ accipit ejus doctrinam, 308, 2 et seq.
Biennium perfecturæ Felicis quomodo computandum, 409, 2 et seqq.; 425, 2.
S. Blandina quam Christiano nomine gloriaretur, 252, 2.
Blasphemia proprie quid sit, 167, 1. ea auditâ Judæi vestes scindebant, 232, 1.
Boethii Severini elogium : isque necari jussus a rege Theodorico, 339, 2.
Bois aussitos quæ sit, 410, 2.
Bonorum communio. — *Vide* Communio, et Religiosi.
Bos symbolum S. Lucæ, 42, 2. bos lucæ unde dicatur cephas, 42, 2.
Bubo Herodi Agrippæ seniori mortem portendit, 274, 1.
Bulas, latro famosissimus, quid Severo Imperatori respondent, 317, 1.

C.

Cabala litterarum nominis Adam, 161, 1.
Cadavera olim extra urbes exportabantur et in agris sepeliebantur, ne eas contaminarent, 203, 2. cadaver ligneum cur Ægyptii in convivium circumferrent, 232, 2.
Cadunt pœnitentes et sanctificandi in faciem, impœnitentes in decessum, 210, 1.
S. Cæcilia fuit angelis familiaris, hinc puritatem et vitam angelicam didicit, 168, 2.
Cæcitas Elymæ magi an perpetua, an temporaria fuerit, 279, 2. cæcitas in Paulo unde orta, et quamdiu duraverit, 214, 2; 218, 2. quomodo sit curata, *ibid.*
C. Cæsar Imperator prodigium fuit naturæ : ejus victoriæ variæ, celeritas, triumphi : primus Romanorum fuit monarcha, 412, 1.
Cæsaraugustam sibi devotam fore prædixit B. Virgo adhuc vivens, 236, 1, 2.
Cæsarea Palestinæ quæ sit urbs, diversa est a Cæsarea Philippi, 206, 2. quæ memoratu digna in ea contigerint, *ibid.* erat sedes Præsidis Judææ, 270, 1; 402, 2; 411, 2. erat ampla civitas, facta est deinde Ecclesiarum Palestinæ metropolis, 226, 1.
Cæsares unde dicti, et unde vox Cæsar derivetur, 411, 2, 2. primus dictus Cæsar est avus Julii Cæsaris, *ibid.*
Caiphas mortem manu propria sibi conscivit, 2, 1; 126, 1.
Caius Imperator unde dictus Caligula, 284, 1. divinos ambit honores, 258, 1. Judæos persecutus est, et cur, 3, 1. ejus nex, *ibid.*
Cajetanus libere verba textus aliquando contorquet, 374, 2.
Caliga cur vocetur calceus, 264, 1. unde vox dicatur, *ibid.* 2.
Calvini error circa possessionem bonorum primorum Christianorum, 133, 2. quid de præscientia et prædestinatione Dei censeat, 96, 2. atheismo viam sternit, 99, 1. facit Deum peccati auctorem, 94, 2. ejus superbia, 128, 1. ejus impius paralogismus, 293, 1. negat homini cuilibet angelum datum, 265, 2. ut blasphemus justo Dei judicio est a pediculis consumptus, 271, 2.
Candaces erat nomen reginarum Æthiopiæ, quæ post Saba reginam exinde a feminis regebatur, 204, 1.
Candida vestis erat nobilium olim, et magistratum ambientium, 289, 2.
Canones Apostolorum quando ab iis editi, 158, 2.
Capreæ animalia acutissime vident, 225, 1. sunt symbolum amoris et benevolentiæ, *ibid.*, 2.
Carabbas quidam insanus in comœdiam productus ab Alexandrinis, Herodem Agrippam repræsentavit, ut regem fictitium, cum diademate papyraceo, 272, 2.
Carcer Mamertinus Romæ quis esset, 261, 1, 2. carcer S. Petri Hierosolymis ubi situs, 266, 1. ejus januæ an revera apertæ Petro egrediente, 151, 2.
Cardinalium quis sit numerus et ordo, 163, 2. Cardinalem diaconum unum quæque regio urbis Romanæ habebat, qui sub se alios haberet Diaconos, *ibid.* quod eorum esset munus, *ibid.* numerus Cardinalium hujusmodi erat octodecim, *ibid.* ad Cardinales solos spectat electio novi Pontificis, *ibid.* quis Pontifex hoc decretum tulerit de non eligendo Papa, nisi ex corpore Cardinalium, *ibid.*
Carolo V Imp. festum S. Matthiæ erat ominosum et felix, 71, 2.
Carthago vox unde dicta, 141, 1.
Castitatem an voverint primi fideles abstinentes a conjugio, 143, 1.
Castores qui dicantur et sint : sunt filii Ledæ et Jovis : vocantur et Dioscuri, 438, 1. habiti cur sint dii maris, *ibid.* quomodo pingerentur, *ibid.* 2. in cœlo inter sidera relati sunt Gemini, *ibid.*, 1.
Catechismi commendatio, 32, 1. eum docuere Apostoli, 305, 2.
Catechumeni cur olim hora nona baptizarentur, 232, 2.
Catenas S. Petri quomodo honoravit Deus et Ecclesia, 261, 2 et seqq. earum inventio per Eudociam Augustam, uxorem Theodosii Junioris, miracula in iis patrata, *ibid.* in earum honorem Romæ Basilicam extruxit Eudoxia, quæ etiamnum Romæ superest, 262, 1. has sancti Patres miris laudibus extulerunt, *ibid.* earum limatura solebat a summis Pontificibus dono ad reges et principes mitti, ac per eam Deus multa miracula edebat, 262, 2.
S. Catharinæ Senensis eleemosynam ratam habuit Christus, 226, 1. hinc ab eo tempore quo tunicam pauperi dedit, nunquam frigus sensit, *ibid.*
Cathedram Antiochiæ S. Petrus quando fixerit, et quomodo hoc sit intelligendum, 224, 1; 245, 2. Romanam cathedram quando S. Petrus constituerit, 3, 1, 2.
L. Catilinæ in conjuratione sua præfidentia, 402, 2.
Cato de quibus tribus doleret, 431, 2.
Cauda vel Gaudos quæ sit insula juxta Melitam, 428, 1.
Celerini confessoris elogia, 397, 1, 2.
Cenchræ erat portus Corinthi, 345, 2.
Censu (in) apud Judæos tria fiebant, 154, 2.
Centuria quot milites contineret, 230, 2.
Cerei accendi solent in funere Christianorum, 197, 1.
Cerinthus pugnabat pro Judaismo et lege Mosis, 296, 2. 298, 1. quando hæreses spargere cœperit, 9, 1.
Cervæ difficillime pariunt, 35, 2.
Charitas fraterna inter Christianos diu viguit, 122, 2. est cithara, 347, 2. fovetur vitæ communione, 107, 1. charitas et affectus in operibus singulis æstimanda sunt, 238, 1. charitas S. Stephani erga lapidantes, 186, 2.
Cherubini fuere typus Apostolorum, 82, 2.
Chilonem cujus rei pœniteret, 105, 2.
Chium vinum præstans erat, 350, 2.
Chrisma adhibebant Apostoli in Confirmatione, 197, 2.
Christiani primi votum fecerunt paupertatis, 141, 1, 2. item castitatis, 143, 1. item obedientiæ, 2. infantium sanguinem bibere insimulati sunt ab Ethnicis, 383, 1. eorum amor et unio, 132, 1 et seqq. se appellabant mutuo fratres, 66, 2; 133, 1. abdicabant rerum proprietatem et dominium, 133, 2. cur paupertatem amplecterentur, *ibid.* et seqq. etiam habuerunt donum linguarum, 88, 2. bona omnia habebant communia, 106, 2. religionis vitæ jecerunt fundamentum, *ibid.* cur sua venderent, 108, 1. eorum gaudium unde oriretur, 198, 2. noctu orabant vigilantes, 312, 1. eorum tria erant exercitia, 105, 1, 2. cur conventus agerent, 166, 2. velabantur Deum in imagine colere, et cur, 327, 2. eorum zelus et fervor, 40, 2.
Christiani unde dicti sint fideles, et quando, 250, 1. a Gentibus perperam dicebantur Chrestiani, 2. quam nomen Christiani sit honorificum, 259, 2. vivant digni suo nomine, 251, 1. eorum officia, elogia et axiomata varia, *ibid.* et seqq. cur dicantur Sancti, 224, 1. cur dicti sint discipuli, 225, 1. sint magnanimi, 26, 2. dicuntur filii novi Testamenti, et cur, 122, 1.
Christiani Hierosolymis ante cladem excessere, 8, 1. ab exteris juvabantur eleemosynis, quas exteri iis mittebant, 253, 2. ex iis plures occisi una cum S. Stephano Hierosolymis, 187, 2; 189, 1.
Christianismus cur dicatur sors, 67, 1. ejus quanta sit dignitas, 255, 1. ejus voluptas in quibus sita esset, 108, 2. ejus elogia et officia, 145, 1.
S. Christina Mirabilis cur ad vitam jam defuncta redire voluerit, 227, 1.
Christus. — *Vide* Jesus Christus.
Chronicon Lucii Dextri. — *Vide* **Lucius Dexter.**
Chronotaxis gestorum Apostolicorum, 1, 1 et seqq.
Chymia vocatur ars curiosa, 356, 1.
Cibus a Christo post resurrectionem sumptus, non fuit ab eo digestus et in alimentum conversus, 51, 2.
Cicadæ an obmutuerint Paulo prædicante Rhegii, 442, 2.
Cilices habebant Hierosolymis suam synagogam, 165, 2.
Cingari apud Italos qui vocentur, 285, 1.
Cingi, succingi, præcingi, accingi quomodo differant, 263, 2.
Circulus est symbolum perfectionis et æternitatis Dei, 322, 1.
Circumcisio est conditio fœderis inter Deum et Abraham initi, 173, 1. pro tota lege Mosis capitur, 243, 2. ipsa professio erat Judaismi, 293, 1. eam aliquando Paulus probavit, aliquando improbavit, 297, 1.
Civilitas est jus civitatis, 390, 2.
Civitatis cœlestis jus quanti ducendum, 391, 1.
Civium Romanorum rex jura, *ibid.*
S. Clara quam esset erga paupertatem affecta, 136, 1.
Clandestio mystica quæ et qualis sit, 116, 1.
Claudius Imperator quando ad imperium assumptus, 4, 1. ejus mors, 5, 1; 259, 2. ad solum nomen novi regis percellebatur, 317, 2; 341, 2. ejus mores, *ibid.*
Claudum cur primo S. Petrus sanaverit, 116, 2. is quare eum teneat, 117, 2. is an una cum Petro incarceratus sit, 126, 2. quamdiu fuerit claudus, 129, 2.
Cleanthes sponte et volenter mortuus est, 320, 1.
S. Clemens Pontifex precibus fontem elicuit agno indicante, 12, 1. ejus martyrium et miraculum annuum in retrocessione maris usque ad ejus sepulcrum, *ibid.* ejus liber *Recognitionum* inter apocryphos est relatus, 263, 2. item liber ejus *Constitut. apostolicarum* apocryphus est, 55, 1.
Clementis Alexandrini libri vitiati sunt ab hæreticis, 258, 1.
Cleopatræ reginæ ab aspide interitus, 437, 1.
Clerici unde et qui dicantur, 67, 2; 73, 2.
S. Cletus quando martyrio sit coronatus, 10, 1.
Cocceii Nervæ Imperatoris bonitas, 11, 1, 2. ejus mors, 11, 1.
Cœlum quantum distet a terra, 60, 2. id semper intuentur Sancti, et cur, 180, 1. ad illud aspirare identidem debemus, 59, 1. item id aspirare, 61, 2. ejus cogitatio animat fideles ad heroica opera, 60, 1. ejus typus est Jerusalem terrestris 52, 2. id nobis laboribus mercandum est, 294, 1. Christus id capit eoque capitur, quo sensu, 120, 2. in cœlo empyreo vidit Stephanus Jesum, 182, 2. cœli aperti Christo, dum baptizaretur, 181, 2 et quomodo id factum sit, *ibid.*
Cœnaculum Christi quale fuerit, et quæ in eo fecerit, et cujus id fuerit, 2, 1, 2. cœnacula habebant Hebræi in superiore domus parte, *ibid.*
Cœnobiorum amor et concordia, 133, 1. — *Vide* Religiosi.
Cohors quot milites contineret, 230, 2. cohors Augusta quæ dicatur, 424, 2.
Colentes qui dicantur, 316, 1.
Collactaneus quis dicatur, 275, 1.
Colonia Agrippina cur in fide prisca perseveret, 435, 2.
Coloniarum origo et causa : qui dicti coloni, 309, 2 et seqq.
Colossus solis Rhodi, 378, 1. an inde dicti Rhodii Colossenses, *ibid.*
S. Columbanus munera regis impii sprevit, 373, 1.
Columna Rheginensis qua miraculo celebris reddita, 441, 2.
Comam alere signum erat Nazaræi, 345, 2 et seqq.
Comestio Christi post resurrectionem fuit vera, 51, 2. fuit animæ sentientis, non vegetantis, 52, 1.
Communio rerum quanta bona afferat, 106, 2; 107, 1. fuit ea in primis Christianis, 137, 2.
Communis dicitur a Judæis cibus immundus, 225, 2.
Comparativus eleganter ponitur pro superlativo, 467, 1.
Compunctionis vis, 9, 1.
Concilia Generalia quinque quando celebrata, 300, 1.
Concilia quatuor Hierosolymis Apostoli an celebrarint, 381, 1.
Concilium Hierosolymitanum a quibus celebratum, 299, 1. et quo anno, 2; 3, 2.
Concio olim habebatur peracta lectione S. Scripturæ, 289, 1. conciones Apostolorum erant catecheses, 105, 1; 240, 2.
Concionatores acriter vitia coarguant, 178, 2. orent ante omnia, 163, 2. cervis parturientibus comparantur, 35, 2. seria et utilia doceant, 356, 1. Munera repugnant, 373, 1. ferant infirmitates auditorum suorum, *ibid.*, 2. sæpe se Deo commendent pro bono rerum successu, 307, 2. plus efficiunt terrendo quam blandiendo, 338, 1.
Concordia facit cor unum, cur, 132, 2. ejus duo media, 133, 1.
Conductum substantive capitur pro domo conducta, 444, 1.
Confessio diaboli vires frangit : id probatur exemplis, 333, 1. Confessio particularis astruitur et sacramentalis, 354, 2.
Confirmatione (in) datur Spiritus Sanctus, 103, 2; 197, 2. est Sacramentum : ejus minister est Episcopus, *ibid.* an ad eam chrisma requiratur, *ibid.* in ea datur plenitudo gratiæ in baptismo acceptæ, 198, 2 et seqq. ejus vis, 151, 1.
Confusio multitudinis Judæorum, audita voce Apostolorum, quomodo intelligatur, 80, 2.
Congregatione (in omni) bonorum est aliquis Judas, 67, 2.
Consanguinitatis non est habenda ratio in electione ad officia Ecclesiastica, 73, 2.
Conscientiæ puræ quanta sit cura habenda, 403, 2.
Consecrationes obscenæ Judæis erant vetitæ, 165, 1.
Consolatio Spiritus Sancti quæ dicatur, et quanta sit, 223, 2.
Consortium malorum fugiendum, 103, 2.
Constantinopolis capta est a Turcis in Pentecoste, cur, 77, 2.
Contactus verba construunt Hebræi in ablativo cum in, 222, 2.
Contradictio signum est Christi et Christianismi, 443, 2.
Contradictio quam utilis sit cum patientibus, 281, 2.
Contritio ante baptismum non requiritur, 162, 2. ipsa includit votum baptismi ante eum, 243, 2.
Conventus forenses quos scriba Ephesius intelligat, 339, 1.



UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
ALERE FLAMMAM VERITATIS
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

Conversionis S. Pauli festum ob tres causas celebrat Ecclesia, 211, 2.
Corde (genere in) quid sit, 147, 1. cordis forma symbolice exponitur, 233, 2.
Coriarii extra urbem cur habitent, 237, 2.
Corinthus metropolis Achaiæ philosophis abundabat, 341, 1.
Corneliorum familia et gens Romæ nobilissima fuit, multi Cornelii illustres referuntur, 229, 2.
Cornelius Centurio qualis esset, 230, 1, 2. an fuerit justificatus antequam Petrum accerseret, *ibid.* cur ergo ad eum missus S. Petrus, 231, 1. ejus quatuor virtutes, 231, 2. vidit visionem angeli corporalem, 232, 1. servabat statuta orandi tempora, 2. ejus frequentia jejunia, 233, 1. ejus commendatio a Judæis, 235, 2. adorat S. Petrum, et quomodo, 238, 1 et seqq. quomodo in eum et domesticos recidit Spiritus Sanctus, 243, 1. ab eo creatus Episcopus Cæsariensis, 244, 1. ejus domus est in ecclesiam conversa, *ibid.* an ipse primus ex Gentibus sit conversus, *ibid.* quoto anno Christi sit conversus, 245, 1.
C. Cornelius Centurio Capharnaumensis an fuerit Hispanus, et Hispanis prædicarit, 244, 1.
Cornelius Mutius martyr illustris in Hollandia pro martyrio Deum rogavit, 230, 1.
S. Cornelius Papa quare cum cornu pingatur, *ibid.*, 2.
Cornelii Taciti error, 357, 1.
Cornu symbolum fortitudinis et regni, 230, 1.
Coronis redimebantur victimæ, item sacrificantes et præsentes omnes, 291, 1, 2. olim Jovi et diis dabantur, *ibid.*
Corpus hoc nostrum arguit esse Deum, 330, 1. corpus Christi non est ubique, 120, 2. id in triduo mortis ejus non fuit corruptum, 99, 1.
Corus quis sit ventus, 426, 1.
Cous insula est una e Cycladibus, 378, 1.
Cratetis Thebani paupertas, 136, 2.
Creatio et opificium mundi Deum creatorem indicat, 327, 1.
Creaturæ demonstrant Deum, 329, 2 seqq.
*Credere* significat contactum spiritualem Hebræis, 150, 1. credere quæ oporteat ad digne baptismum suscipiendum, 205, 2.
Crispus Archisynagogus Judæorum Corinthi a S. Paulo conversus, 343, 1.
Crucifixus Deus an ab Atheniensibus sit adoratus, 324, 2.
Crux via est ad cœlum, 284, 1. ea parit gloriam, 446, 1, 2. per crucis signum Christus suos benedixit, 57, 2.
Cultus disparitas est impedimentum matrimonii contrahendi, 306, 1, 2.
Curare funus quid significet et includat, 191, 1.
Curbicus Manes Paracletum nominavit, 79, 1.
Curiosi taxantur; et ad curiosos acuta responsa, 323, 1.
Curiosorum sectatores Ephesi qui essent, 356, 1.
*Custodiæ* capitur pro vinctis, 424, 1. etiam pro custodibus et apparitoribus, *ibid.*
Custos carceris Philippensis qua occasione ad fidem sit conversus, 312, 1, 2. custodes carceris Petri, e quo ipse liberatus, an occisi, 270, 1.
S. Cypriani error de rebaptizandis hæreticis, 352, 1.
Cyprii olim græce loquebantur, 273, 2.
Cyrene duplex regio, 97, 1.
Cyrenensis Synagoga quæ esset Hierosolymis, 166, 2.


## D.


Dæmon vento typhoni bene assimilatur, 427, 2 et seqq. ejus tentationes variæ, *ibid.*
Δαίμων vox quid proprie significet, 321, 2. ejus de Apostolis testimonium, 311, 1. cur Paulum laudarit per os energumenæ, *ibid.* simia est Christi, 195, 1. ejus potentia in animam peccatoris, 334, 1. pellitur per Confirmationis sacramentum, 151, 1; 192, 1.
Dæmones quare immundi dicantur, 150, 2. quare corpora possideant, *ibid.*, eos ejiciendi potestas nota summum est Ecclesiæ, 151, 1. apparent in forma animalium immundorum, *ibid.* Gentilibus erant dii minores, 321, 2. eos pellere datum a Christo Ecclesiæ, 353, 2.
Dæmoniaci quare plures tempore Evangelii quam Legis, 150, 2.
Damaris non fuit uxor S. Dionysii Areopagitæ, 339, 2.
Damasci situs: habebat suum regem: Judæi tamen in suis jus dicebant, 209, 1. illuc cur fugerint Christiani Judæi in dispersione, *ibid.* cur juxta eam Paulus percussus cæcitate, *ibid.* locus conversionis ejus ibi quam sit celebris, *ibid.*, 2.
Damnati an aliquando inferno egrediantur, 97, 1; 121, 2.
Damnationis periculum qui semel evasit mortuus, illud denuo non subit, vitæ jam restitutus, 226, 2.
Dare beatius est quam accipere, 374, 1.
David est auctor psalmi CIX, non alius, 101, 2. quando templi fabricam voverit, et cur, 177, 2. cum Christo in corpore resurrexit, 100, 1.
Decalogum et præcepta moralia et naturalia legis Christus non abolevit, 200, 2.
Decembri (in) cur periculosa navigatio, 425, 2.
Decimi mensis jejunium quare et quando institutum, 423, 1.
Decrevit Deus passionem, non actionem, necis Christi, 130, 2.
Δεισιδαιμονία quale sit vitium, 323, 2.
Demetrius argentarius Ephesinus quis esset, 357, 2.
Denarius quanti sit pretii, 357, 1.
Descendere quomodo dicatur Deus, 176, 2.
Desperationis unda, 62, 2.
Despicere significat deorsum aspicere, 337, 2.
Deus de facto habitat in anima justi, 86, 1. cur vento comparetur, 326, 2. permittit peccata, non in ea impellit, 177, 1. quantam suorum curam gerat, 391, 2. 432, 1. suos lucidos facit, 198, 2. ejus gloria, 171, 1. omnium entium est causa, 328, 1. est sui incentivus et beneficentissimus, *ibid.* cur dicatur multimammeus, *ibid.* est omnia, 332, 2. clare a nobis in hoc mundo cognosci nequit, 329, 1. non longe est a singulis nostrum, et quomodo, 330, 1. ubique præsens est, *ibid.* in eo quomodo ipsi simus, 2 et seqq.; 332, 1. creaturis est pater et mater, 336, 1. adest in rebus desperatis, 151, 1, 2 seq. omnia creata conservat, 330, 2. est locus locorum, 331, 1. ejus immensitas describitur, *ibid.* ipse nos totos permeat, 2. si ipse non esset in loco, nos in eo esse non possemus, *ibid.* est quasi aura qua respiramus, *ibid.* sub ejus dominio et jurisdictione vivimus, 332, 1. est nostra vita et anima, *ibid.* ab eo pendet quidquid habemus et speramus, *ibid.* et seqq. ejus providentia erga res humanas, 333, 1. ubique est, *ibid.* sancte in eo quasi in ipsa sanctitate vivendum, 334, 1. in eo vivimus non formaliter, sed effective, 335, 1. genus illius sumus, 2. quomodo omnia suo numine, substantia et operatione complectatur, *ibid.* ab eo semper pendemus, 330, 1. eo omnes indigemus, *ibid.* ipse loco et templis non continetur, 327, 1. cur nonnullis et amicis suis nonnunquam irascatur, 132, 1. ejus essentiam nemo vivens vidit, 23, 1. nihilominus quæque pervidet, 406, 1. pervidit et perspicit corda hominum, 71, 2. est absconditus et inaccessus, 325, 1. ejus natura et proprietates describuntur, *ibid.* et seqq. ejus incomprehensibilitas et majestas, 325, 1. ejus bonitas in vocandis peccatoribus ad se, 203, 2. patitur cum suis patientibus, 181, 1, 2. malorum et peccati non est auctor, ut vult Calvinus, 94, 2. ejus consilium in Paulum Romam mittendo, 413, 2. Deus in carne apparituros an ab Atheniensibus cultus, 325, 1. Dei est benefacere et dare, 373, 1. ejus majestas quanta sit, 212, 2. ejus essentiam an viderit Stephanus, 180, 1, 2. eum qualem spiritum fingerent Stoici, 330, 2 et seqq. Deus in Christo tripliciter est, 212, 1. qui Dei dicuntur, in suo genere eximii sunt, 178, 1.
Diis gentilium talia ministeria exhibebantur, qualia dominis a famulis, 327, 2. hi erant mera vanitas et inania, 324, 1. dii olim in puppi pingebantur, 438, 1.
Diaconatus an sit Sacramentum, 163, 2 et seqq; 165, 2. an a Christo sit institutus, 162, 2.
Diaconi quando ab Apostolis creati, 159, 1. cur sint creati septem, 161, 1. cur pleni Spiritu Sancto, *ibid.* fuere sacri ministri, *ibid.* eorum officia, 2 seqq. diaconi quomodo ordinentur, 162, 1. sæpe Ecclesiæ exempla fidei et constantiæ dederunt, *ibid.* cur creati, 2. iis commissa cura rerum Ecclesiæ, 163, 1, 2. Diaconi primi cur essent Græci, *ibid.*, 164, 1. quibus ritibus præfati sint ordinati, 165, 2. Diaconi Cardinales Romæ qui et quot essent, quod eorum munus, 163, 2.
Diaconiæ Romanæ quales essent olim, et modo sint, *ibid.*
Diaconissarum tria erant munia, 165, 1.
Δικαιολογία est verbum forense, 393, 1.
Diana unde dicta, est luna, eadem est Lucina et Juno: ejus arma, forma, 358, 2. cur dicta Ἄρτεμις, *ibid.* dicta Opis, *ibid.*
Δικαιοσύνη multa significat, 91, 2.
Dies cum oratione inchoandus et finiendus, 132, 1. quo die Christus in cœlos ascenderit, 68, 2 seq. dies certa dandi Spiritum Sanctum cur a Christo non indicata, 54, 1, 2.
Diodorus præ pudore subito obiit, 147, 2.
Diogenes junior philosophus ob maledicentiam a Vespasiano Imp. capite est mulctatus, 9, 1.
S. Dionysii Areopagitæ de sua morte revelatio, 11, 1. eum Christus ad instans martyrium animavit, 185, 2. qualis fuerit, quid scripserit, ejus sapientia, fuit Episcopus Atheniensium, 338, 2. conversionis ejus occasio et annus, 339, 1. synopsis vitæ ejus, et martyrium, *ibid.*, 11, 2.
Διοπετής quid sit, 360, 1.
Discere volentium exempla, 358, 1.
Discipuli stant, magistri sedent, 387, 1. donum discretionis spirituum multi Sancti habuere, 289, 1.
Dispersio primorum Christianorum in Jerusalem quando et qua occasione facta sit, 189, 1; 190, 1.
Dispositione angelorum quomodo lata sit lex, 179, 1.
Dissensio inter Sanctos potest esse sine peccato, 304, 2.
Divinitas effingari et repræsentari nequit, 337, 1. divinitatem ambientes phthiriasi consumpti, 271, 2.
Divitiarum mala, 134, 1, 2.
Docens prius faciat, quam doceat, 46, 1, 2.
Dolores inferni, a quibus liberatus Christus, qui sint, 96, 2 seqq. dolores Hebræi cur vocent funes, 97, 2.
Dominica die cur fiat sacerdotum ordinatio, 276, 2.
Dominium Christi in omnes homines, 101, 2.
Dominus, titulus erat Cæsarum, 417, 1, 2.
Domitianus quando ad imperium evectus, 9, 2. varia ejus gesta, 10, 1. ejus persecutio in Christianos, *ibid.* jubet interfici omnes de stirpe David, 11, 1. ejus mors violenta, *ibid.*, 2.
S. Fl. Domitilla virgo a Domitiano in insulam relegatur: ejus martyrium, 11, 1; 12, 2.
S. Domna martyr qua occasione conversa, 138, 1.
Domus S. Pauli Romæ in ecclesiam mutata est, 444, 2.
Donare alio sensu in Script. accipitur, 101, 2.
Dona (in Dei) acceptis communicandis simus liberales, 115, 1. donum Spiritus Sancti accipere quid sit, 103, 1.
Dorcades. — *Vide Capreæ.*
Dorcadis, dicta Tabitha, quinque dotes, 225, 1, 2 et seq. ad vitam revocatur, *ibid.* certa fuit de salute, *ibid.*
S. Dorothea hieme rosas Theophilo e cœlo attulit, 266, 1.
Drusiana Ephesina cur a S. Joanne ad vitam revocata, 225, 2.
Drusilla, filia Agrippæ regis senioris, cujus fuerit neptis, trium regum fuit sponsa, 407, 1, 2. facta est deinde Gentilis, *ibid.*
Duellum Christi cum Paulo, 214, 1.


## E.


Ebion hæresiarcha, adversarius S. Pauli, 298, 1. quando hæreses sparserit, 9, 1.
Ebrietas spiritualis alia est a corporali, 92, 1. utriusque analogiæ et effectus, *ibid.*
Ecclesia cur dicatur vas linteum omnigena animalia continens, 234, 1. crevit persecutionibus, 159, 2. cur vocetur regnum cœlorum, 235, 1. est regnum Dei in terra, 49, 2; 196, 2. viti comparatur, cur, 272, 2. e cœlo descendit, et eo ducit, 236, 1. Ecclesia licite possidet opes et prædia, 115, 2. semper orat pro Summo Pontifice, 261, 2. Ecclesia pauper coruscabat miraculis, jam opibus tuetur auctoritatem, 115, 2.
Ecclesiæ Hierosolymitanæ dispersio quanta fuerit, 190, 1. Ecclesia Judaica quomodo, unde, et quamdiu haberet pacem, *ibid.*, 2.
Ecclesiastica immunitas a jurisdictione civili quando introducta, 412, 2.
Ecnephias quis sit ventus, et unde dictus, 427, 1, 2. ejus præsagium, *ibid.*
Edmundus Campianus morti adjudicatus cecinit, 137, 1. ejus in opprobriis constantia, 26, 2; 403, 1.
S. Eduardus quemdam pedibus claudum sanitati restituit, 116, 2.
Εἴσοδος et ἔξοδος quid significet, 278, 2.
Electio efficax hominum ad gloriam an facta sit a libera et mera Dei voluntate, ante operum prævisionem, 284, 1 et seqq. electionis vas quomodo fuerit Paulus, 216, 1 et seqq.
Eleemosyna cur dicatur justitia, 240, 1. eleemosynas suorum famulorum ratas habet Christus, 233, 2. has etiam pauperes erogare possunt, et quomodo, 227, 2. eleemosynas fidelium Diaconi curabant, 163, 1.
Elephas cur dicatur bos luca, 42, 2.
S. Eligio morienti apparuit Christus visibilis, 185, 2.
S. Elisabethæ apparuit Christus visibili specie, *ibid.*
Elymas, id est magus, a qua radice formetur, 277, 2. an sit vox hebræa, 278, 1. videtur nomen Cyprium significans magum, 278, 1. an resipuerit, 279, 2.
Enallage modi Hebræis frequens est, 394, 1.
Epaminondæ erga suos ingratos gratitudo, 389, 1. ejus paupertas, 136, 2.
Ephesi celebritas: ibi plerumque habitavit S. Joannes, 346, 2; 351, 2.
Ephialtis paupertas, 137, 1.
S. Ephrem consolatione contriti abundabat, 19, 2. fuit vir compunctionis et lacrymarum, 387, 2.
Ephronis pater fuit hinomius, 174, 1.
Epicurus quis, ejus dogmata et axiomata, 319, 1, 2. ejus vita, mors, *ibid.*
Ἐπιεικεία varia significat, 402, 2.
Episcopalis cura a Spiritu Sancto instituta, 370, 2.
Ἐπίσκοπος quid proprie significet, 69, 2.
Episcopi habent jus suffragii in Conciliis, 299, 1. sint hospitales, 319, 2. quare vocentur prophetæ, 274, 1, 2 seq. crebro visitent suas Parochias, 22, 1; 304, 2. non curent temporalia, sed Ecclesiam, 16, 1. horum solum est conferre sacramentum Confirmationis, 197, 2. illos constituit Christus in Apostolis, 84, 1. olim alium invisentes, ad verbum divinum faciendum invitabantur, 289, 1. Episcopi cur constituerentur, quos populus




UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

elegisset, 68, 1, 2. Episcopus Ephesum cur S. Paulus evocarit, 370, 2. Episcopi primi Siciliæ, 439, 1. Episcopi cujustam simoniaci punitio etiam in hac vita, 201, 1.
Epistolam secundam ad Timotheum e secundis vinculis Paulus scripsit, 365, 1. Epistola ad Philemonem quando scripta, 6, 1. Epistola ad Thessalonicenses omnium Epistolarum ejus prima fuit, 341, 1. Epistolæ Senecæ et S. Pauli an sint genuinæ, 344, 1.
Ἐπιεικής diversimode vertitur latine, 419, 1, 2.
Equesne Paulus Damascum ierit, an pedes, 210, 1.
Erasmus arianizat, 371, 1.
Erastus quæstor, quis fuerit: Episcopus dein creatus, 357, 1.
Erostratus cur templum Dianæ Ephesiæ incenderit, 359, 1.
Ἑρμῆς, Mercurius unde dicatur, 278, 1.
Essenorum vita describitur, 143, 1, 2 et seqq. eorum nomen quid sit, 143, 2. eorum studia et mores, 144 et seqq. fuere quasi Religiosi, ibid.
Eucharistiæ vis et effectus, 105, 1. cur olim domi privatim sumeretur, et cur vocetur panis, ibid. 106, 1. designata est per panes propositionis, 106, 1. cur vocetur communio, 104, 2. ejus veritas astruitur, 121, 1. olim vespero post exhortationem administrabatur, 364, 2.
Eudocia Augusta vincula S. Petri exaltavit, 262, 1. in S. Stephanum bene affecta ac pia fuit, 196, 1, 2.
Eunice, mater Timothei, erat Judæa, 306, 1.
Eunuchus Candacis reginæ an esset Gentilis, an proselytus, 203, 2. ejus pietas, 204, 1, 2. baptizatur a Philippo, 205, 2. suos Æthiopes convertit et martyr occubuit, 206, 1, 2.
Eunuchus capitur pro principe, 204, 1.
Euripus symbolum est inconstantiæ, 117, 1, 2.
Euroclydon vel Aquilo quis sit ventus, 426, 1. cur ita vocetur, 427, 1. quis ventus Euro-notus, ibid.
S. Eutychianus Pontifex multos Martyres manibus propriis sepelivit, 191, 1.
Eutychus a S. Paulo vitæ restitutus factus est deinde in Hispania martyr, 365, 1.
Evangelii S. Joannis scribendi occasio, præstantia ejus et præparatio, 11, 2. Evangelium S. Matthæi quo tempore scriptum, 2, 2. id scripsit præcipientibus Apostolis, 3, 1. S. Lucas quando suum conscripserit, 6, 1. Evangelium cur vocetur verbum gratiæ, 2[illegible], 2.
Evangelistæ non omnia Christi gesta scripserunt, 45, 2. Evangelistæ græce scribentes multas Latinas voces usurpant quasi Græcas, 70, 2.
Evodius primus post S. Petrum fuit Antiochiæ Episcopus, 3, 1.
Excommunicatio repræsentata est in repentina morte Ananiæ et Sapphiræ, 147, 2.
Excusationum squamæ tollendæ sunt, 219, 2.
Exequiarum primorum Christianorum ritus, 192, 1 et seqq.
Exorcistæ Ephesini cur in nomine Jesu quem Paulus prædicabat dæmonem ejicere tentarent, 3[illegible], 1. a dæmone corripiuntur, ibid. 354, 1. exorcistas habebant Judæi ante Christum, 352, 2.
Expugnasse quomodo fideles dicatur Paulus, 231, 2.
Extasis mentis capitur etiam pro admiratione, 117, 2. in extasi qualis audire vox soleat, 235, 1.
S. Exuperii Episcopi charitas erga proximum, 36, 2.

## F.

S. Fabianus illapsa columba creatus est Pontifex, 72, 1, 2.
Facies plurum serena est, impiorum nigra, 168, 1.
Famem cur prædici a Christianis voluerit Deus sub Claudio, 253, 1. cur ea orbi immissa, ibid. et seqq. quando ea facta, 2. fames adducit pestem, ibid.
Familiæ sub Cornelia plures Romæ censebantur, 230, 1.
S. Faro Episcopus puerum cæcum confirmans illuminavit, 195, 1.
Fatum Stoicorum quam violentum, 328, 1. id refutatur, 55, 2. fatum Calvini tollitur, 93, 1; 98, 2.
Fel amaritudinis Simonis Magi quid dicatur, 202, 1. fel peccati quod sit, et quare Domino Judæi fel in cruce propinarint, ibid.
Felix qua occasione præfectus Judææ factus fuerit, 400, 1; 401, 2. ejus gesta in præfectura, 402, 1, 2. ejus prænomen, 403. fuit adulter, 4[illegible], 2. item injustus, ibid. est Romam vinctus missus a Festo successore, 408, 2; 410, 2.
Fenestralibus non utebantur veteres Græci et Romani, 263, 1.
Festum duas habebat vesperas, 303, 1. festum S. Stephani sancitum ab Apostolis, 187, 2. festum corporis Christi quare institutum post Pentecosten feria quinta, 195, 2. in festo Conversionis S. Pauli naturam saliva serpentum morsibus cur medeatur, 211, 2. in festis majoribus cur homines deteriores sint, 260, 2.
Festus, Præses Judææ, mentitur in causa Pauli, 416, 1. cur ejus appellationem approbaret, 413, 1.
Fideles omnes non sunt prædestinati, quia fides accepta semel, potest amitti, 254, 1. eorum spes unica est Christus, 442, 2. fideles primi unam habebant animam et cor, 142, 1. — Vide Christiani.
Fides videt et videtur, 47, 1. ejus robur, 2. ei quomodo tribuantur miracula, 119, 1. ad eam non requiritur intellectus, 166, 1. fides Christiana quæ credenda præscribat, 312, 2. fides explicata Christi necessaria est ad salutem, 128, 2; 221, 1. fidei heroicæ quanta sit virtus, 119, 1. ea in diaconis septuplex erat, 164, 2.
Filiæ quatuor Philippi erant virgines et prophetissæ, 379, 1. an fuerint moniales, ibid.
Filius Dei est primum unicumque Dei Verbum, 281, 2.
Flavius Clemens quando et quare martyrio affectus, 11, 1.
Fœdus olim Romani sanciebant mutuum sanguinem potando, 303, 2.
Fons Æthiopis quis sit locus, 205, 2. fons elicitus in carcere Romano precibus S. Petri ad baptizandum Processum et Martinianum, qui etiamnum superest, 261, 1, 2.
Fornicatio omnis, etiam simplex, peccatum mortale est, 302, 1.
Forte usurpant Latini in rebus quæ evenerunt, sed incerta de causa, 281, 2.
Foro (in) concionantur zelosi concionatores, 319, 1.
Forum Appii urbs unde dicta, ejus descriptio, 442, 2. plures urbes dictæ sunt forum, ibid.
Fractio panis intelligitur in Actis de Eucharistia, 1[illegible], 2.
Franciscanis equi interdicuntur, 27, 1.
S. Franciscus in eleemosynas effusus fuit, 220, 2 et seq. ejus aspectus intuentes compungebat, 115, 1. e solo Dei beneplacito ad tantum sanctitatis fastigium est exaltatus, 74, 1. ejus humilitas quomodo sit exaltata, 59, 2. assidue cœlum spectabat, 62, 2. ejus vita et mores cœlestes, 29, 1. erga sacram synaxin valde flagrabat, 108, 2. absens apparuit Fratribus in curru igneo, 269, 1. voluit suos habere pauperes domos, 342, 1.
Franciscus Sfortia dux astrologos semper contemptui habuit, vel odio, 356, 2.
S. Franciscus Xaverius visione cœlesti vocatus est ad labores Indicos, 213, 2; 303, 1. habuit donum linguarum, 87, 1 et seq. qua industria concubinas a concubinariis avelleret, 315, 2. cur Malacæ pulverem de calceis excusserit, 286, 1. mulieres fugiebat, 29, 1. ejus vita cœlestis, 30, 2. per pueros mira præstitit, 22, 2. ejus prudentia, 34, 1. ejus obedientia et in periculis securitas, 432, 2. item ejus ardor patiendi, 23, 1.
Fratres olim se vocabant Christiani, 219, 1. fratres Hebræis sunt cognati, 65, 2. fratres quare Petrus vocet Apostolos, 66, 2.
Frons S. Jacobi Minoris erat callosa ex assidua oratione, 376, 1.
Frugalitas veterum, 59, 2.
Fuga in persecutione licita est, 109, 2.
Fulgor faciei Sanctorum unde ortum habeat, 168, 2.
Funebris pompa in quibus consisteret, 191, 2.
Funus unde nomen acceperit, ibid.

## G.

Galba Imp. breve habuit imperium, 8, 2.
Galilæus quid proprie sonet: Galilæi erant stupidi, sed pugnantes et bellicosi, 61, 2; 90, 2.
Galilæorum secta quæ esset, 155, 1. eorum pervicacia, 2. diu ea inter Judæos viguit, ibid.
Gallicanus Consul Christi causa pauper factus est, 135, 1, 2.
Gamaliel fuit Pharisæus, fuitne Christianus? est inter Sanctos relatus, 154, 2. ejus consilium pium pro Apostolis, 155, 1, 2. corpus S. Stephani in villa sua sepeliri curavit, 191, 1.
Garrulitas reprehenditur, 81, 2.
P. Gasparis Barzæi amor erga Socios omnes, 372, 1.
Gaudium spiritus quam sit suave, 108, 2. gaudium Sanctorum est Christus, 260, 1. gaudium in tribulatione quam heroicum sit, 155, 2.
Gaulus insula quo modo sita, 427, 1. ejus nomina, 428, 1.
Gaza urbs fuit duplex, una in Perside, altera in Philistæa, 203, 1. hæc eversa, et altera non procul inde ædificata, 203, 2.
Gemini stella cur a nautis observetur, 438, 1.
Generatio Christi æterna, 281, 1.
Genethliacorum quam frivola sit scientia, 356, 1.
Γεννάω et producere et gignere significat, 235, 2.
Gentes Judæos cur spernerent, 239, 1. eas quando et quomodo respicere Deus cœperit, 237, 2. iis quomodo Paulus loqueretur in Jerusalem ante apertum Gentibus ostium Evangelii per Petrum, 222, 2. ipsæ jam conversæ ad legem non tenebantur, 293, 1. eas quomodo errare permiserit Deus, 293, 1. ad eas quando abierunt Apostoli, 157, 2; 258, 2. publice quando iis Apostoli prædicare cœperint, 244, 2.
Gentiles ipsam resurrectionem non damnabant, 407, 1. Gentiles nonnulli ante Cornelium ad fidem conversi fuere, 244, 1. ipsi quam benigne a Christo vivente habiti, ibid. non sunt ab Ecclesia rejiciendi, 300, 2. eorum nonnulli coluere Deum, 231, 1. Gentiles etiam nonnulli paupertatis studiosi fuere, 136, 2. hos Judæi vocabant Græcos, 169, 1.
F. Gentilis divinitus linguæ Arabicæ cognitionem accepit, 88, 1.
Genua sæpe per diem flectebant prisci Christiani, 376, 1. ea habuit S. Jacobus callosa, ibid. genua respondent genis, 2.
Genus Dei quomodo simus, 335, 1, 2.
S. Georgius martyr Lyddæ est sepultus, et ibi ei templum ædificavit Imp. Justinianus, 2[illegible], 1 et seqq.
SS. Gervasii et Protasii corpora detexit S. Paulus S. Ambrosio apparens, 28, 1.
Gesta multa Pauli S. Lucas silentio involvit, aut aliter præterit, 361, 1.
Gladio quando Judæi uti cœperint in pœnis reorum, 255, 2.
Gloriam Dei quam Stephanus viderit, 180, 1, 2.
Glycæ historici locus emendatur, 184, 1.
Gnidus urbs Asiæ, Cretæ objecta, 424, 2.
Gnostici docebant solum Paulum ex Apostolis cognitam veritatem, 16, 2.
Godefridus Bullionius præsentem opem S. Stephani Hierosolymis sensit, 194, 1.
S. Gorgonia templum Spiritus Sancti, 304, 1.
Grabatum quis sit lectus, 150, 1.
Gratiæ non cadunt sub meritum de condigno, 71, 2.
Græcus idem Judæis quod Gentilis, 222, 2. Græci dicebantur sapientes, 248, 1. Græci primum fecere schisma in Ecclesia, 160, 1. Græci negantes a Filio Spiritum Sanctum procedere, die tertia Pentecostes a Turcis eversi sunt, 77, 2.
Græcistæ qui dicantur, 169, 1; 2[illegible], 1. aliquando pro Gentibus capiuntur, ibid.
Græcizantes quos vocet Lucas, 232, 2.
Grammatici qui dicerentur, 15[illegible], 1.
Gratia Spiritus Sancti cur dicatur oleum et unctio, 2[illegible], 2. in gratia an confirmati Apostoli accepto Spiritu Sancto, 61, 1. gratia potentior Spiritus Sancti, ad opera heroica exequenda requiritur, 127, 2; 132, 1. gratia cur dicatur verbum, 372, 2. per solam gratiam Christi fuere justificati qui justificati, 301, 1. gratiæ Dei Evangelium quid sit, 369, 2; 372, 1. gratiæ efficax et prædestinatio cum libero arbitrio quomodo concordet, 95, 1. gratia Pauli fuit efficacissima, 218, 1, 2.
S. Gregorii Magni celsitudo animi, 25, 1. Ecclesiæ opibus pauperes per orbem juvit, 116, 1.

## H.

Haceldama quid proprie sonet, 69, 1.
Hæreses propagatæ per mulieres, 285, 2. sunt fel amaritudinis, 202, 1. non sunt ad Scripturam examinandæ, 315, 2.
Hæresiarcha primus fuit Simon Magus, 195, 1. hæresiarchæ Episcopatu excidentes quem ambiebant, nova dogmata adinvenere, 199, 2. omnes hæresiarchæ fuere vel Epicurei, vel Stoici, 321, 1.
Hæretici lupi sunt ob octo analogias, 371, 1. sunt superbi, ibid. 2. carnales sunt et molliculi, 195, 1; 221, 1. eorum bellum pax est Ecclesiæ, 298, 2. per tumultus rem agunt, 317, 2. ferro a magistratibus sunt coercendi, 136, 1.
Haran quæ sit urbs, 172, 1, 2.
Hebdomada unde dicatur sabbatum, 364, 2.
Hebræi fuere peregrini in Chanaan et Ægypto, 173, 1. post reditum e captivitate semichaldaice locuti sunt, 69, 1. Hebræi multi fuere binomii, 175, 1.
Hebræorum verba activa sæpe non actionem, sed actionis probationem significant, 284, 2. verba realia sæpe per mentalia exponunt, 276, 1.
Hebron (in) an sepulti sint Patriarchæ, an in Sichem, 15, 2; 173, 2; 175, 1.
Helena, Adiabenorum regina ab Apostolis conversa, quando floruerit, 7, 2.
Heliopolitanum templum Judæorum quando et quare a Vespasiano demoliri jussum, 9, 1.
Hemor a quo emit Abraham speluncam pro sepulcro alius fuit ab eo quo Jacob emit agrum, 174, 2 et seqq.
Henricus II Imperator, quomodo ob simoniam castigatus, 200, 1.
Herculis duodecim labores, 35, 2.
Hereditas nostra Deus est, 373, 1.
Hermæ liber dictus Pastoris est inter apocryphos relatus, 375, 2.
Herodes fuere quatuor, 255, 1; 256, 2; 375, 1. fuere omnes infesti Christo et Christianis, 414, 2.
Herodes Agrippa senior, cur rex Judææ fuerit dictus, et qua occasione, 255, 1. quam esset Caio Imp. carus, ibid. fuit crudelis, ibid. quare Jacobum Majorem Apostolum occidi jusserit, 2. quamdiu regnarit, 257, 1. quo anno ab angelo percussus sit, 2. cur S. Petrum apprehendere voluerit, 260, 1. cur eum post Pascha

distulerit necare, 261, 1. ludos Cæsareæ pro salute Cæsaris celebrat, 270, 2. ejus fastus et splendor e veste argentea, *ibid.* percutitur ab angelo et quo morbo, 271, 1. mortis ejus præsagium, *ibid.* cur ita sit punitus, *ibid.* peccavit assensu ad blasphemum populi acclamationem, 272, 1. ejus mors ad longum narratur, 2. ejus proles, *ibid.* quomodo eum Alexandrini in comœdia repræsentarint, 272, [illegible]
Herodes Agrippa Junior, rex Chalcidis, fuit Senioris filius, ejus tetrarchia, cur dictus ipse et pater Agrippæ: fratrem habuit Drusum, 414, 1. ejus soror et concubina fuit Beronice, 415, 1. erat bonæ indolis, 418, 2. an ad christianismum inclinarit, 421, 2.
Herodes Antipas fugitivi mœrore contabuit, 9, 2.
Heroes diis sunt majores, 11, 2.
[illegible] fieri potest in suprema aeris regione, 182, 1.
Hibernia naturaliter venenatis caret, 457, 1.
S. Hieronymi [illegible] discendi, 345, 2.
Hierosolymitana Ecclesia quando facta patriarchalis, 247, 2.
Hierosolymæ cur datus Spiritus Sanctus, 52, 1 et seqq. ipsa typus est Ecclesiæ, 2. Hierosolyma, 2. habebat vicos celebriores, 256, 2.
S. Hierotheus an fuerit Atheniensis, an Hispanus, quando ad fidem conversus: ejus elogium, 4, 2; 339, 2.
S. Hilarion ob curationes ægrorum nihil donorum voluit accipere, 291, 2. quam potestatem adversus dæmones haberet, 353, 2. et quomodo nosset a quo quis vitioset occupatus, *ibid.*
Hispania S. Jacobo Apostolo debet quod in fide orthodoxa perstet, et perstiterit hactenus, 256, 2. eam S. Paulus quando adierit, 41[illegible], 2. ejus reges cur Catholici cognominentur, 256, 2.
Hispani S. Jacobum in præliis invocant, *ibid.*
Historia S. Lucæ de Actis apostolicis quot annorum gesta contineat, 40, 1.
Homini competit æternitati, 282, 2.
Holocaustum cur hebraice vocetur *ola*, 223, 1.
Homo quantopere Deo sit astrictus, 90, 1. respectu Dei cæcus est, 329, 2. homo ab homine edoceri debet, 214, 1.
Honorati diaconi animositas, 163, 1, 2.
Horarum Canonicarum origo et causa, 112, 2 et seq. horas diei quomodo Judæi computarent, 94, 1. hora meridiei apud multos meditationi vacatur in memoriam ascensionis Domini, 51, 1. hora nona olim catechumeni baptizabantur, 213, 2. horam laboris compensat Deus die consolationis, 49, 1. horarum quadraginta oratio est in honorem sepulturæ Christi instituta, 261, 2.
Hospitalitas Rom. Ecclesiæ et urbis, 236, 1.
Hostibus (pro) oratio quæ funditur, efficacissima est, 187, 1.
Humanitati Christi debetur potestas judiciaria ob unionem cum Verbo, 247, 1.
Humilis ducit se nihil esse et nullum, 195, 1.
Humilitas quanti sit meriti, 59, 2. evincit adversarium durum, 366, 1, 2. plena humilitas quæ sit, *ibid.* cur vocetur omnis justitia, *ibid.* in ea semper crescendum, 367, 1. honorabilis est, *ibid.* ea summa virtutum est, *ibid.* et vera animi magnitudo, 24, 2. signum est doctoris orthodoxi, 195, 2. vincit diaboli laqueos, 196, 1. humilitas viri Apostolici quanta esse debeat, 24, 1.
Hyblæum mel et apes Hyblææ unde dicatur, 449, 1, 2.
Hymnos canebant neochristiani post cibum sumptum, 110, 1.
Hypocriseos squamæ auferendæ sunt, 219, 2.
Hypocritæ felici sunt, 362, 1. sunt sepulcra dealbata, 191, 1. eorum emblema et proprietas, 109, 1.

## I.

Ideæ omnium nostrum, juxta quas conditi sumus, propria in Deo sunt, 333, 2.
Idiotæ qui proprie sint, 199, 1.
Idolothytis vesci vetitum Christianis, 309, 1.
S. Ignatius Antiochenus Episcopus mortuus sub Trajano, 6, 2. instituit psalmodiam sacram, *ibid.*
S. Ignatius de Loyola vitas Sanctorum legens conversus est, 205, 1. ejus zelus in Dei honore adaugendo, 237, 1. ejus in carcere gaudium, 158, 1. cœlum cum lacrymis aspectabat, 65, 1. ejus obedientia, 452, 2. quum in vinculis exultaret, 422, 1. absens apparuit alteri Coloniæ, 380, 1
Ignis imago est Apostolorum, 81, 1. an vere super Apostolos descenderit, 80, 2. ignis symbolum est Dei, 86, 1. per ignem auctorati sunt Prophetæ, 82, 2. idem significat effectum Spiritus Sancti in anima fidelium, item tribulationem et lumen fidei, 83, 1. ignis Stoicis pro Deo erat et spiritu, 328, 2.
Ignorantia Judæorum Christum necantium an fuerit excusabilis, 120, 1.
Ignotus Deus Athenis quis esset, 324, 2. an Deus verus, 325, 1; 327, 1.
Illustrationum divinarum sunt capaces ii qui carent curis, 232, 2.
Imago est quid reale et stabile, 150, 2. eam cur initio Ecclesiæ velarent Patres, 327, 2. in ea tamen Deus potest coli, *ibid.*
Immensitatis Dei descriptio, 321, 1.
Immortalitatem animæ negabant Epicuræi, 318, 2.
Immunitas Ecclesiastica initio Ecclesiæ non erat introducta, 412, 2.
Imperator Roman. an legitimus judex Pauli, 154, 2
Imperatores cur cum cruce in globo pingantur, 417, 2.
Impp. Romani cur censum provinciarum fieri juberent, 154, 2.
Imperiorum (per) conatus, quibus Dei opera impedire satagunt, ea promovet Deus, 190, 1. eorum societas dissolvenda, 330, 1.
Impositio manus est de essentia Ordinis, 165, 2. per eam datur gratia, *ibid.* ea in tribus Sacramentis adhibetur, 197, 2. per eam unctio intelligitur, 198, 1. ea significat ordinationem, 276, 1.
Impossibilitas duplex est, una actum antecedens, altera consequens, 95, 1.
Impossibilia physice Deus non præcipit, 101, 1.
Imprecatio Pauli contra Ananiam Pontif. qualis fuerit, 393, 2.
*In* capitur ab Hebræis pro *de*, item pro *sicut*, 125, 1. item pro *propter*, 127, 1.
Incarnationis et adventus Spiritus Sancti analogiæ, 84, 2.
Incognitus nobis cur sit Deus, 320, 1.
Incomprehensibilitas Dei hominum et angelorum aciem transcendit, *ibid.*
Inconstantia et mutabilitas sugillatur, 117, 2.
Indiæ Orientalis (in) valle una, quam variæ sint linguæ, 88, 2.
Infernum (in) Christus vere descendit, 98, 2. inde anima nulla liberari potest, nisi speciali Dei privilegio, 121, 1.
Infideles etiam Angelum custodem habent, 232, 1.
Infirmitates suorum ferant confessarii et concionatores, 373, 2 et seqq.
Infusio, diffusio et effusio Spiritus Sancti quomodo differant, 87, 2.
*Ingredi* et *exire* quemlibet actum significant Hebræis, 70, 1 et seqq.; 223, 2.
Inimici diligendi sunt, 37, 1. pro iis orandum, 187, 1.
Insinuare proprie quid sit, 316, 1.
Ira, cos et acies virtutis est, 313, 1, 2. iræ sedes et materia est fel, 202, 1.
Iris unde dicatur nuntia deorum et pluviæ, 290, 1
Isthmus sive dithalassus quis sit, 431, 2.
Iterque varias habet significationes, 186, 1, 2.
Italica cohors quæ diceretur, 220, 2.



## J.

S. Jacobus Alphæi quando creatus Episc. Hierosolymorum, 1, 2; 159, 1; 151, 1. callosa habebat genua, 378, 1. an præfuerit Concilio Hierosolymitano: negatur, 301, 2. dixit in eo sententiam post Petrum, *ibid.* quando et quare de pinnaculo Templi dejectus martyrium subierit, 6, 2; 281, 1.
S. Jacobus Major quando ad Hispanos iverit, 190, 2; 454, 2; 245, 2. quam paucos in Hispania converterit, 257, 1, 2. eum cur Herodes præ cæteris Apostolis occiderit, 255, 1. ejus gesta et fervor in prædicando, *ibid.* quando sit occisus, 2. cur ejus festum celebretur xxv julii, *ibid.* ad mortem euntes accusatorem suum Christo lucrifecit, *ibid.* varia ejus privilegia, 250, 1. et seq. sæpe Hispanos in præliis juvit, *ibid.* an scripserit Epistolam Canonicam, 256, 2. alia ejus gesta recensentur, *ibid.* quo anno Christi sit occisus, 257, 1; 258, 1.
Jason Thessalonicensis Pauli hospes, quis fuerit, 317, 2. an idem qui Mnason, *ibid.* an postea Episcopus Tarsensis fuerit, 2. ejus virtus, 318, 1.
Jejunare (quamdiu) homo naturaliter possit, 431, 3.
Jejunium prudens esse debet, 28, 1. jejunium quod intelligat Lucas septimi mensis aut decimi, dum incommodam faciat tunc sit navigationem, 425, 1, 2. Jejunium olim ante sacram synaxin præmittebatur, 363, 1. ordinationi accedentium præmittitur, 275, 1, 2; 295, 2.
Jerusalem erat sedes religionis, 166, 2. quando obsessa, capta, eversa sit, 8, 2. illuc quare varii undique Gentium Judæi confluerent, 89, 2. *vide* Hierosolyma.
Jesus, Anani filius, plebeius homo, quando clades prædixerit Judææ, 7, 1.
Jesu nomen Paulo in deliciis erat, 19, 2. —*Vide* Nomen.
Jesus Christus quo anno mundi et vitæ sit mortuus, 1, 1. prius fecit, deinde docuit, 46, 1, 2. quomodo in cœlos ascenderit, 47, 2 et seqq.; 57, 2; 60, 1. cur tam cito eo ascendit, 48, 1 et seq. resuscitatus est virtute animæ suæ, 2. a resurrectione xl diebus cum Apostolis egit, 49, 1. hisce diebus hæsit in paradiso, *ibid.* quæ docuerit eos tunc temporis, 2. ascensurus in cœlos cur cum Apostolis sit pransus, 51, 1. ascendit eo sub meridiem, 2. quomodo se ad ascensionem disposuerit, et suis valedixerit, 57, 1. ascensus ejus quomodo perfectus, *ibid.* et seqq. ascendit etiam qua homo, 58, 1. ei ascendenti occurrerunt omnes angeli, 2. cur ascenderit statim a resurrectione, *ibid.* an nudus ascenderit, et in veste rubra, 60, 2. cur a monte Oliveti ascenderit, 62, 2. quo die passus sit et ascenderit, 63, 2. cur matrem in terris relinqueret, 65, 1. quomodo sit vir a Deo approbatus, 91, 1, 2. libere et sponte mortem subiit, *ibid.* a diversis et diversimode morti traditus est, 96, 2. an in inferno dolores sit passus, *ibid.* nihil passus est post mortem, 97, 1. vere descendit in infernum, 98, 2. non passus est in sepulcro corruptionem, et unde, *ibid.* fuit in vita viator et comprehensor, 99, 2. quomodo restituerit regnum David, 100, 2. est Davidis Dominus etiam qua homo, 2. quanto eum amore et fide prosequi debeamus, 119, 1. post ascensum in cœlum subinde visibiliter in terris apparuit, 121, 1. an aliquando modico tempore cœlum reliquerit, *ibid.* ejus bonitas in nos a peccatis liberando, 123, 1. quare et qualis dicatur lapis, 132, 2; 133, 1. fuit pauper, 175, 1. an fecerit votum paupertatis, 142, 2. ejus naturalis pulchritudo, 175, 1. antonomastice dicitur justus, 179, 1; 383, 1. cur in cœlo stet, 181, 1, 2. cur ei in baptismo cœli aperti, *ibid.* et seq. cur vocet eum Stephanus filium hominis, 182, 2. an per se peragat particulare judicium, 185, 1; 242, 1, 2. patitur in fidelibus, 211, 1. verba ejus ad Paulum examinantur, *ibid.* dum vixit benefecit omnibus, 241, 2. ejus divinitas astruitur, 93, 2; 363, 1; 371, 1. qua homo erit judex in fine mundi, 338, 1. semper pedes per oppida evangelizavit, 365, 1. ejus humilitas, 2. omnia ejus dicta factaque non sunt conscripta, 374, 1. est spes Israel et nostra, 443, 1.
Joannes Baptista fuit angelicus, 165, 2. quos baptizarit, 53, 1. ejus humilitas, 281, 2. quare solos adultos baptizarit, 398, 2. baptismi ejus forma, *ibid.*
S. Joannes Apost. in oleum quando missus, et in Pathmon relegatus, 10, 1. ejus Apocalypsis quid contineat, 2. revertitur ab exilio, 11, 2. scripsit Evangelium, cur et quomodo, *ibid.* et seqq. item epistolas, *ibid.* ejus mors, 12, 2. diutius quam cæteri Apostoli in Judæa mansit, 219, 2. quo anno Christi sit mortuus, 250, 1. non fundavit Ephesinam Ecclesiam, 332, 1.
Joannes Fischerus Episc. Roffensis ductus ad supplicium cecinit, 144, 2.
Joannes, cognomento Marcus, est alius a Marco Evangelista, 267, 1. quare a Paulo discesserit et Barnaba, 289, 1.
P. Joannes Nunnius qua via ad Societatem vocatus sit, 305, 1.
F. Joanni Parmensi Franciscano celebranti servivit angelus, 269, 1.
S. Joannis Chrysostomi vocatio ad sacerdotium, 218, 1. ejus corpus ex Oriente Romam translatum, conditum est in Vaticano, 38, 2.
Jonathas Pontifex erat æquus et dexter, 125, 1. a Felice Præside interfici jussus, 408, 1.
Joppe descriptio, unde dicatur, quæ ibi gesta, 225, 1. ibi Jonas navem conscendit, cum a Domini facie fugeret, *ibid.* hinc solvit Paulus in Italiam navigaturus, 434, 2.
S. Jordanes fluctibus mersus interiit, 433, 1.
S. Jorcionis (ex ore) mortui quinque enatæ sunt rosæ 268, 1.
Joseph, Mariæ filius et Jacobi Alphæi frater, statuitur quasi eligendus in Apostolum, 79, 1. factus postea Episcopus Eleutheropoleos, *ibid.* ejus cognomen fuit Barsabas, 2. unde dictus sit Justus, *ibid.* cur non sit electus in Apostolum, *ibid.*
Joseph historicus prædicit Vespasiano imperium, 8, 2. ejus de Christo testimonium, quod Judæi depravarunt in sua translatione Hebræa operum ejus, 10, 1
*Jovis* vox unde derivetur, 290, 1
Judæi quomodo mortuos plangerent, 191, 2. Pentecostes diem quomodo exspectarent, 77, 1, 2. nudipedes sacrificia obibant, 264, 1. cur in Paulum pulverem jactarint, 399, 1. diem quomodo dividerent, 112, 1. in festis omnibus abstinebant cibo usque ad sextam, 94, 1. cur in Stephanum frenduerint, 179, 2. cur clamarint audito Stephano, 183, 1. fulgore faciei ejus obdurruere, 168, 1. afflicti sunt fame quæ fuit sub Claudio Imper. 253, 2. eorum in Paulum odium, 411, 1; 413, 1. quare præ cæteris familiæ Lazari infensi fuerint, 189, 2 et seqq. quare in varias orbis partes essent diffusi, 90, 1. erant in sacris suis superstitiosi, 118, 1, 2. cur a Claudio Roma pulsi, 341, 1. et quando, 2. Gentiles semper aversabantur, etiam Christiani, 259, 1; 247, 1; 384, 1. cur Gentium deos non irriderent, 360, 2. erant omnibus gentibus invisi, 311, 1. cur dicantur filii Testamenti, 122, 1. iis facta promissio de Christo nascituro, 103, 2. quia soli capaces erant Messiæ et Christianismi, 396, 1. putabant Messiam sibi solis esse promissum, 243, 2. ipsis ante omnia satisfacere Apostoli antequam ad Gentes abicerint, 290, 1. an ob necem S. Jacobi cladibus attriti, 6, 2. quomodo devoverint se, nisi occiderent Paulum, 394, 2. quomodo Romanis rebellare cœperint, 8, 1. quot eorum a Tito necati et capti, 9, 1.
Judæi quam contemptim Christum Dominum habeant, 316, 1. duplicem fingunt Messiam, *ibid.* adhuc eum exspectant, 443, 1. eorum durities et pervicacia, 178, 2. hinc iis rebellibus aures amputari jussit Constantinus Imp., *ibid.* eorum fraus et impostura, 19, 2. Judæi Chris-

tiani dissidebant a Gentibus Christianis quoad servanda legalia, 298, 1 et seqq.; 304, 1.
Judas Barsabas quis fuerit, 302, 2.
Judas Galilæus quando Romanis rebellavit, 154, 2 et seqq.
S. Judas Apostolus Jacobi frater, dictus Thaddæus et Lebbæus; et ejus qui fratres, 64, 2. quando epistolam suam scripserit, 8, 1.
Judas Iscariotes fuit initio cæteris Apostolis in dignitate, miraculis, ministerio par, sed postea factus est fur, 67, 1. quomodo agrum dictus sit possedisse, 68, 1. an præcipitio sit, an laqueo mortuus, ibid. an laqueo supervixerit, ibid. ejus desperatio, 68, 2.
Judices olim quandiu præfuerint Israeli, 250, 2. judices sint continentes, 407, 2. sint in judicando æqui, 404, 1, 2. judices Areopagitæ quales. — Vide Areopagus.
Judicium particulare cujusque quomodo peragat Christus, 185, 1; 212, 1.
Judicii extremi mentione terrebant concionatores auditorum animos, 402, 1. de illo cur apud Felicem agat Paulus, 408, 2. illud per se peraget Christus, 185, 1. judicia capitalia in Areopago exercebantur, 300, 1, 2.
Judith an sit nomen Candacis sive reginæ Æthiopum, 204, 1.
Julianus Apostata invidit Christianis Christi nomenclaturam, 251, 2. quam esset versutus, 116, 1, 2. per magiam imperium et vitam amisit, 355, 2.
C. Julius Cæsar fuit prodigium naturæ; ejus gesta, elogium, monarchia, 412, 1.
L. Junius Gallio, proconsul Achaiæ, fuit frater L. Senecæ, 343, 2. seipsum occidit a Nerone damnatus, ibid. S. Paulo æquus fuit, 344, 2.
Jupiter cur corona oleagina coronaretur, 289, 2; 291, 1, 2. cur dicatur græce Ζεύς, 292, 2.
Juramentum Episcoporum dum ordinantur, 148, 2.
Justificatio reddit Deum animæ præsentem, 337, 2; 335, 1. quam magnum Dei opus sit, 122, 2.
S. Justinus fuit Sichimita, quando martyr obierit, 172, 1; 327, 2.
Justitia tripliciter in sacra Script. capitur, 210, 1. justitia diversimode accipitur, 279, 1. justitia imputativa refutatur, 153, 1. justitia capitur pro humilitate, 356, 2. justitiæ virtutis descriptio et effigies, 136, 1.
Justus dictus est Joseph, Mariæ filius, 70, 2. Justus dicitur Christus formaliter et causaliter, 119, 2. justi anima est thronus, sedes et templum Dei, 85, 1. per gratiam fit Deus, 2. hic a morte nunquam occupatur, 433, 2.

## K.

Kader et Kedesca quid proprie significet, 155, 1.
Κατάθεμα quam varia significet, 402, 1, 2.
Kirit vox unde deducatur, 241, 1.
Κοπτω est verbum funerale, 191, 1.
Koruhi cur ante pugnam se vino adusto repleant, 99, 2.
Κράτιστε epithetum est præsidum et præfectorum, 16, 1; 400, 2.

## L.

Lac pro sanguine manavit e cervice Pauli recisa, 8, 1.
Lætitia spiritualis signum est inhabitantis Spiritus Sancti, 108, 2 et seqq.
Laicos sub una specie sufficit communicare, 106, 1. eorum non est ordinandis manus imponere, 295, 1.
Lancearii milites qui dicerentur, 399, 1.
Laodicæa quando terræmotu conciderit, 6, 2.
Lapidantibus (pro) quid Stephanus orarit, 185, 2.
Lapidatio supplicium blasphemiæ, 183, 1.
Lapis quare dicatur Christus, 127, 2. lapis angularis an summus, an imus in fabrica, 128, 1. lapis S. Stephani ancone colitur, 184, 1.
Lapsus eorum qui in alto sunt gradu, quam gravis, 67, 2.
Latinæ voces multæ a Græcis usurpatæ, 352, 1, 2.
Latro in cruce conversus a Christo, an ab ejus umbra inumbratus esset, 150, 1.
S. Laurentium quomodo Christiani sepelierint, 192, 1.
Lazarus quatriduo mortuus cujus rei fuerit symbolum, 239, 1.
Lectio piorum librorum quam utilis sit, 355, 2.
Legio quot milites sub se contineret, 329, 2.
Legitima Ecclesia Ephesi quæ dicatur, 361, 1.
S. Leone Pontifice (a) petita ratio impositionis manuum, 161, 1.
Levitæ poterant habere possessiones extra Judæam, 150, 2. habebant templi curam et custodiam, 124, 1, 2.
Lex an sit prorsus servatu impossibilis, 301, 1. quomodo lata angelis disponentibus, 179, 1. lex erat triplex, 2. Lex Mosis post Christi adventum ut honesta et religiosa adhuc observari poterat, non tamen obligabat, 381, 1. eam cur Paulus depelleret, ibid. ejus quam grave sit onus, 301, 1. ejus abolitionem fore an diceret S. Stephanus, 167, 2.
Legis novæ aureum sæculum, 338, 1. lex nova per ignem dari cœpta, 82, 2 et seqq. tota consistit in charitate, 139, 2. lex de suffocatis et sanguine usu est abolita, 307, 1.
Legalia tempore Pauli mortua erant, at non mortifera, 307, 1.
Libertatem actus non tollit consequens necessitas, 95, 1.
Liberti erant binomines, 182, 2.
Libertini Judæi qui dicerentur, 166, 2.
S. Libertinus Agrigentinus Episcopus quando vixerit, 439, 1.
Libri magici, mathematici et heretici comburendi sunt, 357, 1. libros sacros legere quam sit utile, 205, 1. liber Pastoris cur inter apocryphos numeretur, 375, 2.
Limatura catenarum S. Petri solebat pro ingenti dono ad principes a Rom. Pontificibus mitti, 267, 2.
Lingua regenda est viro perfecto, 89, 1. ejus commoda et effectus, 81, 1 et seqq. linguæ dispertitæ in donatione Spiritus Sancti quomodo intelligantur, 80, 1, 2. cur sic fuerint sectiles, ibid. lingua est symbolum Spiritus Sancti, ibid. et seqq. linguarum donum tria complectitur, ibid. linguæ an veræ fuerint igneæ, 82, 1. quare pyramidales, ibid. cur igneæ, 2 et seqq.
Linguis variis et non una Apostoli loquebantur, 87, 2. linguarum variarum scientiam indit Spiritus Sanctus viris Apostolicis, 88, 2; 91, 1. earum quanta sit in orbe varietas, 88, 2.
S. Linus quando sit martyrio affectus, 9, 2.
Liquor medicus ex reliquiis S. Lucæ scaturit, eoque indicæ sunt repertæ, 42, 2.
Litterati ut plurimum sunt melancholici, 421, 1.
Liturgia est Missa et sacrificium antonomastice, 275, 1.
Livia Drusilla, Augusti uxor, cur vocata Venus cœlestis, cognomento Pantheon, 407, 2.
Locus Judæ proprius quis dicatur, in quem abiit, 72, 1. in locis excelsis orarunt Sancti, cur, 233, 1, 2. locus e quo Christus cœlos ascendit, nunquam se patitur tegi, 63, 1.
Λόγος varia significat, 45, 1.
Loquitur quisque prout affectus est, 25, 1, 2.
S. Lucæ modestia et humilitas, 45, 2; 431, 1. est auctor libri Actuum, 40, 1. est pictor Apostolorum, 41, 1. ejus elogium, 42, 1. fuit Evangelista, virgo, Pauli discipulus, Apostolus, etc., ibid. 2. ejus labores pro Evangelio, ibid. quid vox Lucas significet, 43, 1. fuit cognatus S. Pauli, ibid. et martyr, 2. ejus miracula et reliquiæ, ibid. an hysterologia aliquando utatur, 259, 1. ubi adhæserit Paulo, et an continue, 398, 2. quando a Paulo abfuerit, ibid. quando Evangelium scripserit,



299, 1. quam gratus esset Græcis, 364, 2. Melitæ tres imagines B. Virginis pinxit, 435, 2. quando obierit, 6, 2.
Lucius Cyrenensis quis esset, 275, 1.
Lucii Dextri Chronicon, et auctoris de eo sententia, 13, 1, 2; 63, 2; 244, 2 et seqq.
S. Ludovicus Episcopus Tolosanus moriens visus est rosam ex ore emittere, 268, 1.
Lutherus habuit dæmonem familiarem, 51, 1; 190, 2. dæmonem elicere non potuit, sed ab eo in summas est redactus angustias, 151, 1.
Lux denotat Dei gloriam, 189, 2. lux Paulum circumfulgens quare solem superarit, 209, 2. unde venerit, 210, 1; 215, 1. ea qualis esset, 420, 1. lux in carcere Herodis an solum Petrum circumfulserit, 252, 2 et seqq.
Lycia provincia varias regiones complectitur, 424, 2.
Lyddæ urbis situs et nomen, 231, 1.
Lydia purpuraria quænam esset, 310, 1. unde timeret Deum, ibid., 2.

## M.

Macedoniæ elogium, 309, 2.
Magi erant sapientes Persarum, 278, 1. magi Ephesi erant plures, 356, 1. horum responsa sustulere Apostoli, 357, 1.
Magia hæreticis familiaris est, 195, 2. ejus insimulatus Christus et Christiani, 126, 2. ejus artes dissuasit Christianos christianæ inductus, 199, 1.
Magistratus templi qui diceretur, 124, 1, 2.
Magnalia Dei quæ loquerentur Apostoli, 91, 2.
Magnanimus quam parvi temporalia omnia faciat, 25, 1. magnanimitas S. Pauli, 24, 1.
Magnitudo animi vera est humilitas, 24, 2.
Mala instantia Deus Sanctis prænuntiat, 218, 2.
Malachias quomodo dictus angelus, 168, 2.
Maledictiones Judæ a Davide prædictæ in persona Dei, 69, 2.
Maledictum capitur pro consilio, 307, 2.
Malum consortium vitandum, 402, 2.
Manahem quis propheta fuerit? fuit Herodis Tetrarchæ collactaneus, 275, 1.
Mane præcipue Deus orandus, 152, 1.
Manichæi insana hæresis vocantis se Spiritum Sanctum, et ejus mors, 79, 1. soli cultum dedit, 55, 1.
Manus Hebræis quam varia significet, 159, 2. manus instrumentum miraculorum, 149, 1. capitur pro causa media et potentia, 176, 2. manus in tribus Sacramentis imponitur, 197, 2. manus impositione sola an Apostoli Confirmationem contulerint, ibid. et seqq. manuum impositio Episcoporum est, non laicorum, 295, 1. manus cur catechumenis imponantur, 219, 1. manum cur S. Paulus coram Agrippa rege perorans extenderit, 415, 1.
Marcus Arethusius martyr irrisit tormenta, 157, 1.
S. Marcus quando Evangelium scripserit, 3, 2. quando et quare martyrio affectus, 7, 1.
S. Margaritæ, Scotiæ reginæ, quam esset in pauperes effusa, 225, 2.
S. Maria Ægyptiaca vitam duxit angelicam, 159, 1.
S. Maria Magdalena quando cum sociis in exilium pulsa, Massiliam appulerit; ejus vita in Bauma, 1, 2; 157, 1, 2. quotidie septies in cœlum toto corpore rapiebatur, 63, 1. fuit Apostola Massiliensium, 15, 2.
S. Mariæ Oignacensis cum angelis familiaritas, 13, 1.
Mariæ Salomes corpus an quiescat Verulis, 140, 1, 2; 23, 2. quando Verulas venerit, 199, 2.
B. Maria Virgo doctrix Apostolorum erat, 153, 2. ejus memoria celebris in Hispania, ibid. accepit donum linguarum a Spiritu Sancto, 88, 2. est Diana Christianorum, ob varias analogias, 355, 1. est vas infatuatum, 224, 2. ejus humilitas in omnibus, 65, 1. ejus effigies, ibid. accepit quoque Spiritum Sanctum, 77, 2. orat pro S. Stephano, 183, 2. resolvit quæstionem legalium, 301, 2. an vivens adhuc apparuerit S. Jacobo in Hispania existenti, 256, 1. quando mortua sit, 6, 1. quo anno Christi et vitæ, 330, 1. ei morienti an adfuit Paulus, 2. ea sublata, ruit Ecclesia Judaica, ibid.
Mariamnes, Herodis Agrippæ Junioris filiæ, intemperantia, 415, 2.
Marsi an per incantationes a serpentibus illæsi sint, 437, 1.
Marsilii de Padua error de Episcopatu S. Pauli, 444, 2.
S. Martha quoties per diem et noctem genua flectere soleret, 376, 1.
S. Martialis Episcopus quando sit mortuus, et ejus baculus miraculosus, 9, 2.
S. Martianus an primus Episcopus Syracusarum, 439, 1.
S. Martinus jugiter aspiciebat cœlum, 62, 1. ejus eleemosyna quantopere Christo placuerit, 225, 2.
Martyres primi qui Romæ fuerint, 7, 1, 2. Martyres pro martyrio summas Deo gratias egerunt, 157, 1. eorum corpora decenter sepelienda sunt, 121, 1, 2. eorum sanguis semen est Christianorum, 237, 2. Martyres varii qui in suppliciis gavisi sunt, 156, 1. Martyribus multis ora percussa, 393, 2. Martyres varii sub Domitiano Imp., 10, 1.
S. Martyrius Christum in paupere contexit, 225, 1.
Massiliam quando appulerit Lazarus cum sororibus, 159, 1, 2.
Mathematicorum ars quam sit vana et noxia, 356, 1, 2. ii multis regibus invisi fuere, ibid.
Matrimonia Judæis non erant vetita cum Gentibus, 308, 1. matrimonia cum Gentibus cur irritet Ecclesia, et non cum hæreticis, ibid.
S. Matthæus quando Evangelium scripserit, 2, 2 et seqq. quantæ id sit auctoritatis, ibid. Æthiopes convertit ad fidem, 204, 1.
Matthias quid significet, idem est qui Matathias, cui in zelo fuit similis; an idem cum Zachæo, 71, 1. quomodo sors super eum ceciderit, 72, 1. tripliciter est electus, 74, 2. tres ejus gnomæ, ibid. ejus reliquiæ sunt Treviris, ibid. quando sit occisus, 7, 2. quando sit in Judæ locum suffectus, 1, 1.
Matutinum tempus idoneum ad recipiendos Dei illapsus, 94, 1. et alia ejus commoda, ibid.
S. Mauritius quare, Episcopatu relicto, peregrinationem susceperit, 190, 1, 2. qua circumspectione in templo versaretur, 112, 2.
Maximæ res videntur incredibiles, 265, 1, 2.
S. Mechtildis mirum silentium, 169, 2.
Mel quare Judæi sacrificiis non adhiberent, 321, 1.
Melancholia laborant litterati, 421, 1.
Melania quam generose responderit se ob aurum insurrecturis, 312, 1.
Melitæ situs, 426, 2. ipsa vicinum habet isthmum, 431, 2. ejus fertilitas et ager, 434, 1, 2. septem ei privilegia a S. Paulo collata, 435, 1. fuit ab eo conversa, ibid. ejus antiquitates, 435, 1, 2. Melita caret venenatis, ibid.; 436, 2. eam S. Paulus protexit sæpe, 435, 2. in fide hactenus perseverat, 435, 2. ante Paulum venenata habebat, 437, 1. illuc quando Paulus appulerit, et inde recesserit, 425, 2. Melitæ duæ sunt insulæ, 434, 1, 2.
Mὴ γένοιτο ad ornatum initio sermonis ponitur, 45, 1.
S. Menæ martyri in tormentis apparuit Christus, 185, 1.
Mendicorum (olim) statio Romæ in ponte erat, 148, 1, 2. mendici quare jam ad fores templorum sedeant, 114, 2 et seqq. an hoc consultum, et ut in templis palam mendicent, ibid. sunt cœli janitores, ibid.
Mensis (quibus) ministrarent viduæ, 160, 2. et diaconi 162, 2.
Mense quo Christus ascenderit, et quoto ejus die, 63, 2.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

tiani dissidebant a Gentibus Christianis quasi servanda legalia, 298, 1 et seq.; 304, 1.
Judas Barsabas quis fuerit, 302, 2.
Judas Galilæus quando Romanis rebellarit, 154, 2 et seqq.
S. Judas Apostolus Jacobi frater, dictus Thaddæus et Lebbæus; et ejus qui fratres, 64, 2. quando epistolam suam scripserit, 8, 1.
Judas Iscariotes fuit initio cæteris Apostolis in dignitate, miraculis, ministerio par, sed postea factus est fur, 67, 1. quomodo agrum dictus sit possedisse, 68, 1. an præcipitio sit, an laqueo mortuus, ibid. an laqueo supervixerit, ibid. ejus desperatio, 68, 2.
Judices olim quamdiu præfuerint Israeli, 250, 2. judices sint continentes, 437, 2. sint in judicando æqui, 404, 1, 2. judices Areopagitæ quales. — Vide Areopagus.
Judicium particulare cujusque quomodo peragat Christus, 185, 1; 242, 1.
Judicii extremi mentione terrenti concionatores auditorum animas, 409, 1. de illo cur apud Felicem agat Paulus, 408, 2. illud per se peraget Christus, 185, 1. judicia capitalia in Areopago exercebantur, 300, 1, 2.
Judith an sit nomen Candacis sive reginæ Æthiopum, 204, 1.
Julianus Apostata invidit Christianis Christi nomenclaturam, 251, 2. quam esset versutus, 116, 1, 2. per magiam imperium et vitam amisit, 355, 2.
C. Julius Cæsar fuit prodigium naturæ; ejus gesta, elogium, monarchia, 412, 1.
L. Junius Gallio, proconsul Achaiæ, fuit frater L. Senecæ, 343, 2. seipsum occidit a Nerone damnatus, ibid. S. Paulo æquus fuit, 344, 2.
Jupiter cur corona oleagina coronaretur, 239, 2; 291, 1, 2. cur dicatur græce Ζεὺς, 292, 2.
Juramentum Episcoporum dum ordinantur, 148, 2.
Justificatio reddit Deum animæ præsentem, 332, 2; 335, 1. quam magnum Dei opus sit, 122, 2.
S. Justinus fuit Sichimita, quando martyr obierit, 172, 1; 327, 2.
Justitia tripliciter in sacra Script. capitur, 240, 1. justitia diversimode accipitur, 279, 1. justitia imputativa refutatur, 153, 1. justitia capitur pro humilitate, 356, 2. justitiæ virtutis descriptio et effigies, 136, 1.
Justus dictus est Joseph, Mariæ filius, 70, 2. Justus dicitur Christus formaliter et causaliter, 119, 2. justi anima est thronus, sedes et templum Dei, 86, 1. per gratiam fit Deus, 2. hic a morte nunquam occupatur, 483, 2.

K.

*Kades* et *Kedesca* quid proprie significet, 153, 1.
Καταθεμα quam varia significet, 402, 1, 2.
*Kirit* vox unde deducatur, 341, 1.
Κοπτω est verbum funerale, 191, 1.
Kordi cur ante pugnam se vino adusto repleant, 99, 2.
Κρατιστε epithetum est præsidum et præfectorum, 16, 1; 400, 2.

L.

Lac pro sanguine manavit e cervice Pauli recisa, 8, 1.
Lætitia spiritualis signum est inhabitantis Spiritus Sancti, 108, 2 et seqq.
Laicis sub una specie sufficit communicare, 106, 1. eorum non est ordinandis manus imponere, 295, 1.
Lancearii milites qui dicerentur, 399, 1.
Laodicea quando terræmotu conciderit, 6, 2.
Lapidantibus (pro) quid Stephanus orarit, 185, 2.
Lapidatio supplicium blasphemiæ, 183, 1.
Lapis quare dicatur Christus, 127, 2. lapis angularis an summus, an imus in fabrica, 128, 1. lapis S. Stephani ancona colitur, 184, 1.
Lapsus eorum qui in alto sunt gradu, quam gravis, 67, 2.
Latinæ voces multæ a Græcis usurpatæ, 362, 1, 2.
Latro in cruce conversus a Christo, an ab ejus umbra inumbratus esset, 150, 1.
S. Laurentium quomodo Christiani sepelierint, 192, 1.
Lazarus quatriduo mortuus cujus rei fuerit symbolum, 289, 1.
Lectio piorum librorum quam utilis sit, 355, 2.
Legio quot milites sub se contineret, 220, 2.
Legitima Ecclesia Ephesi quæ dicatur, 361, 1.
S. Leone Pontifice (a) petita ratio impositionis manuum, 161, 1.
Levitæ poterant habere possessiones extra Judæam, 130, 2. habebant templi curam et custodiam, 121, 1, 2.
Lex an sit prorsus servatu impossibilis, 301, 1. quomodo lata angelis disponentibus, 179, 1. lex erat triplex, 2. Lex Mosis post Christi ascensum ut honesta et religiosa adhuc observari poterat, non tamen obligabat, 381, 1. eam cur Paulus depelleret, ibid. ejus quam grave sit onus, 301, 1. ejus abolitionem fore an dixerit S. Stephanus, 167, 2.
Legis novæ aureum sæculum, 338, 1. lex nova per ignem dari cœpta, 82, 2 et seqq. tota consistit in charitate, 139, 2. lex de suffocatis et sanguine usu est abolita, 361, 1.
Legalia tempore Pauli mortua erant, at non mortifera, 307, 1.
Libertatem actus non tollit consequens necessitas, 95, 1.
Liberti erant homines, 162, 2.
Libertini Judæi qui dicerentur, 166, 2.
S. Libertinus Agrigentinus Episcopus quando vixerit, 439, 1.
Libri magici, mathematici et heretici comburendi sunt, 357, 1. libros sacros legere quam sit utile, 205, 1. liber *Pastoris* cur inter apocryphos numeretur, 373, 2.
Limatura catenarum S. Petri solebat pro ingenti dono ad principes a Rom. Pontificibus mitti, 262, 2.
Lingua regenda est viro perfecto, 89, 1. ejus commoda et effectus, 81, 1 et seqq. linguæ dispertitæ in donatione Spiritus Sancti quomodo intelligantur, 80, 1, 2. cur sic fuerint sectiles, ibid. lingua est symbolum Spiritus Sancti, ibid. et seqq. linguarum donum tria complectitur, ibid. linguæ an veræ fuerint igneæ, 82, 1. quare pyramidales, ibid. cur igneæ, 2 et seqq.
Linguis variis et non una Apostoli loquebantur, 87, 2. linguarum variarum scientiam indit Spiritus Sanctus viris Apostolicis, 88, 2; 91, 1. earum quanta sit in orbe varietas, 88, 2.
S. Linus quando sit martyrio affectus, 9, 2.
Liquor medicus ex reliquiis S. Lucæ scaturit, eoque indicæ sunt repertæ, 42, 2.
Litterati ut plurimum sunt melancholici, 421, 1.
Liturgia est Missa et sacrificium antonomastice, 273, 1.
Livia Drusilla, Augusti uxor, cur vocata Venus cœlestis, cognomento Panthea, 407, 2.
Locus Judæ proprius quis dicatur, in quem abiit, 72, 1. in locis excelsis orarunt Sancti, cur, 233, 1, 2. locus e quo Christus cœlos ascendit, nunquam se patitur tegi, 62, 1.
Λόγος varia significat, 15, 1.
Loquitur quisque prout affectus est, 23, 1, 2.
S. Lucæ modestia et humilitas, 45, 2; 431, 1. est auctor libri Actuum, 40, 1. est pictor Apostolorum, 41, 1. ejus elogium, 42, 1. fuit Evangelista, virgo, Pauli discipulus, Apostolus, *etc.*, ibid. 2. ejus labores pro Evangelio, ibid. quid vox Lucas significet, 43, 1. fuit cognatus S. Pauli, ibid. et martyr, 2. ejus miracula et reliquiæ, ibid. an hysterologia aliquando utatur, 259, 1. ubi adhæserit Paulo, et an continue, 398, 2. quando a Paulo abfuerit, ibid. quando Evangelium scripserit,



399, 1. quam gratus esset Græcis, 384, 2. Melitæ tres imagines B. Virginis pinxit, 135, 2. quando obierit, 6, 2.
Lucius Cyrenensis quis esset, 275, 1.
Lucii Dextri *Chronicon*, et auctoris de eo sententia, 13, 1, 2. 63, 2; 244, 2 et seqq.
S. Ludovicus Episcopus Tolosanus moriens visus est rosam ex ore emittere, 208, 1.
Lutherus habuit dæmonem familiarem, 51, 1; 190, 2. dæmonem elicere non potuit, sed ab eo in summas est redactus angustias, 151, 1.
Lux denotat Dei gloriam, 186, 2. lux Paulum circumfulgens quare solem superarit, 209, 2. unde venerit, 210, 1; 215, 1. ea qualis esset, 129, 1. lux in carcere Herodis an solum Petrum circumfulserit, 252, 2 et seq.
Lycia provincia varias regiones complectitur, 424, 2.
Lyddæ urbis situs et nomen, 221, 1.
Lydia purpuraria quænam esset, 310, 1. unde timeret Deum, ibid., 2.

M.

Macedoniæ elogium, 309, 2.
Magi erant sapientes Persarum, 278, 1. magi Ephesi erant plures, 356, 1. horum responsa sustulere Apostoli, 357, 1.
Magia hæreticis familiaris est, 195, 2. ejus insimulatus Christus et Christiani, 126, 2. ejus artes dissuasit Christianus chrismate inunctus, 199, 1.
Magistratus templi qui diceretur, 123, 1, 2.
Magnalia Dei quæ loquerentur Apostoli, 91, 2.
Magnanimus quam parvi temporalia omnia faciat, 25, 1. magnanimitas S. Pauli, 24, 1.
Magnitudo animi vera est humilitas, 24, 2.
Mala instantia Deus Sanctis prænuntiat, 218, 2.
Malachias quomodo dictus angelus, 168, 2.
Maledictiones Judæ a Davide prædictæ in persona Dei, 69, 2.
Maledictum capitur pro convitio, 397, 2.
Malum consortium vitandum, 402, 2.
Manahem quis propheta fuerit? fuit Herodis Tetrarchæ collactaneus, 275, 1.
Mane præcipue Deus orandus, 132, 1.
Manichæi insana hæresis vocantis se Spiritum Sanctum, et ejus mors, 79, 1. solis cultum docuit, 55, 1.
Manus Hebræis quam varia significet, 139, 2. manus instrumentum miraculorum, 149, 1. capitur pro causa media et potentia, 176, 2. manus in tribus Sacramentis imponitur, 197, 2. manus impositione sola an Apostoli Confirmationem contulerint, ibid. et seqq. manuum impositio Episcoporum est, non laicorum, 295, 1. manus cur catechumenis imponantur, 219, 1. manum cur S. Paulus coram Agrippa rege perorans extenderit, 415, 1.
Marcus Arethusius martyr irrisit tormenta, 137, 1.
S. Marcus quando Evangelium scripserit, 3, 2. quando et quare martyrio affectus, 7, 1.
S. Margaritæ, Scotiæ reginæ, quam esset in pauperes effusa, 225, 2.
S. Maria Ægyptiaca vitam duxit angelicam, 159, 1.
S. Maria Magdalena quando cum sociis in exilium pulsa, Massiliam appulerit; ejus vita in Balma, 1, 2; 139, 1, 2. quotidie septies in cœlum toto corpore rapiebatur, 62, 1. fuit Apostola Massiliensium, 88, 2.
S. Mariæ Oignacensis cum angelis familiaritas, 13, 1.
Mariæ Salomes corpus an quiescat Verulis, 140, 1, 2; 23, 2. quando Verulas venerit, 199, 2.
S. Maria Virgo doctrix Apostolorum erat, 153, 2. ejus memoria celebris in Hispania, ibid. accepit donum linguarum a Spiritu Sancto, 88, 2. est Diana Christianorum, ob varias analogias, 358, 1. est vas fatemonatum, 234, 2. ejus humilitas in omnibus, 65, 1. ejus effigies, ibid. accepit quoque Spiritum Sanctum, 77, 2. orat pro S. Stephano, 183, 2. resolvit quæstionem legalium, 361, 2. an vivens adhuc apparuerit S. Jacobo in Hispania existenti, 236, 1. quando mortua sit, 6, 1. quo anno Christi et vitæ, 380, 1. ei morienti an adfuit Paulus, 2. ea sublata, ruit Ecclesia Judaica, ibid.
Mariamnes, Herodis Agrippæ Junioris filiæ, intemperantia, 415, 2.
Marsi an per incantationes a serpentibus illæsi sint, 437, 1.
Marsilii de Padua error de Episcopatu S. Pauli, 444, 2.
S. Martha quoties per diem et noctem genua flectere soleret, 376, 1.
S. Martialis Episcopus quando sit mortuus, et ejus baculus miraculosus, 9, 2.
S. Martianus an primus Episcopus Syracusarum, 439, 1.
S. Martinus jugiter aspiciebat cœlum, 62, 1. ejus eleemosyna quantopere Christo placuerit, 225, 2.
Martyres primi qui Romæ fuerint, 7, 1, 2. Martyres pro martyrio summas Deo gratias egerunt, 157, 1. eorum corpora decenter sepelienda sunt, 191, 1, 2. eorum sanguis semen est Christianorum, 277, 2. Martyres varii qui in suppliciis gavisi sunt, 156, 1. Martyribus multis ora percussa, 393, 2. Martyres varii sub Domitiano Imp., 10, 1.
S. Martyrius Christum in paupere contexit, 226, 1.
Massiliam quando appulerit Lazarus cum sororibus, 139, 1, 2.
Mathematicorum ars quam sit vana et noxia, 336, 1, 2. ii multis regibus invisi fuere, ibid.
Matrimonia Judæis olim erant vetita cum Gentibus, 308, 1. matrimonia cum Gentibus cur irritet Ecclesia, et non cum hæreticis, ibid.
S. Matthæus quando Evangelium scripserit, 2, 2 et seqq. quantæ id sit auctoritatis, ibid. Æthiopes convertit ad fidem, 204, 1.
Matthias quid significet, idem est qui Matathias, cui in zelo fuit similis; an idem cum Zachæo, 71, 1. quomodo sors super eum ceciderit, 72, 1. tripliciter est electus, 74, 2. tres ejus gnomæ, ibid. ejus reliquiæ sunt Treviris, ibid. quando sit occisus, 7, 2. quando sit in Judæ locum suffectus, 1, 1.
Matutinum tempus idoneum ad recipiendos Dei illapsus, 94, 1. et alia ejus commoda, ibid.
S. Mauritius quare, Episcopatu relicto, peregrinationem susceperit, 190, 1, 2.
qua circumspectione in templo versaretur, 112, 2.
Maximæ res videntur incredibiles, 265, 1, 2.
S. Mechtildis mirum silentium, 169, 2.
Mel quare Judæi sacrificiis non adhiberent, 321, 1.
Melancholia laborant litterati, 421, 1.
Melania quam generose responderit se ob aurum interceptum, 312, 1.
Melita situs, 426, 2. ipsa vicinum habet isthmum, 431, 2. ejus fertilitas et ager, 434, 1, 2. septem ei privilegia a S. Paulo collata, 435, 1. fuit ab eo conversa, ibid. ejus antiquitates, 435, 1, 2. Melita caret venenatis, ibid.; 436, 2. eam S. Paulus protexit sæpe, 435, 2. in fide hactenus perseverat, 435, 2. ante Paulum venenata habebat, 437, 1. illuc quando Paulus appulerit, et inde recesserit, 425, 2. Melitæ duæ sunt insulæ, 434, 1, 2.
Μὲν οὖν ad ornatum initio sermonis ponitur, 45, 1.
S. Menæ martyri in tormentis apparuit Christus, 185, 1.
Mendicorum (olim) statio Romæ in ponte erat, 118, 1, 2. mendici quare jam ad fores templorum sedeant, 119, 2 et seqq. an hoc consultum, et ut in templis palam mendicent, ibid. sunt cœli janitores, ibid.
Mensis (quibus) ministrarent viduæ, 169, 2. et diaconi 162, 2.
Mense quo Christus ascenderit, et quoto ejus die, 63, 2.

Mentem Christo homini demebant Apollinaristæ, 334, 2.
Mentiri Spiritui Sancto quid sit, 146. 2 et seqq.
Mercurius quis deus, unde dictus, 290, 1; 292, 2. quibus rebus præesset, 290, 1. ejus inventa, *ibid.* ejus insigne, cur virga, 2. ejus fabula moralizata, *ibid.* unde dictus Hermes, 290, 1.
Mergisafer locus conversionis S. Pauli dictus est; ejus celebritas, 299, 2.
Meritum consistit non in rei quantitate, sed qualitate, 283, 1.
Mesopotamia capitur pro omni regione quæ est trans Euphratem, 172, 1.
Messanæ an fuerit S. Paulus, 440, 2.
Messiæ tempus instare Judæis omnibus persuasum erat, 154, 1. Messiæ nomen nunquam per crasin contrahitur, 278, 1. ejus tempore tradunt Rabbini omnia animalia munda fore, 235, 2.
Mira an sit, dicet etiam pravis, 131, 2.
Metempsychosim Judæi admittebant, 101, 2.
Metropolis filiam sequuntur reliquæ urbes, 30, 1.
S. Michael (an) Petrum e carcere liberaverit, 151, 1, 2. argumentas docuit et Judæi, 325, 1; 327, 1. cur S. Petrum e carcere Herodis liberarit, 203, 2. decalogum Dei nomine proclamavit, 179, 2.
Michaelis martyris Japonici ardor, 158, 1.
Miletum urbs Ioniæ, 365, 2.
Milliare quantum sit spatium, 63, 1.
Miraculum primum S. Petri extollitur, 147, 2. miraculum in mari ad sepulcrum S. Clementis, 12, 2. item in sanguine S. Stephani Neapoli, 193, 1. miracula tria ascendentis Domini in monte Oliveti, 62, 2. majora patravit S. Petrus quam Christus, 150, 1. miracula poscenda ab hæreticis, 106, 1. miracula quid sint, 94, 2. fiunt a Sanctis vel prece, vel potestate, 117, 2.
Misericordiam abhorrebant Stoici, 320, 1.
Missæ olim celebrabantur in Dominica, 264, 2. quare mane hora prima, 94, 1. cur Missa dicatur liturgia, 275, 1.
Militus magis verberat quam temeritas, 311, 2.
*Momentum* quid proprie sonet, et unde vox formetur, 55, 1.
Monachi unde dicantur, 133, 1. quando primum cœperint, 143, 2.
Monasteriorum amor et concordia, 133, 2.
Moneta Doctor Bonum, quibus verbis motus ad mundum deserendum, 182, 1, 2.
S. Monicæ humilitas, 65, 2.
Mons Oliveti unde dictus, cur ex eo Christus ascenderit in cœlos, 62, 2 et seqq. tria continua miracula in eo post hunc ascensum, 63, 2 et seqq. ejus distantia a Jerusalem, 63, 1, 2.
Moriendi recte modus quis, 195, 1.
Morosi præveniendo curandi, 373, 2.
Mors cur vocetur dolorosa, 97, 2. mors Christianorum velut somnus est, 187, 2. mortem quomodo Christus devicerit, 97, 2. mors et infernus ante Christum idem quid erat, 96, 2. mortis meditatio est remedium superbiæ, 292, 2. mortem sibi quemque inferre posse censebant Stoici, 320, 1.
Morus arbor sapiens cur sit, 56, 2 et seqq.
Mosis erga populum ingratum charitas, 380, 2. ejus elegantia et pulchritudo naturalis et supernaturalis, 176, 2. fuit habitus ab Ethnicis magus, 175, 1.
Moveamur (quomodo) in Deo, 334, 2.
Mulieris descriptio, 255, 2. mulieres quantopere pietati vel obesse, vel prodesse possint, *ibid.* earum fuga suadetur, 29, 1.
Mundus est liber Dei et carmen, 328, 1; 329, 2. est velut magnum animal, *ibid.* ejus regeneratio fiet in die judicii, 121, 2. vasi lineo S. Petro apparenti comparatur 234, 2. est quasi animal. Stoici, 357, 1. mundus viros sanctos pati nequit, 421, 1.
Municipes qui dicerentur, 8.5, 2.
Munera spernenda confessario et prædicatori, 370, 1.
Murmuris vulgarium Græcorum quæ esset origo, 160, 2.
Mustum facile inebriat et cerebrum ferit, 92, 2.
Mysia unde dicta, an duplex, 397, 2. Mysi quam fuerint viles, *ibid.*

## N.

Nati sunt omnes ex uno, cur, 329, 1.
Navigantium pericula, 421, 2.
Navim accingere quid sit, 428, 2. navis Pauli cur periculum fecerit, non homines, 430, 1.
Nazaræorum Christianorum patroni qui sint, 438, 2.
Nazaræatus votum fecit S. Paulus, 345, 2. quid ipsum includeret, *ibid.* et seqq.; 381, 2. erat id commune Judæorum votum, 345, 2. quando et quomodo terminabatur, 381, 2.
Nazaræus mortuo pollutus votum denuo incipiebat, 346, 1.
Nazaræi hæretici quinam essent, 405, 1.
Nazaræus quid proprie sit, et unde sic dictus Christus, 116, 2; 127, 1. Nazaræi olim dicebantur Christiani, 405, 2.
Neapolis urbs erat in confinibus Thraciæ ac Macedoniæ, 309, 2.
Nebridii Romani patritii elogium, 272, 1.
Necessitas duplex est, una actum antecedens, altera consequens, 95, 1. necessitas præscientiæ est antecedens tempore, sed consequens causalitate, *ibid.*, 2.
Nepotiani Clerici elogium, 36, 2.
Neræ sororum Sabinum quid significet, 5, 1.
Nero quo anno et quomodo ad Imperium pervenerit, 4, 2 et seqq. ejus persecutio prima in Christianos quando excitata, 7, 2. Romæ occidit varios senatores, *ibid.* cur in Apostolos sit grassatus, *ibid.* ejus mors, 8, 2; 415, 1. ejus descriptio, 415, 1.
Nestorianismus confutatur, 47, 1; 212, 1.
Nicanor diaconus fuit vir sanctus, 165, 1. quando sit decisus, 187, 2.
S. Nicolaus absens apparuit nautis se invocantibus, 209, 1.
Nicolaus diaconus an auctor et causa hæresis Nicolaitarum, 165, 1. cur Martyrologio non sit ascriptus, *ibid.* fuit proselytus, *ibid.*
S. Nicolao Tolentinati morienti apparuit Christus, 186, 1.
Nili exundatio Ægyptum fœcundat, sed illa a Deo provenit, 293, 1.
Nobilitas generis, sæpe dat nobilitatem animi, 312, 2.
Noceo olim accusandi casum regebat, 149, 2.
Nocturni unde orti in officio Ecclesiastico, 312, 2.
Nomen Dei capitur pro Deo nominato, 301, 2; 123, 2. nomen soli Petro ex Apostolis cur Dominus mutavit, 256, 1. nomen Jesu quam reverendum et amabile, 128, 2. pellit dæmones, 352, 2. nomen Christi diversimode Paulus per orbem portavit, 217, 2. nomen Spiritus Sancti proferre nequit simoniacus, 200, 1. nomen Dei Hebræis erat ineffabile, 325, 1. nomina generosorum non quadrant ignavis, 251, 1.
Nona hora quando inciperet Hebræis, 232, 2.
Nonna, mater S. Gregorii Nazianzeni, quam esset in templo modesta, 112, 2.
Norimbergenses cur præceptum confessionis a Carolo V publico decreto sanciri vellent, 355, 2.
Novatianus Antipapa perditor fuit animarum, 391, 2.
Novatus rejiciens Confirmationis sacramentum fuit a dæmone correptus, 199, 2.
Nubes quæ et qualis susceperit Christum in cœlos ascendentem, 60, 1.
Nudipedes incesserunt veteres, 434, 1.



*Nudius quartus* vox unde dicatur, 230, 2.
Numen omne negabant Epicurei, 319, 1.
*Numeros* rotundos usurpat Scriptura, 286, 2; 173, 5.
*Nuptiæ Ægypti* proverbialiter de nuptiis infaustis dicitur, 385, 2.

## O.

Obediendum Deo potius quam hominibus, 159, 2.
Obedientiæ quanta sit vis, 152, 2.
Occasio commoda rei agendæ captanda est, 55, 2.
Octavia, uxor Neronis, quando ab eo necari jussa, 7, 1.
Octavius unde dictus Augustus, 416, 1. præsagia Imperii ejus, *ibid.* cur vocari noluerit dominus, 417, 1, 2.
Oculorum vis in dicendo quanta sit, 392, 1. oculi unde dicti, 395, 1. iis quanta insit vis animorum, 279, 1.
Oleo (ex) et balsamo fit Chrisma, 198, 1. oleum ante sepulcra Martyrum in lychnis ardens multis salutare fuit, 152, 2.
Oliva et oleum quarum rerum sit symbolum, 62, 2.
Oliveti (in) monte quæ miracula contigerint ascendente Christo, 62, 2. — *Vide* Mons.
Omnia ad Deum referuntur, 320, 2.
S. Onesimus post Timotheum factus Episcopus Ephesinus, 6, 1.
Operatio an Deo sit ratio existendi in rebus, 330, 2.
C. Oppius Centurio an crediderit Christo morienti in cruce, 214, 1.
Optimi epithetum quibus tribueretur, 46, 1; 460, 2.
*Opus* summus Dei, 338, 2. opus unum bonum viam sternit ad aliud, 113, 2. opus manuum etiam viris spiritualibus et Apostolis commendatur, 27, 2. opera virtutum heroica nobis patranda sunt, 50, 2. opera omnia cum Deo incipienda et finienda sunt, 118, 2. operum meritum consistit in magnitudine charitatis, 235, 1.
Oracula Gentiles vocabant sortes, 72, 2.
Orarunt in excelsis locis Sancti, 233, 1, 2.
Orantium res Deus dirigit et secundat, 118, 1. iis assistunt et apparent angeli, 212, 2.
Orationis tempora servanda, 212, 2. oratio Ecclesiæ Judaicæ pro S. Petro vincto, 201, 2. orationis effectus, 165, 1. repræsentatur per altare thymiamatis, *ibid.* primarium munus viri Apostolici est, 163, 2. ea in templo melior est quam alibi, 111, 2. ad adorationem faciendam media nocte surgebant primi Christiani, 312, 1. absque ea anima non proficit, 232, 2. oratio pro hostibus est efficacissima, 157, 1. orationis horas quas haberent Judæi, 113, 1. ea præmittenda electioni pastoris, 71, 2. oratio capitur pro oratorio, 310, 1, 2. orationes sunt velut holocaustum, 215, 1.
Ordinatio fit manuum impositione, 295, 1. ei præmittitur jejunium, 276, 1. *vide* Jejunium. In ordinatione primorum Diaconorum non potuit adhiberi liber Evangeliorum, 165, 2.
Ordo Equitum S. Jacobi in Hispania quando cœperit, 256, 2.
Orientem (ad) conversi cur Christiani orent, 63, 1.
Orientales longas gerunt vestes, 203, 2.
Origenis error circa Exorcistas damnatur, 352, 2.
Osculum sanctum primorum Christianorum, 264, 1.
*Ostendere* in Script. sæpe est quod reipsa præstare, 214, 1.
Ostia clausa carceris an Petrus penetrarit, 205, 1. etiam fides aperire quid sit, 295, 2.
Otii quantum sit malum, 310, 1.

## P.

Pacem apprecantur Hebræi dum salutant, 241, 1. Pacis templum quando Romæ dedicatum, et ejus ornamenta, 9, 1, 2.
Pachomius est conversus visa charitate Christianorum, 135, 1.
Pachyni in Sicilia quid S. Paulus egerit, 439, 1.
Pallas a servo quo potentiæ evectus, 399, 2.
Pallium erat insigne Christianorum, 265, 1. pallium cur gestent Archiepiscopi, 370, 2.
S. Pammachii Christi causa paupertas, 135, 2.
Panem cur dividerent Apostoli circa et per domos, 109, 2. panis Hebræis omnis est cibus, 105, 2.
S. Pantaleon martyr vidit Christum ad martyrium se animantem, 181, 1.
Paradisus erat in Oriente, 63, 1.
Παρακλήσις quam varia significet, 218, 1.
Parentum ultima verba sunt efficacia hærentque in memoria filiorum, 288, 1.
*Paries dealbatus* parœmia quid significet, 394, 1.
Parmenas diaconus fuit vir sanctus, 165, 1.
Parochus quis proprie, 88, 2.
Parœciæ unde ortæ et distinctæ, 108, 2.
*Pars* vox quadrifariam accipitur, 390, 2. partem pretii agri venditi Ananiæ an acceptarit S. Petrus, 115, 2.
Parva eligit Deus, ut faciat magna, 75, 1.
Parvuli in peccato originali mortui, nec damnandi, nec beandi, 233, 2.
Pascha Christianum et Judaicum differunt quoad diem ejus celebrandi, 77, 1. in Paschate cur oretur stando, 376, 2.
Paschalis Vira, Hispanus absens visus est hoste confligere, 209, 2.
P. Paschasii Boetii Soc. Jesu simplicitas, 110, 1.
Passio meretur cœlum, 291, 1, 2. per eam honoratur Deus magis quam per actionem, 410, 2. passio Christi quomodo Deo placuisse dicatur, 95, 1. eam Deus decrevit, non actionem necis ejus, 129, 2.
Pastoris boni officium, 158, 1. ejus est obire domos suorum subditorum, 368, 1. a pastore requiritur quod ejus culpa periit, 378, 1. is quo magis se curat, eo melius se habebit grex, 2. pastoris veri idea, *ibid.*
Pater et Filius cur in eadem Ecclesia beneficium habere vetentur, 71, 1.
Pati magis est Apostolici viri, quam agere, 417, 2. pati pro Christo quam honorificum sit, 157, 1.
Patientiæ tres sunt gradus, 22, 1. tessera est viri Apostolici, *ibid.*
Patria Sanctorum est cœlum, 172, 2.
Patriarchæ omnes sepultine in Hebron an in Sichem, 173, 2; 175, 1.
Patriarchalium sedium origo et ordo, 247, 2.
Patrium Deum quem vocet Paulus, 425, 1.
Patronatus jus habentes, etiam laici, licite dignum Episcopo ad beneficium præsentant, 154, 1.
Patronus orantium pro hostibus est S. Stephanus, 157, 1. patroni nautarum Christianorum qui, 433, 2.
Patrum animas e limbo eductas Christus in cœlum secum evexit, 58, 1.
Pauci æque docendi ac multi, 313, 2.
S. Paulæ humilitas, 30, 2. ejus in Bethlehem paupertas, 27, 1; 135, 2.
S. Paulinus optabat æditues esse templi S. Felicis, 100, 1. se vendidit ut filium viduæ redimeret, 24, 2. eo exspirante tremuit cubiculum, 122, 1. ejus paupertas, 135, 1, 2.
S. Paulus Apostolus quando in tertium cœlum sit raptus, 8, 1. variæ ejus gesta, 2 et seqq. 1, 1, 2; ejus elogium, 14, 1; 15, 1. variæ ejus virtutes, *ibid.* et seqq. est ab æterno ad apostolatum prædestinatus, 2. ejus vocatio duplex, *ibid.* vocationi Dei plene obedivit, 16, 1. hanc gratiam ubique deprædicat, *ibid.* peccasset nisi prædicasset, *ibid.* ejus missio legitima; confert doctrinam cum Petro, 2. ab Ecclesia fuit auctoratus, *ibid.* ejus fides, 17, 1. ejus miracula, 2. spes ejus in Deum et confidentia, 18, 1. quæ adierit pericula, 2. ejus amor Dei et Christi, *ibid.* Deum ubique

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
ALERE FLAMMAM VERITATIS
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

et semper præ oculis habuit, 19, 2. ubique admiratur mysterium vocationis Gentium, 20, 1. plenam habuit voluntatis conjunctionem cum divina, 2. fuit angelus terrestris, *ibid.* semper mentem Deo conjunctam habebat, etiam noctu, 21, 1. patientia fuit admirabili, *ibid.* et seqq. peccata sua assidue deflevit, et confessus est publice, 22, 2. ejus pœnitentia et mortificationes, *ibid.* 23, 1. quam fuerit humilis, *ibid.*; 307, 2; 429, 1. omnium, etiam vilissimorum, curam gessit, 23, 1. defectus suos et tentationes passim deprædicat, 24, 2. ejus animi tranquillitas in adversis, 25, 1, 2. neminem timet, *ibid.* ejus paupertas evangelica, 27, 1; 376, 1. ejus sobrietas, 28, 1. vino et carne abstinebat, *ibid.*; 381, 2. ejus vigiliæ, 28, 2. ejus castitas, fuit et castitatis hostia, *ibid.* ejus modestia et gravitas, 29, 2. ejus statura et figura, *ibid.* ejus affabilitas, 30, 1. ejus mores eœlestes, 2. semper ad majora studebat proficere, *ibid.* assidue lectioni S. Scripturæ incubabit, 31, 1. alios quoscumque faciebat igneos, 2. ejus prædicatio qualis fuerit, *ibid.* rudes studiose catechizabat, 32, 1. prædicationis varios habuit socios, 2. prima ubique fidei fundamenta ponebat, 33, 1. exempla suo plures convertit, *ibid.* ubique et semper docebat, 2. ejus prudentia, *ibid.* et seqq. ejus charitas ardentissima, 34, 1. et seqq. heroica ejus gesta, 35, 2. ejus compassio erga infirmos, *ibid.*, 373, 1. labantes sollicite sustentabat, 36, 1. etiam de corporea proximi necessitate sollicitus erat, 2. pseudapostolos sibi insidentes quomodo sustinuerit et fugerit, *ibid.* martyrium semper ambiebat, 37, 2. id tandem sub Nerone consecutus, et quare, *ibid.* ejus caput recisum saliens tres fontes elicuit, et lac ex eo, non sanguis, fluxit, 38, 1. ejus gloria Romæ, *ibid.*, 2. ejus [illegible] pro lege, 167, 1. lapidavit Stephanum per alios, 171, 2. quomodo tunc adolescens fuisse dicatur, *ibid.* ejus morientis animam Stephanus excepit, 187, 1. ejus feritas in Christianos, 194, 1; 208, 1, 2; 216, 1. fuit Domini et Benjamin ob quatuor analogias, 208, 2. cur a Deo conversus sit, *ibid.* ejus conversionis modus enarratur, 209, 1, 2 et seqq. equo an pedes iverit Damascum, 210, 1. vidit Christum in aere vicino, 212, 1. in conversione fuit contritus, itaque justificatus, tamen libere conversus, 2. ejus gratia diversimode fuit efficacissima, 213, 1, 2. quando et quomodo edoctus sit a Deo mysteria fidei, 215, 1. quomodo viderit Ananiam ad se venientem, 216, 1. fuit vas electionis, quomodo, *ibid.* et seqq. est major cœlo, 217, 1. Christi nomen quintupliciter portavit, 2. quomodo ei Deus ostenderit quæ pro eo passurus esset, 218, 1. plura passus est quam egerit, 2. peculiariter in eo multa facta sunt quasi ritus christianismi, quæ in aliis facta non sunt, 219, 1. ejus cæcitatem discussit Ananias in nomine Jesu, 2. in baptismo repletus est Spiritu Sancto, 220, 1. quo anno Christi sit conversus, *ibid.* 2. quo anno ætatis, 221, 1. quamdiu viverit, *ibid.* incipit prædicare Jesum, *ibid.* Damasci ei tenduntur insidiæ et quando, 222, 1. cur esset Christianis Hierosolymitis suspectus, *ibid.* Judæi tendunt ei insidias, cur, 225, 1. cur inde se subduxerit, *ibid.* segregatur a Deo ad prædicationem Gentium, 275, 1, 2. quando ordinatus sit Episcopus, 276, 1. a quo et quo anno, 2. unde dictus sit Paulus, 278, 2; 279, 2. Theclam Iconii quomodo converterit, 287, 1; 288, 1. item Tryphænam et Tryphosam, 288, 1. cur habitus a Lystrenis pro Mercurio, 290, 1; 291, 1. ejus eloquentia, 291, 1. lapidatur in Lystris, 293, 2. a Deo post lapidationem sanatur, 294, 1. ejus fervor post verbera accepta, *ibid.* cur Timotheum circumciderit, 307, 1. cur vetitus a Deo in Asia prædicare, *ibid.* ejus visio de viro Macedone, 307, 2. ejus pia somnia, 308, 1. ejus comites peregrinationis, 2. cur a dæmone laudari noluerit, 311, 1. flagellatur, 2. fuit statura [illegible] 312, 1. brevis fuit tamen et noctu oravit, *ibid.* ejus magnanimitas, 36, 1; 313, 1; 318, 1; 342, 1; 350, 2; 379, 1, 2; 383, 2; 394, 2; 409, 2; 422, 1. semper primo ad Judæos prædicabat, 315, 1. cur ductus in Areopagum, 322, 2. operabatur manibus ut victum compararet, ne quem gravaret, 27, 2; 341, 2; 373, 2. efficacia vocis ejus, 343, 1. ejus contentio cum Judæis Corinthi, 344, 1, 2. ejus gesta ibi varia, 345, 1. votum ejus fuit Nazaræatus, 2 et seqq. quater Jerusalem adiit Christianus, 358, 2. soli similis est, 359, 1. quamdiu Ephesi hæserit, 351, 2; 371, 2. fundavit Ecclesiam Ephesinam, 352, 1. ejus semicinctia morbos pellebant, 2. cur Romam cogitaret, 357, 1. ejus pugna cum bestiis Ephesi quæ fuerit, 361, 1, 2. pedes proficiscebatur, 365, 1, 2. fulguris instar Asiam et Europam peroudit, 366, 1. cum lacrymis quomodo servierit Domino, 367, 2. ejus ultima verba et testamentum ad Ephesios, *ibid.* ejus zelus, 21, 1; 368, 2; 369, 1; 385, 2; 421, 2. cur impelleretur ire Hierosolymam, 368, 2. ad mortem quomodo anhelaret, 369, 2. Pentecosten ultimam quando Hierosolymæ egerit, 379, 2. an Nazaræatus votum secundo susceperit, 381, 2. omnibus se locis ac personis accommodat, 382, 1. quomodo in templo purificatus sit, *ibid.* quot dies ei impenderit, et quo die captus, 383, 2. latronibus assimilatur a Judæis, 385, 1. ejus charitas erga eos, 36, 2; 385, 2; 389, 1, 2 et seqq. 443, 1. cur servarit litteras olim sibi a pontifice traditas, 387, 2. ejus raptus in tertium cœlum quando contigerit, 388, 1, 2. cur a Judæis conspergatur pulvere, 390, 1. cur flagellatus excepit contra flagellantes, 2. ejus conscientia bona fuit dum persequeretur Christianos, 393, 1. cur jussus a pontifice cædi, 2. cur cum Paulus a Deo optet percuti, 394, 1. quomodo non agnoverit pontificem Ananiam, 395, 2. erat Pharisæus, 396, 2. cur serat discordiam inter Pharisæos et Sadducæos, *ibid.* honor ei vincto exhibitus a Romanis, 400, 1. ejus modestia, 404, 1. ejus libertas coram iniquo Præside, 408, 2. an quadriennio in carcere egerit, 410, 1 et seqq. ejus judex proprius an esset Cæsar, an S. Petrus, 412, 2. cur Cæsarem appellaret, *ibid.* et seqq. a principibus viris auditur, 416, 2. cur ad Agrippam regem sermonem converteret, relicto Festo, 418, 1. potuit Christum concionantem audivisse, *ibid.* quomodo sententiam se detulisse dicat cum occiderentur fideles, 419, 2 et seqq. fuit insanus amore Dei, 421, 1. in quo Christo similis fuerit, *ibid.*; 424, 1. peroravit coram Agrippa vinctus, 422, 1. in Italiam quando navigare cœperit, 425, 1 et seqq. quando Romam appulerit et tempestates passus sit, 2 et seqq. quas in navigatione virtutes ostenderit, 429, 2. quatuor ejus naufragia, 431, 2. quæ bona Melitensibus contulerit, 433, 1 et seqq. vipera eum non læsit, 436, 2. ejus gesta et appulsus in Siciliam, 435, 2; 439, 1. fuit Romæ in libera custodia, 421, 2. ejus ardor in concionando, 444, 1. plures e Neronis familia convertit, 2. a Pontificibus Rom. absolutus est, *ibid.* Romæ non fuit Episcopus, *ibid.* a Nerone primis vinculis liberatus fuit, 445, 1. Hispaniam adiit, *ibid.* ejus gesta ibi, 445, 1, 2. fuit vir cœlestis, *ibid.* quid egerit post prima vincula, 446, 1. ejus martyrium, *ibid.* cur eum Deus integro anno in Christianos sævire permiserit, 132, 2.

Pauper voluntarius est dominus et rex universi, 107, 2.

Paupertas quam sit dives, 135, 1. votum arcte observandum, 158, 1. in qua id situm, *ibid.* ejus beatitudo et perfectio, 134, 1. cur eam primi fideles sint amplexi, *ibid.* ejus commoda et bona, 134, 2. ejus merces, *ibid.* et quomodo Deus provideat, *ibid.* et seqq. pauperes Christi, 135, 1. ejus propago et amor sub Constantino Magno Imp., *ibid.* ejus votum an Christus emiserit, 142, 2. eam an voverint Apostoli, 142, 1. de paupertate gnomæ, 137, 1 et seqq.



Peccantes mortaliter olim a dæmone corripiebantur, 253, 1. quomodo in Spiritum Sanctum peccarit Ananias, 147, 1.

Peccatores semper agnoscant Dei bonitatem, post acceptam peccati remissionem, 123, 1. peccatorum pœnitentium schema est Paulus conversus, 210, 2.

Peccatum est fel amarissimum, 212, 1, 2. peccatorum remissio primarium Messiæ opus, 120, 1. ipsa quantum sit opus, *ibid.*

Pecuniæ Simonis Magi S. Petrus maledicit, et quomodo, 200, 2.

Pedibus solent hostes victi subjici, 141, 2. ad pedes Apostolorum cur primi fideles bona ponerent, 138, 1. pedes osculandi Episcopis et viris sanctis mos unde profluxerit, *ibid.*, 2.

Pelagii errores, 133, 2; 201, 1; 376, 1.

Pelopidæ paupertas, 136, 2.

Penetratio est dos propria corporis gloriosi, 266, 1.

Pentecoste Judaica dupliciter accipitur, 76, 1, ipsa unica tantum die celebratur, *ibid.* cur ea fuerit Judæis indicta, *ibid.* hæc fuit typus Pentecostes Christianæ, *ibid.* prima Pentecoste Christianorum incidit in Dominicam, 2. differt a Judaica, *ibid.* est festum Spiritus Sancti et jubileum, 77, 2.

*Perambulare* in Script. denotat jus et auctoritatem regendi, 223, 2.

Peregrini ad hospitium invitandi, etiam trahendi sunt, 310, 2.

Perfectio in linguæ moderatione consistit, 81, 2. perfectio hujus vitæ et futuræ in quo sita sit, 184, 1.

Persecutio prima generalis Ecclesiæ quando excitata, 189, 1. persecutio et crux est apostolatus insigne, 125, 1. ejus utilitas, 131, 1. ea crescente Apostoli cogitare cœperunt de Evangelio Gentibus annuntiando, 158, 1. in illa Sancti sentiunt consolationes divinas, 22, 1.

Persecutores fabricant coronas fidelibus, 131, 1.

Perseverantia pendet a libero arbitrio, 248, 2. perseverantiæ donum duplex est, *ibid.* hoc a Deo precibus petendum, *ibid.* quantum donum ipsa sit ex parte Dei, et quanta virtus ex parte hominis, 249, 1.

Persona una SS. Trinitatis aliam includit, 77, 2; 103, 1. personarum acceptor quomodo non sit Deus, 240, 1.

Petra super quam S. Stephanus lapidatus fuit, religiose Hierosolymis fuit a Christianis asservata, 183, 2.

S. Petri gesta per annos digesta, 2, 1; 3, 1 et seqq. assidue deflevit peccatum negationis suæ, 21, 1. est caput Apostolorum, 64, 2. ejus cura de Apostolorum cœtu supplendo, 65, 1. unde dicatur exurgere, cum in Judæ locum alium voluit nominari, *ibid.* statuit duos eligendos in Apostolatum, 70, 1. solus pro omnibus Apostolis loquitur in Pentecoste ad Judæos, 93, 2. ejus generositas accepto Spiritu Sancto, *ibid.* quare claudum in se jussit respicere, 114, 2 et seq. primum ejus miraculum quando patratum, 116, 2. ei Christus apparuit extra Romam, 121, 1. incarceratur, 125, 1. ejus affinitas et consanguinitas carnalis quæ, 139, 2. an acceperit partem pretii agri venditi Ananiæ, 145, 2. Ananiam non occidit, 147, 2. ejus umbra sanat ægros, 150, 1. cur lapsus sit in Christo negando, 177, 1. quare ab Apostolis Samariam mittatur, 197, 1. quomodo Simoni Mago perditionem sit interminatus, 200, 2. quo anno ponat Cathedram Antiochiæ, 223, 1; 245, 2. quamdiu ibi sederit, 223, 2. Lyddæ Æneam sanat, 224, 2. Tabitham ad vitam revocat, 226, 1. ejus modestia, 65, 1; 227, 2. cur mittatur ad Cornelium Centurionem, 221, 1; 233, 1. ejus sobrietas, 133, 1. quasi leo sic comedit Gentes, 235, 2. quamdiu servarit legem Mosis, *ibid.* cur ter viderit vas linteum animalium immundorum, 236, 1. ejus hospitalitas, 237, 1. an a Cornelio adoratus, 238, 2. ejus humilitas, *ibid.* 247, 1. satis diu in Judæa et in vicinia mansit, et quare, 259, 2. ejus elogia, 260, 2, quare ab Herode comprehensus, 260, 1, 2. cur tam arcte ab eo custoditus, *ibid.* ejus gaudium in fœtore carceris, 261, 1, cur pro eo Ecclesia continuo oraret, *ibid.* ejus securitas de Dei providentia, 2; 263, 1. liberatur ab angelo et a quo, 262, 2. quomodo carcere sit egressus, an ostiis apertis, an ea penetrarit, 266, 1; 270, 1. Jerusalem quando discedens Romam profectus sit, idque Dei jussu, 269, 2; 276, 2. ubi Romæ sit hospitatus, 269, 2. quæ bona et quam felicitatem Urbi invexerit, 270, 1. quæ eo absente eam mala occuparint, *ibid.* definitoriam sententiam in Concilio Hierosolymitano pronuntiat, 300, 1. Siculos Christi fidem primus docuit per se et suos discipulos, 439, 1. Romæ fuit Episcopus, 444, 2 et seqq.

Petrus et Paulus Romam redeunt, Simonem Magum prosternentes a Nerone carceri mancipantur, 8, 1. eorum martyrium, *ibid.*, 2.

Pharao quibus dolis Hebræos oppresserit, 175, 2.

Pharisæi quam nobiles apud Judæos essent, 299, 2. vix equis utebantur, et cur, 210, 1. eorum erant septem sectæ, 419, 1. erant legis peritissimi et observantissimi, 153, 2. hi Apostolos magnalia Dei loquentes ex malitia deridebant, 91, 2.

Philippi, urbs Macedoniæ, a quo restaurata, 309, 2. an ad Thraciam pertineat, *ibid.*

Philippus Apostolus quo anno cruci sit affixus, 5, 1.

Philippus diaconus non fuit Apostolus, 165, 1. ejus elogium, *ibid.* est missus ab Apostolis Samariam, 195, 1. docuit Eunuchum Æthiopem, 205, 2. raptus est ab angelo ob tres causas, 206, 1. habitavit Cæsareæ in Palæstina, 258, 1.

Philosophi quidam impostores post Christi tempora orbem docendo obierunt, 9, 1. plerique philosophi nudipedes incessere, 264, 1. multi fuere athei, 321, 1.

Philotheus est nomen libri Theodoreti, in quo agit de historia Anachoretarum, 45, 2.

Phocionis Atheniensis paupertas, 136, 2.

Phœnice quæ regio; fuerunt Phœnices celebres navigatione, 247, 2.

Phœnix urbs Cretæ est, 426, 1.

Phœnix avis symbolum est resurrectionis Christi, et mortis ejus, 48, 2.

Phthiriasis quis sit morbus, 259, 2.

Pietas omnia a Deo impetrat, 118, 2.

Pilatus exauctoratus necem sibi conscicit, 4, 1.

Pingendi ars ab umbra initium sumpsit, 150, 2.

S. Placidus absentem S. Benedictum vidit sibi astantem, 259, 1.

Planctus quis super Stephanum factus, 191, 2.

Plato vult uxores esse communes, in quo errat, 106, 2. quid de Deo sentiat, 339, 1. censebat heroes esse deos inferiores, 238, 2. quid de anima sentiat, 132, 1.

Plebeii aptiores ad Dei dona recipienda quam divites 148, 2.

Plinii historici mendacium de Mose, 176, 1.

Pœnam peccati non semper remittit Deus, etsi culpam remittat, 202, 1. pœna sensus respondet peccato actuali, 243, 1.

Pœnitentia a Prophetis et Apostolis prædicata quomodo differat, 420, 2. pœnitentia publica quando et quare introducta sit, 355, 1. pœnitentia est reconciliatio Dei, 388, 2. pœnitentiæ baptismus est baptismus Joannis Baptistæ, 381, 1.

Poetæ erant Gentilium sapientes et prophetæ: quomodo dixerint Deum esse in rebus omnibus, 335, 2.

Πολιτεύεσθαι quid significet, 395, 2.

Politici quam noxii in republica, 116, 2.

S. Polycarpus quam gloriaretur nomine Christiano, 252, 2.

Πορνεία diversas habet significationes, 316, 1.

Pontificatu (in) ineundo vel deponendo sacer annus erat in usu, 126, 1.

 

Pontifices Judaici varii tempore Apostolorum nominantur, 125, 1.
Pontifex Rom. quare Concilium convocare soleat, 66, 1. is e Cardinalibus assumitur, 343, 2. ei quantopere obediendum, 395, 1. Pontifices duo cur in re gravissima lapsi, 177, 1.
Poppæam, Neronis concubinam, quando Paulus Christo sit lucratus, 444, 1.
Populus an jus habeat eligendi ordinandos, 295, 2. an diaconos primos elegerit, 164, 1.
Porta templi speciosa quæ diceretur, 114, 1, 2. erat non atrii, sed extima, ibid. porta S. Stephani quæ sit Hierosolymæ, 183, 2. portæ Caspiæ quæ dicantur, 266, 1.
Porticus Salomonis quæ sit et dicatur, 118, 1. ea erat in atrio Gentium, 119, 1, 2.
Portus boni commoda, 425, 1.
Possessio dicitur quasi pedum sessio aut positio, 107, 2. possessiones vendebant primi Christiani, 108, 1.
Potestas judiciaria humanitati Christi debetur, 242, 1. habuit eam in actu primo a primo conceptionis suæ instanti, 2. potestas ejiciendi dæmones Ecclesiæ cur data, 154, 1.
Præcepta (quæ) legis Christus sua lege abolevit, 301, 1. quot ea essent, ibid. præcepta Superiorum servanda sunt, 305, 1, 2. præceptum de docendis Gentibus quando datum Apostolis, 48, 1.
Prædestinatio et gratia efficax quomodo differant, 96, 1, 2.
Prædicantes hæreticorum vere spermologi sunt, 321, 2.
Prædicatio publica Gentilibus cœpit a Cornelio, 244, 2.
Prædicator sit zelosus et fervidus, 249, 2. eadem alacritate doceat paucos ac multos, rusticos ac nobiles, barbaros ac civiles, 237, 1 et seqq. — Vide Concionator.
Prælati orationi identidem insistant, 165, 2. iis commendatur mediocritas, 66, 1. subditis se faciles præbeant, 247, 1. sint inter se concordes, 111, 1. devorent et occidant omnia subditorum vitia, 225, 2. ipsis est humilitas cum primis necessaria, 366, 1.
Prænomina soli cives Romani, non liberti, habebant, 391, 1.
Præordinatio efficax ad gloriam an facta sit ex mera Dei voluntate, ante prævisa merita, 234, 1, 2.
Præparatio major ad majora Spiritus Sancti dona recipienda, quæ sit, 84, 1.
Præscientia et decretum Dei de Christo objiciendo morti, 95, 1 et seqq. præscientiæ et liberi arbitrii quæ sit concordia, ibid. præscientia Dei necessitas actum liberum sequitur et præsupponit, ibid. quid de ea censeat Calvinus, 96, 2.
Præsentiæ Dei effectus est operationum causa, 325, 2.
Præsides in provincias abeuntes cur secum procuratores et advocatos Italos ducerent, 402, 2. eorum titulus erat optimus, 46, 1.
Prandium dictum quasi πρὰν ἔνδιον, 94, 1.
Presbyter etiam Episcopum aliquando significat, 295, 2. presbyteri adsunt Episcopis in consiliis, ut consiliarii, 299, 1.
Primipili quæ esset apud Romanos in castris dignitas, 230, 2.
Primus Melitæ quis diceretur, et quæ hæc esset dignitas, 437, 2.
Principes subsint Pontificibus, 412, 2. a suis amari satagant, non timeri, 416, 2. sint erga omnes affabiles, 399, 2. eorum regimini officiunt Mathematici et Astrologi, 356, 2. item adulatores, 271, 1. principes viros sibi demereri debent viri Apostolici, 34, 1.
Principes Sacerdotum apud Judæos qui dicerentur, 125, 2 et seqq.
Principio (a) intrinseco vitaliter actus vitalis procedit, 335, 1, 2.
Privilegia civium Romanorum quæ essent, 313, 1; 390, 2 et seqq. privilegia septem Melitensibus a S. Paulo collata, 435, 1.
Prochorus Diaconus scripsit gesta S. Joannis Apostoli, 165, 1.
Proconsul quis esset Romæ magistratus, 277, 1.
Prodigia, virtutes et signa, an reipsa inter se differant, 94, 2. prodigia Hierosolymæ cladem portendentia, 8, 1. prodigia ascensionis Christi quæ fuerint, 58, 2.
Proles Dei quomodo simus, 335, 2.
Prophetæ sunt velut prædicatores, 304, 1. eorum officium est exhortari et consolari, 139, 1. gestarunt sandalia, 264, 2. semper suos auditores terrent, 15, 2. eos per ignem auctoravit Spiritus Sanctus, 82, 2. Prophetas habuit Ecclesia a sui initio, 131, 1.
Prophetia erat una e donis Spiritus Sancti, et primitivæ Ecclesiæ frequens, 252, 2; 274, 1, 2. ipsa est virginitatis præmium, 379, 1.
Proprietarii monachi olim infames erant, et sacra sepultura privabantur, 148, 1.
Prora cur in navibus constringi soleat, 429, 1.
Προσκαρτερεῖν quid, et quam multa significet, 65, 1.
Proselyti olim tempore legis Mosaicæ qui dicerentur, 91, 2. hi cum Judæis in sabbatis conveniebant, ad legem audiendum in synagoga, 285, 1.
Proseucha capitur pro templo et synagoga, 310, 1.
Providentia Dei quid proprie sit, 55, 1, 2. eam Stoici appellarunt fatum, ibid. componit rerum occasiones, ibid. in Dei providentia vivimus, 332, 2. quam ea nos protegat et regat, 131, 2.
Providos in actionibus nos esse oportet, 267, 1.
Provincias (per) quando sint Apostoli dispersi. — Vide Apostoli.
Proximo (cum) quomodo loqui Religiosi debeant, 315, 2.
Prudentia potior dos in Prælato quam sanctitas, 70, 2. quantam prudentiam in omnibus rebus habuerit Paulus, 33, 2.
Ψεύδεσθαι mentiri ac fraudari significat, 146, 2.
Ψῆφος variam significationem habet, 419, 1.
Ψυχή vox unde derivetur, 139, 1.
Publicani poterant esse Judæi, 71, 1, 2.
Publius quis princeps Melitensium, 437, 2. ejus opulentia, ibid. factus deinde Melitensium, an et Atheniensium Episcopus est, 436, 2.
Pudentis domus commune hospitium erat advenarum Christianorum, ad eam divertit S. Petrus: nunc est Ecclesia, 270, 1; 327, 2.
Puerorum institutio commendatur, 82, 1. pueros non baptizavit Joannes Baptista, sed adultos, 350, 2.
Pugna S. Pauli cum bestiis Ephesi quæ fuerit, 361, 1 et seqq.
Pulchritudo faciei sæpe index est pulchritudinis et elegantiæ mentis, 176, 1
Pulverem excutiebant Apostoli apud eos qui Evangelium recipere nollent, 286, 2. pulverem cur Judæi in Paulum jactent, 390, 1.
Punica lingua et Hebræa sunt affines, 247, 2.
Punitiones Dei per mortem repentinam quid denotent, 148, 1.
Purgatorio (e) Christus resurgens plurimos vel omnes liberavit, 77, 1.
Purificationes Judæi interdum devotionis ergo suscipiebant, 383, 1, 2. purificatio in templo Hierosolymitano quæ esset, 382, 1, 2.
Purpuræ inventio prima: cur purpura regum dicatur pannus luctuosus, 409, 2.
Purpuraria unde dicatur Lydia, 310, 1.
Puteoli urbs unde dicta: ejus situs et descriptio, 398, 2.
Pythagoras docuit metempsychosin, 101, 1. salem cur potissimum in mensa apponi juberet, 50, 2.
Pytho dictus est spiritus futura prædicens, 324, 1. inde dictus Apollo Pythius, ibid.



## Q.

Quadragenarii numeri mysteria, 49, 1.
Quadraginta diebus a resurrectione (cur) Christus suis apparuerit, ibid.

## R.

Ῥᾳδιουργία propensio est ad quodvis facinus perpetrandum, 279, 1.
Raphael angelus non informabat corpus assumptum: sed ei tantum assistebat, 81, 2.
Redemptionis primaria septem mysteria totidem horis recoluntur, 113, 1.
Redimi se nolentes sacerdotes ab hæreticis capti, quam generose faciant, 409, 2.
Refrigerium cur dicatur beatitudo, 129, 2.
Reges Ægypti cur crearentur Pontifices, 344, 1, 2.
Reginæ Æthiopiæ cur dicerentur Candaces, 204, 1.
Regnum Dei in cœlo et in terra est Ecclesia, 49, 2. regnum Christi est æternum, et ipsum est Ecclesia, 100, 2. id regnum quomodo Deus paulatim disposuerit, 55, 2.
Religionis causæ non pertinent ad principes sæculares, 344, 1, 2.
Religiosa vita cœpit tempore Apostolorum, 143, 2. est status assiduæ purificationis, 383, 1. ejus quæ fuerint initia, 106, 2 et seqq. ejus commoda, ibid. et seqq. Religiosi et religio quid proprie sit, et unde vox formetur, 90, 1; 323, 2. Religiosus cur vasi lineo a S. Petro viso comparetur, 234, 2.
Religiosi a sectariis vocantur seditiosi et turbatores, sed calumniose, 403, 1. bini cur incedant, 311, 2. Religiosi mendicantes quomodo petendo sint beatiores dantibus eleemosynas, 375, 2.
Reliquiæ sanctorum quam sint salutiferæ, 352, 1, 2. reliquiæ S. Stephani quando inventæ, et per eas sex mortui ad vitam revocati, 192, 2. per eas Majoricæ illatas multi Judæi sunt conversi, 187, 1. reliquiarum cultus astruitur, 193, 1.
S. Rembertus cæcum inungens Chrismate, ei visum restituit, 199, 1.
Remissionis peccatorum beneficium cur toties ab Apostolis inculcetur, 237, 1.
Remphan est Lucifer stella, hanc colunt Turcæ et mane salutant, 177, 1.
Respondere Hebræis est idem quod sermonem ordiri, 149, 1; 243, 2.
Responsum capitur sæpe apud scriptores pro oraculo, 236, 2.
Restitutio omnium rerum creatarum fiet in fine mundi, 121, 1, 2.
Resurrectio Ethnicis quam stulta videretur, 321, 1. resurrectio Christi et hominum maxime in Actis Apostolorum docetur, 41, 1, 2. resurrectionis nostræ causa est Christus resurgens, 125, 1. resurrectio mortuorum spes est Christianorum, 50, 1; 397, 1. resurrectio et glorificatio corporis sunt viæ, quibus Christus ad vitam immortalem progressus est, 99, 2. resurrectio Christi omnium fidei mysteriorum scopus et terminus est, 79, 1. post eam factam angeli gloriosa corpora semper sumpserunt, 282, 2. in ea Christus accepit usum et exercitium potestatis judiciariæ, quam in actu primo habuit a primo conceptionis suæ instanti, 242, 2.
Reus inauditus damnari non potest, 415, 2. ei potius favendum quam accusatori, ibid.
Rhegienses quomodo ad fidem a S. Paulo sint conversi, 441, 2.
Rhegium civitas Calabriæ unde dicatur, 440, 2. ejus antiquitas, ibid. fidem S. Paulo debet acceptam referre, ibid.
Rhode puella ostiaria honesta fuit, 267, 2. et martyr, 268, 1. cur Petro pulsanti non aperiat, ibid., 2.
Rhodus unde dicta, 267, 2. Rhodi descriptio, et quando ea a Turcis capta sit: semper in ea sol apparet: ejus colossus quam fuerit altus, 378, 1. soli sacra fuit, 267, 2.
Ric hebraice quid sonet, 130, 1.
Robertus Bellarminus Cardinalis horas suas Canonicas singulas stato tempore recitabat, 113, 1. ejus bona et sancta simplicitas, 110, 1.
Roma primitus dicta est Valentia significatione Græca, 64, 2. Roma vetus cis Tiberim fuit, 266, 1. eam Paulus quando sit ingressus, 425, 2; 442, 2. illic quando Petrus Apostolus Cathedram constituerit, 3, 1. illic plurimi Judæi habitabant, 91, 2. Romæ incensæ causam Nero in Christianos conjecit, 7, 1.
Romana Ecclesia celebris est propter Paulum Apostolum illic sepultum, 38, 2.
Romani cur haberent in Jerusalem sua præsidia juxta templum in arce Antonia, 384, 2; 390, 1. quot Judæos in excidio Jerusalem occiderint et vendiderint, 9, 1. Romani in aliis locis torqueri et necari non poterant, 313, 1. quam essent continentes tam a venere quam ab avaritia, 298, 2. Romanis prædicandi fiduciam cur Paulus acciperet, 442, 2. Romanorum fidelium hospitalitas semper celebrata fuit, 237, 1.
Rosæ floris elogium, 268, 1. est symbolum virginitatis, ibid.
S. Rosæ mortuæ corpus etiamnum flexile est, 268, 1.
S. Rosula martyr fuit cum S. Cypriano, ibid.
Rubellius Plancus Romanus quare in exilium missus sit, 6, 2.
Rufus, Simonis Cyrenensis filius, an fuerit Episcopus primus Dertosensis, 446, 1.

## S.

Sabbas Abbas orationis horas etiam in aula Imperatoris servavit, 113, 2.
Sabbati iter quod diceretur, 63, 1, 2. sabbatum cur dicatur hebdomada, 364, 2.
Sacellum Romæ extra portam S. Sebastiani in cujus rei memoriam erectum, 121, 1.
Sacerdotes quales ab Apostolis converterentur, 166, 1. sacerdotum quorumdam Soc. Jesu mira charitas, 433, 1.
Sacramentorum novæ legis vis et potentia; sunt velut fidei velamina, 150, 2. constant e materia et forma, 351, 2. eorum materias et formas quando Christus suos docuerit, 59, 1. Apostoli ea non instituerunt, 162, 2.
Sacramentarii negant Christi corpus posse esse in cœlo et in Eucharistia simul, 212, 1.
Sacrificium nonnisi in templo Jerusalem offerri poterat, 275, 2. sacrificium Missæ astruitur, 276, 1. est ministerium soli Deo debitum et proprium, ibid.
Sacrilegii vindex acerrimus est Deus, 149, 1.
Sadducæi unde vocarentur, eorum dogmata, 125, 1. erant quasi Judæorum Epicurei, ibid. eorum quinque errores, 397, 1. eorum hæresis viguit tempore Christi, et quomodo ipse eam vivens refutarit, 140, 2 et seqq.
Sæculum dicitur a senio, an recte, 302, 1.
Sal quarum rerum sit symbolum, 50, 2. hospitibus cur ante omnia apponi solitum, ibid. cur veteres eum vocarint divinum, ibid.
Salamina urbs Cypri, 277, 1.
Salomonis exorcismi an magici, et quando ab eo compositi, 352, 2. Salomonis porticus in templo quæ diceretur, 118, 2 et seqq. 149, 1. an in Coo insula equos generosos emerit, 376, 1.
S. Salvius cur ad vitam redire jussus sit, 226, 2.
Salus justitiæ individue adhæret, 331, 2.
Salutatio Sanctorum efficax est, 50, 1; 115, 1.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

Salutatores qui morbos halitu sanant, an tolerandi, 437, 1.

Samariæ urbis descriptio, situs, elogium, 194, 2. prima fidem Christi suscepit, 193. 2. ab Herode dicta est in honorem Augusti Sebaste vel Augusta, 194, 2.

Samaritæ negabant Spiritum Sanctum, 197, 2.

Sambucus inter arbores infelices numeratur, hinc ex ea Romæ olim quotannis canes suspendebantur, et cur, 68, 2.

Samothracia unde dicta sit, 309, 2.

Samus insula et vasa Samia quæ sint, 365, 2.

Sancti suas dotes et miracula soli Deo ascribunt, 119, 2. sunt velut angeli corporei, 233, 2. sancti pauperes et austeræ vitæ pene soli miraculis clarent, 115. 2. Sancti in Dei voluntatem se resignant, 433, 1. sua præsentia peccatores salvant, 436, 2. eorum infirmitas et inconstantia, 68, 2. hinc aliquando refrigescunt et cadunt, 131. 1. eorum aspectus quam sit salutaris, 115, 1. eorum umbra noxia malis, salutaris bonis, 150, 2. est eorum salutatio mire efficax, 80, 1. sæpe dominium in bestias nanciscuntur, 436, 2. sunt cosmopolitæ, 443, 1. eis in periculis crescit spes et animus, 472, 1. multi in opulentia fuere pauperes, 146, 1. ambulant semper in Dei conspectu, 98, 1. miracula faciunt vel prece, vel potestate, 118, 2. ipsis patria cœlum, terra exilium, 61, 2; 171, 2. eorum cultus astruitur, 192, 1. quam sint benefici, 435, 2 et seqq. semper cœlum aspiciunt, 61. 2. orituri concedunt ad loca excelsa, 233, 1, 2. sancti viri semper ambierunt martyrium, 157. 2. Sanctis quibusdam morientibus apparuit Christus, 185, 1. sancti qui cum Christo resurrexerunt, non rediere ad sepulcrum et mortem, 100, 2.

Sanctus diaconus quam Christi nomine se jactaret, 252, 2 et seqq.

Sanctitatis primorum fidelium quæ præcipua fuerit causa, 105, 1. sanctitatis vim etiam impii expavescunt, 106, 1. sanctitatis omnis, tam creatæ, tum increatæ fons est Spiritus Sanctus, 87, 2.

Sandalia cum calcei, sive munimenta pedum, 263, 2. eorum forma, 264, 2.

Sanedrim concilium e quibus esset conflatum, 125, 2. in eo damnatus Christus præsidentibus Caipha et Anna, ibid.

Sanguine (in) S. Stephani continuum miraculum Neapoli cernitur, 163, 2. sanguinem super aliquem inducere quid sit, 152, 2. sanguinis esus ante diluvium vetitus; etiam postea neo-christianis, 302, 2. eum polabant Gentiles, ibid. eum Christianos bibere dicebant Gentiles, 303, 1. sanguine jam vesci licitum, ibid. sanguis Christi in triduo mortis ejus non fuit corruptus, 99, 1. sanguis Martyrum semen est Christianorum, 272, 2. sanguinis baptismus est martyrium, quod expiat omne peccatum, 54, 2.

Sapientes suos Hebræi vocabant Sopherim, Græci philosophos, Chaldæi magos, 12, 1.

Sapores usus est Imp. Valeriano ut scabello, equum ascensurus, 161, 2.

Saraceni colunt stellam Venerem, eamque vocant Cabar, 477, 2.

Sarmenta proprie quid sint, 438, 1.

Saron quæ sit urbs, et quæ in ea gesta, 224, 2.

Satanæ quod sit etymon, et quid proprie significet, 146, 1. non sic eum primum vocavit Christus cum ab eo tentaretur, ibid.

Satisfactio Jasonis Thessalonicæ pro Paulo quæ sit, 318, 1.

Saul rex an XL annis imperarit, 281, 1.

Saulus unde sic dictus : comparatur cum rege Saul, comparatur inferno, item fluctui inquieto, 208, 1. — Vide reliqua in Paulus.

Scandala quælibet vitanda, 36, 2. eorum quanta sit malitia, 211, .

Scaphæ cur addantur navibus onerariis, 428, 2.

Scenofactoria ars S. Pauli quæ esset, 314, 1.

Scenopegiæ festum per septem continuos dies celebratur, 75, 1.

Schismatis primi in Ecclesia Hierosol. quæ fuerit causa, 160, 1, 2.

Schola quid proprie sit ex vi verbi, 351, 2. scholam magicam quando Apollonius Thyanæus Ephesi instituerit, ibid.

Scientiam a Deo infusam et revelatam habuit S. Paulus, 31, 1.

Scipioni Roma parum grata exstitit, 389, 1. ejus paupertas, 130, 2.

Scriba qui Ephesios tumultuantes compescuit, quis fuerit, 360, 1. Scribæ qui essent, 125, 1.

Scripta Clementis Alex. sunt ab hæreticis vitiata, 258, 1.

Scripturæ quatenus scrutandæ sint, 318, 2. Scripturas tractabant Judæi in synagogis, 315, 2. eas docebant, describebant, et interpretabantur Scribæ, 125, 1. vix sine interprete intelliguntur, 204, 1, 2

Sederé cur dicantur linguæ igneæ super singulos Apostolorum, 83, 2.

Seditio unde dicatur : an bona vel mala, 298, 2 et seqq.

Selenem suam quamnam esse diceret Simon Magus, 196, 1.

Seleucia urbs dicta a Seleuco Nicanore, 277, 1.

Seleucus, rex Asiæ, cur dictus Ceraunius, 428, 1.

Semicinctia quæ dicantur, 352, 1.

Senatores sint seniores, 125, 1.

Seneca fuit Stoicus, non Christianus, et moriens sanguinem suum Jovi libavit, 344, 1.

Sententiæ Areopagitarum instar oraculorum habebantur, 324, 2.

Sepelire mortuos proprium piorum opus est, 191, 1.

Septem diaconi cur Apostolis assisterent, et dein Episcopis, 161, 1.

Septembri (in) cur incommoda sit navigatio, 435, 1.

Septuaginta quinque animas quomodo in Ægyptum ingressas dicat S. Stephanus, cum tantum fuerint LXX, 172, 2.

Sepulcrum a quo emerit Abraham, 174, 1.

Sepulturæ Christianorum mos priscus, 192, 2. sepultura olim carebant ex Ecclesiæ statuto monachi proprietarii, 148, 1.

Serapion quo pacto a tentatione gulæ sit liberatus, 355, 1.

Sergius Paulus qua occasione a S. Paulo conversus : relatus est inter Sanctos, fuitque Narbonæ Episcopus, 279, 2.

Serpentes quomodo sint trilingues, 80, 2. an impune tractari a quoquam possint, 437, 1. serpentes in Melita non nascuntur, et illati venena expuunt, 435, 2 et seq. 436, 2. adversus eos quomodo Marsi et Psylli sint illæsi, 437, 1.

S. Servulus pauper et paralyticus moriens miram odoris spirabat fragantiam, 29, 2.

Sessio apta contemplationi, hinc quietæ mentis est symbolum, 80, 1.

S. Severinus quare in Purgatorio punitus, 113, 2

Sexta hora orationis quæ, 233, 2. sexta hora erat prandii, 94, 1.

Sexus femineus præ virili solet esse pietati addictus, 443, 1.

Sibyllæ virginitate meruerunt prophetiæ donum, et unde cognominatæ, 370, 1. ex iis potuerunt Athenienses discere futuram Christi incarnationem, 325, 1.

Sicarii et sica quid sint, 385, 1.

Sichem urbs varia postea habuit nomina, 173, 2.

Sicilia unde vocetur, 440, 2. a S. Petro fidem et Episcopos accepit, 439, 1. in ea quid egerit S. Paulus, 439, 1, 2.

Sicut in Script. sæpe non similitudinem, sed veritatem significat, 82, 1.

Signo quodam an designatus fuerit Apostolus Matthias, 72, 2. signo visibili quasi visibilem se reddere Apostolis Spiritus Sanctus voluit, 80, 2.

Silas an idem sit qui Silvanus : ejus elogium, 303, 2.

Sileni quæ essent imagines, 391, 1. et qui iis assimilentur a Platone, ibid. tales sunt ii qui mundo obscuri sunt, at Deo noti, ibid.

S. Simeon Episcopus Hierosol. sub Trajano senex martyrio afficitur, 7, 1.

Simon quid significet, et unde dicatur, 301, 2.

Simon, pater Rufi, qui crucem Domini portavit, cujas fuerit, 91, 1.

Simonis coriarii in domo cur S. Petrus hospitaretur in Joppe, 227, 2. ejus hospitalitas, ibid.

Simon Magus volans est in terram dejectus per preces Apostolorum, 8, 1. a Romanis habitus ut deus, ibid. ei in arte magica Romæ successit Apollonius Thyanæus, ibid. dicebat se esse deum, 195, 1; 196, 1. alia ejus delira dogmata, ibid. fuit primus hæresiarcha, 195, 1. ficte credidit, 196, 2. fuit parens simoniæ, 199, 2. volebat S. Sanctum emere et vendere, ibid. ambivit Episcopatum, ibid. S. Petrus ei maledicit, 200, 1. fuit hæreticus, 202, 1, 2. ejus exitus, 203, 1.

Simon Zelotes, id est Cananæus, quis fuerit : unde dictus Cananæus, 64, 2. Simon et Judas apostoli quando occisi sint, 7, 1.

Simoniæ quis sit auctor, 199, 2. ea est pejor hæresi Macedonianorum, 200, 1. est proprie peccatum in Spiritum Sanctum, ibid. quid sit proprie simonia, ibid. ea infecti excommunicantur, 201, 2. vocatur fel, 202, 1.

Simoniaci antiqui Testamenti qui fuerint, 199, 2.

Simplicitas physica et moralis quæ sit, 109, 1 et seqq.

Simulacrum proprie quid sit, et unde dicatur; Ecclesiastico usu in malam partem capitur, 321, 1.

Sinenses tunicis solam se accingunt, et carent femoralibus, 263, 2.

Situs rectus decet corpus gloriosum, 60, 1.

Sixti III liber de divitiis editus a Pelagianis, 376, 1.

Sobrietatis verba quomodo Paulus se loqui diceret, 421, 1.

Societatis Jesu elogium, 240, 2. ejus Patres in Indiam navigantes cur genu flexo in littore orando invicem valedicunt, 376, 2.

Socrates e carcere fugere noluit, 313, 1. ejus forma alia erat quam mens, 391, 1. cur sit in Areopago CCLXXXI sententiis damnatus, 332, 2.

Sodalitas tam sancta nulla est, quæ non habeat suum nævum, 67, 2.

Sol cur vocetur Ἥλιος, 329, 1. sol est hieroglyphicum Dei, 329, 1. sol oriens et occidens symbolum est Christi, 48, 1. ab occidente et oriente barbari Deum adorare solebant, 151, 2. soles tres apparuere anno Christi LI, et simul omnes in eumdem orbem coierunt, 4, 2.

Solarini in Sicilia an Paulus fuerit aliquando, 439, 2.

Somnia sunt indicia vigilantis animi, virtutis aut vitii, 308, 1.

Sonus cum quo delapsus est Spiritus Sanctus, quid denotet, 78, 1. non fuit verus ventus, sed venti sonus, 80, 1.

Sopater erat patria Berœensis, 361, 1.

Sortes Apostoli quas miserint, et quomodo, in electione Matthiæ, 72, 2. fuere diversi sortiendi modi, ibid. S. Matthias quomodo per eas fuerit designatus, ibid. quare Apostoli rem tantam sorti commiserint, 73, 1. sortes in rebus sacris quando sint licitæ, ibid. usitatæ fuere in veteri Testamento : jam sunt prohibitæ in electionibus pastorum, ibid. sors Matthiæ qualis fuerit, 72, 1. sortis nomine cur vocetur Apostolatus, 67, 1.

Sosthenes quare percussus a Judæis Corinthi, 341, 2. Paulo favebat, etsi esset Judæus, 345, 1. Sanctis ascriptus est, ibid.

Σωτήρ (cur) rex Antiochus dictus sit a suis, 153, 1.

Specie (una sub) communicare laicis sufficit, 106, 1. species rerum omnium Deus angelis ab initio indidit, 88, 2.

Spelunca juxta Melitam magna in veneratione habetur, 435, 1.

Spermologus quis sit, sic dicta etiam avis, 321, 2.

Spes omnia perfringit, 18, 1. est tunc magis augenda, cum crescunt pericula et adversa, 361, 2. Sanctis ea crescit in afflictionibus et periculis, 472, 1. spes vitæ immortalis est vita vitæ mortalis, 41, 2. spes est omnipotens, 18, 1. spes Israel est Christus, 433, 1.

Σφόδρα quid proprie significet contra Bezam, 116, 2.

Spiridion Episc. Trimithuntis pecuariam exercuit, 27, 2.

Spiritum Domini tentare quid sit, 149, 1.

Spiritu (de) majorem, quam de corpore curam gerere optimus est moriendi modus, 285, 1.

Spiritus Sanctus post Christum quasi incarnatus est in linguis igneis, 29, 1. ejus divinitas astruitur, 147, 1. quare Hierosolymis in Apostolos missus sit, 54, 1 et seqq. cur vocetur promissio Patris, 53, 1. est proprius novo Testamento, ibid. quomodo Apostolos sustentarit, 47, 1, 2. datur in Confirmationis sacramento, 198, 2 et seqq. ejus effectus, 199, 2; 89, 1. est ipse donum, 201, 1. datus est omnibus Christi discipulis, 77, 2. cur venit cum sono et repente, 78, 1. cur de cœlo, ibid. ejus elogia, 79, 1. cur venit cum vento vehementi, ibid. diversis in figuris alias apparuit, 2. est quasi ventus ecnephias, ibid. non tamen venit cum vero vento, 80, 1. cur in linguis igneis venerit, 2. ejus symbolum est lingua, 81, 1. item ignis, 82, 2. ejus effectus in animis Apostolorum et fidelium, 83, 1, 2. cur sederit super singulos Apostolorum, ibid. an crearit eos Episcopos, 84, 1. eum quisque fidelium diversum et imparem accepit, ibid. inter ejus adventum et incarnationem Christi quinque analogiæ, ibid. 2. quis, qualis et quantus sit Spiritus Sanctus, 85, 1 et seqq. est Deo intrinsecus et substantialis, ibid. procedit a voluntate et amore Patris et Filii, ibid., 2. est primum et increatum donum Patris et Filii, ibid. quomodo dicatur imago Filii, 86, 1. realiter datur justis, ibid. est profanorum parochus, 2. infusio et effusio Spiritus Sancti, qui differant, 87, 1. eo quomodo sint Apostolis repleti, ibid. cur vocetur Spiritus Sanctus, 87, 2. indidit Apostolis omnium linguarum cognitionem, 88, 2. venit hora tertia ab ortu solis, 94, 1. ejus vis, 221, 1. cur dicatur Paracletus, 223, 2. Conciliis præest et adest, 306, 1. etiam a Filio procedit, 77, 2; 307, 2.

S. Stanislaus Episc. Cracoviensis quemdam Petrum ad vitam revocavit, 226, 2.

Stanislaus Hosius Card. etiam per viam in curru lectitabat, 204, 2. ejus de hæreticorum digladiationibus sententia, 296, 2.

Stans Christus in cœlo cur a Stephano visus, 181, 1, 2.

Statio symbolum est constantiæ, 181, 2.

Statua cur ab Ephesiis donatus sit Apollonius Thyanæus, 356, 1. statuæ Simonis Magi Romæ quid Nero inscripserit, 203, 1. cur statuam suam Caius Caligula Imp. in templo Hierosolymitano poni voluerit, 3, 1.

Status cujusque velut via et stadium est, 71, 1

Stella Magis apparens quam lucida foret, 420, 1. stellæ cur Apostoli comparentur, 78, 2

S. Stephanus primus Rhegiensium Episcopus fuit martyr, 451, 1. ejus elogium, ibid., 2.

S. Stephanus diaconus et protomartyr an fuerit e LXXII discipulis, 164, 1. habuit nomen Græcum et patriam, at Hebræus fuit origine, ibid. ejus dignitas et dotes, ibid. et seqq. ejus fides commendatur, 164, 2. fuit plenus Spiritu Sancto, ibid.; 166, 1; 167, 1; 179, 2. quod crimen ei objecerunt falsi testes, 167, 1, 2. facies ejus erat angelica ob fulgorem, cur, 168, 1; 2. honorifice loquitur de Mose et Abraham, 172, 1. an in historica sua nar-

...atione lapum sit memoria, 174, 1. cur fuerit tam acer, et tonet subito in Judæos, 178, 1. legem veterem quanti faceret, 179, 2. quam Dei gloriam viderit, ibid. et sequ. non vidit eam oculis corporeis, 18 , 1. quomodo viderit cœlos apertos, et quare, 180, 1. solus vidit Jesum stantem, et in cœlo empyreo, cur 182, 2. cur id dixerit ... ibid. extra civitatem cur a Judæis raptus, 183, 1. ubi sit lapidatus, 2. ejus capitis vestigia et signa adhuc hodie in lapide, in quo exspiravit, apparent, ibid. B. Virgini martyrii sui coronam debet, ibid. ejus ætas, ibid. quando sit lapidatus, 184, 1. ejus encomia, ibid. cur moriens sit genuflectens, 186, 1. cur moriens clamarit, ibid. quomodo oret pro lapidantibus, ibid. charitate Judæos oppugnavit, 186, 2. precum ejus vis, 187, 1. excepit S. Pauli morientis animam, ibid. est patronus orantium pro hostibus et obstinatis, ibid. reliquiarum ejus miracula, ibid. 2. et 192, 2; 193, 2. ejus sepultura, 191, 1. ejus reliquiæ quando et quomodo inventæ, 192, 2 et seqq. quomodo in Europam et Africam delatæ, 193, 1. apparet Virgini Pulcheriæ, ibid. ei S. Laurentius Romæ in sepulcro locum cessit, ibid. 2. Christianos jussit Hierosolymam oppugnantes, ibid.
S. Stephanus, rex Hungariæ, a S. Stephano protomartyre regnum obtinuit, 187, 2. per angelos ab hostibus est liberatus, 269, 1.
Stimulus contra quem calcitraret Paulus, quis esset, 212, 1, 2.
Stoici unde dicti, et eorum paradoxa, 319, 2 et seqq.
Stomachorum tria sunt genera, et illis peccatores convenientibus assimilantur, 235, 2.
Studium proficiendi quantum S. Paulus habuerit, 30, 2. studia nimia ac parcimonia victus pallorem et maciem homini conciliant, 348, 2.
Stupor vocem eripit et mentem, 214, 2.
Stygis aqua quam sit acris, 334, 2.
Suffocata cur vetentur Christianis, 302, 2. ea censebant Ethnici esse cibi deorum, ibid. ab iis Judæi legis præscripto abstinere tenebantur, ibid.
Suffragii jus in Conciliis soli Episcopi habent, 299, 1.
Sumptus in nazaræatus voto quare fierent, 382, 1.
Superbi quomodo a Deo puniti, 271, 1.
Superbiæ remedium est mortis meditatio, 293, 1, 2. superbia hæreseon fons est, et signum hæreticorum, 195, 2. cur sit summa injustitia, 366, 2.
Superior sit potius prudens, quam sanctus, 76, 2. superior aliquando mittitur, 127, 1.
*Superstitiosi* et *superstitio* unde dicatur, 323, 2.
Symbolum fidei ab Apostolis compositum est ante eorum discessum e Jerusalem, et dispersionem per orbem, 3, 1.
Synagogæ variorum Judæorum erant Hierosolymis, 166, 1, 2.
Συναλίζεσθαι unde dicatur, 50, 1.
Synaxibus (in) quem ritum et ordinem servarint primi Christiani, 105, 2.
Syracusæ urbs describitur, 438, 2.
Syrtis et syrtes quid sint in mari, 429, 1.


## T.


Tabernaculum David quando reædificatum sit, 301, 2.
Tabita vox quid sonet, et unde derivetur, 225, 1.
Tabitha mulier est a S. Petro ad vitam revocata, dein certa de sua salute fuit, 226, 2. in statu gratiæ decesserat, ibid.
Tamberlanes Bajazetem, Turcarum Imperatorem, quam viliter habuerit, 101, 2.
*Tanquam* in Script. sæpe veritatem rei significat, non similitudinem, 82, 1.
S. Tarsilla moriens vidit Christum sibi apparentem, 185, 2.
Tarsus urbs unde dicta: abundabat navibus: ejus celebritas, 215, 2; 334, 2. unde accepit jus civitatis Rom., 391, 1. est patria Pauli, 215, 2.
Tartari potant in siti sanguinem equinum, 302, 2.
Τάττω est vox militaris, 384, 1, 2.
Tecta Palæstinæ domorum erant plana, 233, 1.
Τελειοῦσθαι quid significet, et τέλος et τελειῶ, 155, 1.
S. Telmus est patronus nautarum, 438, 2.
Tempestatis marinæ hypotyposis, 429, 2.
Templum quando cum commodo frequentetur, 108, 1. templum Dianæ Ephesiæ quanta haberetur in veneratione, 357, 2. ejus magnificentia, 358, 2. id quando et a quo incensum, et dein eversum, ibid. templi Judaici descriptio, 118, 1. ejus prætor quis esset, 124, 2. ipsum soli Judæi ingrediebantur, nulli Gentiles, ibid. 384, 1. illud gradibus ascendebatur, 111, 2. id expiabatur cum cæde aut alio scelere esset pollutum, in die expiationis, 384, 2. templi nomine aliquando vocatur atrium laicorum, 385, 1. templum non gaudebat jure asyli, ibid. eo gaudent templa Christiana, ibid. templum Pacis quando Romæ exstructum, 9, 2. templum magnificum Helena Imperatrix erexit in monte Oliveti, et ipsum superne apertum, 63, 1. templum Heliopolitanum dictum Onion, a Vespasiano Imp. demoliri jussum, 9, 1. templum Lateranense Romæ unde dictum, 7, 2. Deus in templis solis manufactis non habitat, 177, 2 et seqq. templorum structura, ornatus, frequentatio commendatur, 112, 1. eorum violatio et eversio graviter a Deo punitur, ibid. eorum profanatio evidens signum est iræ Dei et cladis imminentis, ibid. in iis Abyssini nunquam sedent, 9.
Tempore exiguo multa colligi potest merces et merita, 327, 1. tempora orationi statuta servanda sunt, 113, 2.
Tentationes carnis et diaboli quomodo vincantur, 249, 1.
Tentatur Deus tripliciter a nobis, 300, 2.
S. Theresiæ votum de faciendo eo quod erat perfectius, 142, 2.
Terminum temporis et loci cuique genti præscripsit Deus, 329, 1.
Terra Melitensis sanat quoslibet morsus venenosos, item valet contra alios morbos, 435, 2. terræmotus factus orantibus Apostolis, ejusque varia symbola, 131, 2. terræmotus factus orante Paulo et Sila, 312, 1. terra Sanctis est velut carcer et exilium, 172, 2. terra tota habitabilis et habitata est, 329, 1.
Terrores magis feriunt dura peccatorum corda quam blanditiæ, 338, 1.
Tertullianus ex oratore forensi factus Christianus, 402, 2. quare librum *De Pallio* scripserit, ibid. censuit animam esse corpoream, 297, 2. quo anno Christi vixerit, 132, 2.
Testes quænam S. Stephano impingant, 167, 1, 2.
Testimonium bonum a populo habeat ordinandus, 161, 1. Testimonii tabernaculum cur dicatur, 177, 2.
S. Thaddæus quando ad Abagarum regem missus sit, et eum baptizarit, 8, 1; 257, 2; 258, 1.
Theatris (in) olim spectabantur hominum et ferarum pugnæ, 361, 2.
S. Theclæ conversio quomodo facta sit a S. Paulo, ejus elogium, 287, 1. cur vocetur protomartyr, 2. quando defuncta sit et ubi sepulta, ibid. ejus vitam qui scripserint, ibid. varia ejus gesta, 288, 2. an sit vere mortua, ibid. varia ejus encomia, ibid.
Themistocles erga Athenienses ingratos gratus fuit, 389, 1.
Theodas seditiosus quis fuerit, an fuerint duo hujus nominis, 154, 1, 2.
Theodorus Mopsuestenus hæreticus docebat Christum esse merum hominem, 102, 1.
Theophilus, ad quem Lucas scribit Acta sua, quis fuerit, 45, 2. fuit civis Antiochenus nobilis et Christianus 46, 1.





Theriaca quando inventa et unde dicta, 436, 1.
Θηριομαχεῖν idem est quod bestiis objici, 362, 1.
Thesauros suos reges Asiæ in templo Dianæ ut in loco tutissimo reponebant, 358, 2.
Thessalonica civitas quæ sit, et unde vocata, 315, 1.
Thessalonicenses erant Macedones, 424, 2.
S. Thomas Apostolus quando sit occisus, 9, 2.
S. Thomas Aquinas orationis mire studiosus erat, 232, 2. cur dictus Doctor angelicus, 169, 2. dictus bos mutus, ob silentium, ibid.
Thure accenso honorandi defuncti, 192, 2.
Thyatira civitas Lydiæ erat, 310, 2.
Tiberii Imp. crudelitas, 255, 1. quam lucidos haberet oculos, 329, 2. ab exilio Rhodiensi est ad imperium vocatus, 255, 1. Christum inter deos referre voluit, ibid. 223, 1; 311, 2. quando sit mortuus, et ejus epitaphium, 2, 2.
Tibialibus non utebantur veteres Hebræi, Græci et Latini, 243, 2.
Timon diaconus fuit vir sanctus, 165, 1.
Timor paulatim amorem Dei inducit velut seta filum, 213, 2. is in Sanctis est amore mixtus, 235, 1. timor Dei in Script. idem est quod pietas et cultus Dei, 191, 1. timor species est reverentiæ, 106, 1.
S. Timotheus quam probus esset, 306, 2. fuit primus Ephesinus Episcopus, 5, 2.
Titus Imp. Jerusalem et Judæam subigit, 8, 2 et seqq. dictus *orbis deliciæ*, 9, 2. ejus clementia et beneficentia, ibid. ibid. ejus mors, ibid.
Toga vestis Romanorum propria, et signum civis Romani, 390, 2.
Traditiones a Christo acceptas Apostoli Ecclesiæ et posteris tradiderunt, 53, 1.
Trajanus Imp. a Nerva adoptatus fit Imperator, 12, 1. ejus in Christianos clementia, ibid. ejus vitia, 2.
Transfigurationi Christi in monte Thabor qui Apostoli interfuerint, 236, 1.
Tribulatio rectissima via ad cœlum est, 294, 1. nos in ea gaudere oportet, 156, 2.
Tribunal Areopagiticum quis instituerit, 322, 2.
Tributum cur Christus solverit, cum ad illud non teneretur, 155, 1.
Triennio toto evangelizarunt Apostoli in Judæa, 258, 2.
S. Trinitatis personæ debent in baptismo exprimi, 103, 1. ipsa realiter habitat in anima justi, 85, 1.
Tripolis quæ sit civitas, 247, 2.
Troas regio Asiæ et urbs ubi sita sit, 307, 2.
Trophimus, discipulus S. Pauli, Arelatensibus in Gallia prædicavit, 343, 1.
Tryphænæ et Tryphosæ elogium, 288, 2.
Turba causa est dissensionis, 160, 1.
Turcæ Constantinopolim cur in festo Pentecostes Græcis subactis invaserint, 77, 2.
Tychicus fuit Pauli administer in ferendis litteris, 364, 1.
Typhon qualis sit ventus, et ejus natura, 427, 1, 2. ejus præsagium, vires, remedium: unde dicatur, ibid.
Tyrannus in cujus schola Paulus Ephesi disputavit, quis fuerit, 351, 2.
Tyri opes in conficienda et vendenda purpura sitæ erant, 310, 2.
Tyriorum affectus in S. Paulum abeuntem, 237, 1.


## U.


Ubios (in) quando ducta colonia ab Agrippina, 4, 2.
Ubiquetarii censent Christi corpus esse ubique, 120, 2.
Ultio Dei homicidas facinorosos persequi solet, 436, 1.
Umbra Pauli an mortui revixerint, 359, 1, 2. umbra Petri quam esset salutaris, et quomodo id fieret, 130, 1. umbra qualitatem accipit a corporibus: id observandum in arborum plantatione, 130, 2.
Unanimitatis media et pretium: quam ea Deo sit grata, 133, 1, 2.
Unio primorum fidelium, 132, 2. ejus duo media, 133, 1. ipsa est causa cur instituta sit deinde vita cœnobitica, ibid. unionis quanta sit vis, 32, 2. eam symbolice significant quatuor animalia Ezechielis, ibid. unio impiorum rescindenda est, 334, 1.
S. Urbani Pontificis in tribulatione gaudium, 295, 1.
Urbes metropoles cur ante alias convertendæ, 33, 1.
Uxorum communitas legi naturæ repugnat, etsi eam Plato in sua republica inducere voluerit, 196, 2.


## V.


Vadiani hæretici, cur dicti sint Anthropomorphitæ, 398, 1.
Valerianus Imp. mago credens periit, 356, 1.
Vallis Josaphat subjacet monti Oliveti, et urbi Jerusalem vicina est, 62, 2.
*Vas* Hebræis est quodlibet instrumentum, 216, 1. vas linteum S. Petro oranti visum quid denotaret, 234, 1.
Vectigal Judæis quale velitum esset, 155, 1.
Velocitatis commendatio, 263, 1.
Velociter surgere cur Petrus in carcere jubeatur, ibid.
Venti in mari tempore hiemali sæpe mutantur, 427, 1. eorum quæ sint commoda, 80, 1.
*Verbum* Hebræis quod significet, etiam factum et opus significat, 373, 2. verbum Dei assidue audiendum, 103, 1. ejus effectus, 106, 1. verbum capitur sæpe pro Evangelio, 256, 2. Verbum dicitur Christus Filius Dei, item ejus dicta et facta, 240, 2; 341, 1.
Veritas nec eloquentiam, nec potentiam timet, 404, 2. in indivisibili consistit, 387, 1.
Vermibus consumptorum exempla, 271, 2.
S. Veronica quæ et qualis fuerit, 414, 2.
Vespasianus putatus est esse Messias, an miracula fecerit, 8, 2. fit Imperator, ibid. ejus mors, 9, 2.
Vestes scindebant Judæi in blasphemia, 292, 1. vestes gestavit Christus a resurrectione, et quales, 61, 1. in quali ascenderit, ibid. vestes albæ sunt angelorum, 61, 2. vestem albam olim gestabant nobiles et magistratum ambientes, 233, 2.
Vestigia Christi in monte Oliveti adhuc exstant, 63, 1.
Via vitæ Christo fuit resurrectio, 99, 2.
Viator fuit Christus in hac vita usque ad resurrectionem, ibid.
Victimæ olim cur coronarentur, 291, 2. et ex qua herba, ibid. ex ea immolata apud Judæos etiam laici manducabant, 225, 1.
Viduæ Græcorum qua in re despectæ essent in ministerio quotidiano, 160, 1.
Vigiliis quatuor noctem dividebant Romani et Judæi, 399, 2. vigiliæ fidelium nocturnæ in precibus, 267, 2. eas conguit Vigilantius hæreticus, ibid.
S. Vincentius Ferrerius semper pede pedes provincias oberravit, 27, 1. etiam pueros docebat privatim, 32, 1. quare varios presbyteros secum duceret, 33, 1; 308, 2. una lingua loquens a variis gentibus intelligebatur, 87, 2.
Vincula S. Petri Hierosolymis, 260, 1. ea honoravit Deus et Ecclesia, 261, 2 et seqq. eorum elogium, 262, 2. Paulus quas epistolas e vinculis scripserit, et qui ei tunc ministrarint, 444, 2.
Vindicta Gentilibus erat Dea, 436, 1.
Vinum et amor insanire faciunt, 98, 1. vino abstinuit S. Paulus, 346, 1, 2. vino et carnibus communiter abstinuere Apostoli, 98, 2.
Vipera unde dicatur, 436, 1. ejus pestis, ibid.
Virginum vox tonitru est, 469, 1.
Virginitatis præmium est sapientia et prophetia, 379, 1. ejus symbolum est rosa, 208, 1. virginitatem illibatam servavit S. Paulus, 216, 2.


UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

Virtus quanta data Apostolis per Spiritum Sanctum, 56, 1. virtus an in cujusque manibus et arbitrio sit, 320, 1. virtutes omnes et vitia non sunt paria, *ibid.*
Visio deitatis et humanitatis Christi erit objectum et causa beatitudinis essentialis et accidentalis, 120, 2.
Visus omnium sensuum nobilissimus, pro quolibet sensu in Script. accipitur, 99, 1.
Vitam quomodo Deus omnibus det, 328, 1. vita cursus ad mortem est, 292, 1. vita in communi primorum Christianorum, 137, 2. vitæ communis varia commoda, 107, 1 et seqq. vita spiritualis quæ sit, 99, 2. ejus perfectio in quo sita sit, 84, 2. ad eam tria requiruntur, 84, 1. vita æterna an dici possit ipsa fides, 285, 1. ipsa est omnium dolorum levamen, et stimulus ad omnia aspera agenda, 41, 1, 2. vita Sanctorum cum Evangelio quadrat, 99, 1.
Vitellius Imp. astrologos morte mulctabat, 356, 2.
Vivendum nobis in Christo est, 103, 1. vivimus in Dei idea et providentia, 332, 1.
Vivi quomodo dicantur judicandi, 242, 2.
Vocatio Dei est gratuita, et velut ex sorte, 67, 1. vocatione sua quisque sit contentus, 73, 2. vocationi Dei homo respondere debet, 214, 1. vocatio S. Pauli triplex fuit 15, 2 et seqq.
Voluntas bona quasi opulenta, et substituitur pro operibus quæ præstare non possumus, 227, 2. voluntatis pia inclinatio magis quam intellectus propensio ad fidem requiritur, 160, 1.
Voluptas quam brevis et fugax, 321, 1. ejus in hac vita tantum est delibatio, in futura satietas, 123, 2.
Votum paupertatis fecit Ananias agri pretium fraudans, 141, 1, 2. id arcte servandum, 148, 1. in quo id situm, *ibid.* an id fecerint Apostoli, 27, 1 vota exacte impleri debent, 146, 2. vota totalia non passim et leviter admittenda a confessariis, 148, 2. votum S. Pauli fuit nazaræatus, 345, 2. votum violantes mentiuntur Spiritui Sancto, 146, 2. vota religionis tria sunt præstantissima holocausta, 142, 2.
Vox sonora ac tubalis Apostolorum, 90, 1. vox virginum est tonitru, 433, 2. vocis S. Pauli quanta fuerit efficacia, 343, 1.
Vulpe (cum) vulpinandum est, 395, 2 et seqq.
Vulturnus quis sit ventus, 426, 2; 427, 1.

## X.

Xantippe a S. Paulo in Hispania an conversa, 445, 2.

## Z.

Zabulus dorice dicitur Satanas, 146, 1.
Zachæus non idem est cum S. matthia, 71, 1. an fuerit Gentilis, *ibid.*
Zebedæus an frater S. Barnabæ, 139, 2. an idem vocetur Aristobulus, *ibid.*
Zelus sancti Pauli ardentissimus fuit, 34, 2. zeli commendatio, *ibid.* ejus effectus, 35, 1.
Zelotæ tempore obsidionis Hierosolymæ maxime in cives sunt grassati, 8, 2.
Zeus unde dicatur, 289, 2; 293, 2.

# INDEX
# MATERIARUM MORALIUM

## HIS COMMENTARIIS CONTENTARUM

QUÆ AD EVANGELIORUM DOMINICARUM, AC FESTORUM ET FERIARUM NONNULLARUM PER ANNUM ACCOMMODATARUM VERBA, IN USUM ET GRATIAM CONCIONATORUM, ADAPTANTUR.

### DOMINICA II ADVENTUS.

CLAUDI AMBULANT. Claudicatio mystica quæ sit et qualis, 116, 2.
PAUPERES EVANGELIZANTUR. Paupertas quam sit opulenta præ divitiis, 115, 1. Paupertatem cur primi fideles sint amplexi, 134, 1. Ejus amor postea crescente Ecclesia increvit, 135, 1, 2. Paupertatis votum exacte servandum est et nullatenus violandum, 148, 1. Paupertas S. Pauli, 27, 1.

### DOMINICA III ADVENTUS.

QUID ERGO BAPTIZAS? Johannis Baptistæ baptismus qualis fuerit, 350, 1, 2.

### DOMINICA IV ADVENTUS.

PRÆDICANS BAPTISMUM POENITENTIÆ. Prædicatoris humilis schema, 24, 1. Prædicatores quam difficulter animas Christo pariant, 35, 2.
POENITENTIA. S. Pauli jugis mortificatio et pœnitentia, 73, 2.

### IN FESTO S. STEPHANI.

S. Stephani Protomartyris etymon et dignitas, 164, 1. fulgor faciei ejus, 167, 2 et seqq. quam acriter in Judæos pervicaces invectus sit, 176, 1. quomodo viderit gloriam Dei adhuc in terra consistens, 180, 1. quomodo viderit Jesum stantem a dextris Dei, 182, 2. et cur id Judæis dicat, *ibid.* ejus lapidatio et mors, 183, 1 et seqq. ejus encomia, 184, 1. orat pro hostibus suis, 186, 2 et seq. ejus festum quando et a quibus institutum, 187, 2. quomodo post mortem sit honoratus, et quomodo ejus reliquiæ detectæ, 193, 2.

### IN FESTO S. JOANNIS.

QUID AD TE? TU ME SEQUERE. Curiosam S. Petri de Joanne interrogationem sic Dominus repressit, hinc agi poterit de curiosorum incuria, et quomodo iis sit respondendum, 323, 1.

### IN FESTO CIRCUMCISIONIS.

VOCATUM EST NOMEN EJUS JESUS. Nomen Jesu quam amabile et suave fidelibus esse debeat, 128, 2. Illud invocatum pellit dæmones ex energumenis, 152, 2.

### IN FESTO EPIPHANLÆ.

ECCE MAGI AB ORIENTE. Ad Orientem conversi cur Christiani orent, 63, 1.
VIDIMUS STELLAM EJUS. Astrologia judiciaria reprehenditur, 356, 1. Cornelius Centurio an primus ex Gentibus sit conversus, et an ante eum nemo alius, 244, 1.
RESPONSO ACCEPTO IN SOMNIS. Somnia sunt indicia animi, qualis fuit dum vigilaret; item virtutis aut vitii erga quæ homo propendet, 398, 1.

### IN OCTAVO EPIPHANLÆ.

VIDI SPIRITUM DESCENDENTEM QUASI COLUMBAM DE COELO. Quomodo, dum baptizaretur Christus a Joanne, cœli sint aperti, 181, 2 et seqq.
VENI EGO IN AQUA BAPTIZANS. Joannis baptismus qualis fuerit, 350, 1, 2. Baptismus vero Christi quis fuerit, 103, 1.

### DOMINICA INFRA OCT. EPIPHAN.

SEDENTEM IN MEDIO DOCTORUM ET AUDIENTEM. Lectio librorum spiritualium quam utilis, quia in illa docemur a Deo: post lectionem vero orandum, 205, 1.
JESUS CRESCEBAT ÆTATE ET GRATIA APUD DEUM ET HOMINES. Pulchritudo corporis indicat animi pulchritudinem, 176, 1.

### DOMINICA III POST EPIPHAN.

NON INVENI TANTAM FIDEM IN ISRAEL. Fides cur vocatur vita æterna, 285, 1. Fides S. Pauli quanta fuerit, 17, 1.
MULTI RECUMBENT CUM ABRAHAM, etc. Christiani nominis quanta sit dignitas, 251, 2 et seqq.

### DOMINICA IV POST EPIPHAN.

ECCE MOTUS FACTUS EST MAGNUS. Mare quanta pericula includat, 431, 2.
IPSE VERO DORMIEBAT. Deus quare suos interdum tribulari et affligi sinat, 294, 1.
DOMINE, SALVA NOS, PERIMUS. Præsentia sancti alicujus viri peccatores salvat, 436, 1.

### DOMINICA V POST EPIPHAN.

CUM AUTEM DORMIRENT HOMINES. Cum Deo nos evigilare eique indormire oportet, 152, 1.
UNDE ERGO HABET ZIZANIA? In omni congregatione, quantumvis bona, suus est Judas, 67, 2.

### DOMINICA IN SEPTUAGESIMA.

CONDUCERE OPERARIOS. An operatio sit ratio præsentiæ Dei, 330, 2. Opere potius docendi sunt alii, quam verbo, 46, 1.
ITE ET VOS IN VINEAM MEAM. Missio S. Pauli fuit legitima, 16, 2.
NON LICET MIHI QUOD VOLO FACERE? AN OCULUS TUUS NEQUAM, QUIA EGO BONUS SUM? Deus dat sua dona gratis

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

Virtus quanta data Apostolis per Spiritum Sanctum, 58, 1. virtus an in cujusque manibus et arbitrio sit, 320, 1. virtutes omnes et vitia non sunt paria, *ibid.*
Visio deitatis et humanitatis Christi erit objectum et causa beatitudinis essentialis et accidentalis, 120, 2.
Visus omnium sensuum nobilissimus, pro quolibet sensu in Script. accipitur, 99, 1.
Vitam quomodo Deus omnibus det, 328, 1. vita cursus ad mortem est, 292, 1. vita in communi primorum Christianorum, 137, 2. vitæ communis varia commoda, 107, 1 et seqq. vita spiritualis quæ sit, 99, 2. ejus perfectio in quo sita sit, 84, 2. ad eam tria requiruntur, 84, 1. vita æterna an dici possit ipsa fides, 285, 1. ipsa est omnium dolorum levamen, et stimulus ad omnia aspera agenda, 41, 1, 2. vita Sanctorum cum Evangelio quadrat, 99, 1.
Vitellius Imp. astrologos morte mulctabat, 356, 2.
Vivendum nobis in Christo est, 103, 1. vivimus in Dei idea et providentia, 332, 1.
Vivi quomodo dicantur judicandi, 242, 2.
Vocatio Dei est gratuita, et velut ex sorte, 67, 1. vocatione sua quisque sit contentus, 73, 2. vocationi Dei homo respondere debet, 214, 1. vocatio S. Pauli triplex fuit 35, 2 et seqq.
Voluntas bona quasi opulenta, et substituitur pro operibus quæ præstare non possumus, 227, 2. voluntatis pia inclinatio magis quam intellectus propensio ad fidem requiritur, 160, 1.
Voluptas quam brevis et fugax, 321, 1. ejus in hac vita tantum est delibatio, in futura satietas, 323, 2.
Votum paupertatis fecit Ananias agri pretium fraudans, 141, 1, 2. id arcte servandum, 148, 1. in quo id situm, *ibid.* an id fecerint Apostoli, 27, 1 vota exacte impleri debent, 146, 2. vota totalia non passim et leviter admittenda a confessariis, 148, 2. votum S. Pauli fuit nazaræatus, 345, 2. votum violantes mentiuntur Spiritui Sancto, 146, 2. vota religionis tria sunt præstantissima holocausta, 142, 2.
Vox sonora ac tubalis Apostolorum, 90, 1. vox virginum est tonitru, 433, 2. vocis S. Pauli quanta fuerit efficacia, 343, 1.
Vulpe (cum) vulpinandum est, 395, 2 et seqq.
Vulturnus quis sit ventus, 426, 2; 427, 1.

## X.

Xantippe a S. Paulo in Hispania an conversa, 445, 2.

## Z.

Zabulus dorice dicitur Satanas, 146, 1.
Zachæus non idem est cum S. matthia, 71, 1. an fuerit Gentilis, *ibid.*
Zebedæus an frater S. Barnabæ, 139, 2. an idem vocetur Aristobulus, *ibid.*
Zelus sancti Pauli ardentissimus fuit, 34, 2. zeli commendatio, *ibid.* ejus effectus, 35, 1.
Zelotæ tempore obsidionis Hierosolymæ maxime in cives sunt grassati, 8, 2.
Zeus unde dicatur, 280, 2; 293, 2.

# INDEX

# MATERIARUM MORALIUM

## HIS COMMENTARIIS CONTENTARUM

QUÆ AD EVANGELIORUM DOMINICARUM, AC FESTORUM ET FERIARUM NONNULLARUM PER ANNUM ACCOMMODATARUM VERBA, IN USUM ET GRATIAM CONCIONATORUM, ADAPTANTUR.

### DOMINICA II ADVENTUS.

CLAUDI AMBULANT. Claudicatio mystica quæ sit et qualis, 116, 2.

PAUPERES EVANGELIZANTUR. Paupertas quam sit opulenta præ divitiis, 115, 1. Paupertatem cur primi fideles sint amplexi, 134, 1. Ejus amor postea crescente Ecclesia increvit, 135, 1, 2. Paupertatis votum exacte servandum est et nullatenus violandum, 148, 1. Paupertas S. Pauli, 27, 1.

### DOMINICA III ADVENTUS.

QUID ERGO BAPTIZAS? Johannis Baptistæ baptismus qualis fuerit, 350, 1, 2.

### DOMINICA IV ADVENTUS.

PRÆDICANS BAPTISMUM POENITENTIÆ. Prædicatoris humilis schema, 24, 1. Prædicatores quam difficulter animas Christo pariant, 35, 2.

POENITENTIA. S. Pauli jugis mortificatio et pœnitentia, 72, 2.

### IN FESTO S. STEPHANI.

S. Stephani Protomartyris etymon et dignitas, 164, 1. fulgor faciei ejus, 167, 2 et seqq. quam acriter in Judæos pervicaces invectus sit, 178, 1. quomodo viderit gloriam Dei adhuc in terra consistens, 180, 1. quomodo viderit Jesum stantem a dextris Dei, 182, 2. et cur id Judæis dicat, *ibid.* ejus lapidatio et mors, 183, 1 et seqq. ejus encomia, 184, 1. orat pro hostibus suis, 186, 2 et seq. ejus festum quando et a quibus institutum, 187, 2. quomodo post mortem sit honoratus, et quomodo ejus reliquiæ detectæ, 123, 2.

### IN FESTO S. JOANNIS.

QUID AD TE? TU ME SEQUERE. Curiosam S. Petri de Joanne interrogationem sic Dominus repressit, hinc agi poterit de curiosorum incuria, et quomodo iis sit respondendum, 323, 1.

### IN FESTO CIRCUMCISIONIS.

VOCATUM EST NOMEN EJUS JESUS. Nomen Jesu quam amabile et suave fidelibus esse debeat, 128, 2. Illud invocatum pellit dæmones ex energumenis, 352, 2.

### IN FESTO EPIPHANIÆ.

ECCE MAGI AB ORIENTE. Ad Orientem conversi cur Christiani orent, 63, 1.

VIDIMUS STELLAM EJUS. Astrologia judiciaria reprehenditur, 356, 1. Cornelius Centurio an primus ex Gentibus sit conversus, et an ante eum nemo alius, 244, 1.

RESPONSO ACCEPTO IN SOMNIS. Somnia sunt indicia animi, qualis fuit dum vigilaret; item virtutis aut vitii erga quæ homo propendet, 308, 1.

### IN OCTAVO EPIPHANIÆ.

VIDI SPIRITUM DESCENDENTEM QUASI COLUMBAM DE COELO. Quomodo, dum baptizaretur Christus a Joanne, cœli sint aperti, 181, 2 et seqq.

VENI EGO IN AQUA BAPTIZANS. Joannis baptismus qualis fuerit, 350, 1, 2. Baptismus vero Christi quis fuerit, 103, 1.

### DOMINICA INFRA OCT. EPIPHAN.

SEDENTEM IN MEDIO DOCTORUM ET AUDIENTEM. Lectio librorum spiritualium quam utilis, quia in illa docemur a Deo: post lectionem vero orandum, 205, 1.

JESUS CRESCEBAT ÆTATE ET GRATIA APUD DEUM ET HOMINES. Pulchritudo corporis indicat animi pulchritudinem, 176, 1.

### DOMINICA III POST EPIPHAN.

NON INVENI TANTAM FIDEM IN ISRAEL. Fides cur vocetur vita æterna, 285, 1. Fides S. Pauli quanta fuerit, 17, 1.

MULTI RECUMBENT CUM ABRAHAM, etc. Christiani nominis quanta sit dignitas, 251, 2 et seqq.

### DOMINICA IV POST EPIPHAN.

ECCE MOTUS FACTUS EST MAGNUS. Mare quanta pericula includat, 431, 2.

IPSE VERO DORMIEBAT. Deus quare suos interdum tribulari et affligi sinat, 294, 1.

DOMINE, SALVA NOS, PERIMUS. Præsentia sancti alicujus viri peccatores salvat, 436, 1.

### DOMINICA V POST EPIPHAN.

CUM AUTEM DORMIRENT HOMINES. Cum Deo nos evigilare eique indormire oportet, 152, 1.

UNDE ERGO HABET ZIZANIA? In omni congregatione, quantumvis bona, suus est Judas, 67, 2.

### DOMINICA IN SEPTUAGESIMA.

CONDUCERE OPERARIOS. An operatio sit ratio præsentiæ Dei, 230, 2. Opere potius docendi sunt alii, quam verbo, 46, 1.

ITE ET VOS IN VINEAM MEAM. Missio S. Pauli fuit legitima, 16, 2.

NON LICET MIHI QUOD VOLO FACERE? AN OCULUS TUUS NEQUAM, QUIA EGO BONUS SUM? Deus dat sua dona gratis

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

sine ullo prævio merito, 23, 2. ipse non est auctor mali et peccati, 24, 2.
Multi sunt vocati, pauci vero electi. Quinam dicantur prædestinati ad vitam æternam, 284, 1. Præscientia Dei quomodo cohæreat cum libero arbitrio, 95, 1.

DOMINICA IN SEXAGESIMA.

Semen est verbum Dei. Verbo Dei intendendum est, 165, 1. Ipsum etiam in libris legendum, 205, 1. Prædicatores difficulter suos pariunt, 35, 2.
A voluptatibus vitæ suffocantur. Quanta sit voluptatis pernicies et damnum, 421, 1.

DOMINICA QUINQUAGESIMÆ.

Respice. Sanctorum aspectus quam salutaris sit, 115, 1.
Occasione Bacchanalium instantium agi poterit de crapula et ingluvie. Ebrietatis corporalis et spiritualis analogiæ variæ, 92, 1 et seqq. Sobrietas S. Pauli quæ fuerit, 23, 1.

FERIA VI POST CINERES.

Diligite inimicos vestros. Erga ingratos maxime ostendenda charitas, 186, 1. Oratio pro inimicis efficacissima est, qualis fuit S. Stephani, 166, 2 et seqq. erga inimicos quantopere Paulus afficeretur, 87, 2 et seqq.
Estote perfecti. Christianorum quæ sint officia, 145, 1; 251, 2. Primi Christiani tria in suis cœtibus faciebant, 105, 2.
Cum facis eleemosynam. Beatius est magis dare quam accipere, 374, 1.

SABBATO POST CINERES.

Ut vel vestimenti ejus fimbriam tangerent. Vide notata Domin. XXIII post Pentecost.

DOMINICA I IN QUADRAGESIMA.

Accedens tentator. Diabolus Typhoni vento ob diversas analogias comparatur, 427, 2 et seqq.
Si cadens adoraveris me. Magni si ruunt, fiunt pessimi, 68, 2. Ut Satan hic adorari vult, sic et omnis hæresiarcha superbus est, 195, 2.
Vade Satana. Satanas vox unde derivetur, et quid ex vi verbi significet, 146, 1. malorum conversatio omnibus fugienda est, 163, 2 et seqq.

FERIA II.

Quamdiu fecistis uni ex his fratribus meis minimis, mihi fecistis. Christus in membris suis patitur et honoratur, 211, 1. Eleemosynas pauperibus factas ipse quoque ratas habet, 225, 2. *Vide dicta in festo S. Michaelis, de Parvulis.*

FERIA II POST DOM. II IN QUADRAG.

Ego de supernis sum. Animæ origo cœlestis est, 336, 2 et seqq.

FERIA IV.

Qui voluerit inter vos major esse, sit vester minister. Humilitas altos animos deprimit, 366, 2. Cur ipsa vocetur omnis justitia, 360, 2.
Principes gentium dominantur eorum. Principes potius in affabiles erga suos, 399, 1.

FERIA VI.

Lapidem quem reprobaverunt. Christus qualis sit lapis, 127, 2. quomodo sit lapis in caput anguli, 128, 1.
Quia sicut Prophetam eum habebant. Sic Lycaonii S. Paulum ob eloquentiam putarunt esse Mercurium, 291, 1.

DOMINICA III IN QUADRAG.

Erat Jesus ejiciens dæmonium. Judæi olim habebant exorcistas, 352, 1. Nomen Jesu dæmones pellit, 352, 2.

FERIA V.

Singulis manus imponens. Laici nemini manus imponunt, sed Episcopi, 293, 1.

FERIA VI.

Jesus autem fatigatus. Apostoli et ipse Christus Jesus pedites pagos et urbes obibant, 27, 1. Ut Christus occasione capiata ex aqua puteoli mulierem Samaritanam convertit, et ejus cives: sic Dei providentia componit rerum occasiones, 55, 1, 4.

DOMINICA IV IN QUADRAGESIMA.

Ut facerent eum regem. Ut Judæi Christum regem facere voluere, sic Lycaonii Paulo ut Mercurio victimas offerre voluerunt, 291, 1

FERIA IV POST DOM. PASSIONIS.

In porticu Salomonis. Porticus Salomonis in templo Hierosolymitano quæ esset, an eam Gentiles ingrederentur, 118, 1.

FERIA V.

Facio opera Patris mei. An operatio sit ratio præsentiæ Dei, 380, 2. Faciendum prius est quam docendum, 46, 1.

SABBATO SANCTO.

Ecce terræmotus factus est. Terræmotus quæ sint symbola, 131, 2

IN FESTO PASCHATIS.

Surrexit, non est hic. Quos dolores inferni solvit Deus Christum a morte resuscitans, 97, 2. Christus post mortem vere descendit in infernum, 98, 1, 2. Sancti qui cum eo resurrexerunt, non redierunt deinde ad mortem et sepulturam, 100, 1. Anima Christi qua ratione eum resuscitarit a morte, 48, 1. Post resurrectionem egit ipse XL diebus in terra antequam cœlos ascenderet, 49, 1, 2
Joannes citius cucurrit Petro ad monumentum. Velocitas excutit acediam, 263, 1.

FERIA II POST PASCHA.

Duo ex discipulis ibant. Religiosi semper bini incedant, 111, 1. Unionis quanta sit vis, 32, 2
Qui potens fuit in opere et sermone. Docendi sunt alii facto potius quam verbis, 105, 2; 46, 2.
Nos sperabamus. S. Pauli apostoli spes in Deum invicta fuit, 18, 1. Christus Jesus quomodo sit spes nostra et Israel, 443, 1.
Nonne oportuit Christum pati et sic intrare, etc.? Patientia S. Pauli quam infracta fuerit, 21, 2. Deus decrevit passionem, non actionem necis Christi, [illegible], 2. in passionibus nobis est gloriandum, 156, 2. Per tribulationes oportet nos ad cœlum tendere, 291, 2. Cruces et passiones quantam patientibus gloriam pariant, 446, 2.

FERIA III POST PASCHA.

Nolite timere. Timor in Script. sæpe capitur pro reverentia, 106, 1.

DOMINICA IN ALBIS.

Ubi erant discipuli congregati. Concordia facit cor unum, et quare, 133, 1, 2. ejus in congregatione aliqua retinendæ quæ sint media, 133, 1. Communis vita quos fructus afferat, 106, 2 et seqq. Unionis et concordiæ quanta sit vis, 32, 2.
Januis clausis. An S. Petrus carceris, quo vinctus tenebatur, ostia clausa penetrarit, an vero angelus hæc ei aperuerit, 266, 1.
Pax vobis. Hac formula salutant suos Hebræi. Salutatio Sanctorum semper efficax et salutaris est, 20, 1, 115, 1.



DOMINICA II POST PASCHA.

Bonus pastor ponit animam pro ovibus. A pastore requiritur anima quæ perit, 370, 1.

DOMINICA III POST PASCHA.

Vos vero contristabimini. Dolere et pati pro Christo magna laus est, 157, 1, 2.
Tristitia vestra convertetur in gaudium. Consolationes divinæ quam sint suaves, 223, 2. Christianismi voluptas et gaudia quæ sint, 108, 2.

DOMINICA IV POST PASCHA.

De peccato. Peccatum tripliciter fit est, 292, 1, 2.
De justitia. Justitia quadrupliciter in Scriptura accipitur, 279, 1.

DOMINICA V POST PASCHA.

Petite, et accipietis. Primum Apostolorum et virorum Apostolicorum munus est oratio, 167, 2.
Ut gaudium vestrum sit plenum. Conscientiæ bonæ quantum sit gaudium, 405, 2.
Scimus quia scis omnia. Deus intima quæque et cordis penitus latebras pervidet, 406, 1.
Quia a Deo exivi. Animæ origo divina et cœlestis est, 336, 1.

IN LITANIIS MAJORIBUS.

Date, et dabitur vobis. Beatius est magis dare quam accipere, 374, 1.
Et si ille perseveraverit pulsans. Perseverantia in bono proprie donum Dei est, 248, 2. quanta ea sit virtus ex parte hominis, 249, 2.
Nostis bona data dare filiis vestris. Beneficentia virtus vere Christiano digna est, 241, 2.

IN FESTO ASCENSIONIS DOMINI.

Christus cur tam cito ad cœlos ascenderit, 48, 1. idque sub meridiem, 51, 1. Ascensurus cur cum Apostolis suis pranserit, 2. Et hæc comestio an fuerit vera, *ibid.* et seqq. Ascensionis ejus modus et forma, 57, 1. Cur statim a resurrectione ascenderit, 58, 2. cur coram Apostolis suis, 59, 1, 2. An ascenderit nudus, 61, 2. Quo die ascenderit, 65, 2. Christus cœlum capit, eoque capitur, 129, 2. Post ascensum in cœlum subinde visibiliter in terra apparet, 12[illegible].
Quid statis aspicientes in cœlum. Cœlos identidem nos aspicere, et illuc oculos defigere oportet, 61, 2; 430, 1.
Super ægros manus imponent. Manus impositio de essentia Ordinis, 165, 2.

IN VIGILIA PENTECOSTES.

Quia apud vos manebit, et in vobis erit. In Deo quomodo vivamus, moveamur et simus, 330, 2 et seqq. 332, 1; 334, 1 et seqq.
Quia ego sum in Patre meo, et vos in me, et ego in vobis. Homo Dei soboles est, 335, 2; 336, 1. Deus est nobis pater et mater, *ibid.*

IN FESTO PENTECOSTES.

Quia Pater major me est. Christi divinitas astruitur 161, 1; 2 1. 1.
Si quis diligit me. Deum semper præ oculis habebat, et religiose colebat, et diligebat Apostolus Paulus, 19, 1 et seqq.
Ad eum veniemus. Justis realiter datur Spiritus Sanctus in justificatione, 56, 1; 335, 2.
Spiritus Sanctus cur in Jerusalem datus, 52, 1. est proprius novo Testamento, 53, 1. Pentecoste prima fuit Dominica, 76, 2. est festum Spiritus Sancti, 77, 1, 2. Spiritus Sanctus venit in Apostolos cum sono, 78, 1; 79, 2. ejus elogia, 79, 1. variæ ejus apparitiones, *ibid.* apparuit in linguis sectilibus, 80, 1. cur linguæ fuerint igneæ, 82, 2. Varii ejus effectus, 8[illegible], 1 et seqq. Spiritus Sancti adventus confertur cum incarnatione Verbi, 84, 2. ejus natura, qualitas et dignitas describitur, 85, 1. ejus infusio, diffusio et effusio, 8[illegible], 2. Qua hora venerit, 94, 1. Spiritui Sancto mentiri quid sit, 147, 1. Simonia quantum sit malum, est injuria in Spiritum Sanctum, 199, 2 et seqq.
In Confirmationis sacramento datur Spiritus Sanctus, 198, 2. Quis ejus minister, et quæ materia, 197, 2. Baptismus Spiritus Sancti et ignis quis sit, 51, 2.

FERIA II POST PENTECOSTEN.

Sed habeat vitam æternam. Vivendum nobis in Christo, 103, 1.

IN FESTO SS. TRINITATIS.

SS. Trinitas et ipse Deus ab hominibus et angelis plene nequit intelligi, 326, 1. Deus cur vento comparetur, *ibid.*
Docete omnes Gentes. Radium doctrina et catechizatio quantam utilitatem includat, 32, 1.
Baptizantes eos. Baptismus Christi quis sit, 112, 1.

IN FESTO VEN. SACRAMENTI.

Caro mea vere est cibus. Sacrificium Missæ contra hæreticos adstruitur, 275, 1. Eucharistia quadrupliciter communio est, 104, 2. ejus operatio et effectus, 105, 1. a laicis sub una duntaxat specie sumenda est, 106, 1.

DOMINICA II POST PENTECOST.

Uxorem duxi. Mulierum fuga suadetur, 23, 1. Castitatem an voverint primi fideles, 142, 2 et seqq. Mulier quale sit animal, et ejus descriptio, 255, 2.

DOMINICA IV POST PENTECOST.

In navi quæ erat Simonis. Per hanc Ecclesia Rom. designatur, quæ omnes ad se venientes benigne admittit, et secundum corpus et animam bene habet, 337, 1.

DOMINICA VII POST PENTECOST.

Attendite a falsis prophetis. Hæretici dum se invicem conficiunt digladiando, Ecclesia pace gaudet, 396, 1. Hæresis dure tractanda, et cito eradicanda, 156, 1.
Qui veniunt ad vos in vestimentis ovium. Simplicitas physica et moralis quæ sit, 109, 1.
Intrinsecus sunt lupi rapaces. Hæretici lupis comparantur ob octo analogias, 371, 1.

DOMINICA IX POST PENTECOST.

Quia si cognovisses et tu. Occasio dum se offert, arripienda est, et rei alicujus gerendæ commoda captanda, 55, 2.

DOMINICA X POST PENTECOST.

Ascenderunt in templum ut orarent. Oratio in templo

UANL
UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS
ALERE FLAMMAM VERITATIS

melior est, quam quæ alibi funditur, 111, 2 et seqq. Genua sæpe per diem orationis causa flectere solent Christiani, 376, 1.

In templum. Mendici quare sedeant ad fores templorum, 114, 1.

Gratias ago tibi. Homo quam sit Deo ob beneficia accepta astrictus, 89, 2, et seq.

Deus, propitius esto mihi peccatori. Compunctionis quanta sit vis, 192, 1.

Omnis qui se humiliat, exaltabitur. Sancti ob dona cœlitus accepta semper se humiliant, 74, 1. Humilitas S. Pauli quæ fuerit, 23, 1, 2.

DOMINICA XI POST PENTECOST.

Solutum est vinculum linguæ ejus. Lingua Spiritus Sancti symbolum est, 81, 1. Linguis variis quomodo locuti sint Apostoli, 87, 2 et seqq. E lingua et verbis potest intelligi quomodo quis sit in anima dispositus, 89, 1, 2.

Et loquebatur recte. Pauciloquentia commendatur, 81, 2.

DOMINICA XII POST PENTECOST.

Diliges Dominum Deum ex toto corde. Amor S. Pauli in Deum et Christum quam fuerit vehemens, 18, 2.

Et proximum sicut te ipsum. Charitas fraterna diu viguit inter primos Christianos, 123, 1.

DOMINICA XIII POST PENTECOST.

Cecidit in faciem ante pedes ejus. Episcoporum et Sanctorum pedes osculantur viri humiles, 138, 1. 2.

Ostendite vos sacerdoti. Confessio sacramentalis astruitur, 354, 2. ea frangit vires diaboli, 355, 1.

DOMINICA XIV POST PENTECOST.

Considerate lilia agri. Mundus et quidquid in eo creatum est, est Dei liber et carmen, 328, 1. Ex creaturis agnoscitur Deus, *ibid.*

DOMINICA XV POST PENTECOST.

Defunctus efferebatur. Sepelire mortuos quam pium sit opus, 191, 1. Ritus funebris et pompa Christiana quæ sit, et quis planctus, *ibid.* et seqq. Mos sepulturæ priscorum Christianorum, 192, 1.

Adolescens tibi dico, surge. Mortis meditatio est optimum remedium superbiæ, 292, 1.

DOMINICA XVIII POST PENTECOST.

Remittuntur tibi peccata tua. Peccatorum remissio quantum sit Dei donum, 122, 2.

DOMINICA XXII POST PENTECOST.

Licetne censum dare Cæsari? Liceatne Cæsari dare tributum, et an ad id Judæi nati liberi tenerentur, 154, 2 et seqq.

Quid me tentatis, hypocritæ? Hypocritarum vera hypotyposis, 109, 2.

Date Cæsari. Principes et reges sint affabiles erga subditos, 399, 2.

DOMINICA XXIII POST PENTECOST.

Tetigit fimbriam vestimenti ejus. Sic et semicinctia Pauli sanant ægrotos, 352, 1. Sic umbra Petri inumbrati ægri sanitati reddebantur, 150, 1.

Fides tua te salvam fecit. Quanta fuerit S. Pauli fides, 17, 1. Fides vocatur vita æterna, 285, 1.

Non est mortua puella, sed dormit. Christianorum mors velut somnus quidam est, 157, 2.

DOMINICA ULT. POST PENTECOST.

Videbunt Filium hominis venientem. Judicium particulare per angelos peragit Christus, 185, 1. Ipse est judex vivorum et mortuorum, 242, 1. Judicii extremi terrore stimulos duris peccatoribus admoveant concionatores, 408, 2. et seq.

IN DEDICATIONE ECCLESIÆ.

Templorum frequentatio suadetur, 111, 2. Ecclesia cui vasi comparetur, 234, 1. Deus nullo loco contineri et concludi potest, etsi in templis habitet, 327, 1.

Canonicarum horarum quæ sit origo, 112, 2.

IN FESTO CONVERSIONIS S. PAULI.

S. Pauli Apostoli elogia, 15, 1. ejus electio et vocatio, 15, 1. ejus missio legitima, 16, 2. ejus fides quanta fuerit, 17, 1. ejus mores fuere cœlestes, 80, 1, 2. fuit homo telus igneus, 31, 1. variæ ejus virtutes, 18, 1 et seq. ejus proficiendi studium semper in melius, 30, 2. Lapidavit Stephanum omnium manibus, 184, 2. Unde hoc nomen acceperit prius dictus Saulus, 208, 1. Fuit Bononi et Benjamin, 2. ejus conversio enarratur, 209, 2 et seqq. cur festum conversionis ejus Ecclesia celebret, 211, 2. quo anno sit conversus, 220, 1. gratia ei data fuit efficacissima, 215, 1. est vas electionis, et quomodo, 216, 1. ejus gesta in Hispania, 445, 1. quomodo ubique indefesse prædicaret, 32, 2. ejus prudentia in omnibus actionibus, 33, 1. ejus zelus quantus fuerit, 34, 1. quanta ejus fuerit fides, 17, 1, 2. ejus magnanimitas, 24, 2.

Domine, quid me vis facere? Plenam habui voluntatis resignationem et conformitatem cum divina, 20, 2.

IN FESTO PURIFICAT. B. VIRGINIS.

Secundum legem Moysi. Votum Nazaræatus quando fecerit Paulus, et id solverit, 345, 2 et seqq.

Ecce positus est hic in signum cui contradicetur. Contradictio signum est Christi et Christianismi, 447, 2.

IN FESTO CATHEDRÆ S. PETRI.

Super hanc petram fundabo. S. Petrus quando suo primatu fungi cœperit, 65, 2. Romam quando profectus sit, 269, 2. Ipse Romanorum fuit Episcopus, non Paulus, 444, 2 et seqq.

IN FESTO S. MATTHIÆ.

S. Matthias quis fuerit, unde dictus, 71, 1. sorte quali et quomodo electus sit, 72, 1.

IN FESTO S. BARNABÆ.

S. Barnabæ apostoli vita, nominis etymon, prosapia, genus, 139, 2. ejus elogia, 275, 2. cur vocatus sit a Lycaoniis Jupiter, 289, 1.

IN FESTO SS. PETRI ET PAULI.

S. Paulus vere bestiis objectus fuit Ephesi, 361, 1, 2. Ipse Melitensibus septem præclara privilegia concessit, 435, 1. ejus martyrium, 38, 1; 446, 1.

IN FESTO COMMEMOR. S. PAULI.

Estote prudentes sicut serpentes. Consideratio nobis in operibus nostris est adhibenda, 267, 1.

IN FESTO S. JACOBI.

Illi continuo relictis retibus secuti sunt eum. Deo vocanti quamprimum respondendum et parendum est, 213, 2.



S. Jacobus cur ab Herode gladio cædatur, 255, 1. ejus varia privilegia tum ante mortem, tum post eam accepta, 256, 1 et seqq. quo anno Christi occisus sit, 257, 1.

IN FESTO VINCULORUM S. PETRI.

Vincula et catenas S. Petri quomodo Deus et Ecclesia honorarit, et miracula per eas patrata, 261, 2 et seqq. Qua ratione S. Petrus ab angelo e carcere eductus sit, 262, 2 et seqq.

IN FESTO ASSUMPT. B. MARIÆ VIRG.

B. Mariæ Virginis mira humilitas, 65, 1. Fuit doctrix Apostolorum, ideo relicta a Filio in terra vivere, ut eos edoceret de omnibus, 158, 2. Ipsa est Diana Christianorum, 358, 1. Quando mortua sit et quomodo, 380, 1 et seqq.

IN FESTO S. MICHAELIS.

Qui scandalizaverit unum de pusillis. Pauci, pueri, rudes et rustici, non minus docendi quam multi, majores et nobiles, 237, 1, 2. Rudium doctrina et catechizatio quam sit utilis, 52, 1.

Angeli eorum vident. Angeli sæpe induunt formam et personam suorum clientum, 289, 1.

IN FESTO S. LUCÆ.

Neminem per viam salutaveritis. Salutatio Sanctorum efficax est et salutaris, 30, 1.

Misit illos binos. Quanta Christianorum inter se debeat esse fraternitas, 66, 2. Religiosi bini incedant, 111, 1.

S. Lucas ubi S. Paulo adhæserit, et an continuo, 305, 2. Fuit pictor, 41, 1. ejus vita, elogium, dignitas, facta, martyrium, 42, 1 et seqq.

IN FESTO OMNIUM SANCTORUM.

Beati pauperes spiritu. Ananias an votum paupertatis fecerit et violarit, 141, 1, 2. Paupertas S. Pauli, 27, 2. *Vide Dom. II Adventus.*

Beati qui persecutionem patiuntur. Persecutores fabricant fidelibus coronas, 131, 1. In tribulatione Christiani semper gau    um, 156, 2.

IN COMMEMOR. FIDEL. DEFUNCT.

Animæ an inferno et cœlo aliquando egredi queant, 131, 1. Vitæ semel restituti, certi sunt se postea damnationem evasuros, 220, 2.

Sepelire mortuos quam sit pium, 191, 1. Planctus in morte Christianorum qualis esse debeat, *ibid.* et seqq.

IN COMMUNI APOSTOLORUM.

Apostolorum quanta sit dignitas, 14, 1. sunt velut cœli, 15, an sunt in Pentecoste creati Episcopi, 84, 1. vino et carne communiter abstinebant, 38, 2. quatuor eorum dotes, 47, 2. eorum encomia, 56, 2; 78, 2. voverunt paupertatem, 142, 1. eorum magis est pati quam agere, 218, 1.

Viri Apostolici imago, 21, 2. Apostolatus cur vocetur tors, 67, 1. Apostolici viri sunt velut novi homines, 31, 2.

IN COMMUNI PONTIFICUM.

Cardinales primi qui fuerint, et eorum munia, 163, 2. Diaconorum et Diaconissarum officia, 163, 1. Prælatus sit stomacho leonino, 235, 2. Prælatorum est manus imponere, non laicorum, 295, 1.

Calceamenta in præparationem Evangelii. Caliga quomodo vocetur calceus, 264, 1. Sandalium erat solea, 2.

IN COMMUNI CONFESSORUM.

Christiani primi duxerunt vitam religiosam, 143, 2. Essenorum (qui fuere primi Christiani) vita, studia, mores, continentia, 144, 1 et seqq. Religiosus status cur vasi comparetur, 234, 2.

Cœnobiticæ vitæ prima institutio et occasio, 107, 1; 133, 1. Zeli quis sit effectus, 35, 2.

IN COMMUNI MARTYRUM.

S. Paulus fuit martyr toto apostolatus tempore, 37, 2.

IN COMMUNI VIRGINUM.

Virginitatis symbolum est rosa, 263, 1.

Virginum vox velut tonitru impuros percellit, 409, 1.

Sobrietas et castitas S. Pauli quanta fuerit, 28, 2.

FINIS.

Erratum. Pag. 366, col. 2, lin. 35, pro *Ephes.* vers. 1, lege: *Ephes.* IV, 2.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS ®